
IOANNIS

GERSONII,

DOCTORIS ET CANCELLARII PARISIENSIS,

Secunda pars Operum;

Maximè continet, quæ AD MORES SANCTIVS INFORMANDOS *conducunt.*



PARISIIS,
M. DC. VI.

CATALOGVS EORVM, QVÆ IN SECVNDA PARTE OPERVM GERSONII CONTINENTVR.



CHRISTIANISSIMI DOCTORIS IOANNIS GERSON, CANCELLARII PARISIENSIS REGVLÆ MORALES.

PROLOGVS.

AGAMVS nunc interim quod natura & imitatrix naturæ ars solent, nos ab imperfecto sumamus exordium, vt Inde (si Deus annuerit) ad perfectiora consurgamus. Itaque videre est naturam in florigeris apibus, primùm ex apricis locis materiam fauorum colligere, dehinc collectam dirigere in aliam formam quàm vnde sumpta est: demùm in alueolo constipantur miro ordinis artificio partes singulorum. Quid verò ars? nónne processus in ea similis agnoscitur? Prouidet sibi in primis de materia copiosè, ipsam deinceps in partes diuidit: Porrò dat partibus formam, primùm rudem, deinde politiorem. Postremò (quod est omnium difficillimum) partibus sparsim positis & politis, ordinem colligationémque tribuit, per quod tandem operi suo perfectio consummata donatur. Segregemus in hunc modum partes aliquas velut è sylua grandi, & prædiuite minera sacræ scripturæ, quibus formam aliquam addimus. Noli igitur lector (si quis fortè occurreris) despicere si iaceant interea, hæ partes absque ordine sine vinculis & calce, quas (dum sic erunt) regulas aut doctrinas, aut considerationes appellare poterimus. Fortassis Domino propitio poterit & eis in posterum ex decoro ordine, libelli pulchritudo donari. Quod si datum non fuerit, nihilominus arbitramur nos non nihil profecisse, si materiam præparauerimus alijs ad ea quæ libuerit fabricanda, aut sub alio tropo: non frustra sudauerimus, si ex agro florentissimo sacræ scripturæ, apes cogitationum nostrarum collegerint, digesserintque buccellas quasdam faui mellis, ad lumen cognitionis & ad deuotionis dulcorem, atque pro medicamento desideriorum infirmorum, quas particulas liceat postmodum in alueolo libri vnius decoro artificio speciosius ordinare.



EA QVÆ tibi præcepit Deus, cogita semper, quoniam quilibet obligatur scire illud, absque cuius notitia non potest euitare peccatum. A

Culpabilis ignorantia iuris diuini, non cadit in facientem illud quod in se est: quoniam Spiritussanctus, talem hominem de necessarijs ad salutem, quæ vires suas excedunt, docere immediatè vel mediatè paratus est.

Ignorantia inuincibilis excusat (in eis præsertim quæ sunt facti) non autem crassa vel supina, quæ prouenit ex negligentia sciendi & faciendi quod in se est. Dicitur autem inuincibilis, non quin vinci possit, aut quod ex ea necesse sit tunc operari; sed quia operans, sufficienter (secundũ casus euentũ) diligentiam apposuit sciendi illud quod nescit. B

Ignorantia iuris humani sufficiẽter promulgati, non liberat subditos à pœna in foro exteriori, licet frequenter (quoad Deum) excuset à culpa quosdam ignorantes.

Non quilibet tenetur scire de quolibet peccato mortali an sit tale, licet expediat istud inquirere, & scire iuxta vniuscuiusq; vires & statum, & plus Ecclesiasticos quàm laïcos. Et inter Ecclesiasticos, prælati ex officio tenentur, *quod sint parati omni poscenti reddere rationem, de ea quę in eis est fide & spe.*

Nemo vtens ratione, diu ab ignorantia principiorum moralium excusatur, forte enim morulam ad considerandum apponere fas habet.

Omnis doctrina & omne studium, debent de curiositate vana aut noxia culpari, quæ non ordinantur actu vel habitu, mediatè vel immediatè, ad bene, moraliter, grauitérque viuendum.

Dare studium suum rebus inutilibus aut noxiis, (vtilioribus scienter omissis) curiositas est damnabilis.

Vtile & inutile, noxium & innoxium, dicuntur in moralibus non absolutè, sed per respectum ad nos, cum circunstantijs finis, loci, & temporis, officij atque cæterorum.

Omnis obligatio, finaliter reducitur ad dictamẽ

liberi arbitrij diuini, sic volentis obligare creaturam; quod dictamen nobis innotescit vel in lumine fidei, vel gratiæ infusarum, vel in lumine naturali signato super nos. Vnde iudicia practica rationis habemus, aut per lumina scientiarum tam diuinarum quàm humanarum, ex duplici lumine priori emanantium; aut postremò per experientiæ multiplicis luminosum documentū; per quod fit, vt virtus quàm ars, certius operetur; propter quod, virtuosus bene iudicat de omnibus, & est suo iudicio, virtutis medium assumendum.

In principijs moralibus assignandis, fit processus quandoq; à notioribus & quasi à posterioribus, vt ex his quæ videmus in humana politia, assurgēdo ad diuinam legem; quandoque fit è contra à priori, considerando eas leges quæ naturæ sunt notiores, qualis est lex æterna.

Æquitas, quam nominat philosophus epikeiam, præponderat iuris rigori. *Est autem æquitas, iustitia pensatu omnibus circunstantijs particularibus, dulcore misericordiæ temperata.* Hoc intellexit qui dixit. Ipsæ etiam leges cupiunt vt iure regantur. Et

Ecclef. 7. sapiens: *Noli esse iustus nimis*, alioquin summa iustitia, summa iniustitia fit. *Omnia mandata Dei æquitas*, id est cum æquitate pensanda.

Bonarum mētium est, ibi agnoscere culpam, vbi culpa non est, agnoscere inquam nō per assensum firmum, hoc enim stultum periculosúmque fieret, sed sic vt doleat aut pœniteat homo postmodum, quasi veraciter in culpa teneretur.

Nullum est peccatum mortale actuale, absq; cōsensu libero rationis vero vel interpretatiuo. Interpretatiuum consensum tunc esse dicimus, dum habuit ratio tempus sufficiens deliberandi, & fugiendi ea circa quæ vitanda, esse peruigil tenebatur, qualiter dicit lex forensis, *qui tacet, consentire videtur*, dum videlicet repugnare deberet.

Consensus in actum solum venialiter malum, est tantummodo venialis, loquendo de veniali ex genere suo, vt est verbum ociosum.

Nullum peccatum est adeò veniale, quin ipsum vel sibi simile fiat mortale dum placet, hoc est dū cōsensus additur, si tamen illud veniale erat actus mortalis ex genere suo, & ex eo quod non fiebat, ex consensu libero & perfecto, venialis reddebatur.

Nullus est actus adeò mortalis quin ipse vel sibi similis fit non mortalis dum displicet, vel si non placet consensu perfecto, deliberatóque.

Nihil adeò consilium in lege euangelica, quin in casu posset esse obligatorium. Et ita, quilibet vtens ratione, tenetur secundū præparationem animi ad quodlibet consiliū, vtputa martyrium, vel dimissionem omniū suorum & similium, si & vbi necessitas immineret hoc agēdi. Obligat insuper quodlibet consilium quod nō contemnatur, tanquam non sit salubrior obseruatio eius quam oppositi. Nullus ita consilijs seruandis astringitur, quin ab eo aut possit, aut debeat in casu, eorū obseruatio verbalis quandoq; prætermitti, vt de non habendo duas tunicas, de præbendo pallio, tunicam auferenti, & similibus.

Omnis agens contra conscientiam ædificat ad gehennā: vel mortaliter, si cōscientia sit fixa quod illud quod agitur est mortale: Vel venialiter solū, quantū est ex parte huius circunstātiæ, quæ est facere contra conscientiam, si conscientia iudicet

A illud esse solùm veniale.

In nullo casu est aliquis perplexus inter duo peccata, quin ei pateat exitus absque nouo peccato. Nā si iurauerit quispiam se occisurū Petrum innocentem, & nō occidat eū, ipse non peccauit nouiter, sed iam peccauerat in iurādo. Si autē dictet sibi consciētia erronea, quod Petrus innocēs est statim occidēdus ab eo, dimittat hāc consciētiā & liberatus est. Si postremò incidāt duo præcepta incōpossibilia ex culpa sua, agat illud quod de se magis est obligatoriū, & à nouo peccato immunis existit.

B Exponere se periculo peccati mortalis, est peccatum mortale: Vel sic, agere incertum & dimittere certum in materia morali, est peccatum mortale, si tale sit incertum quod sit mortale non solum per cōiecturas leues, aut ex suspicione trepida, & scrupulosa, proueniente ex nimio timore cadendi in via Dei. Sed intelligitur, dum tale est vehementer & probabiliter incertum, æquè sicut oppositum vel magis: tunc enim illud quod agitur, non carebit mortali culpa, aliter non oportet.

C Consilium salubre est, frequenter agere contra scrupulos leues & trepidos, vitando eos ad aliorū iudiciū, quatenus ex consuetudine fiat homo robustus, solidus, & trāquillus in exercitio spirituali: Exemplum in domificatoribus & funibularijs.

Dans operā rei illicitæ, aut ad se non spectanti, non excusatur per ignorantiā de peccato sequēti, præsertim quoad pœnā in foro exteriori de rigore soluendam, sed apud Deū sæpè non imputatur ad nouum, aut maius peccatum. Sicut interfectio hominis per ebrium non vtentem ratione, non ha-

D bet culpam maiorem, quàm fuerit talis ebrietas; sic aliqui dicerent de peccatis damnatorum.

Ambulādum est in virtutum doctrina viā regiā vt nec strictius fiat Dei mandatū nec latius, quàm ipse mādauerat, quāuis inde sumere possint aliqui aut malitiæ velamē, & libertatē, aut ècōtra in desperationē corruere. *Non tamen omnibus, pro omni tēpore & loco, prædicandā asserimus, quamlibet veritatē.*

Homo qui tenetur reprimere illecebram antequam sit mortalis, primò omisit reprimere & eui-

E tare, de hoc imputabitur ad culpam mortalem in primo instanti non esse gratiæ, & esse peccati mortalis, & ante nunquam fuit verum dicere, iste mortaliter omittit.

Peccatum veniale magis posset dici cohibitum quam prohibitum, & esse contra institutionem seu monitionem (quasi medium inter præceptum & consilium) quàm absolutè contra præceptum: cōmunius tamen dicitur esse citra aut præter præceptū, & præter dilectionem Dei, & non contra.

F Omnes primi motus qui apti sunt insequi rationem & per eam regulari, si eam præuenerint, dici possunt peccata, etiam in paruulis & fatuis, quia sunt præter ordinem naturæ primitus institutæ: Tamen, rectius hoc dicitur de adultis ratione vigentibus: in eis insuper circa quæ ratio peruigil esse debet.

Omnis infidelium vita peccatum est, si & dum ex infidelitate operantur, aliter non oportet, quādo possint bene moraliter operari, sicut de fidelibus extra gratiam sententia rectior tenet.

Qui minima negligit, paulatim decidit: Nam veniale peccatum, & si non perimit de per se vita,

vitam gratiæ, infirmat tamen operationẽ eius quæ est vita ſecunda,& ad mortem ſi multiplicatur,di- A ſponit, retardátque à profectu meriti, & ab acceleratione viſionis Dei: *In via enim Dei non progredi, regredi eſt*. Fac interim (ſcilicet dum es in peccato mortali) quicquid boni potes, vt Deus illuſtret cor tuum: Nam bonum opus de genere, & morale etiam factum extra charitatem, vtilitatem affert multam,ſicut nocet veniale; quoniam per tale opus diſponitur homo ad opera virtutum, & ad facilius reſurgendum trahitur, ſeu per aduerſa ſeu per proſpera,iuxta quod expedire noſcit Deus.

B Nullus actus de genere moris,in habente vſum rationis, eſt ſimpliciter indifferens, neque quoad bonitatem moris, neque quoad meritum vel demeritum,ſaltem boni temporalis.

Quantùm obligamur,& quotiens ex diuina auctoritate,quærere ſalutem noſtram æternam, tantùm & totiens obligamur bene operari ex gratia. Et quia non pro quolibet momento tenemur actualiter tendere ad beatitudinem æternam (cum hoc ſit præceptum affirmatiuum) idcirco nõ ſemper culpabiliter omittimus, dum extra gratiam a- C liquid operamur.

Solus Deus & nullus alius, abſque eius commiſſione, poteſt directè & per ſe obligare quemcunque hominem (etiam ſibi ſubditum, abſque eius conſenſu libero) ad actus interiores,& latentes habẽdos: ſolus quippe Deus poteſt de talibus iudicare, alij autem non (niſi de eius mandato & reuelatione) ſed tantùm de exterioribus: notanter vero dicitur,directè & per ſe,& abſque conſenſu libero, quia indirectè & per accidens vel ex con- D ſenſu ſubditi hoc poteſt fieri; dum videlicet iubetur actus exterior,qui non poteſt fieri niſi ab interiori procedat.

Nemo abſque culpa ſua, aut conſenſu ſuo libero, poteſt de per ſe obligari ad ea quæ ſibi alias eſſent licita vel conſilia: Poteſt autem hoc fieri de per accidens, pro manifeſta vtilitate reipublicæ cuius eſt pars, vel ex eius culpa, ſaltem quoad forum exterius. Quoniam rationabile eſt, vt nullus homo aliquid præcipiat, niſi illud de quo poteſt cognoſcere iudicialiter,ſecundum modum ſuum E in foro ſuo: Idcirco, finis & intentio legiſlatoris, non cadunt ſub obligatione ſubditorum,ſed tantummodo operationes exteriores præceptorum. Et ita dicens horas, aut ieiunans in peccato mortali, aut intentione ſiniſtra, vel abſque attentione, abſoluit ſe à pręcepto Eccleſię,ſed non apud Deũ de negligentia aut peruerſa intentione ſæpius excuſatur.

Præcepta Dei affirmatiua,quia obligant ad ſemper, ſed non pro ſemper, eorum obligatio eſt ſub F quadam disiunctione ad hoc tempus,vel ad illud, & ad hanc ſpeciem operationis vel ad illam. Sicut colere Deum latria exteriori, non plus de ſe obligat ad hanc ſpeciem cultus exterioris & ad hanc diem quam ad illam.

Ad eruditionem atque certificationem fideliũ, & vt conformis ſit in Eccleſiaſtica politia cultus diuinus, prælati Eccleſiaſtici, tanquam ſapientes ſtatuti ſunt, per quos expedit illud quod eſt ſub diſiunctione ad aliquid vnum certum & commune Chriſtianis limitari, ſicut quo Dei cultus exterior die dominico & per ceſſationem ab operibus

ſeruilibus exoluatur.

Eccleſiaſtici prælati, reſpectu præceptorum diuinorum & regulæ Euangelicæ, nullo modo conditores ſunt, ſed duntaxat quidam interpretatores, expoſitores, præcones, doctoréſque.

Interpretatio,& limitatio, vel expoſitio prælatorum in lege diuina (quamdiu prælati nõ cognoſcuntur abuti ſua poteſtate) ſuſcipienda eſt reuerenter, tanquam lex Dei: Abuterentur autem, ſi manifeſtè imponerent onera nimis grauia ceruicibus populi Chriſtiani; vt ſi ad feſtiuandum quotidie, aut ad ſtatuta, qualia religioſi habent, omnes paſſim aſtringi quærerent.

Diſpenſatio prælatorum, quæ eſt iuris communis quædam relaxatio, ſeu mitigatio, locum habet præcipuè circa particulares caſus, & perſonas ſingulares; quoniam aliqua ſtatuta ſunt pro communitate, quæ huic perſonæ vel illi, & in iſto caſu, vel illo, non ita ſicut ſunt poſita, congruere dignoſcuntur.

Pœnæ ſunt reſtringendæ,ſic quod abſque vtilitate reipublicæ, vel eius cui infliguntur, neque inſtitui,neque inſtitutæ exequi deberent; & peccant oppoſitum facientes, vel eas cum hoc reſciuerint, non tollentes.

In omni republica, tolerari poſſunt aut debent vitia, quæ abſque deteriori periculo, neque corrigi neque extirpari valerent. Quando autem illud eſt & quando non, difficile eſt, & ſępe impoſſibile generaliter definire, niſi prout circunſtantijs particularibus inſpectis, prælati ſuperiores & ſapientes determinabunt. Exemplum eſt de meretricibus, & vſuris, & ſimilibus, quæ quandoque permittuntur: & ita de concubinarijs ſacerdotibus, pro loco & tempore, ſtaret forte eſſe faciendum.

Communis error, facit ius ad hunc ſenſum vel intellectum, & ſimiles, quod prælati & principes ſæpè aliqua faciunt aut permittunt iuſtiſſimè ob errorem ſubditorum communem, quæ aliàs ſi fierent aut permitterentur, ad culpam eoſdem obligarent.

Communis inobedientiæ culpa, quandoque abſoluit de per accidens ab obedientia, & à culpa pro futuro; & hoc in legibus poſitiuis, vt tales ſunt; alioquin nõ videtur in multis, quomodo lex lata & iurata, poſſet per non obſeruationem aboleri.

Conſuetudo eſt optima legum interpres, ſi de poſitiuis ſermo fiat.

Cum conſuetudo ſit altera natura, leges aſſuetæ, & quaſi iam naturales verſæ, non debent abſque manifeſta vtilitate vel neceſſitate, vel tolli vel mutari.

Conſentire cẽſendi ſunt ſuperiores (ſaltem interpretatiuè) in abolitione legum ſuarum poſitiuarum, quando paſſim eas diu non obſeruari ſcire poſſunt, & nec verbo nec facto reclamant.

Lex non inſtituitur, niſi dum promulgatur, neque vigorem habet, niſi cum moribus vtentium approbatur, & hoc ſi ſit lex purè poſitiua ad populi regimen. Secus de diuina atque naturali diceretur, contra quas non eſt præſcriptio, vel ad oppoſitum conſuetudo, ſed tantum corruptela.

In omni lege poſitiua quantũcunq; bene inſtituta, aliquid eſt de iure naturali & diuino; vt quod expedit homines legibus regulari, quod qui pote-

ſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & ſimiles.

Secernere ius diuinum & naturale à poſitiuis, ſicut eſt difficile, ita maximè neceſſarium eſt & vtile, in omni doctrina morali & politica, & hoc fieri perfectè nequit, abſque ſacra ſapientia, quæ legibus æternis innititur atque fundatur.

Comparatio peccatorum adinuicem, ſecũdum grauitatem maiorem & minorem, generaliter ſumi nequit, niſi comparentur in genere ſuo, & cæteris paribus, quoniam ſecundum alias circunſtãtias particulares, ſe habent plurimum, vt excedentia & exceſſa.

Quantificatio peccatorum, à poſteriori ſumitur à pœna, licet non ſufficienter vſquequaque; & à priori penes genus obiecti, & intentionem finis, & libidinem ſeu conatum volũtatis maiorem vel minorem, & cauſam motiuam, tempus, & locum, & penes damna inde ſequentia, quæ peccans prçuidebat, aut præuidere tenebatur.

Omnis actus cuius finis intentus, eſt peccatum mortale, mortalis eſt, ſiue intendatur actu ſiue habitu; quod ſcitur, ſi operans interrogatus, cur hoc facit, & aduertens, tandem reſpondebit, ad hunc finem feci.

Actus qui aliunde non eſſet mortalis, & fit propter finem ſolum venialem, videtur eſſe ſolum venialis, niſi forte præſtituatur finis ille, vt vltimùs & quietans, & non ſolum vt incidens, & minus principalis actu vel habitu.

Non omnis actus peccati, eſt fruitio creaturæ, vel vſus eius, ſed quandoque eſt abuſus ſolum venialis, quandoque mortalis. Non enim oportet vt in omni peccato, creatura conſtituatur finis vltimatus abutentis ea.

Si quis mouetur occaſionaliter ſolum ex peccato mortali, ad aliquem actum faciendum, non oportet illum actum eſſe peccatum mortale. Secus ſi cauſa principalis huius actus eſſet mortale delictum.

Diligi poteſt Deus propter finem mercedis, qui ipſe eſt, vel prout *ly* propter, diceret finem ſubordinatum ſub vltimo fine, aut prout cauſam motiuam minus principalem denotaret, alias nõ. Similiter de euaſione damnationis diceretur.

Bonitas naturalis conſequitur ad ens, & hæc nõ habet oppoſitam malitiam: Bonitas verò & malitia morales de genere, ſumuntur ex obiecto. Sed totalis bonitas moralis ſpecialiter pendet ex circunſtantijs finis, & aliorum ſimul adunatis: Malitiam verò, ex vnius illarum circunſtantiarum carentia ponimus reſultare. Cæterũ bonitatem gratuitam & meritoriam, gratia gratum faciens operatur.

Circunſtantiarum, aliç ſunt ſolum concomitantes actum (& hæ nec addunt, nec diminuunt ad peccatum) aliæ dicuntur informantes, quia ad actus, vt moralis eſt, integrationem & informationem, exiguntur & intrant.

Multa ex genere mortalia ſunt, quorum ſimilia poſſunt effici bona, dum trahũtur extra rationem ſuam: quemadmodum, dolere deliberate de bono alterius, eſt mortale delictum: ſi vero hoc fiat pro zelo iuſtitiæ boni communis, cui contrarium eſt tale bonum, ille dolor virtus erit.

Plerumque multa ex genere bona eſſent quæ ex aliqua circunſtantia peruerſa, fiunt mala, & ſpeciem moralem mutantia.

A Non omnis deliberans agit ex deliberatione, ſicut nec omnis ignorans agit ex ignorantia, aut cõtemnens ex contemptu: Poteſt enim aliquis progredi in actum primorum motuum, dum actu deliberat quid agendum, non tamen ex deliberatione aget, ſed ex effreni appetitu & motu paſſionis. Dicitur autem aliquis agere ex aliqua cauſa, quando ſi non eſſet illa cauſa, ipſe ab agendo ceſſaret, accipiendo largè agere, prout ad omittere protẽditur. Duobus bonis propoſitis, quandoque ad nullum obligor, quandoque ad vnum illorum, nõ

B ad aliud, quandoque ad ambo, ſub diſiunctione ſolum: In quo caſu, non teneor ſimpliciter eligere maius bonum, ſi ſit mihi difficilius, neque etiam ſi ſit facilius, & habeam rationabiles cauſas illud dimittendi, & aliud agendi. Exempli gratia, ad experiendam propriam libertatem. Quoniam ars perfecta non deliberat, ſicut ex virtute agit aliquis bene quaſi ſubitò, ſic ex peruerſa aſſuefactione vitioſus, quaſi repente prçcipitatur in culpam: Et ita malè habituatus in vitijs, vt in iurando, concupiſ-

C cendo, odiendo, inuidendo, & ſimilibus, ferè demeretur continuè, ſicut virtuoſo aſſiduè merces creſcit, vt verum ſit, qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc.

Nullum deſiderium rei illicitæ, factum tantummodo ſub conditione actualiter vel habitualiter adhibita, eſt de per ſe mortale delictum, de per accidens tamẽ, propter appetitus ſenſualis commotionem nimiam, quæ ſcienter dimittitur inualeſcere, ex talis deſiderij continuationç libera, poteſt

D ipſum inter mortalia deputari, quia qui amat periculum, peribit in illo.

Nullus agens bene, ſecundum omnes circunſtantias, dici debet dare ſcandalum alteri, quantũcunque ſcandalizetur alius: *ſcandalum enim eſt, dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occaſionẽ ruinæ.* Nam in via omnino recta ſi quis ceciderit, non ex ſcandalo viæ, ſed ex proprio defectu proueniet. Solus ille ſcandalizat actiuè, qui aduertens aut aduertere debens alios proniores eſſe ad pec-

E candũ ex modo ſuo agendi, qui ſibi non eſt in prçcepto, nihilominus ipſe operari non deſiſtit, ſecus in caſibus hic excluſis, vbi malitia propria eſt ſcandalum gratis acceptum, vbi præterea non eſt aduertentia, nec eſſe debet de ſcandalo alterius, & vbi quis ad illud operandum tenetetur.

Ille dicitur ex malitia ſua peccare, & ſcandalum accipere, non ex actu alterius, qui informatus ſufficienter de bonitate huiuſmodi actus, nihilominus cadit in ruinam; vt ſi ex voto religionis emiſſo, parentes poſt ſufficientem de religionis perfectione informationem, ſe ſcandalizari conqueră-

F tur, ſcandalum eſt hoc non iam puſillorum, ſed pharisæorum, acceptum ſcilicet non datum.

Quilibet, ab omni actu, cui non eſt aſtrictus aliunde, tenetur deſiſtere, quando timet aut timere debet, ſecundum vehementem coniecturam, ſcandalum puſillorum, quouſque de illo compeſcendo diligentiam compleuerit, niſi fortè pro cõmuni vtilitate, vnctio Spiritus ſancti doceat illud tunc agendum, vt Chriſtus fecit in publicatione veritatis ſacramenti.

De ſuperbia

De superbia & vana gloria.

APPETITVS gloriæ, si est de vera gloria, & propter Deum, virtuosus est: si de vana citra Deum, & non contra Deum (vt in bonis fortunæ, naturæ vel gratiæ) venialis est tam ex genere quàm ex more, si sit ad finem bonum, vt pro euitatione infamiæ, aut pro magno bono ædificationis alienæ, ille appetitus discretus est & meritori⁹. Si gloria sit falsa & de peccato mortali, aut pro fine malo principaliter & vltimatè, tunc mortalis est.

A

Præsumptio, arrogantia, iactantia, & hypocrisis, generaliter & propriæ sunt de illis quæ non conueniunt homini taliter se habenti, si illa habere vel credit, vel inordinatè appetit, propterea semper habent errorem vel malitiam inuolutam, quandoque venialem, & sępe mortalem, secundum genus obiecti, & iuxta circunstantias intentionis, & finis, atque cæterorum.

B

Præsumens de Dei misericordia, quod saluabitur qualitercumque peccauerit, & in peccato perseuerauerit, errat in fide, si hoc iudicet per intellectum, & in moribus moraliter, si taliter afficitur per voluntatem absolutam; quia de conditionata non oportet. Et ita distingui posset in valde multis de intellectu & affectu; quia secundum hoc peccata variam naturam sortiuntur, vt dicantur, vel errores, vel mali mores, vel vtrumque.

C

Præsumptio de multis meritis & gratijs, falsa est, & temeraria, si non insunt: si autem credatur & sentiatur quod ex se sunt principaliter, impia est, quantumcunq; prius haberentur.

Quod si singulariter eas habere quis glorietur pestifera est atque Pharisaica præsumptio.

D

Credere & sentire quod ex meritis præcedentibus aliquod bonum aut præmium consequatur, non est præsumptio vel error, si ad Deum tãquam ad originale principium, actu vel habitu solum referatur. Deus enim miseretur cuius miseretur, hoc est gratiam dat, vt ex illa aliam gratiam largiatur.

Celare peccata sua non est ex se hypocrisis, sed cautela prudens & debita. Secus si fiat hoc ex appetitu laudis falsæ, aut alterius malitiæ principaliter, vel si ad malũ finem vltimatè referatur. Secus etiam, si per mendacia operum, vel signorum, vel verborum, talis absconsio quæratur fieri, quemaddum si ad celandum peccata suæ luxuriæ, fingat se aliquis opere, signo, aut verbo, luxuriam maximè detestari, & castitatem amplexari, cum sufficere debeat vt illam non ostendat. Ita de superbia, & cæteris posset dici.

E

Præsumptio, arrogantia, iactantia, & hypocrisis, circa bona naturę, aut fortunę, minus habent peccati & periculi, quam circa bona gratiæ, præsertim gratiæ gratum facientis, cum illa minus cognosci possit inesse.

F

Pertinacia in opinionibus & actibus proprijs, (per quam quis non est paratus corrigi) damnabilis & vix sanabilis est pręsumptio, & dum in rectoribus aliorum, aut apud religiosum est, cuncta turbat & perdit.

Non est seruitus, sed libertas parere legibus, quoniam obligatio per votum, aut præceptum (cæteris paribus) auget virtutis & meriti rationẽ, vtrobique enim additur circunstantia bona, in voto, latriæ, in præcepto obedientiæ.

Subditi, obligantur obedire superioribus, in his duntaxat respectu quorum sunt superiores, & dum regulas suæ dominationis non excedunt.

Nullus actus, debet ab homine prohiberi sub pœna peccati mortalis alicui (inuito etiam subdito) nisi ad illum iam sit obligatus per legem diuinam explicite, vel implicitè, virtualiter vel in forma: nam solus Deus est, qui habet imperium ęternæ vitæ & mortis.

Stultum & iniuriosum pro superioribus est, credere omnes institutiones factas (quales videmus respectu subditorum) obligare ad peccatum mortale: sed sunt multæ accipiendæ, vt comminationes, multæ vt monitiones, multæ, vt cõsilia, multæ vt quædam decentiæ & honestates, & facientes ad finem consequendum, multæ vt temporalem hãc vitam solum regulantes, & ad pœnam temporalem, si transgrediantur, solum obligant.

Iurans vel vouens in aliqua religione vel communitate, adimplere omnia quę pro regimine talis religionis aut communitatis ordinata sunt aut erunt; non per hoc censendus est esse obligatus sub pœna peccati mortalis, ad obseruationẽ illorum, ad quæ diuina lex non vult taliter obligare; quia nec humana lex taliter obligare intẽdebat, si rectè (vt supponitur) intendebat.

Displicet Deo infidelis & stulta promissio; infidelis quæ non seruatur; stulta quæ discretionis sale non conditur: Propterea, stultum est dicere, quod de ingrediendo religionem consiliandum non sit, sed ad primam inspirationem ingrediendum.

Potest syncero & recto consilio, religionis ingressus dissuaderi, quibusdam ad tempus, alijs in æternum: sic de prælaturæ susceptione, aut status virginitatis diceretur. Attamen modestissimam cautelam in dissuadendo scimus exhibendam.

Omne votum & iuramentum, ad hoc quod obligatorium sit & discretum, habet conditiones implicitas, quarum aliquas inutile, aliquas vtile esset in iurando per expressum apponere. Vna conditio est, quæ reseruat superiorum auctoritatem. Secunda, quod iuramentum non sit aut vergat in deteriorem exitum, scilicet ad mortale vel veniale peccatum, nunc aut in posterum. Tertia, quod nõ sit in salutis dispendium, hoc est in perfectionis impedimentum, vt esset vouere non intrare religionem, nunquam suscipere prælaturam, aut non loqui cum parentibus & similia, quæ licet possint licitè quandoque dimitti, non tamen passim iuramento aut voto vallari.

Quando aliquis, nec actu nec habitu per verba sua intendit iurare, non est reus periurij apud Deũ, nec etiam apud homines, si sufficienter hoc constiterit; potest tamen de incauto modo loquendi, vel scandalizandi, vel asserendi, vel de intentione fallendi, culpari. Hoc facit pro religiosis, & quibusdam alijs, qui iurant *per botas suas* & per *animam canis* irrisoriè. Et pro Burgundis & assuetis iuratoribus, præter omnem intentionem obligandi se iuramento.

Institutiones humanæ, non debent tales interpretationes aspernari, quales iuramenta & vota, secundum concordem doctorum sententiam recipiunt, etiam dum ferrentur absolutè, alioquin in

laqueum, & magnum salutis dispendium verterentur.

Si contemnere aliquam rem, vt auctoritatem superiorum, est ipsam verè vel interpretatiuè nullam aut vilem, aut minus iusto reputare. Omnis peccans, etiam venialiter, contemnit, quamuis nō omnis talis agat ex contemptu, sicut nec omnis superbus agit ex superbia, & ita in aliis multis.

Contemnens auctoritatem superiorum, non ex passione, vel fragilitate, vel ex ignorantia, sed ex contemptu, qui est principalis causa, aut finis trāsgressionis suæ, reus peccati mortalis existit. Vt dū quis dicit superiori in eo quod superior, *Ego in despectum vestri hoc agam quod inhibetis*, aliàs non acturus.

Ad euitationem peccati, non sufficit bene sentire & iudicare de agēdis, nisi voluntas & affectus tali iudicio conformentur. Afficitur enim sæpius voluntas ad aliqua, & illa taliter exequitur, ac si suus intellectus taliter agendum dictaret. Super hoc, incontinentes circa quodlibet vitium, tam carnis quàm spiritus, apertum dāt documentum, præsertim in carne euidētius quam in spiritu, propter difficilem reflexionem super actus interiores & latentes: Et hæc absconsio crebro fallit, etiam ipsos spiritualiter ambulare volentes.

Ponentes intellectum liberum vt talis est, ponerent cōsequenter in eo peccatum propriè: Alij ad negligentiam aut malitiam voluntatis habent referre crimen omne suum. Nulla est negligentia vel omissio criminaliter culpabilis, absque consensu vero vel interpretatiuo, comitante vel præuio: quid autem sit consensus interpretatiuus, dictum est: Et hæc in Angelis, & in Adam, videtur origo peccati.

Passio naturalis, vt ira, amor, gaudium, odium, inuidia, fames, sitis, delectatio, desiderium, & similes, si fiant absque omni consensu, nullum peccatum sunt: si verò cum consensu, sed non ex consensu, inter venialia deputantur. Similiter de actibus rationis, tam in portione superiori, vt est blasphemia, quàm in inferiori, vt est appetitus vindictæ, diceretur.

Si in præceptis pœnalibus, pœna sit addita per modum disiunctionis ad actum præcepti, sufficit pœna soluere, dum actus omittitur: si verò sit imposita pœna, vt solum accessoria, & inducens ad præceptum, per solutionem eius, non excusatur præcepti transgressio, sed bene aliquando compensatur.

Iudicare alterum tanquam malum, si fiat ex officij iudicio, & per testes legitimos, non est ex se malum sed virtuosum, etiam si per confessionem aut aliter sciretur esse per iudicem innocens, nec per illud pateret effugium, quin suo fungeretur officio.

Iudicare propria æstimatione alium ex apertis signis exterioribus, quæ non possunt bene fieri, non est ex se peccatum mortale. licet quādoque sit curiositas venialis, quandoque mortalis, dum homo ab alijs melioribus, aut debitis, nimis impeditur, aut dum per hoc in superbiam erigitur.

Iudicare alterum leui præsumptione, secundùm præsumptiones exteriores, præsertim vehementes, non est ex se mortale: Secus si fixa assertione interiori vel exteriori illud fieret in magnum proximi dedecus & malum. Nullus in vita iudicandus est tanquam dignus inferno, quoniam Spiritus sanctus operatur subitò, *facta igitur, non persona sunt à nobis iudicanda.*

A

Zelotypia, quæ est vehemens amor suspiciosus, non satis fidens de re amata, & aliæ suspiciones maleuolæ (vt dum aliquis semper putat se irrideri & falli, in quales quidam melancholici, & quidam ex religiosis faciliter cadunt) si non reprimantur, sed si addatur consensus liber, sunt vt plurimum mortalia delicta, aut mortalium delictorum vehemens causa.

B

Idolatria, *quæ est exhibitio honoris verè, vel interpretatiuè, aut attributiuè diuini, alicui creaturę, aliter quàm sibi potest competere*: & apostasia, *quæ est recessus à vera religione*; & murmur contra diuinam prouidentiam, & blasphemia, *Deo indigna ascribens*, quandoque fiunt ex superbia intellectus, nolentis se captiuare in obsequium fidei, & tunc ibi est error in fide: Aut solum fiunt per deprauationem affectus, & tunc sunt malitiæ ex se criminales; licet ex circunstantijs dici possint quandoque veniales: Sicut est aliquis honor diuinus propriè, aliquis solùm per attributionem, aut participationem, aut analogiam. Ita secundum hoc, variæ sunt species idololatriæ, quædam propriæ, quædam solùm analogicè dictæ, omnes tamen ex genere suo mortales existunt, vt in inuocationibus dæmonum; in astrologia de iudiciis, circa ea quæ dependent purè ex libero arbitrio; in necromantia, & pyromantia, & generaliter in superstitionibus omnibus prohibitis, atq; nefarijs, quarum effectus neque à miraculo, neque à natura rationabiliter expectari possunt.

C

D

Nulli facienti quod in se est (hoc est benè vtenti donis Dei iam habitis) deest Deus in necessarijs ad salutem, siue sint illa credenda, siue operanda.

Volens credere, & phantasias ad oppositum fidei tolerans inuitus (sicut in plerisque videre est) non est infidelis sed meretur: Ita de volente pœnitere, & Deum diligere, aut aliquid bonum facere ex affectu, quem indispositio corporalis impedit, pro regula diceremus.

E

Tollatur superbia à viris deuotis & abstractis; quia sentire consolationes spirituales in affectu, nō est signum infallibile, quod charitas insit, sicut earum carentia, charitatem deesse non concludit: Nam assuefactio, & complexio, aut diabolica illusio, causæ sunt cur tales affectus quandoque vel insunt vel non insunt.

Adorans adoratione Deo debita absolutè idolum, vel diabolum, trāsfigurantem se in Angelum lucis seu in Christum; à mortali crimine nequit excusari. Neque hic ignorantia inuincibilis locum habet, sed probandi sunt spiritus, si ex Deo sint: Secus, si sub cōditione implicita vel explicita hæc adoratio fieret, vbi probabilis coniectura de sic agendo contingeret, quemadmodum hostiam nō sacram, imo lapidem hostiæ similem, casus aliquis licitè faceret adorare.

F

Pia intentio faciendi, & tenendi secundum intentionem Ecclesiæ, si non excusaret multos ex Christianis simplicibus, idolatræ censerentur in adorationibus imaginum, citius pulchræ quàm turpis, & veteris quam nouę; quasi numine aliquo illæ, magis quam aliæ replerentur.

INVIDIA, *quæ est dolor de alieno bono*, vel *gaudium de malo*, ex genere suo mortalis est, quia contra charitatem, & præsertim si dolor sit de bonis spiritualibus. Sed ex defectu deliberationis, vt in primis motibus, vel ex malitia complexionis melãcholicæ, aut quia dolor ille trahitur extra genus inuidiæ, potest non esse mortalis, vt dum dolet aliquis ex iusta causa & fine bono.

Detractio, *quæ est diminutio famæ alterius occulta*; vel diffamatio quæ est publica; vel contumelia & exprobratio, quæ fiunt in facie eius qui læditur; sunt ex genere suo mortales, si damnum vel dedecus sit notabile, & si non contrahatur extra propriam rationem, vt si fiat ad cautelam aliorum ne seducantur, aut pro bono reipublicæ vel communitatis alicuius, aut pro correctione fraterna. Sed apud imperfectos, ista benè agere, scilicet alios rectè increpare, sicut & se dignè laudare, difficillimum est.

De Ira.

IRA per zelum, quæ est de malo culpæ, dicitur ex se laudabilis, sed ex modo prosequendi potest fieri vituperabilis, dum nec tempus, nec locũ, nec modum nouit obseruare; præsertim quando pertinaciæ coniuncta est, & turbantium seditionum magis adductiua, quàm sedatiua.

Ira, *quæ est motus concitatus, ad inferendum vindictam pro malo sibi verè illato*, si sit secundũ ordinem iuris, non est de se vituperabilis, sed reducitur ad iram zeli, vt in iudice vel per iudicem: Secus si ex libidine propriæ vindictæ principaliter, vel si iniuria non sit verè facta, sed ira leuiter & irrationabiliter æstimat.

Ira, est quandoque naturalis passio (vt in melancholicis & cholericis) quandoque primus motus, quandoque sola impatientia absque appetitu vlterioris vindictæ, quandoque refrigeratio quædam charitatis erga proximum citra odium: In quibus casibus, aut nullum est de se, aut veniale peccatum.

Ira, *quæ est appetitus deliberatus vindictæ propriæ, præter aut cõtra iuris ordinem*, ex se & vt sic, est mortalis: præsertim si vindicta sit notabilis detrimenti.

De Acedia.

ACEDIAM dicimus esse tędium interni boni: quæ ex genere suo venialis est, quia contrariatur non charitati, sed eiusdem feruori. Fit autem mortalis, dum per eam, aut ex ea mortale crimen incurritur, vt omissio eorum quæ sunt de necessitate salutis, aut desperatio de diuino auxilio, aut suiipsius interfectio.

Sola negligentia mortalis est, per quam id quod sub præcepto cadit, omittitur, quamuis culpabilior in exercitijs spiritualibus & hierarchicis, vt in missa, quàm in prophanis.

Otium sanctum vitæ contemplatiuæ & studiosæ, debet homo, quantum ex se est, magis appetere, quam officia vitæ actiuæ, præsertim cum obligatione, (imminente tamen manifesta necessitate, aut superioris præcepto rationabiliter accedẽte) dimittendum est otium pro charitate proximorum.

Inhabilis prorsus ad otium contemplatiua, laboret ipse exterius ad sui aliorumque profectum; & si aliquis ad vtrumque valet, velut ambidexter, magna perfectio est, & mixturam hanc in statu præsentis indigentiæ, optimam iudicamus.

A Euagatio mentis, tempore orationis ex præcepto debito, si fiat ex deliberato consensu, atque teneatur, illa sola interrumpit intentionem debitam orationis, & facit vt præceptum non sufficienter adimpleatur, nisi rursus iteretur, quod per euagationem hanc infectum est. Quod tamen fieri aliquando, neque debet, neque expedit, neque potest, vt in missa, aut dum hora præterijt. Vbi tum euagationem (quantumcumque multa sit ex deliberatione) tenere non volumus, dum habitualis

B primaria & virtualis intentio præhabita (de orando vt debemus) iugiter vna manet: Exemplum est de peregrinatione.

Conuersio cordis ad Deum tempore orationis, quamuis sit laudabilior cęteris paribus (si secundũ verba & sensum orationis fiat) attamen istud non est necessitatis, quod de illiteratis cõstat, & in perfectè contemplatiuis, etiam non rarum est.

Impatientia & languida mollicies, & effœminata compassio, & mutabilitas ad omnem ventum, sunt ex se vituperabiles, & in culpam mortalem

C vergũt, dum exinde ea quæ iussa sunt fieri vel exequi, scilicet & veritas vitæ, doctrinæ, atque disciplinæ, relinquuntur.

Tædium boni, proueniens ex difficultate operis, aut malitia complexionis, absque culpa; plus in Ioanne quàm in Petro, auget meritum & laudem Ioannis, si & dum in cęteris ipse cum Petro æqualiter operetur.

Difficultas in opere virtutis, ex assuefactione vitiorum proueniens, plus de per se diminuit rationem laudis & meriti, quam augmentet. Tamen

D malè habituatus, quoniam nisi ex maiori conatu, op⁹ simile ad benè habituatum perficere nequit, magis inde redditur incidẽtaliter cõmendandus.

Pusillanimitas, qua quis, ferendo imperio superiorum, se imparem putat. Pusillanimitas, qua quis contra iudicium superioris sui prudentioris, reputat se minus iustò obligari ad aliqua faciendum, & pertinaciter refugit officia à superiore imposita, ad inobedientiam superbam imputatur; quia iudicium suum nimis præfert, & innititur prudentiæ

E propriæ. Secus si ducatur propria lege Spiritus sancti, de qua debet esse certus: Secus præterea, si sciat periculum suum euidenter, de quo fidem facere superiori satis nequit.

De Auaritia.

AVARITIÆ obiectum, est immoderata possessio; quod ex genere suo, non videtur esse mortale verisimiliter, sed in mortale transit, dum ex deliberatione efficaci & absoluta, appetuntur, vel quęruntur, vel rapiuntur, aut retinentur aliena

F inuitis dominis, qualicumque modo fiat, clam vel palam, vi vel fraude, consilio vel auxilio, prę sertim si res sit notabilis detrimenti.

Dum appetitu suffocãte rationem, & à Dei seruitio penitus impediente, etiam licita vel propria bona, nimia libidine vel sollicitudine appetuntur, quæruntur, seu retinentur, quasi in eis spes totius auxilij, velut in Deo poneretur, mortale est: quam auaritiæ speciẽ, Apostolus ob hoc appellauit idolorum seruitutem.

Non debet aliquis dici tenere rem alienam inuito domino (quamuis nesciẽte) quãdo dominus præsumitur rationabiliter consensurus ex familia-

ritate vel aliunde dum sciuerit: Aut si iuxta dictamen rectæ rationis, ita debet consentire (quemadmodum in extrema necessitate) aut dum cum notabili detrimento reddentis, & cum modica vtilitate recipientis, alienum tunc redderet, quod damnum sub parua expectatione potest euitari. Nullus præterea gladium arreptũ diceret reddendum in manus domini dum furit, quamquam illum instantius repeteret.

Sub furibus, aut sacrilegis, aut raptoribus, comprehenduntur quoad criminis æqualitatem (quicquid sit de restitutione facienda) ipsi aduocati fouentes causam quam credere debent iniustam, aut per culpam perdentes iustam; & medici infideles; Et iudices mali; & prælati qui præficiũt officijs publicis & beneficijs, præsertim curatis, illos quos scire debent esse raptores & animarum destructores, bonis spretis; ipsis prorsus consiliarij dominorum ad tallias iniustas; & generaliter, qui talia agũt aut consentiunt agentibus.

Acquirere medijs illicitis, illicitum est plus vel minus, iuxta malitiam mediorũ; variè insuper secundum naturam cõtractuum in acquirendo: Ita vt quandoque transeat res in verum dominiũ peccantis, quandoque non: Contractus enim quandoque irritatur diuino iure vel humano, quandoque permittitur, vt infra dicendum est.

Simonia *quæ est studiosa voluntas emendi aliquod spirituale vel annexum spirituali*, constat quod de genere suo est mortalis, plus vel minus, propriè vel impropriè, iuxta naturam eius quod dicitur spirituale. Temporalitates enim Ecclesiæ, quamuis ei dicatæ sunt, propriè tamen spirituales non existunt, nec simonię nomen, nisi positiuo iure recipiunt.

In actibus qui sunt simoniaci, solo iure positiuo cadit præscriptio, vt in receptione moderata pro sigillo aut litera, aut sustentatione ministrorum in collatione ordinum, in alijs non ita.

Faciens aliquod opus spirituale, & inde mercedem temporalem expectans, aut è contra, quasi vnum sit rationabile precium alterius, simoniacus est, aut Giezita, corde, vel ore, vel opere. Dicitur autem tẽporale, quicquid potest precio tẽporali comparari, vt est obsequium curialium; & similia.

Sustentationem suam moderatam, in temporalibus aliunde non habitam, si quis expectat ex opere spirituali, non incurrit ex hoc simoniacam prauitatem, quia *dignus est operarius mercede sua*. Caueatur tamen turpis quæstus & scandalosus, & intentionis oculus conseruetur incorruptus, vt non statuatur ibi principalis finis, in mercede temporali, sed subordinatus ad Deum, aut non contra Deum. Ita de prædicatione, immo de dilectione Dei super omnia dici posset, & de beneficiorum appetitu.

Simoniaco ex pacto vel opere, nullum ius acquiritur in beneficio vel fructibus eius quin restituere teneatur: secus si steterit in sola voluntate, quia iam non diceretur studiosa: similiter de hæreticis puniendis distingue.

De ludo taxillorum, de torneamentis, de vsuris varijs, & palliatis, dicũt iuristarum plures, irritatos ab Ecclesia illic esse contractus. Secus in meretricio, & histrionatu, & simonia interiori in missis cantandis, & alijs quibusdam, vt fortè in clericis mercaturas, aut medicinam, aut aduocatiam, absque dispensatione exercentibus.

A Beneficiatus iusto titulo, si simpliciter omittat diuinum seruitium in omnibus, non videtur acquirere ius in fructibus apud Deum.

Multa sufficiunt ad hoc, vt aliquis faciat fructus sui beneficij esse suos in foro exteriori, imo & quod restituere non teneatur, quæ animam à peccato mortali non liberant, vt intrare subitò certis horis ad Ecclesiam, & intentione solùm quæstuosa, & similia.

B Si certa bona beneficiatus habeat instituta pro pauperibus, & illa consumit ad alios vsus, ipse ad restitutionem obligatur. Secus si totum sit commissum fidei suæ, vbi, etsi peccet grauiter & sacrilegè, quandoque abutendo bonis illis luxuriosè, tamen restituere non tenetur.

Si teneat quis plura beneficia ex dono superioris, in casibus non excusantibus hãc pluralitatem, peccare potest vterque, conferens per indiscretionem, recipiens per ambitionem: nihilominus occupans restituere percepta non tenetur: sed C nisi pœniteat, & pro futuro præuideat, non erit ei salus.

Quamtumcumque multa beneficia aliquis teneat auctoritate superioris, illa possunt dici vnum beneficium (sicut plures tunicæ in magnis frigoribus vna tunica) & hoc vnitate morali, si illa omnia non sint nisi ad sufficientem decentiam status occupantis, secluso scandalo, & impossibilitate officiandi, per se vel alium non existente.

Beneficium datur propter officium, non quidẽ D in dicendis horis solum (alioquin duplex officium ad duplices horas obligaret) sed officium est, quicquid Ecclesiæ, & proximo prodest, secundũ quod magis beneficiatus est, magis obligatus.

Si omnibus circunstantijs hincinde pensatis, iudicare debeat prælatus Petrum esse sufficientiorem notabiliter, & simpliciter ad hanc curam obtinendam, & det sciẽter in sufficienti, peccat mortaliter, quia nõ habet rectum oculum. Secus si non sit notabilis differentia.

E In collatione beneficij, præsertim non curati, haberi potest respectus licitè ad obsequia licita, & honesta alicuius, & ad genus, & ad spem proficiẽdi in futuro, & alia multa, dum tamen intentio principalior, & finis sit Deus, & vtilitas Ecclesiæ, & scandalum euitetur.

Insufficiens ad obsequium Ecclesiæ (præsertim de quo non est spes de breui profectu quocũque) si promoueri quærat, peccat mortaliter, & cum promouens similiter, si hoc scire tenebatur.

In moralibus, id quod modicum est, pro nullo F reputatur, tamen diuiti modicum est quod pauperi non parum: nec insuper modicum dicendum est apud Deum, illud quod efficaciter & principaliter inducit, aut induci quæritur ad aliud quàm deberet: Secus, si parui sit incitamenti, & velut occasionalis in intentione recipientis & dantis; secũdum hoc, quantificetur munerum receptio, in iudicibus & prælatis.

Raro licet alicui quærere prælaturam, sicut rarò contingit, vt aliquis possit absque præsumptione iudicare se talem, qualem dicit Apostolus oportere Episcopum esse. Tamen necessitas euidens Ecclesiæ, & probabilis coniectura, fidem faciens de sufficien-

ſufficientia ſua, poſſunt appetitum talem aut excuſabilem aut laudabilem efficere.

Liberiùs poteſt homo literatus licentiam in ſua ſcientia quam prælaturam appetere. Secundum itaq; exigit perfectionem in gratuitis, de qua non ita licet præſumere, ſicut de eruditionis qualitate.

Dum curatus baptizare puerum ſine pecunia, aut ſepelire mortuum nollet, liceret alicui (graue periculum in mora videnti) dare pecuniam, non vt precium, ſed intentione vexationem ſuam redimendi: pecunia tamen iret cum curato non in dominium & ius, tanquam verè data ſit, ſed in perditionem, deberetque ipſa reſtitui. Simile de prælato & iudice damus iudicium in eis quæ gratis miniſtrare deberent.

Studium literarum, præſertim auctoritate ſuperioris, & ad proficiendum pro ſe & alijs in poſterum, non ad otium vel curioſitatem ſuſceptum, excuſare poteſt prælatum vel curatum à reſidentia perſonali, pro tempore, vbi de vicario ſufficiẽti prouiſum eſt: Alioquin, ſtudere eſt ſe mercenarium & lupum ouibus exhibere.

Ad vigilias mortuorum & alia ſuffragia, quæ in Eccleſijs ſecundum diſtributiones quotidianas inſtituta ſunt, beneficiatus ſtudens, aut legitimè abſens non tenetur.

Horas canonicas adaptare horis diei, vt primã primæ, tertiam tertiæ, quamuis ſingularibus perſonis ſit congruum, non tamen neceſſarium. Horas enim quaſdam præuenire vel ſubſequi pia intentione ſeu vtilitate fas eſt, vt de ſero, dicere matutinas pro mane ſequenti.

Vſum Eccleſiæ ſuæ, cuius ſuus eſt principalior titulus, aut quam actualiter incolit beneficiatus, regulariter inſequi debet, niſi diſpenſet, vel ſuperioris auctoritas vel paupertas, vel pia conuiuentium charitas atque vtilitas.

Vſura propriè dicta, quæ iuri diuino & naturali contrariatur, & de ſe mortalem culpam habet, eſt aliquid recipere ex pacto vltra ſortem. Sortẽ verò ęſtimamus appellatam, ius quod habetur in re per venditionẽ & emptionẽ, aut aliũ modum, ſecundum quẽ, tranſit dominiũ rei in ementẽ, & fit ſua.

Quia ius vtendi pecunia ad tempus, vel pro ſemper, non tranſit in aliquem abſque eius dominio, propterea in materia pecuniæ, commodatio & venditio coincidunt, & illic ſæpius vſura collocatur. Ibi enim aliquis pro re iam ſua, aliquid dare compellitur.

Recipiens ad vſuras neceſſitate compulſus, ſub intentione dandi illud quod eſt vltra ſortem, tanquam ſuum, & ad redimendũ vexationes ſuas & damna, non videtur mortaliter delinquere, quia nec propriè cum vſurario damnabiliter exigente participat in crimine. Sed nec per hoc ius habet vſurarius in dato, obſtante eccleſiaſtica auctoritate, quæ receptionem hanc irritat.

Omnis ferè contractus vſurarius ex genere, poteſt per piam intentionem dantis & recipientis, transferri à ſuo genere in opus pietatis: vt ſi cauſa ſuccurrendi principaliter indigentiæ proximi ex vna parte, & præſeruandi ſe indemnem ex altera, petat aliquis vltrà ſortem, niſi infrà tale tempus ſua ſors ei detur, ſic quod mallet teſte conſcientia ſuã ſortem apud ſe manere nunc ſine illo precio, quàm tunc cum tali precio eandem recipere, ob damnum certum vel probabile, quod ex ſolutionis A dilatione ſortitur: Sicut in redditibus cenſualibus recipiẽdis per dominos certis terminis, quandoque pœna pecuniaris imponitur non ſoluentibus die aſſignata: ita poteſt aliquis recta intẽtione, & pro ſecuritate ſolutionis, taliter ſtatuere in particulari contractu, vel conceſſione ad terminum. Eſt autem piæ intentions illius ſignum, ſi mallet creditor id quod conceſum eſt die ſtatuto, vel prius recipere quàm termnum elabi, vt emẽdam lucraretur: ſic de emẽtibu redditus ſub libertate redimendi iudicamus. Venditiones ad terminum B & ad tempus cariori preci, ſimiliter commutationes in quibus per diligentiam vendentis res in nullo melioratur (cui tamẽ certũ lucrum affertur abſque periculo damni) ſunt frequentius peccata mortalia, quãuis non ſemper vſura propriè dicta.

In guerris faciendis, quę mal innumeris plenæ ſunt, nunc ad iſtos innocentes, nunc ad illos, ſola vtilitas reipublicæ eos excuſat à mortali: quæ vtilitas eſt vnio ciuium cum principe & ad inuicem, & conſeruatio patriæ, aut euitatio damni publici C notabiliter peioris, quàm ſit damnum particulare ex guerra prouenien.

Guerræ iniuſtæ ſcite eſſe tales, aut quæ tales debent iudicari, non excuſantur à furtis, ab homicidijs & rapinis, quin reſtitutionem aut emendas fieri neceſſe ſit, quantum erit poſſibile.

Seruitutes populorum in eis quæ non ſunt contra legem Dei & naturæ, poterunt ex ſuis vel patrum demeritis (vt cõſpirationibus & rebellionibus) rationabiliter introduci, vt talliæ quædam, D angariationes, & ſimilia, ſicut Iudæis poſtulantibus regem, dominus impoſuiſſe videtur.

Acceptio perſonarum in gubernatione reipublicæ, & generaliter apud omnem iudicem & principem, de ſe illicita eſt, nunc mortaliter nunc venialiter ex circunſtantijs & obiecto, & militiæ cuiuſlibet maximè turbatiua. Non eſt autem acceptio perſonarum, niſi vbi debitum eſt, & æqualitas vtrobique: quia in gratijs faciendis vnum capere, aliud dimittere, non eſt acceptio perſonarum, aut ſi res non ſunt pares.

E Retinere tributa & ſubſidia rationabiliter introducta, peius eſt furto ſimplici in ſubditis. Et exigere violenter aut fraudulenter ſubſidia indebita à ſubditis per principem, rapina damnata. Quando autem hoc eſt, & quando non, generalis regula tradi nequit.

Mutatio monetarum, poteſt eſſe par aut maius delictum ex ſe, quàm eſſet in caſu falſam aliquam fabricare, quoniam ſecundum damnum reipublicæ, opus tale quodlibet, aſſumit modum culpæ. F Quod ſi princeps dicat ſe Dominum monetæ eſſe, ſit ergo Dominus bonus diſpenſator, non tyrannus diſſipator.

Omnia ſunt principis, non quidem proprietario iure nec pro ſe, ſed pro neceſſitate reipublicæ. Et quid mirũ? cum neceſſitas faciat (perſonæ etiam ſingulari) aliena eſſe ſua.

Omnia beneficia ſunt Papæ, tanquam ordinatori ſupremò, non tanquam domino aut poſſeſſori, imò nec tanquam immediato diſpenſatori regulariter & vniuerſaliter, niſi prælatorum inferiorum iniquitas, aut manifeſta Eccleſiæ vtilitas, caſibus certis iſtud exigeret.

Ab vsurarijs & raptoribus, quos constat ex alio iusto officio nihil habere, stipēdia seruitiorum suscipere non licet, sub pœna restitutionis faciendæ & participationis in crimine.

Ab vsurarijs & raptoribus, quos habere constat aliud ab vsuris & rapinis, sufficienter pro sustentatione tot seruitorum (vtjuta quatuor & non plurium) potest seruitor sib necessarius vnus ex illis quatuor stipēdia obsequij sui recipere, aliter non.

Non dimittitur pecatum nisi restituatur ablatum, hoc est, nisi volu;tas efficax restituēdi adsit, dum possibilitas & opportunitas accesserit, & prout sapiens, pręsertin confessor prelatus, determinabit, vt quod vers dominis, si supersunt, aut hæredibus suis, aut fieri nequeat, quia non sunt aut ignorantur, in pios vsus referantur ablata.

Nemini de boni alterius ipso inuito licet ducere statum vltrà precam necessitatem sui & suorum, maximè vbi posset laborare, aut etiā in casu mendicare, proper hoc bonorum omnium cessionem pro fina remedio iura constituunt.

Fur aut rapt non solùm tenetur restituere ablata, sed dana inde sequentia omnibus ritè compensatis. milites retentores testamētorum, aut plus iusto fferentes eorum completionem, in grauem iadram animarum.

Nemo de cessarijs suis simpliciter tenetur elargiri, imò nc de necessarijs secundū statum suū, sed nec de perfluis suis, vt sua sunt, sub pœna peccati mtalis: nisi vbi grauis necessitas circa alterum (ip præsumere debente, quod alius non succurret) immineret. Necessitas enim extrema proximi præferenda est soli decentiæ proprij status, quarò magis superfluitati?

Scienter dimittere superflua sua notabiliter consuri, per putrefactionem aut aliàs, potiùs quàm in vsus pios ipsa largiri, vix à mortali culpa, aut nnquam potest excusari.

Tesaurizare de se non est illicitum, sed prouidin, quamuis ex circunstantijs potest fieri criminale, vt si fiat ex alieno, aut desperādo de diuino auxio, aut in grande præiudicium reipublicæ, aut si ijs pereuntibus non succurritur.

Vendere rem carius quàm empta est, si notabis sit excessus in lucro, omnibus miserijs, & periculis, & industrijs hinc inde compensatis, est regulariter de se malum, & peius, si propter indigentiam proximi hoc fiat, & si res vendita ex sua industria, meliorem conditionem nullam adepta est, nec in se, nec extrinseca cōsideratione, vt quia propinquior, & ad vsum facilior, & similia.

Defectus rerum vendendarum, quos quilibet ad extra pręsumitur cognoscere de facili, sicut nec abscondendi sunt fallacibus cautelis, sic nec eos dicere necesse est, præsertim quoad fori extrinseci iudicium, & quo ad Deum, etiā si precij quantitas proportionabiliter ad defectum minuatur.

Damna quæ aliquis, non ex culpa & negligentia sua mercando incurrit, potest vendendo deducere, præsertim si damnum sit pertinens de se, & quasi regulariter ad mercaturam; alioquin non oportet, vt si venditorum merces ignis fortuitus assumpserit. Secus præterea, vbi ex culpa vel spōte aliquis merces defectuosas conduxerit, vt in equis & mulis fieri solet, sed non licet vt vendantur pro integris, neque Deus irridetur.

Cùm deceptione vltrà medium iusti precij,
A contractum initum leges interimunt. In alijs verò casibus, etiam si peccent vendentes res suas enormiter, tamen restituere non tenentur ementibus, quantum regulariter occurrit iudicandum.

Legitimè præscribens in re priùs aliena, illā neq; quoad forū exterius, neq; quoad Deū reddere cōstringitur. Secus si fraus in præscribendo fuit, vt defectus bonæ fidei, quæ fraus si pateat in iudicio exteriori, ad reddendum præscribens impellitur, quantò magis apud Deum si lateat aut pateat?

B Mercatores earumdem rerum si conspirent ad inuicem, quod non nisi pro tali precio notabiliter excessiuo merces suas tradent, ipsi quoad forum exterius, si sciatur, & quoad interius, damnandi sunt.

Solutio decimarum sacerdotibus, est de iure diuino, quatenus inde sustententur, sed quotam hanc vel illā assignare, aut in alios redditus commutare, positiui iuris existit.

In redditibus ad vitam emendis, aut gregibus ouium pręstandis ad medium lucri, sic in merca-
C turis, sic in similibus regulariter contractibus (qui non penitus ex voto latere claudicant, quia videlicet ad vtrumlibet, nunc lucrum, nunc damnum imminet, nunc vendenti, nunc ementi) nulla videtur esse malitia de genere, sed circunstantijs alijs vestiri malè posse, nullus nescit.

Campsores pro centum Francis reddentes certam quotam in fine anni cum integra pecunia, & similiter mercatores, difficile est ab illicito contractu liberare, nisi bonificauerit hos, causa pia
D contractus, quod fieri nonnunquam posse non negamus, sed securius est oppositum.

A rebus quæ vsu peiorantur, à rebus insuper quarū vsus absq; trāslatione dominij fructū affert certum, licitum est precium locationis adipisci.

Emptionem decem solidorum ad perpetuum suprà fundū aliquem centū librarum, aut sub obligatione totius magnæ hæreditatis, difficile esse dicunt aliqui per directū iustificare: per indirectū autem, posset aliquis totum fundum vendere pro viliori precio, postea ipsum cariori recipere, vsq;
E ad deductionem illorum decem solidorum.

De Gula.

GVLÆ, quæ est appetitus immoderatus comedendi, non competit ex suo genere, quod sit mortalis, nec etiam delectationi inde consequenti. Fit autem mortalis tripliciter, aut si comestio est contra prohibitionem vel votum, siue hoc sit ratione cibi, seu temporis, seu loci: aut secundò, quando alia quæ fieri præcepta sunt, ob gulam, scienter, verè, vel interpretatiuè omittun-
F tur, vel perpetrantur prohibita: aut tertiò denique, quando corpus aut ratio notabili detrimento per gulam scienter, verè, vel interpretatiuè prægrauatur.

In moralibus ille dicitur interpretatiuè scire aliquid, quādo, & si actu scire negligat, scire tamen debet, & discrimini nō semet obijcere. Vocamus insuper scientiam non per demonstrationem, sed per vehementem & probabilem coniecturam.

Ieiunijs Ecclesię, vel alteri abstinētię, nemo cum notabili & pręcognito grauamine sui corporis, & vsus rationis obligatur, secluso scandalo. Nemo tamen leuiter sibi fingat grauamina ex ieiunij abstinentia,

abstinentia, quoniam ex ipsa pauciores pereunt quam ex gula.

Pueri & senes & prægnantes & nutrices & infirmi & pauperes non habentes vnde semel refici possint, & laborãtes non habentes aliunde statum competentem & itinerantes auctoritate prælati, & alij consuetudinem diocesis, in qua sunt insequentes ab Ecclesiæ ieiunijs regulare ius excipit.

Votum Carthusiense de non esu carnium, votum insuper aliorum religiosorum de multis obseruationibus duris, aliàs licitis, votum denique particularium personarum de certis cibis non edendis in æternum, vt de capite, in certis casibus necessitatis extremæ probabiliter si vota hæc tenerentur imminentis, debent immutari. Non enim licet alium contra Dei pręceptum occidere, quanto minus seipsum, secludimus tamen in omnibus scandalum pusillorum.

Deterior atque periculosior est abstinentia immoderata, quam voracitas aut ebrietas, si dicta abstinentia vsque ad turbationem cerebri & vsus rationis, notabiliter & scienter vergat & adducat.

Peccata regulariter quanto sunt spiritualiora, & quanto sunt sub maiori specie poni palliata, tanto periculosiora sunt & à sanatione magis distant.

Habentes impedimentum de non ieiunando legitimum, quod non est exceptum à iuribus per expressum securius agunt, quamquam non sit necesse, si dispensationem prælati quæsiuerint, & quod secretè agant id quod agunt, ne alij scandalizentur.

Charitas frangere concedit comestionem aliàs illicitam, quandoque propter hospitem, quandoque propter infirmi consolationem, quandoque propter obsequium præstandum, vt in seruitoribus monachorum & etiam principum pręgustando, & etiam prægustantibus cibos eorum esus conceditur.

Præceptum de ieiunio Ecclesiæ potest aliquando seruari dum contra Deum mortalis gula committitur. Sic in multis dicendum est.

Ebrietas tunc mortalis est, & generaliter omnis delectatio cibi & potus, quando aliquis tanta libidine comedit & bibit, quod postponit Deum, sic quod vbi etiam Dei præceptum vno modo vel alio deberet à se violari, nihilominus à tali delectatione non cessaret. Secus si delectetur etiam ex consensu libero citra Deum, non hoc facturus si Deus prohiberet, tunc enim vel nullum est, vel tantum veniale delictum. Et habet hæc regula in multis alijs materijs vtilem locum suum.

Probabile est comedẽtem ter in die ieiunij sine causa non esse præuaricatorem præcepti in tertia comestione sicut in secunda, quamquam oppositum tenere sit securius. De comestionibus specierum & similibus consuetudo teneatur, & delectationis nimia libido vitetur.

Inebriare alium scienter vt vsu careat rationis in eius notabile detrimentum, peccatum mortale est.

De Luxuria.

LVXVRIAM ex genere suo mortalẽ dicimus propter corruptionem generatiuæ virtutis maiorem quam nutritiuæ ac minorem eius necessitatem, & quia contrariatur huic præcepto. Non mœchaberis, & vt per bona matrimonij actus iste quæratur excusari.

A Consensus in delectationem luxuriæ circa obiectum sibi prohibitum est mortale peccatum, siue sit in cogitatione, siue in verbis, aut in visu aut tactu, aut nutibus, aut operatione. Quamobrem familiaritas magna hominum carnalium mutuo, præsertim ad nudum quantumcumque sint eiusdem generis, aut sexus, aut diuersæ ætatis, periculo proxima est, ideòque vitanda est.

Grauitas peccatorum luxuriæ ex genere sic ordinatur secundum grauius & minus graue, quamquam ex circunstãtijs possit eorum grauitas aliter variari. Bestialitas cum brutis. Sodomia cum eodem sexu, aut in vase non ordinato. Mollicies secum. Sacrilegium dicatarum. Incestus parentum. Stuprum virginum. Adulterium ligatorum. Fornicatio solutorum. Luxuria generaliter. B

Licitum est suam castitatem sicut propriam vitam defendere, vim vi repellendo.

Delectatio viri cum vxore licita est, causa prolis, causa reddendi debitum, causa præseruationis ab incontinentia prohibita. Et si sola delectatio quæritur, infra metas tamen vinculi matrimonialis, sic quod extra non quæretur, neque fit cum circunstantijs aliunde prohibitis, illud aut illum aut tantum veniale peccatum est. C

Vxoratorum alter peccare potest mortaliter in matrimonio, si cum detrimento notabili prolis conceptæ aut generandæ scienter fiat, vt tempore menstruorum, si extra vas, si cum desiderio absentis quasi præsentis alterius, non sui, si principaliter ex causa aut ex fine mortaliter noxijs.

D Facilior est sæpe ab opere carnali totalis abstinentia, sicut in virginibus & viduis, quam modestè maritalem copulam exercere, sicut febris potu, & ignis flatu, & pruritus attactu tandem magis succenduntur.

Quia corpus sacerdotis si vxoraretur, esset vxoris sacerdos, qui totus esse debet domino consecratus & expeditus à cura rerum familiarium, & solutus legibus ciuilibus, & orationi iugiter vacare, rationabiliter astringitur voto castitatis.

E *De præceptis decalogi.*

DILIGERE Deum super omnia ex toto corde, ex tota anima & ex tota virtute, quantum sufficit viatori ad salutem est taliter affici ad Deum actu vel habitu, quod Dei amicitiam cuiuslibet alterius rei dilectioni anteponit. Sic quod pro nulla dilectione sui vel alterius charitatem Dei vellet deserere per transgressionem cuiuscunque præcepti diuini. F

Nemo secundum legem tenetur potius eligere annihilationem seu damnationẽ æternam, quam peccare mortaliter. Neutrum quippe potest eligi licitè, stante lege de præcepto habendæ charitatis, cum qua nihil annihilatio stat, neque damnatio.

Proposita alicui viatori ista quæstione & similibus, an citius pateretur esse in igne per vnũ diem quam peccato mortali cõsentire, nõ tenetur circa hoc deliberare absolutè de altera partium, sed teneat suspensum iudicium considerando fragilitatem suã, & fidendo in diuina misericordia, quę vel non patietur eum in talẽ tẽtationem incidere, aut

si patiatur, Deus faciet cum tentatione prouentum vt possit sustinere.

Propositis huiusmodi quęstionibus quod homo faceret tentatione forti præsente? Aliud est optare & desiderare illud quod est melius, & iudicare illud esse eligibilius aut minus fugibile altero, aliud deliberare absolutè, quod ipse sic faceret & sic eligeret. Quoniam primum est piæ & fidelis animæ, secundū de prę sumptione & temeritate culpatur.

Iurare per Deum, quod est eum testem veritatis adducere, fit licitè immo meritoriè, dum veritas subest, & reuerentia comitatur & pia necessitas ex humana infirmitate consurgens impellit.

Iurare in vanum, est propriè Deum in falsitate, cuius esse testis nequit, inuocare. Ideo dum ex deliberatione fit, semper est mortale.

Exigere iuramenta ab his de quibus vehemētior est pręsumptio, quam de opposito apud exigentes quod deierabunt, & ad hoc ex deliberatione inducere, vix aut nunquam caret mortali delicto, nisi forsan quandoque apud iudices quibus ex officio sic exigere necesse est. Neque necesse est, neque vtile & sæpe criminosum exigere iuramenta ab his qui quæstionantur in iudicio exteriori, Ecclesiastico vel ciuili, quando præsumi potest vehementer quod quidam deierabunt, & quando eorum iuramento nullatenus statur.

De re penitus occulta quæ scilicet non potest probari testibus duobus neq; rem publicam scandalizat, nullus in foro exteriori licitè potest ab alio inuito iuramentum extorquere.

Quamuis semper, nō tamen pro semper obligemur colere Deum, non solum mētaliter, sed etiam signis exterioribus, illa tamen signa pro varietate temporis ex hominum possunt variari, sicut sunt orationes, thurificationes, prostrationes & præsentationes candelarum, victimæ & similia.

Signis exterioribus nūquam benè colitur Deus quando illa nequeunt fieri bono animo, vel scandalizāt ex similitudine sui ad idolatriam, aut aliam inhonestatem, quemadmodum fit in insanijs stultorum apud multos & in istis delationibus baculorum per mulieres sacris ornamentis indutas, & quibusdam similibus, quæ omnia prelatorum sollicitudo tenetur abradere.

Obseruatio sabbati quoad circunstantias temporis & modi & loci pro maxima parte relicta est determinationi prelatorum, quę cognoscitur tum ex eorum institutis, tum ex consuetudinibus per eos legitimè toleratis.

De operibus seruilibus non exercendis diebus Dominicis & festiuis, plus & frequenter determinat consuetudo loci & personarum à prælatis tolerata, quam alia lex scripta.

Cōsuetudo exercēdi opera seruilia hæc ab istis hæc ab illis in diebus festiuis tunc maximè dicēda esset corruptela, quādo totaliter à seruitio Dei & à cultu festorū, & maximè ab auditu Missæ reuocaret, quādo præterea hæc seruilia magis ex cupiditate quā pia necessitate reipublicæ pertractātur.

Ioci & aliæ recreationes corporales apud vulgus diebus festiuis, quamquam sæpius admixtas habeant malitias contra Dei legem, non tamen per directum Ecclesiasticis obuiant institutis.

Opera seruilia plerumque fructuosius fierent si non ea prohiberet Ecclesia, quā illa quæ vulgares in festis exercent. Propterea prælatorum interest attendere circa festiuitatū multitudinem, ne sit illa ad cumulum peccati potius, quam ad cultum Dei.

A

Diligere proximum sicut seipsum, est velle proximo ea omnia quæ secundum rectam rationem homo vellet, similiter proximum suum velle sibi. Hæc autem sunt indispensabiliter bona charitatis & gloriæ. Quia bonis fortunæ & naturæ & gratiæ gratis datæ, possunt homines abuti in perniciē sui vel aliorum, non quilibet tenetur velle illa cuicunq; proximo suo, sed aliquando non velle, quia & secundum rectam rationem ita deberet homo velle de seipso. Sic iudex cū amore proximi necat ipsum aut bonis spoliat. Sic ingenium & scientia & diuitiæ possunt desiderari isti vel illi proximo non adesse, dum nociturna creduntur.

B

Ante religionis ingressum teneor prouidere necessitati parentum meorum extremæ si possum, dum non aliūde patet eis prouisio, nec excusaret me religionis ingressus, quin peccem intrando & post introitum profitendo. Si tamen necessitas illa non sit extrema, aut patet aliunde prouisio, non teneor pro iuuando exire religionem iam professam.

C

Superioribus nostris qui omnes dici patres possunt obediendum est, de rigore in eis solum in quibus superiores sunt, magis autem ei cuius auctoritas potior est, attentis circunstantijs personæ temporis, reipublicæ & vtilitatis in istis, vt in concernētibus rēpublicam plus obediēdum est principi, quam patri, secus in re domestica. Proportionabiliter de monacho respectu Papæ & Episcopi & Abbatis, & principis temporalis, distinctio locum habet. Quanto plures dilectionis causæ concurrunt circa aliquem proximum, vt est habitudo prælationis & subiectionis ad inuicem, bonitas & ratio cognationis, beneficentiæ, consorti, patriæ, & similium, tanto cęteris paribus ille debet plus amari & præferri, tamen obligatio legibus cauta præcipuè seruanda est.

D

Ab inimico parato totaliter satisfacere de iniuria, ego teneor satisfactionem suscipere, vel indulgere, tamē verbum meum, aut societatem solitam, aut alia dilectionis signa, possum interdicere ad mei & sui cautelam, & non ad rancorem.

E

Inimicum non paratum corrigi diligo, quantum sufficit ad salutem, si ei nolo malum damnationis, neque damni temporalis per iniusta media.

Inimico meo incorrigibili optare fas habeo, vt taliter sibi sit in anima vel in rebus, qualiter sufficit ad hoc quod neque mihi neque rei publicæ iniustum damnum possit inferre. Iure naturali vim vi repellere licet: si quod impetitus aliquis à qualicunque persona cuiuscunq; dignitatis etiā papalis via facti, & non habens iuris remedium, fas habet iniurianti de facto resistere secundum qualitatem iniurię scilicet quantum requiritur, & sufficit contra illum ad sui tutamentum ab hac facti via.

F

Casus multi esse possunt, in quibus aliquis se gerens pro Papa & pro tali habitus ab Ecclesia. poterit à subito licitè vel occidi, vel incarcerari, vel per modum quendam appellationis ab eo, vel subtractionis à sua obedientia declinari, nisi fortè obstare monstretur constitutio aliqua, non humana solum, sed diuina atque reuelata, huic naturali iuri præiudicans.

Nunquam

Nunquam pro saluatione vitæ, aut cuiuscumque rei suæ, licet alicui mortem alterius, de per se sciẽter, via facti procurare, & maximè illius qui nullã infert iniuriam.

Nunquam pro saluando vitam suam corporalem, sunt innoxij, via facti, à se perimendi: vt si nõ aliter euadere potest aliquis se persequentẽ, quàm conterendo paruulos viam obsidentes, mors potius est expectanda: ita, dum quis est in extrema famis necessitate, non debet ab alio similiter famelico panem necessarium extorquere.

De sacramentis.

IN omni sacramento, si desit intentio actualis vel habitualis, faciendi illud quod Christus instituit, & Ecclesia intendit, nihil agitur. Similiter si forma omittitur aut corrumpitur, & si materia debita, aut si minister idoneus defuerit.

Ex hoc præcisè, quod aliquis schismaticus est, vel hæreticus, vel præcisus & excommunicatus, vel degradatus, non redditur impotens ad efficiẽdum vel conferendum sacramenta, nisi desit aliũde vel potestas ordinis, vel intẽtio debita, vel materia, vel forma, quamuis exercendo talia in casibus prohibitis, grauis delicti reus teneatur.

Fiat semper quod melius erit de possibilibus, dum circa sacramentorum ministrationem dubitatio aliqua contigerit, aut suppleatur cautè, id quod omissum fuerit, & sub quadam conditione, si non erat illud iterandum.

Cerimonialia seu figuratiua legis antiquæ, ante Christi passionem, erant Iudæis necessaria; postmodum, pro aliquo tempore licita, sed inutilia; tandem, vt nunc obseruantibus, & spem in eis ponentibus, mortifera: nec ab eis sumendum est efficax argumentum, quod modo talia in aliquo casu agere debeamus.

In casu vehemẽter dubio an aliquis sit vel non sit baptizatus, vt si sit expositus, vel baptizatus in nomine Christi tantum, aut alio tali dubio, iteretur baptismus sub hac conditione, *si tu es baptizatus, ego non te baptizo, & si non es baptizatus ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.*

Baptismum sanguinis dat martyrium; & flaminis contritio de peccatis, aut satisfactio gratuita: Primus non reiteratur, alter ab obligatione baptismi fluminis, si facultas affuerit, non excusat.

Ea quæ sunt de decentia sacramentorum notabili, instituta & promulgata ab Ecclesia, nec abolita sunt per non vsum, & si non sint de necessitate sacramẽti ad faciendum id quod intenditur, sunt tamẽ de necessitate præcepti ad obligandum, ne scienter & negligenter absque rationabili causa dimittantur.

Forma in omni sacramento potest corrumpi, aut per additionem, aut per subtractionem, aut variationem, aut interruptionem notabilem, quia modica nõ impedit. Similiter additio, subtractio, & variatio, si neque trahant formam ad sensum alium, neque in intelligibilem reddant (licet indiscretè & culpabiliter fiant) sacramentum tamen non annullant.

De sacramento Baptismi.

HÆc in baptismo sunt de necessitate sacramenti, Minister idoneus; materia quæ est aqua elementaris fluida (ad differentiam luti & aliquarum quæ sunt artificiales); intentio actualis vel habitualis faciendi quod Ecclesia intendit, intingendo non submergendo, ex aqua illa baptizandum, aut eius partem principalem nudam: & quod aliqualiter consentiat scilicet actu, vel habitu, vel in parentibus: dicẽdo simul hanc formam, *Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.*

A

Minister idoneus baptismi, regulariter & extra casum necessitatis, est ex Ecclesiæ præcepto sacerdos, qui præmittere habet exorcismos, & catechizationem, & alia obseruare quæ in libris continẽtur. Sed de necessitate sacramẽti, requiritur quod minister sit viator (ad excludẽdum angelos vel dęmones) qui simul possit intingere & verba proferre (ad excludendum mancum, & mutum; alium à se, quia nemo seipsum baptizat; & intendens dare actualiter vel habitualiter quod Ecclesia intendit, etiam si nihil credat de effectu.

B

Baptizandus, idoneus est quilibet viator non baptizatus, qui consentit interpretatiuè baptizari, vel in fide parentum, vel offerentium eum, vel Ecclesiæ, si nunquam fuerit capax rationis, vt paruuli. Si autem fuerit aliquando capax rationis, & dissenserit continuè baptizari, aut si nullo modo consentiat, dum vtitur ratione, baptizari non debet. Secus si per ante conserit nec reuocauit, quia præsumitur ab Ecclesia nunc consensurus si ratione non careret.

C

Baptizandum, non est fas confiteri sacramentaliter, cum baptismus sit ianua sacramẽtorum, & de originali contritio actualis nequaquam exigitur: de actualibus verò, sufficit displicentia in generali, absque obice malæ voluntatis, proponentis actualiter se peccaturum, quo obice postea cessante, baptismus efficaciam suam capit.

D

Baptismus dimittit pœnam & culpam ex integro, loquendo de pœna debita peccatis, non ex ciuili institutione, vt sunt irregularitates, & mortes pro delictis certis, loquẽdo præterea de pœna debita per se, quia pœnalitates huius vitæ, debitæ originali, per accidens manent, vt sitis, fames, & cæt. quorum causa est peccatum originale, sine quo non venissent.

E

Si paruuli infidelium baptizantur inuitis parentibus in fide Ecclesiæ, illi sunt veri baptizati, nec debent reddi parentibus, si periculum timeatur: similiter illi qui metu inducuntur ad interius consentiendum baptismo: quamquam talia agere cõmunis vsus Ecclesiæ non approbet.

Baptismum fluminis differre licet, quando & vbi non apparet (secundum verisimiles coniecturas) proxima mors, & speratur possibilitas, seu cõgruitas maior recipiendi in posterum; quo casu, & si subito baptizandus moreretur, saluus esset.

F

De sacramento Confirmationis.

SACRAMENTVM Confirmationis ad robur institutum, tenetur quilibet Christianus habens vsum rationis non contemnere, præsertim imminente periculo confessionis Christi faciendæ coram infidelibus.

De sacramento Eucharistiæ.

EVCHARISTIÆ sacramentum, duplicem habet formam, & materiam de necessitate sacra-

menti: Forma consecrationis corporis Christi est ista. *Hoc est corpus meum*: Et forma sanguinis. *Hic est calix sanguinis mei*, aut huic æquiualens, quod dicitur propter Græcos. Materia corporis Christi est panis de tritico pro maiori parte: Materia sanguinis, vinum de vite, nō transsubstantiatum in aliam speciem, vt in acetum.

Celebris cōsuetudo, & ordinatio superiorum, in eis quæ ad solennitatem Missæ, & generaliter omnium sacramentorum spectant, obligant ad non contemnendum huiusmodi consuetudinem & ordinationem, quas libri solent habere, obligant præterea, vt negligentia frequens & crassa fugiatur.

Facta diligentia solita fieri in talibus, circa materiam corporis & sanguinis, si per malitiam, aut negligentiam ministri aliter oblatum fuerit quàm debeat (vtputa aqua pro vino) pœniteat in omnem euentum sacerdos, & si reus non sit, & quod omissum est, suppleat vel emendet, præsertim vt integritas in cōfectione & perfectione sacramenti conseruetur.

Discrimen noui peccati mortalis in celebrando vitatur, si post discussionem conscientiæ (quæ regulariter in talibus haberi solet) celebraturus non habeat cōscientiam fixam, aut æquè firmam (sicut de opposito) quod sit in peccato mortali, vel alio legitimo impedimento, vt est irregularitas: Et hæc vocatur certitudo moralis vel ciuilis, quod homo sufficienter probatus est.

Existente casu quo homo potest celebrare licitè, & à celebratione licitè desistere, laudabilius est cæteris paribus celebrare, tum quia opus de se priuilegiatum est & fructuosum, tum quia à nobiliori virtute procedit celebratio, quæ fit ex amore, quàm omissio quæ ex timore generatur.

Laudabilius est quam oppositum cæteris paribus, & cessante legitimo impedimento, quotidie celebrare.

Pollutio nocturna, tollens sufficientem deuotionem, recollectionem, & reuerentiam ad sacramentum (eo quod anima magis inde hebes & carnalis effecta est) impedit à celebratione, quamdiu talis carnalitas & hebetudo regnauerit, nisi casu necessitatis vrgente, vt si sacerdos sit vnicus, & Missa parochialis fuerit celebranda.

Homo qui propter habitus virtutum, & facilem sui recollectionem, vel aliunde, manet deuotus ad sacramentum, & reuerens post nocturnam pollutionem, non videtur per eam impediri, quin celebret die sequenti, confessione tamen in omnem euentum præcedente; quoniam nullæ sordes corporales impediunt, nisi pro quanto vel sunt peccata, vel sunt in horrorem & scandalum assistentium, vel deuotionem debitam tollunt: Vir enim leprosus, & vir menstrua patiens, à celebratione secreta non arcentur.

In omni adoratione sacramenti altaris, subintelligitur conditio ista, vel similis, *si consecratio ritè & debitè secundum institutionem Christi fuerit celebrata*, ac perinde adorans alienus est ab idololatria, quamuis celebrans & non consecrans esset in culpa. Apparente figura circa sacramentum, alia, à figura solita panis & vini, non conuenit sacramētum sumi sub illa forma, neque sine conditione implicita vel explicita debet adorari.

A Positis pluribus hostijs super altare, si sacerdos intendit generaliter omnes consecrare, illæ consecratæ erunt: si tamen duas ex illis, quas determinatè signat, illæ duæ sunt tantummodo consecratæ: si illas duas intentio sua non determinat, nihil ibi consecratur, obstante confusione intentionis, propter quam ista non magis quàm illa potest dici consecrari.

Regulariter vituperabile est, & sæpe criminale, quod sacerdos à celebratione, & Catholicus habens vsum rationis, ab Eucharistiæ susceptione, totaliter abstineat.

B Illi pueri sunt idonei suscipere Eucharistiam, & ad hoc ligari videntur semel in anno, qui secundum leges, censentur habiles ad nubendum: potest quoque deuotio ætatem hāc præuenire, sicut in quibusdam ætatem supplet malitia.

Audire Missam integram, est de obseruatione sabbathi, hoc est dierum festorum pro tēpore legis euangelicæ, nisi per impedimētum legitimum aliquis se tueatur: tale verò impedimentum, secūdum loca, & tempora, & ætates, & cōsuetudines, C variè iudicatur.

Obligatum celebrare pro quolibet duorum vnam Missam, non absoluit vna celebratio; vna quippe missa, virtute operis operati (ex quo finiti valoris est) non tantumdem tollit de pœna, nec tantùm redimit quantùm duæ.

In anniuersarijs Ecclesiarū, & receptione Missarum pro vno precio suæ sustentationis, & in similibus, interpretatio viri sapientis locum habet, alioquin nō videtur quomodo sex aut septem anniuersaria in Ecclesijs cathedralibus licitè simul D eadem die iungerentur.

Obligatum ad subsidia spiritualia, tutum est dirigere intentionem suam ad Deum, sic quod dignetur dispartiri de valore sacramentorum, vel suorum beneficiorum, qualiter & quantum videt se apud benefactores esse constrictum.

Charitatis maioris est spiritualis eleemosyna (quæ gratis distribuit merita sua satisfactoria ad liberationem animarum) quam eleemosyna corporalis. Et quamquam talis, non inde minus habiturus sit de præmio essentiali, tardiùs tamen inde, E de proprijs peccatis, cæteris paribus, satisfacit. Falluntur plurimum hi qui potētes aliunde viuere, obligant se ex bonis Ecclesiasticis vel alijs, ad satisfaciendum pro alienis delictis, cum hoc cedat in retardationem satisfaciēdi pro proprijs; & hæc sola radix, improbare beneficiorum pluralitatem sufficeret.

Expediens videretur, vt nulla excommunicationis sententia ferretur de facto à iure vel iudice, neque pro præsenti, neq; pro futuro, nisi pro ma- F nifesta contumacia, qua se monstrauit aliquis non paratum audire Ecclesiam, aliàs qualiter haberetur sicut ethnicus & publicanus, si audire Ecclesiam paratus est?

Expediens videtur, vt nullus teneretur alium vitare (quantumcumque excommunicatum à iure) nisi postquam à suo iudice fuerit denunciatus esse talis: Siquidē in omni casu alio, videtur possibilis excusatio, & interpretatio eorū, quæ aliquis committit, vnde excommunicari dignus est; quod non debeat euitari à particulari persona, & hoc tolleret magnam in politica conuersatione confusionem.

Expediens videtur, vt omnes sententiæ excommunicationis latæ sententiæ, in iure scripto, quarum vsus nullus est, aut plus obest quàm prosit, expressa reuocatione, tam in prouincijs quã in diœcesibus, & in Ecclesia vniuersali aessarentur.

Expediens videretur institutio, aut iam institutorem talis interpretatio, vt solus excommunicatus aut suspensus à iudice, & pro tali denunciatus contrahere diceretur irregularitatem, immiscendo se sacramentis, & quod solus talis, à potestate absoluendi in foro conscientiæ spoliatus censeretur. Scrupulos enim à subditis vix aliter auferibiles (præsertim in materia sacramentalis confessionis) hæc auferret.

Expediens videretur, vt nulla sententia excommunicationis ferretur, nisi pro contumacia facta in rebus purè spiritualibus, vt vbi transgressio verget manifestè in dissipationem fidei, & suæ spiritualis libertatis. Non enim debet (vt videtur) grauior esse in foro exteriori, punitio transgressionis quam damnum fuerit illatum.

Expedientiùs est in multis defectibus, illos vel tolerare, vel ad bonum finem ordinare, quàm per fulminationes sententiarum, & condemnationũ, aut per prædicationes rigorosas, eos conari funditus extirpare, vt de * strenis encænijs prima die anni, de capellanis mercenarijs, & similibus.

De Pœnitentia.

DIVINA lex, & non solùm Ecclesiæ constitutio, obligat ad confessionem sacramentalem post peccatum actuale, vt fiat semel ante mortem.

Hæc, concurrere simul tempore ad iustificationem impij necesse est, quæ sunt, infusio charitatis, expulsio culpæ, conuersio liberi arbitrij in Deum, & peccati detestatio.

Homo, non semper tenetur immediatè confiteri peccatum, immo nec conteri sub pœna noui peccati mortalis, dat enim spacium pœnitentiæ Deus, quale scit fragilitati nostrę sufficere, & illud quantùm sit in omnibus, generalis regula definire nulla potest.

Omissio in concernentibus confessionem, sicut in alijs actibus præceptorum, nõ vocatur omissio, nisi sit respectu actus principalis, dũ deberet fieri; & non respectu circunstantiarum, quæ vel antecedunt, vel cõcomitantur, vel subsequuntur; alioquin omissiones in vna omissione numerarentur infinitæ.

Omnis contritio, includit confessionem in actu vel in habitu, aut in proposito vel in voto: Eam verò fieri actu, cessante impedimento alio, quadruplex casus constringit: primus institutio Ecclesiæ semel in anno: secundus, susceptio Eucharistię vel celebratio, & sacramentorum aliorum susceptio secũdum quosdam: tertius, periculum mortis verisimiliter imminentis: quartus, conscientia, quòd alias nõ habebitur opportunitas peccata cõfitẽdi.

In recordatione peccati mortalis, dum missa iam peruenerit vsque ad hoc, vt commodè sine scandalo deseri vel interrumpi non valeat, aut dum sacerdos alius deest, & vrget necessitas, sufficit contritio includens propositum confitendi.

Circunstantiarum quadruplex est differentia, quædam impertinentes, quędam minuentes, quędam augẽtes, quædam peccatum in aliam speciem transmutantes: Et hæ vltimæ, non solùm sunt circunstãtiæ, sed peccata, ideo sunt de necessitate sub A expressione cõfitendæ: primas nõ expedit dicere, nec secundas regulariter, tertias exprimere sæpius vtile est quandoque secundùm quosdam necesse.

Circunstantiarum expressio in confessione, talis, & talibus verborum circunlocutionibus expressa sufficit, per quam cõfessor, de magnitudine peccatorum eius qui confitetur (pro absolutione & pœnitentia discretè conferendis) instruatur.

Expedit nonnunquam circunstantias dearticulatius vel inquirere, vel dicere, tum ad verecundã B humiliationem confitentis, tum ad eius quietationem postmodum magis habendam, quod omnia dixerit; tum quia circunstantiæ multæ, quas esse nullas aut veniales arbitrabatur confitens, peccata sunt mortalia; tum denique ex hoc, quod vna circstantia habita, confessor de alijs coniecturat, quas confitens pudore pressus celat.

Cognito statu eius qui confitetur, quandoque nocet plurimum, nimium super circunstantiarum particularitate interrogatio, præsertim in peccatis carnalibus; tum ne confitens, verecundiã motus, C quandoque mentiatur (vt pueri & puellæ) & hoc in his quæ non essent necessaria dici, tum ne scandalizentur & inflãmentur in nominatione peccatorum prius incognitorum: Propterea, discretio maxima requiritur, & semper à generalioribus interrogationibus, ad specialiores, gradatim & sensim procedere cõueniet; inuocandáq; est manus eius, quo obstetricãte educitur coluber tortuosus.

Secretum cõmissum fidei alterius, celare est de iure naturali (hoc enim rationabiliter quilibet sibi vellet fieri, & aliter socialis cõuictus deperiret) D multo ampliùs sigillum cõfessionis secretum esse debet, & nullo casu, signo, aut verbo reserandum.

Confitẽs, debet regulariter in peccatorum suorum explicatione celare complices suos (nisi dum aliter confiteri non potest) sicut in incestu cũ matre, vel vnica sorore; aut nisi dicat, & apud talem, quod reuelatio debeat prodesse, nõ obesse eis qui deteguntur: quo casu, nihilominus magna cautela requiritur apud confitentem & confessorem, ne zelo proficiendi indiscreto fallantur.

E Omnia ad cõfessionem pertinentia, vt pœnitẽtia iniuncta, & interrogationes factæ, & cætera nõ inducentia ad malum, sunt de cõfessionis secreto, propter quod peccant (si non excusat eos ignorãtia) illi qui pœnitentias suas, & ea quæ sacerdos eis dixit passim dicunt, & qui etiam super hoc inquirunt, quoniam talia per indirectũ causant aliquando irrisionem sacerdotis, aut confessi culpam.

Qui seduxit alios ad peccatum, tenetur pro posse eos postmodum ad viam virtutis reducere, non F minus quàm de damno temporali illato: sic de infamatione, & similibus, & ad hoc debet confessor inducere confitentem.

Confessus, volens peccatum suum reuelari per confessorem si petatur, debet illud extra confessionem detegere: neque tamen adhuc est tutum cõfessori illud onus assumere, si remedium possit aliter incommodis adhiberi.

Nullus semel ritè sacramentaliter absolutus super vno crimine, potest, nisi de consensu suo libero, obligari ad amplius confitendum: Si fit oppositum in quibusdam religionibus, aut casibus, institutiones positiuæ, quibus homo sponte se sub-

didit, hoc faciunt.

Si confessor præsumatur verisimiliter sollicitare aut sollicitari ad peccata (vt puta ad lubricitatem) persona hoc timens, debet ab illo, si sit suus curatus, petere licentiam alteri confitendi; qua nõ obtenta, potest nihilominus alteri confiteri & absolui. De statu eorum qui confessi sunt, tutius est vt cõfessor nihil dicat, neque ad vituperium sicut constat, neque ad laudem, ne inde confessi superbiant, ne præterea ipsi & alij in hypocrisim fictè confitendi dilabantur.

Iudex, cogere volens ad reuelationem confessionis, peccat; & tenetur presbyter ei non respondere, aut dicere hoc non esse de foro suo. Quod si opponatur, quoniã tacendo & non negando, notare videtur quod confessus sit in culpa: respondendũ est, quod sacerdos aliter agere non potest, ideo nullum scandalum suo vitio deputatur.

Peccatori, quamuis non sufficienter pœnitenti (vt quia propositum habet actuale peccãdi in futurum) vtile est confiteri, & abstinentias certas recipere: Cui tamen confessor expressè, iterum & iterum protestetur, quod neque absoluitur, neque potest, neque pœnitentiæ tales, aut talis confessio, eundem liberant, quin iterum eadem peccata confiteri teneatur.

Mitis est opinio pro peccatoribus, dicens sufficere ad absolutionis sacramentalis fructuosam susceptionem, quod confessus non habeat actuale propositum peccandi (hoc enim dicunt esse non ponere obicem) :sed alia sententia, quòd requiritur actuale propositum non peccãdi in futurum, probabilior est, atque securior.

Virtute clauium & meriti Christi dantur in qualibet confessione sacramentali indulgentiæ; sed quantæ, nouit Deus, fit etiam vt attritio minus sufficiens, fiat in confessione contritio.

Soli actu confessi de peccatis suis, capaces sunt indulgentiarũ illarum, quæ dantur verè pœnitentibus & confessis. Nisi dicatur sufficere esse in gratia & membrũ Ecclesiæ, & ita *ly* confessis, ibidem sumitur pro confessione in proposito, vel in voto.

Dies indulgentiarum, referuntur ad pœnitẽtias pro vita hac iniunctas, sic enim textus sonat; videtur tamẽ, quod iniunctio generalis (quę benè fieri solet, vt omnia bona facienda cedant in remissionem) prosit in hoc, & sufficiat, vbi etiam pœnitentia specialis, totidem dies, quot sonant indulgentiæ, nequaquam iniunxissent.

Indulgentias non recipit ille, qui non porrigit manus adiutrices, iuxta contentum bullarum; & ita, diues melioris conditionis est, quoad aliqua, quàm religiosus, & mendicus.

Claue sacramẽtali non notabiliter errãte in impositione pœnitentiæ, confessus (per illam pœnitentiã si fecerit) absolutus est à pœna & culpa, virtute compromissionis cuiusdam liberalis & arbitrariæ Dei & peccatoris in personam sacerdotis.

Tutius est cum parua pœnitẽtia, quę sponte suscipitur, & verisimiliter adimplebitur, ducere cõfessos in purgatorium, quàm cum magna non implenda præcipitate in infernum. Renuens pœnitentiam in hac vita stultè facit, nihilominus absoluendus est, si non ex infidelitate, quâ credit, non esse purgatorium aliud, hoc faciat; sed vel propter teneritudinem corporis, aut infirmitatem, aut paupertatem, vel aliud simile.

Nulli inuito, iniungenda est pœnitentia publica pro peccato secreto, secus de publico: similiter, nullus per castigationem scandalizandus est publicè pro peccato occulto, secus pro publico; vbi si scandalizetur peccator, scandalum illud non imponenti, sed sibi qui metuit, imputetur.

Diuisio confessionis, si ad hypocrisim, aut præ nimio pudore fiat, impedit virtutẽ absolutionis: secus, vbi auctoritas superioris in casibus reseruatis, & bona fides simplicium hoc faciunt & excusant: aut vbi confessor fortè præsumeretur scãdalizari ex peccato cõfessi; & non haberetur pro tũc confessor alius discretus, cui absque probabili scãdalo, peccata omnia reuelari possent, aliqua tamẽ possent. Videat tamen quilibet, quàm rationabiliter conscientiam scandali sibi fingat.

Dum nescit cõfitens de quibusdam actibus an fecerit illos, aut qua intentione, & quomodo fecerit (vt sæpe contingit) dicat sub cõditione scrupulos suos, vt sic neque mentiatur, neque absolutione defraudetur.

Curatus obligatus parochiano semel in anno dare Eucharistiæ sacramentum, tenetur ei dare, si petat publicè, quantumcumq; sciatur non pœnitere; nisi causa refutationis fuerit nota, vtpote excõmunicatio publica, vel peccatum notorium, de quibus nõ satisfecit publicè. Secus præterea de sacerdote in secreto, vel qui nõ tenetur ministrare, vel pro tẽpore quoad hoc nequaquam obligatur.

Forma absolutionis ab excommunicatione est ista; quę debet primò fieri. *Ego absoluo te à sententia excommunicationis, & restituo te sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Deinde sequitur absolutio pro peccatis, si in excommunicatione peccatum includitur necessariò confitendum sacramentaliter; *Ego absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.* Tutiusque est in istis formis nihil immiscere.

Materia sufficiens in sacramento cõfessionis, est homo peccator, cõtritus de peccatis, sponte subijciens se suo sacerdoti; quę subiectio nõ est propriè iurisdictionis, alioquin Papa nulli cõfiteretur, sed est volũtaria, quæ potest nihilominus impediri vel arctari per superiorem, vt non quilibet peccator, cuilibet sacerdoti possit se subijcere pro peccato.

Episcopus, non minus habet auctoritatem constituendi coadiutores confessores in sua diœcesi, quàm curatus in sua parochia. Caueat tamen Episcopus perturbare Ecclesiasticam hierarchiã, tollendo directè vel indirectè potestatem curatorũ, absque culpa eorum, vel causa manifesta.

Confessio ficta, reiterari ex integro debet, secundum probabiliorem opinionem, quamuis duriorem, quia non habet effectum suum postmodum, cessante fictione, sicut baptism⁹; & hoc, quia pœnitentia reiterabilis est, non sic baptismus: tum etiam, quia nulla absolutio sacramentalis fuit, sed potius noui peccati additio. Nõ est fictio si peccator dicat omnia quorũ actu recordatur, quãuis nõ omniũ recordetur; sed est fictio, dum sciẽter celat aliquid, aut in proposito peccandi perseuerat, aut scit, & scire debet, quod à tali non potest absolui.

Pœnitentiarum, alia est reconcilians, qualis fieri nequit nisi in gratia; alia est satisfaciens, vel exsoluens, qualis fieri potest extra gratiã, sic, quod illius

reiteratio necessaria non existit: Imo, & talis solutio respectu quarundam pœnarum temporalium debitarum, forte poneretur in inferno.

A Satisfactionem, propriè vt talis est, operantur sola opera pœnalia, quæ scilicet voluntas naturaliter refugit, & hinc pœnam habet, iustè equidem, vt peccatum voluntarium inuoluntaria pœna redimatur.

Per opera spiritualia, qualia sunt contemplatio, & amor Dei, potest fieri satisfactio, tum quia annexa est pro statu isto fatigatio corporis, tum quia contra propriam inclinationem commodi, intellectus & voluntas abnegat se, in obsequium fidei & charitatis.

B Vnum pro altero posse satisfacere, concedit liberalitas Dei, dum causa subest, vel ex impotentia illius pro quo fit satisfactio; vel de mandato suo, & charitate satisfacientis, vel superioris authoritate, taliter ordinantis.

De matrimonio.

CONSENSVS mutuus, expressus per verba de præsenti (quo transfertur pro perpetuò corpus viri in potestatem mulieris, & è contra, in eis propter quæ coniunctio talis ordinatur (causat matrimonium de iure naturali & diuino: nihilominus, limitatur consensus ad certas personas cum certis circunstantijs; & quicquid aliter fuerit attentatum, potest illud inualidare superioris authoritas.

C Votum solemnizatum per susceptionem ordinis vel religionis, non magis ex natura sua videtur dirimere matrimonium iam contractum, quàm simplex; sed hoc prouenit ex Ecclesiæ constituto, maximè cum in illo dispensare posse Papam probabilis sit opinio.

D Matrimonialis cōiunctio vnius mulieris cū pluribus viris, repugnat iuri naturali, non è contra; quoniam corpus viri plus valet, pro quanto plures fœcundare sufficit: & ita olim pluribus licebat iungi vxoribus, prima tamen in hoc consentiente, cui corpus viri iam cesserat in suum ius: Nunc autem ad statum primęuę institutionis reduxit Christus matrimonium vnius cum vna.

E Votum simplex castitatis, non dirimit matrimonium iam contractum; peccat tamen qui vouit, dum primò contrahendi voluntatem habuit, voto contrariam; non autem postea dum reddit debitum, vt est concors sententia iurisperitorum; sed negant petitionem debiti posse fieri sine fractione voti. Cuius oppositum ex eo videtur verum, quia votum non cadebat directè nisi insuper hoc, quod est nunquam contrahere, & non super hoc, quod est numquam cōmmisceri carnaliter alteri: alioquin, dum nunc commiscetur, etiam reddendo debitū, reus efficitur voti fracti: alioquin pręterea, esset sors talis coniugij nimis dura.

F Religiosus professus, aut sacerdos, vtentes copula carnali præter matrimonium (etsi grauissimè transgrediuntur mandatum Dei) non tamen videntur voti fractores: Votum quippe est solum propriè de re alias licita, qualis non erit extra matrimonialis coniunctio. Ista conclusio, licet apud simpliciores videatur extranea, tamen apud intelligentes, quid nominis voti, est clara. Votū quippe solum fit de operibus supererogationis, ad quæ quis alias non tenebatur, Sic religiosus propriè

loquendo vouet, quod nunquā vxorabitur, quod antea licebat illi: nullus autem propriè dicitur vouere, quod nunquam fornicabitur, aut adulterabitur, quia ex præcepto ad hoc iam omnis homo obligatur.

Vir & vxor, nequeunt absque mutuo consensu vouere castitatem; imo nec vir tute voueret, se nunquam petiturum debitum ab vxore, cum propter verecundiam petendi, ipsa in deterius labi posset.

Sponsalia dirimuntur vel mutuo consensu cum authoritate superioris, vel si altera persona interim fornicata fuerit, vel per votum solemnizatum, per quod matrimonium etiam contractum, non tamen carnaliter consummatum, posset infra duos menses solui.

Contrahens fictè in foro Ecclesiæ, quantumcunque carnalis copula sequatur, eadem fictione remanente, non coniungitur matrimonialiter: compelletur tamen ab Ecclesia in foro exteriori, tanquam si verum fuisset matrimonium: secus in interiori, cuius est consilium, vt potius omnes sententias Ecclesię toleret, quàm peccato consentiat: potest tamen nouo consensu adhibito, fictum matrimonium (si nil aliud obstiterit) in verum commutare.

Persona inducta per metum cadentem in constantem virum, ad consentiendum interius in prolatione verborum matrimonialium (vt quia non vult mentiri) potest postmodum matrimonium dirimi tanquam nullum, sed de seductione per blandicias non ita.

Impedimentum perpetuum in altero cōiugum, per quod nequeunt se mutuo carnaliter cognoscere, impedit matrimonium iam contractum, & contrahendum, & etiam contractum dirimit, nisi antea sciat de facto, tunc enim ostendit quod aliū finem quærit, & ita contractus stat.

Nullus coniugū, tenetur reddere debitū in detrimētum notabile & certum sui corporis, vel fœtus nascituri. Et secundum hoc, cognoscitur, quādo leprosis vel prægnantibus, aut menstruatis, aut furiosis, aut epidemaicis, & similibus casibus, reddi vel non reddi debitum oporteat.

Tempus & locus sacer, non videntur excusare, quin alter coniugum teneatur alteri petenti reddere, præuia tamen quadam amicabili monitione de non exigendo.

De extrema vnctione.

EXTREMA vnctio, habet materiam & formam in libris suis expressam: & obligat non cōtemnere, dum finis vitæ secundum probabiles coniecturas per infirmitatem expectatur: quæ præterea reiterari potest, simili causa rursus veniente.

Extrema vnctio ritè suscepta, delet venialia, immo videtur, quod absoluit ab omni culpa coniuncta petitione recipientis; ita quod dignè recipiens etiā ab omni pœna liberetur, tum virtute sacramēti, tum quia petit piè perseueranter pro se & iustè.

De sacramento ordinis.

ORdinis sacramentum, plures formas habet, pluresque materias, immo & sacerdotium duabus formis completur; vna, qua datur sibi potestas super corpus Christi verum, altera, qua datur potestas super mysticum: quod si fuerit defectus vel dubium in aliquo, potest illud sub

conditione cautè suppleri.

Plenitudo iurisdictionis residet apud Papam,& in alios secundum eius determinationem deriuatur: attendere tamen debet, sibi esse illam potestatem, non in destructionem Ecclesiæ datam, sed eius ædificationem.

Si papa diceretur Dominus omniũ,in spiritualibus, quod constat; & in temporalibus,quod alij negant; nihilominus dotatio Ecclesiæ in iurisdictionibus, & dominijs proprietarijs tẽporalibus, & exercitium in illis, neque esse de iure naturali, neque eidem repugnare videntur. Nam Christus neque exercuit talia dominia, neq; per expressum successoribus prohibuit, sed reliquit potestatem eorum, discretioni (pro varietate temporum) & deuotioni Christianorum,sic vel sic exercendi.

Papa non potest peruertere ordinem hierarchicum vniuersalis Ecclesię,sic,quin in multis casibus liceret eidem resistere in facie,& dicere,cur ita facis? vtpote in exemptionibus manifestè nociuis: Et si Prælatos & Ecclesias sibi subditas, onerare sumptibus intolerabilibus, vel libertatibus penitus spoliare contenderet.

Regularium moralium finis.

COMPENDIVM BREVE ET VTILE ALIQVARVM MATERIARUM *communium ad fidem & doctrinam Catholicam spectantium, quod eidem Cancellario ascribitur: sed non apparet esse suum.*

IN isto libello est quædam breuis & summaria, vtilis tamen expositio, Primò de articulis fidei; secundò decem pręceptorum legis; tertiò, septem Sacramentorum Ecclesiæ; quartò, 7. virtutum; quintò, de 7. petitionibus contentis in oratione Dominica; sextò, de 7. donis Spiritussancti; septimò, de octo beatitudinibus; Octauò, de vitijs tam naturæ, quam voluntatis.

TRACTATVS PRIMVS DE ARTICVLIS FIDEI. ET PRIMÒ QVID *sit Symbolum, & vnde dicatur.*

SYMBOLVM est omnium credendorum ad salutem spectantium compendiosa collectio. Quoniam vt ait Cassianus li. 6. quicquid per vniuersum diuinorum voluminum corpus immensa diffunditur copia, totum in symbolo colligitur breuitate perfecta. Dicitur autem symbolum *à syn* quod est cõmunio & *bole* quod est sententia, quasi collectio sententiarum. Vel vt alij volunt *à syn* quod est cõmunio, & *bolum* quod est frustũ, quasi frustorum, id est capitulorum vel particularũ fidei collectio. Secundum Papiam, symbolum est collectio, aut pactum, seu placitum quod fit homini cum Deo.

Quid sit articulus fidei & vnde dicatur.

EST autem articulus secundum Richardum de sancto Victore *indiuisibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum.* Dicitur in dicta descriptione, *veritas indiuisibilis*, quia articulus nõ diuiditur,

A sed stat in eo indiuisio credibiliũ. Articulus enim de se, in quantum articulus, non est resolubilis in articulos siue in credibilia, peruersitate tamẽ hæreseũ inualescente quædã quæ coniungebantur in symbolo Apostolorum, postea oportuit diuidi. Verbi gratia. Dicebant quidam Christũ non verum esse hominem, neque verè natum: Alij autem dicebant verè natum, sed non verè conceptum de virgine, sed corpus attulisse de cœlo. Vnde sancti patres vnum articulum in duos diuiserunt, vt vnus esset articulus de conceptione, alius de vera

B eius natiuitate: & consimiliter in alijs, ex alia causa diuisis. Et ita *ly* indiuisibilis, in quibusdam articulis priuat actum diuisionis & possibilitatem, in quibusdam priuat solum actum, sic scilicet, quia sunt quidam articuli qui secũdum assignationem apostolicam non diuiduntur, possunt tamen diuidi. Et sunt quidam articuli qui neque diuiduntur neque diuidi possunt.

Et nota quod in dicta descriptione dicitur *de Deo*, cum tamen articulus aliquis propria facie

C videatur esse de creatura: verbi gratia, *Carnis resurrectionem*: Verumtamen, omnis articulus principaliter de Deo est. Vnde respectu articuli immediatè tacti, dicit Damascenus, Non credimus resurrectionem futuram nisi diuina virtute scilicet cooperante: vnde & hoc credit fides Catholica scilicet promissam resurrectionem diuina efficiẽdã virtute. Et sic, patet quod iste articulus de Deo est, quia de diuina virtute nostram resurrectionem operante. Isto modo omnes articulos qui viden-

D tur esse de creatura, facilè contingit reducere ad diuinam virtutem, & ita ad Deum. Item in dicta descriptione dicitur *arctans nos ad credendum*: & tamen voluntas libera est, nec potest cogi vel arctari: sed quamuis in volendo & consentiendo non possit voluntas cogi, quia quo ad hoc libera est, potest tamen allici & trahi in cognoscendo, quoniam si intellectui bene disposito infundat se veritas, ipsum intellectum illuminans, necesse est veritatem cognoscere, & per consequens allicere, & tunc trahitur ad consentiendum agnitæ verita-

E ti. Vnde Augustinus herba trahit ouem: Hoc modo, arctat nos articulus ad credendum. Vnde quidam arctans, id est trahens.

Diuisio & expositio articulorum fidei. Et primo primi.

DIuiditur autem & distinguitur symbolũ pręcipuè Apostolorum, in duodecim articulos, secũdum numerum duodecim apostolorum, qui contulerunt credenda quia ipsi hoc symbolum composuerunt: secundum alios verò diuiditur in

F quatuordecim, vt patebit infra.

Vnus articulus & primus, attribuitur patri secũdum priorem modum, sex attribuuntur filio, & quinque Spiritui-sancto.

Primus autem qui attribuitur patri, est iste. *Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.* Vbi primò nota differentiam inter credere Deũ, & credere Deo, & credere in Deũ. Quia secundũ Augustinum credere Deo, est verbis eius siue scripturæ sacræ fidem adhibere: Credere Deũ, est credere Deum esse, scilicet quia est. Credere in Deum, est credendo Deum fide & affectione, siue fide

fide operante per dilectionem, tendere in ipsum.

Igitur expone sic. Credo in Deum, scilicet singulariter, quia in vnum Deum. Vnde Deuter. 6. *Audi Israël Dominus Deus tuus Deus vnus est.*

Patrem, quod hic personaliter tenetur, quia subiungit, *filium eius.* In oratione verò Dominica, tenetur *ly* pater, essentialiter, vbi agitur de paternitate, vel adoptionis; quâ paternitate, ipsa Trinitas est pater bonorum; vel creationis quâ paternitate, tota Trinitas pater est tam bonorum quam malorum, secundum illud Deut. 32. *Nunquid non ipse est pater tuus qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Omnipotentem, appropriatè; quamuis enim filius sit omnipotens, & Spiritus-sanctus omnipotens, tamen quando ponitur appropriatè, attribuitur patri, sicut sapientia filio, & bonitas Spiritui-sancto.

Creatorem cœli & terræ. Ad litteram, summæ naturæ, quam designat nomine cœli, & infimæ quam designat nomine terræ, & sic exinde collige creatorem mediorum. Positis enim extremis colliguntur media: vel per cœlum & terram intelligatur tam spiritualis quã corporalis creatura perfectè formata; vt cœlum sit inuisibilis & spiritualis creatura, terra autem omne corporeum & visibile: Vnde aliud symbolum exponens, dicit, *Factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.* Et nota, quòd creare siue creatorem esse, potius sonat potentiam, quàm sapientiam, vel bonitatem; quia operatio egreditur à potentia, & maximè virtuosa. Vnde Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et in Psal. *Omnia in sapientia fecisti.* Ideo appropriatè attribuitur creare patri, sicut & potentia, cum tamen pater omnia creet per filium, cooperante Spiritu-sancto, quia indiuisa sunt opera Trinitatis, & totæ tres personæ, vnus sunt creator.

Et aduertendum hic, quod per hoc quod dicit *Deum singulariter*, destruit errores quorundam gentilium, qui fingunt plus esse deos, quod manifestissimus est error; quia illo posito, clarè patet quod nullus eorum sit Deus. Si enim plures sunt, differunt inter se per aliquid quod habet vnus quod non habet alius: sic nullus eorum erit summum bonum, quia sic nullus eorum habet omnia bona, & sic nullus eorum erit Deus, quia Deus est summum bonum, quod continet omnia bona. Ad Roman. 11.

Item, per hoc quod dicit *patrem*, destruit obstinationem Iudæorum, qui non attendunt distinctionem personalem patris, & filij. Item per hoc quod dicit, *creatorem cœli & terræ*, destruit errorem philosophorum, dicentium mundum fuisse ab æterno, & Deo coæternum, sicut dicit Augustinus Aristotelem posuisse & Platonem. Item per illud idem destruit errorem Manichæorum, qui dicunt omnia corporalia creata à Deo tenebrarũ. Sed ex istis oritur dubitatio, Si enim credere in Deum, est tendere in eum fide operante per dilectionem, vt dicitur supra, cum in peccato mortali existentes, non habeant istam fidem sic in Deum tendentem, videtur quod non credant in Deum, & ita mentiuntur & peccãt, quando dicunt symbolum, quod graue est dicere. Ad quod dicitur secundum quosdam, quod ipse peccator dicit, *credo, &c.* non in persona sua, sed in persona Ecclesiæ. Sicut & illud: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, &c.* quod nisi in persona Ecclesiæ, quæ in aliquibus membris per singulas noctes lachrymatur, diceretur, esset mendacium in ore malorum, imo etiam & multorum iustorum. Et similiter cum mulier dicit Psalmus. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, &c.* incongrua esset locutio, nisi in persona iusti generaliter loqueretur, siue Ecclesiæ. Similiter hic in persona Ecclesiæ dicitur, *credo in Deum*, &c. & sic non peccat, nec mentitur. Alij dicunt, quod existens in peccato mortali, non dicit quod credat in Deum cum dicit, *credo, &c.* sed profitetur articulos fidei. Et est sensus, Credo in Deum, id est profiteor credendo esse Deum. Et ita largè sumitur hic credere. Augustinus verò supra sumit magis strictè.

EXPOSITIO SECVNDI ARTICVLI fidei.

SECVNDVS articulus principalis, & primus eorum quæ attribuuntur filio, est iste. *Et in Iesum Christum filium eius, &c.* Et supple, credo in Iesum Christum, &c. Quæ duo nomina frequenter in nouo testamento coniunguntur, quia vnum eorum, scilicet Iesus, exprimit eius deitatem, interpretatur enim Saluator, & in quantum Deus, specialiter Saluator est. Et reliquum nomen scilicet Christus exprimit humanitatem, quia interpretatur vnctus, & in quantum homo, vnctus est præ consortibus suis. *Filium eius vnicum*, id est naturalem, non adoptiuum. Vnde aliud symbolum determinando, dicit. *Et ex patre natum, &c.* Vel *vnicum* dicit, quia non est vnus filius in quantùm Deus, & alius filius in quantum homo. Sed idem Christus in duabus naturis, scilicet deitate & humanitate, & tribus substantiis, scilicet deitate, anima, & carne, vnicus est filius. Vnde August. in Eccles. dogma. Non duos filios fatemur (sicut separando naturas Nestorius tradit) sed Deum & hominem vnum filium credimus, manentem in duabus substantijs, non tamen confusis naturis, quamuis enim duas habeat natiuitates, vnam qua nascitur de matre, & vnam qua nascitur ex Deo patre, tamen est vnicus filius, non duo filij. Quando ego in conceptione per viam generationis processi à patre: & sic quadam natiuitate natus sum in vtero, secundò natus sum de matre ex vtero, nec tamen propter istas duas natiuitates dicendus sum duo filij, sed vnicus.

Sequitur, *dominum nostrum*, vnde ipse dicit Matth. vltim. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, &c.* Per hoc etiam quod dicit, *Iesum Christum*, quod interpretatur Saluator, & vnctus, deridetur hebetudo Iudæorum, qui suum Messiam, id est Saluatorem adhuc futurum expectant. Per hoc etiam quod dicit, *filium vnicum*, destruit hæresim Sabellianorum, dicentium eandem personam esse patrem & filium, quod apertissimum apparet mendacium, quia secundum decursum naturalem, oportet quod inter patrem & filium personalis sit distinctio, licet conformitas sit naturæ & similitudo. Quales enim sumus nos, tales qui à nobis generantur, Vnde de

ipſa diuina filiatione dicitur ad Roman. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, &c.* Et poſt pauca. *Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Et ad Ephe. 1. *Prædeſtinauit in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum:* Nullus enim ſeipſum gignit. Vnde cum idem ſit pater quod filius in ſubſtantia, oportet quod alteritas ſit perſonarum.

A

Per hoc etiam quod dicitur, *dominum noſtrum*, deſtruitur hæreſis Arrianorum, qui ponunt inæqualitatem perſonarum. Vnde Ioan. 10. *Ego & pater vnum ſumus.* Et ad Hebræ 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius.* Et ſecundum Athanaſium *Æqualis patri ſecũdum diuinitatem, &c.* Sicut enim pater Dominus eſt omniũ, & omnipotẽs ita eſt & filius. Quod expreſſius determinatur in alio Symbolo, vbi dicitur, *Omnipotens pater, omnipotens filius*, quod tamen intelligatur ſecundum diuinitatem: quamuis enim humanitati Chriſti collata ſit omnis ſcientia, non tamen omnipotentia.

B

Expoſitio tertij articuli fidei.

TERTIVS articulus principalis & ſecundus eorum qui pertinent ad filium, qui determinat vtramque eius natiuitatem, ſcilicet in vtero & ex vtero, eſt iſte, *Qui conceptus eſt de Spiritu-ſancto, natus ex Maria virgine.* Dic ergo, qui ſcilicet Chriſtus conceptus eſt de Spiritu-ſancto, id eſt operatione Spiritus-ſancti; vno etenim eodémque momento ſegregata fuit illa caro aſſumpta à reliqua carne virginis, operatione Spiritus-ſancti, & animata anima rationali, & deitas eis vnita. Vnde non eſt putandum, quod ſit conceptus de Spiritu-ſancto ſicut proles de ſemine paterno concipitur, quia ſic tranſiſſet Spiritus-ſanctus omnino mutatúſque fuiſſet in carnem, ſicut paternum ſemen tranſit in carnem prolis, amittens propriam ſpeciem, quod eſt etiam ſolo cogitatu abhorrendiſſimum. Vnde *ly* de, non denotat circunſtantiam cauſæ materialis, ſed potius cauſæ efficientis: quamuis enim incarnatio filij Dei ſit opus totius Trinitatis, quia quod operatur vna perſona, operantur omnes (eò quod indiuiſa ſunt opera Trinitatis) ipſa tamen gratia mediante, qua natura humana vnitur diuinæ, eſt donum appropriatum Spiritui-ſancto, quia hæc gratia appropriatè procedit à charitate, ſeu à benignitate Dei, quæ Spiritui-ſancto appropriatur. Non enim Deus, in quantum potens, vel in quantum ſapiens, ſed in quantum bonus, & benignus, noſtram redemptionem operatus eſt, per incarnationem filij Dei. Dicitur igitur, qui conceptus eſt de Spiritu-ſancto, non naturaliter, ſed operatione Spiritus-ſancti, & quaſi ſecundum appropriationem cauſæ efficientis. In quo verbo, tangitur natiuitas eius in vtero, ſcilicet qua natus eſt de patre veniens, nec tamen recedens. De qua Matt. 1. *quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Gloſſa natum, id eſt conceptum eſt.

C

D

E

F

Dicitur poſtea. *Natus ex Maria virgine*, ſcilicet natiuitate ex vtero, de qua Luc. 2. *Et peperit filium ſuum primogenitum, &c.* Per hoc autem quod ait, qui conceptus eſt de Spiritu-ſancto, id eſt operatione Spiritus-ſancti, & non operatione virili, deſtruitur hæreſis Hebionitarum, qui aſſerunt Chriſtum ex Maria & Ioſeph nuptiali coitu eſſe conceptum. Per hoc etiam quod ſubdit *natus ex Maria virgine*, vt ſcilicet de vera matre, de qua materiam corporis aſſumpſit, deſtruitur error Valentinianorum, dicentium de virgine Chriſtũ nihil corporis aſſumpſiſſe, ſed per eam quaſi per fiſtulam trãſiſſe.

Expoſitio quarti articuli fidei.

QVARTVS articulus principalis, & tertius eorum qui pertinent ad filium, equidem deſcribit paſſionis eius ſacramentum, ſecundum omnia quæ circunſtant mortem eius, vt eſt flagellatio, crucifixio, ſepultura, & huiuſmodi, & eſt iſte *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus:* qui ſcilicet Chriſtus, paſſus eſt ſub Pilato, id eſt ſub poteſtate Pilati, Pilato dicto Pontio, ſcilicet genere quaſi dicat non Romano, quod forte dicit ad differentiam alicuius alterius Pilati. *Crucifixus*, in quo diſtinguit paſſionem ſuam à paſſione aliorum, qui ſuſpẽduntur in patibulo: quia ſecundũ Iſido. patibulũ propriè dicitur vbi homo ſuffocatur, & ſtatim moritur: Crux verò, vbi diu tortus, tandẽ languenti morte moritur, vbi mors grauior & productior eſt: tamen multotiens vnũ pro alio ponitur. Sequitur, *mortuus*, vera morte, per diſſolutionem, ſcilicet animæ à corpore, diuinitas tamen ſemper coniuncta manſit vtrobiq;. Vnde Aug. ſuper Ioan. Verbum diuinum, ex quo hominem, id eſt carnem & animam ſuſcepit, nunquam depoſuit. Mors ergo, ad tempus carnem & animam ſeparauit, neutrum tamen à verbo. *Et ſepultus*, non tamen vt alij corruptus, & incineratus. Vnde in Pſal. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Per hoc autem quod dicit, *paſſus, crucifixus, mortuus*, oſtendit veram carnem, vtpote ſenſibilem & paſſibilem habuiſſe: in quo eliditur error Apolliniſtarum, qui dicunt eum ſenſu & carne ſenſibili caruiſſe, cum tamen veriſsimã carnem habuerit, & optimè complexionatam, & ideo maximè paſsibilem: nec abſorpta fuit illa paſsio per vnionem deitatis, quia in illa vnione (vt dicit Damaſcenus) ſeruata fuit vtriuſque naturæ proprietas. Nam quod paſsibile, manſit paſſibile ſicut humanitas, & quod impaſſibile, manſit impaſſibile ſicut diuinitas: quinimò, incomparabiliter pœnam grauiorem ſuſtinuit, quàm poſſet purus homo ſuſtinere, eò quod prębebat ei illa vnio robur & vires ad ſuſtinendam tam amaram paſſionem, in qua purus homo (qui eiuſdem teneritudinis eſſet, vt dicunt) in initio paſſionis defeciſſet. Deſtruitur in hoc etiam error illorum, qui dicunt carnem illam in naturam deitatis trãſiſſe, & ideo impaſſibilem fuiſſe: quos confutat Hieronymus in epiſtola ad Damaſum Papam.

Expoſitio quinti articuli fidei.

QVINTVS articulus principalis in numero, & quartus eorum qui ſpectãt ad filium, pertinet ad redemptionis ſacramentum eorum qui erant in limbo inferni concluſi, ſecundum quod prophetauerat Zacharias 9. cap. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua.* Et eſt iſte, *deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit à mortuis.*

Deſcen-

Descendit tantum scilicet in anima deitati vnita, quia corpus in sepulchro quieuit, & deitas vbique erat. Vnde sine ea descendere non potuit ad inferna, id est ad limbum, partem scilicet inferni superiorem, quo detinebantur saluandi quousque debitum primi parentis per mortem Christi solueretur. Quod autem dicit Psal. Eruisti animam meam ex inferno inferiori, non est contrarium. Dicitur enim ibi limbus infernus inferior respectu aëris caliginosi, in quo vt in suo inferno affliguntur modo maligni spiritus. Vnde respectu illius aëris quoad situ, limbus hoc est superior pars inferni dicitur infernus inferior. Tertia die resurrexit à mortuis, vt per Synodochen pars ponatur pro toto, vt videlicet pars illius diei parasceues quo mortuus est, pro vna die computetur, & nox sequens Dominicæ cuius manè surrexit pro die tertio.

Per hæc autem verba destruitur error eorũ qui negant resurrectionem nostram. Negare enim nostram resurrectionem est quodammodo negare resurrectionem Christi. Sic enim arguit Apostolus. 1. ad Corinth. 15. Si Christus resurrexit, & nos resurgemus. Cum autem ad destructionem consequentis sequatur destructio antecedentis, si nos non resurgemus neque Christus resurrexit. Et nota quod secundum istam distinctionem articulorum, hæc duo coniunguntur scilicet descẽsus ad inferos, & resurrectio à mortuis, quia iste articulus dicit totum quod Christus nobis per suã mortem meruit, hoc autẽ est redemptio in anima, quæ completa est per fracturam inferni in descẽsu ad inferos & redemptio in corpore, quæ completa est in resurrectione per gloriam corporis.

Expositio sexti articuli fidei.

SEXTVS articulus principalis in numero, & quantus eorum qui spectant ad filium, pertinet ad apertionem loci beatitudinis, vbi pro nobis præcursor factus Christus ascendit, pandens iter ante nos. Et est iste. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Ascẽdit igitur ad cœlos secundum humanitatem vel in quantum homo qui vbique est secundum deitatem. Ascendit inquam non statim post resurrectionem, sed post quadraginta dies, quibus apparuit per multas vices discipulis suis, vt fidem eorum roboraret apparitionibus, & probaret gloriosam resurrectionem sui corporis, quod oculis suis paulo ante discipuli viderant extinctum.

Sequitur sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, hoc est in æterna beatitudine, ad quam dexterã positurus est electos suos vt dicitur Matthæi 25. Et statuet oues quidem à dextris, &c. Vel ad dexteram Dei Patris, id est in iudiciaria potestate, quia vt dicitur Ioan. 5. Pater omne iudicium dedit filio. Et vtrumque notat cum dicit, sedet, qui a sedere est quiescentium & iudicantium, quasi dicat: pacifice gloriatur, & omnia quietè & pacificè cum patre iudicat & disponit. Et iste articulus destruit illam hæresim, quæ negat æqualitatem patris & filij. Et similiter illam quæ dubitat de ascensione eius in cœlum, & per consequens negat nostram quæ causatur ex sua, sicut erectio membrorum sequitur ad erectionem capitis. Vnde August. Vis ascendere ad cœlum, ascendentem tene, etenim per teipsum leuari non poteris. Si ergo vis ascendere, membrũ illius esto qui solus ascendit. Ioannis 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo.

Expositio septimi articuli fidei.

SEPTIMVS articulus principalis in numero, sextus vero & vltimus eorum qui secundunt istam assignationem pertinent ad filium, est de reditu ad iudicium, quoniam vt dicitur Ioan. 5. Pater omne iudicium dedit filio, vt scilicet ille qui viuus iudicatus est & exinde mortuus, iudicet viuos & mortuos. Et est ille. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Inde scilicet id est postmodum. Vel inde, id est de cœlis quo ascendit, venturus est scilicet in die iudicij, iudicare viuos & mortuos. Ad literam quia tunc & viui & mortui reperientur iudicandi, vt innuit Apostolus. 1. ad Thessalon. 4. Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, &c. Illi tamen viui qui reperientur, morientur, sed statim in momento resurgent, iudicium cum resuscitatis recepturi, vbi non putetur per tractum & moram temporis singulorum examinationem fieri, sed vno eodémque momento & merita singulorum discutiet & discussa iudicabit. Vnde August. Nõ est in illo iudicio singulorum hominum vicissim operanda discussio, sed momentaneo discussu simul omnia sicut & fecit, sic & iudicabit. Vel aliter. Venturus est iudicare viuos, scilicet vita gratiæ, & mortuos scilicet morte culpæ.

Vbi nota, quod aliud Symbolum addit ista verba, cum gloria, quia licet Christus in forma serui in qua iudicatus est, sit ipse iudicaturus, tamen in forma gloriosa apparebit & in carne glorificata. Vel cum gloria, id est cum societate gloriosa electorum simul iudicantium, quia vt dicitur Esa. 3. Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui & principibus eius. Ex quo patet quod quidam ibi iudicabunt, & non iudicabuntur, vt perfecti, qui omnia propter Christũ reliquerunt, & secuti sunt eum, qui Christi in iudicando assessores erunt. Alij non iudicabunt, sed iudicabuntur, scilicet fideles, qui secundum opera sua recipient iuxta discussionem de qua habetur Matth. 25. Esuriui & dedistis mihi manducare, &c. cum alijs ibidem tam respectu electorum, quam respectu reproborum expositis. Iudicabuntur enim quidam eorum ad gloriam, & quidam eorum ad pœnam. Alij nec iudicabunt, nec iudicabuntur scilicet infideles, quia iã iudicati sunt. Vnde Ioan. 3. Qui non credit, iam iudicatus est.

Expositio octaui articuli fidei.

QVINQVE autem articuli sequentes pertinent ad Spiritum-sanctum, tam in se quam in donis suis. In se dico, quia in octauo articulo in ordine omnium duodecim articulorũ, primo vero in ordine istorum quinque exprimitur personalitas sua. Et est iste: Credo in Spiritum-sanctũ. Et circumlocutiue loquitur. Quando enim

hæc vox Spiritus-sanctus, capiatur dictionaliter, tunc solam tertiam personã in Trinitate designat. Quando autem vi orationis tenetur, essentialiter sumitur, & conuenit toti Trinitati, scilicet Deo. Et nota quod in alio Symbolo ad maiorem expressionem istius articuli adduntur plura scilicet in Spiritum-sanctum dominum & viuificantem, qui ex patre filióque procedit, qui cum patre & filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et hoc propter quasdam hæreses qui postea pullulauerunt. Impijssimi enim Nestorius & Eustichius dixerunt Spiritum-sanctum esse seruum Patris & Filij & eis obedire, sicut virtus quædam aliena ab essentia eorum, nec dare vitam gratiæ, nec inspirationem & ideo additum est, dominum & viuificantem. Et ad æqualitatem significandam oppositum est, qui ex patre filióque procedit, qui cum patre & filio simul adoratur & conglorificatur. Montanus autẽ quidam hæreticus & Porphyrius quidam alius post eum discipulis suis dixerunt, prophetas non diuino Spiritu, sed tanquam prohanaticos locutos fuisse, sicut loquuntur energumeni & arrepticij. Et vt eorum error excluderetur, addiderunt qui locutus est per prophetas, quia cum Spiritu-sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.

Expositio noni articuli fidei.

NONVS articulus in ordine principali, & secundus eorum qui spectant ad Spiritum-sanctum, secundum scilicet quod signat & vnit generaliter Ecclesiam, est iste. Sanctam Ecclesiam Catholicam. Et nota quod illud quod sequitur scilicet sanctorum communionem, adiungũt aliqui isti articulo. Alij verò adiungunt articulo sequenti. Secundum primum modum exponitur sic. Credo, supple sanctam Ecclesiam Catholicã, siue militantem, siue triumphantem, esse communionem, id est congregationem vel societatem sanctorum: Vel sic. Credo sanctam Ecclesiam Catholicam adhuc in terris militãtem, & credo sanctorum communionem, id est sanctorum societatem in cœlo scilicet esse, hoc est Ecclesiam triũphantem, quasi diceret, vtrámque Ecclesiã credo. Vel credo sanctam Ecclesiam Catholicã, hoc est siue militantem, siue triumphantem, & credo sanctorum communionem, id est suffragia ipsius Ecclesiæ quæ communicamus. Vel communionem, id est Eucharistiam esse scilicet altari, quod negant Albigenses. Secundum verò eos qui tantummodo ponũt istud pro articulo, sanctam Ecclesiam Catholicam exponitur sic, id est Ecclesiã vniuersalem. Catholicum enim Græcè, Latinè signat vniuersale. Et dicitur Ecclesia vniuersalis secundum Boëtium duabus de causis. Prima scilicet, quia est vniuersaliter prædicata per quatuor partes terræ. Vnde in Psal. dicitur. In omnẽ terrã exiuit sonus eorum. Secunda causa quia articulos habet vniuersaliter veros, quibus scilicet nullum falsum potest subesse.

Expositio decima articuli fidei.

DECIMVS articulus in ordine principali, & tertius eorum qui spectant ad Spiritũ-sanctũ secundum sed effectum gratiæ contra peccatũ, est iste. Remissionem peccatorum, scilicet credo. Et intelligatur generaliter de remissione peccatorũ, siue quæ fit in baptismo, siue quæ fit extra baptismum, sicut in pœnitentia. Tamen aliud Symbolũ non videtur loqui nisi de remissione peccatorũ quæ fit in baptismo. Dicit enim confiteor vnũ baptisma in remissionem peccatorũ. Sed hoc quod specialiter ibi dicit de baptismo, fuit contra hæreticos certos impugnantes sacramentum baptismi. Est ergo sensus. Credo remissionem peccatorum fieri, supple per Deũ siue in baptismo triplici, scilicet fluminis, flaminis & sanguinis, siue post baptismũ in pœnitentia. Secundum alios autem qui (vt supra tactum est) istud adiungunt cum articulo præcedenti, vt scilicet sit vnus articulus, Ecclesiam sanctam Catholicam sanctorũ communionẽ, remissionẽ peccatorũ (sicut inferius latius dicetur) sic expone. Credo Ecclesiam Catholicam, id est vniuersalem Ecclesiam habẽtem modò, vel habituram in futuro, communionẽ sanctorum, id est omnem vnionem vel societatem sanctorũ, quãdo scilicet regnum militans veniet ad regnum triumphans. Et credo super hanc consecutã vel consecuturã remissionem peccatorũ, scilicet per ecclesiastica sacramenta & bona opera, quasi dicat: credo peccata dimitti his qui sunt de Eclesia fidelium, & non alijs. Quamuis enim Deus per se dimittat peccata, nõ tamen dimittit nisi per præsentiam sacramẽtorum, nisi necessitas excluderet beneficium Sacramenti. Prior tamen modus exponendi conuenientior apparet.

Expositio vndecimi articuli fidei.

VNDECIMVS articulus in ordine principali, & quartus eorum qui spectant ad spiritum sanctum, est de Spiritu insufflante super interfectos veneno primi parentis, de quo prædixit Ezechiel. Ezech. 37. A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos & reuiuiscant. Et est iste: Carnis resurrectionem, & est sensus. Credo spiritum sanctum per reductionem spiritus creati ad corpus facientem sua virtute carnis resurrectionem. Quod etiam innuit Psal. cum dicit: Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.

In qua resurrectione credendũ est idem corpus quod per mortem cecidit, ad eundem spiritum, id est ad eandem animam rediturum, siue cuiuslibet membri materia ad idem membrum in quo erat, redeat, vt exponunt aliqui, siue eadem materia tota corporis redeat ad totum corpus, non tamen necessariò materia cuiuslibet membri ad idem membrum, secundum exemplum quod ponit August. Quando de statua ænea fusa fit massa, & iterum de eadem massa fit statua, vbi est omnimoda identitas materialis & numeralis inter statuam priorem & posteriorem, quia materia est eadem numero & forma naturalis, scilicet æneitas, & tamen fortè quod prius fuit materia pedis in statua priori infusa, erit materia brachij in statua posteriori. Et similiter in proposito. Argumentum autem infallibile quod resurrectio erit quotidie habemus. Vnde dicit Petrus Rauennas. Crede te homo in morte posse resurgere, qui antequam viueres nihil fuisti, aut quare dubitas quod resurgas, cum totum quod in re-

in rebus est continuè sic resurgat? Sol enim occidit & resurgit, dies sepelitur & redit, menses, anni, fructus, tempus, semina cum transeunt ipsa moriuntur, cum redeunt, ipsa sua morte virescũt. Et tu etiam quotiens dormis & dormiendo euigilas, tecum quasi dormieris & resurgis.

Expositio duodecimi articuli fidei.

DVodecimus & vltimus articulus in ordine principali, & quintus eorum qui spectant ad spiritum sanctum, est de spiritusancto æternaliter electos præmiante, & est iste. Vitam æternam, & est sensus. Credo vitam æternam à spiritusancto in præmium electis collatam. In hoc etiam articulo mors æterna docetur debere credi B reprobis futura, quasi dicat. Credo vitam æternam præmium bonorum, & mortem æternam supplicium malorum. Hæc autem vita æterna consistit in stola animæ & corporis. Stola autem animæ in tribus consistit. s. in manifesta cognitione summæ Trinitatis, quæ succedit fidei. Ioan. 17. Hæc est vita æterna: vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Itẽ in perfecta eius fruitione quæ succedit spei. Item C in perfecta eius dilectione quia non euacuabitur, sed perficietur charitas ipsius Dei. Stola autem corporis in quatuor etiam consistit scilicet in agilitate, subtilitate, claritate, in impassibilitate. De quibus dicitur Sap. 2. Fulgebunt iusti & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Si igitur fulgebunt, ergo habebũt claritatem. Si iusti, ergo habebunt immortalitatem seu impassibilitatem, quia Sap. 1. Iustitia perpetua est & immortalis. Si sint scintillæ, ergo habebunt subtilitatem. Si discurrent, ergo habebunt agilitatem. Per hunc ar- D ticulum destruitur hæresis ponentium Deum non curare facta hominum, & hæresis ponentium animam interire cum corpore. Amen. Iste terminis, amen, quandoque tenetur aduerbialiter, & sic interpretatur fideliter secundum Aquilam, & sonat tantum sicut ita fiat, & ponitur Deutero. 27. Et dicet omnis populus, amen. Aliquando nominaliter, aliquando verbaliter, vt dari potest exemplum. Apocalypsis tertio. Hoc dicit amen id est veritas. Vel amen id est veritatem an- E nuncians. Et potest hic sumi primo vel secundo modo.

An sint alia credenda vltra articulos.

SI autem quæratur, an teneamur aliqua credere quæ non sunt articuli, sicut verbi gratia. Fornicationem esse peccatum mortale & consimilia. Dici debet quod sic. Oportet enim multa credere quæ non sunt articuli, maximè ea quæ articulos præcedunt. Credere enim Deo, non est articulus, sed articulos pręcedit, & tamen oportet F Deo credere, quia antecedit articulos. Vnde cum credere Deo, sit credere verbis eius, siue sacrę scripturæ, quę dicit fornicationem esse peccatũ mortale patet, quod quamuis non sit articulus oportet credere. Et sicut qui negaret principia alicuius artis, diceretur hęreticus in illa arte, sic qui negaret fornicationem esse peccatum mortale, vel aliquid quod asserit sacra scriptura quod quidem articulos fidei antecedit, hęreticus in fide deberet reputari.

A *Vnde sumitur numerus & distinctio articulorum fidei.*

NVmerum autem articulorum distinctionem secundum prætactum modum exponendi sic accipe. Cum enim credere habeamus quod Deus in sua essentia vnus & simplex, trinus sit in personis, quibus quidem personis iuxta suas proprietates personales, certè erga nos & nostrã salutem attribuuntur operationes particulares, quis etiam credere habemus, inde insurgit numerus & distinctio duodecim articulorum fidei, iuxta duodecim quæ sic nobis de ipsis personis diuinis credenda incumbũt. Et quia iuxta ipsum modum exponendi vnum attribuitur personæ patris, sex verò personæ filij, & quinq; personę spiritussancti, ideo duodecim articuli fidei assignantur, vnus respectu patris, sex respectu filij, & quinque respectu spiritussancti.

De vnico articulo qui attribuitur personæ patris. Primus enim articulus qui (vt tactum est) attribuitur patri exprimit eius personalitatẽ & omnipotentiam, cum dicit: Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ, & hunc articulum posuit Petrus. De primo sex articulorum attributorum personæ filij. Primus verò sex articulorum qui attribuuntur filij, exprimit eius personalitatem, cum dicit: Et in Iesum Christum filium eius vnicum dominum nostrum. Et hunc posuit Andreas. De secundo & tertio. Secundus exprimit vtramque eius natiuitatem, cum dicit. Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine & hunc posuit Ioannes euangelista. Tertius exprimit passiõnis suæ sacramentum, cum dicit. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus & hunc posuit Iacobus maior. De quarto. Quartus exprimit eius descensum ad inferos, & consequenter resurrectionem, cum dicit. Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis, & hunc posuit Thomas. De quinto. Quintus exprimit ascensum suum ad superos, & ianuæ cælestis apertionem, cum dicit. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, & hunc posuit Iacobus minor. De sexto. Sextus exprimit eius iudiciatiam potestatem cum dicit: Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. & hunc posuit Philippus. De quinque articulis attributis personæ spiritussancti. Primus verò quinque articulorum qui attribuuntur spirituisancto, exprimit eius personalitatem, cum dicit: Credo in spiritum sanctum, & hunc posuit Bartholomęus. Secundus exprimit eius sanctificationem & vnionem, qua in eo vnitur ecclesia, cum dicit: Sanctam ecclesiam catholicam sanctorum communionem, & hunc posuit Matthæus. Tertius exprimit eius remissionem siue iustificationem per generalem remissionem, cum dicit: Remissionem peccatorum, & hunc posuit Simon Chananæus. Quartus exprimit eius viuificationem per generalem resurrectionem, cum dicit. Carnis resurrectionem, & hunc posuit Iudas Thadæus. Quintus & vltimus exprimit æternam eius præmiationem, cum dicit. Vitam æternam, & hunc posuit Matthias. Vt clarius hæc patent in figura sequenti.

De quadam alia distinctione articulorum fidei.

Est alia distinctio quorundam modernorum, qui symbolum in quattuordecim diuidunt articulos. Diuidunt enim primum & tertium & quintum articulos suprapositos, quemlibet in duos, nonum verò & decimum redigunt in vnum, prout videtur distingui symbolum Nicenum, quod cantatur in missa. Et secundum hanc distinctionem ponuntur septem articuli pertinentes ad diuinitatem, at alij septem pertinentes ad humanitatem, sic scilicet. Nam symbolum aut est de deitate, aut de humanitate. De septem articulis pertinentibus ad deitatem. Et primò de primo. Si autem est de deitate, tunc primus articulus est, vnum Deum tantum esse. Et est iste. Credo in Deum. Secundus articulus est, patrem esse vnum Deum creatoremque omnium, & est iste. Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ. Et vt supra tactum est, isti duo articuli secundum assignationem præcedentem non sunt nisi vnus articulus. Tertius articulus est, filium eius vnicum esse vnum Deum sibi æqualem. Et est iste. Et in Iesum Christum filium eius vnicum dominum nostrum. Quartus articulus est, spiritumsanctum esse vnum Deum ab vtroque procedentem, & est iste. Credo in spiritum sanctum. Quintus articulus est, Deum peccata dimittere his qui sunt in ecclesia, & habent communionem ecclesiæ, & non alijs, & est iste: Sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Et sic vt supra tactum est coniunguntur isti duo articuli in vnum. s. nonus & decimus. Sextus articulus est, Deum suscitaturum mortuos, & est iste: Carnis resurrectionem. Septimus articulus est, Deum esse remuneratorem bonorum, & est iste. Vitam æternam. Sub quo etiam comprehenditur Deum esse punitorem malorum.

De septem articulis pertinentibus ad humanitatem.

Si autem symbolum sit de humanitate, tunc articulus primus est, quod Christus conceptus est de spiritusancto, & est iste: Qui conceptus est de spiritusancto. Secundus articulus est filium Dei natum esse de virgine Maria, & est iste. Natus ex Maria virgine. Et supra tactum est, isti duo articuli secundum assignationem præcedentem, non sunt nisi vnus articulus. Tertius articulus est, filium Dei esse passum crucifixū mortuum & sepultum, & est iste? Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Quartus articulus est, filium Dei descendisse ad inferos, & est iste: Descendit ad inferna. Quintus articulus est, filium Dei resurrexisse à mortuis, & est iste: Tertia die resurrexit à mortuis. Sextus articulus est, filium Dei ascendisse ad cœlos, sedereque ad dexteram patris, & est iste? Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Septimus articulus est, filium Dei iudicaturum bonos & malos, & est iste: Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Tractatus primi qui est de expositione articulorum fidei, finis.

A

TRACTATVS SECVNDVS DE DECEM PRÆCEPTIS LEGIS, ET *eorum expositione.*



Circa tractatum de præceptis legis summatim tangenda sunt. Quid est præceptum. Qualiter præcepta distinguantur. Expositio præceptorum. De numero & sufficientia præceptorum. Qualiter in ipsis præceptis septem capitalia, proinde alia peccata prohibeantur.

B

De definitione præcepti & eius expositione.

Definitur autem præceptum ab aliquibus sic: Præceptum est imperium obligans ad obseruationem rei vel actus imperati. Extrahitur radicaliter hæc definitio à definitione præcepti, quam dat Aug. lib. de virgini. dicens: Præceptum est cui non obedire peccatum est. Dicitur in dicta definitione, obligans ad obseruationem, ad differentiam consilij quod per se nunquam obligat, vt dicit August. quamuis per accidens id quod consulitur, videatur obligare, vtpote si in casu præceptum non possit impleri nisi fiat consilium; vt si non possim sustentare parentes. sc. patrem & matrem, nisi vendam omnia, nunc tenerer omnia vendere. Quod quidem de se cōsilium non obligat, nisi in casu per accidens, vt exemplificatum est. Et si obijciatur quod similiter obligat votum ad obseruationem, & sic conuenit ei præcepti definitio. Responde. Aliquid vouere est tantum consilij, nec quemquam obligat: nullus enim contra suam voluntatem obligatur ad vouendum, sed qui vouerit, obligatur necessariò ad reddendum. Et hoc ideo est, quia reddere votum est præcepti, sed vouere est consilij.

C

D

De varia distinctione variáque assignatione præceptorum in tabulis legis.

Distinctio autem ponitur varia pręceptorum. Iosephus enim dicit quinque mandata esse scripta in vna tabula, & quinque in alia. Orig. autem ponit quatuor in vna, & sex in alia. Aug. autem ponit tria in vna & septem in alia, vtpote tria quæ pertinent ad Deum in prima tabula, & septem quæ pertinent ad proximum in secunda. Et hunc modum Aug. sequitur communis opinio. Quod enim Augu. ponit tria esse in vna tabula & septem in alia, hoc magis dicere videtur pro dignitate, quam pro scriptura, eò quod tria pertinent ad dilectionem Dei, & septem ad dilectionem proximi. Vnde si considerentur ipsę tabulæ & earum scriptura in se, sicut considerant Hebræi & Iosephus, sic vtraque tabula continebat quinque mandata seu præcepta. Si autem considerentur secundum respectum & relationem eorum ad quę dicta mandata ordinabant, cum tria ordinentur ad Deum, & septem proximum, poterit tali fine consideratione, dici tria esse in vna, & septem in alia.

E

F

Expositio præceptorum legis. Et primò primi.

Nunc

NVnc autem accedendum est ad expositionem singulorum præceptorum. Et cum lex præceptorum posita sit propter transgressiones cohibendas (vt patet ad Gal.3.) & tripliciter transgressio fiat scilicet corde ore & opere, & hoc quidem tam quoad Deum, quam etiam quo ad proximum, vt perfecta sit cohibitio transgressionis, perfecta ponitur lex prohibitionis; & sic mandatorum seu præceptorum subsequitur iniunctio. Et primò quantum ad Deum, prohibet primum præceptum cor ab idolatria vt Deus.s.diligatur toto corde. Est enim de colendo Deo. Et colere Deū, vt dicit glossa, est sese toto mētis affectu illi mancipare, & est istud. Non habebis deos alienos coram me.q.d. Me habebis Deum, non alienum. Exponensq, quod dixit deos, subdit. Non facies tibi sculptile. i. imaginem sculptam, quod vocat Aug. idolum, neq; similitudinem omnium quæ in cœlo sunt desuper: & quæ in terra deorsum &c. quæ expositio est verbi præcedentis. Vel.s. Orige. sculptile siue idolum est quod non habet similitudinem in natura, sicut chymera. Similitudo autem est eorum quæ aliquam habēt in natura similitudinem, vt imago hominis vel bouis, ad verum hominem vel ad verum bouem, quod videtur per hoc quod sequitur, quæ in cœlo desuper; & quæ in terra deorsum. Sed ex hoc videtur quod prohibeantur imagines quæ ad literam sculptilia sunt, quia sculpuntur. Sed respondetur, quod ante incarnationem quando data fuit hæc lex nulla in ligno vel in lapide sculpi potuit incorporalis Dei imago, quia imago spiritus fingi nō potest, & propterea ante incarnationem reprobādæ erant imagines. Sed quia hoc fieri potuit post incarnationē filij Dei, propter hoc ex tunc fieri conceduntur, & ab ipso quidem qui legem tulit, & dispensare potuit scilicet Christo. Vnde refert Damas. quod Christus Albagaro regi misit in panno imaginem suam, eò quod pictor ab eodem rege missus ad depingendum imaginem Christi non poterat vultum eius præ claritate intueri, vt eius singula lineamenta & membra propriè describeret. Sed quia hæc responsio nihil omnino apud vnum populum Iudæum valeret, quoniam nostras imagines reprehendunt, ideò aliter dici potest, quod non simpliciter prohibentur omnino fieri imagines. Vnde Beda. Imagines fieri nulla litera diuina vetuit, harum etenim aspectus multum compunctionis solet præstare contuentibus, & eis qui litteras ignorant, quasi viuam de Christi passione exhibēt recordationem. Salomon enim instinctu diuino eas fecit in templo Dei. Sed omnino prohibētur fieri ad hunc videlicet finem, vt adorentur & colantur. Vnde sequitur. Neq; adores, neque colas ea. Ad adorandum igitur & colendum prohibentur imagines fieri. Nos autem non adoramus imagines, sed refertur honor & adoratio ad imaginatum scilicet ad Deum, vel ad sanctum eius cuius est imago, vt dicit Augustini libro tertio de doctrina Christiana. Sequitur. Non adorabis neque coles. Inter quæ sic distingue. Non adorabis scilicet veneratione corporis, vt inclinando eis, vel genu flectendo. Neque coles scilicet affectione mentis. Vnde glos. Aliud est colere, aliud est adorare. Potest quis inuitus, vel adulando regibus idolatris, vel tormentis victus adorare, cum tamen sciat idolum nihil esse, & sic nulla mentis affectione ad idolum mouerit, & per consequens nec colere. Colere enim est toto mentis affectu & studio mancipari. Sequitur, ego enim discretiuè dicit qu. distinct. Ego, non alius. Sum Dominus & ideo timēdus. Deus tuus, & ideo diligendus. Fortis zelotes id est diligens amator. Vnde Deutero.5. Deus tuus Deus æmulator visitans scilicet puniendo iniquitates patrum scilicet nō custodientium præcepta data, in filios id est puniens etiam ipsos filios si patres ista non custodierint. Puniuntur enim quandoque filij pro peccato patris temporaliter, nō æternaliter. Et sic intellige illud Eze. 18. Filius non portabit iniquitatem patris &c. scilicet æternaliter. Vel visitans peccata patrum in filios etiam æternaliter. Non autem quia sunt peccata patrum, scilicet quia sunt peccata filiorum imitantium peccata patrum. Vsque in tertiam & quartam generationem. Hoc dicit, quia quandoq; solet patres in tertiam & quartam generationem viuere, & plerumq; filiorū vel nepotum suorum molestius ferre cruciatus, quam proprios. Eorum qui oderunt me id est peccatorū & malorum, & contra faciēs misericordiam in multa milia id est in omnes. Et ponit ibi finitum numerum pro infinito. Diligentibus me & custodientibus præcepta mea. Iste terminus &, ponitur ibi expositiuè pro id est custodientibus. qui enim diligit Deum, præcepta eius seruat. Vnde Ioan.14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Sed quæritur, qualiter istud posset dici primum præceptum, cum dilectio Dei dicatur primum mandatum. Mat.22. Hoc est (loquens de dilectione Dei) primum & maximum mandatum. Respondetur quod illud mādatum de dilectione Dei, idem est cū hoc primo præcepto decalogi. Iubet enim primum præceptum decalogi, vnum Deum coli, & nihil ei in amore præferri, & sic idem est vel æquipollet primo mādato iuxta per allegatum Mat.22. Vel potest dici quod dilectio speciale mandatū non est.s.radix & stipes cæterorū, ad quod.s. cætera mandata reducuntur. Vnde primū mandatū dicitur, non ordine sed dignitate.i.inter cætera præcipuum & maximum, cum omnia comprehēdat.

Expositio secundi præcepti.

SEcundum præceptum cohibet os à periurio, à blasphemia, à mendacio, & est istud: Non assumes in vanum nomen Dei tui scilicet falsè vel superfluè, vel dolosè per nomen Dei iurando, vel mentiendo, vel ipsum nomen blasphemando, vel peruersè de Deo sentiendo. Et si obijciatur quod secundum istam expositionem istud pertinet ad quintum præceptum secundæ tabulæ sc. ad illud. Non loquaris contra proximum tuum falsū testimoniū, vbi agitur de periurio. Dic quod iurās falsum, dupliciter peccat. Primò.s. cōtra proximum suū eum decipiendo, & isto modo ex parte verbi quod ordinatū est ad proximū, & quoad hoc cadit subdicto quinto mandato seu præcepto secundæ tabulæ. Item secundò peccat inuocando ad confirmationem falsitatis, vel deceptionis, testem diuinam veritatem, & isto modo peccat in Deum, & quoad hoc habetur sub isto secūdo mādato seu præcepto primæ tabulæ.s. in isto loco.

Nec enim habebit dominus hominem insontem, id est innocentem scilicet, quin apud Deum nocẽtis pęnas exoluat scilicet, qui assumpserit nomen Dei frustra. Vnde Deut.5. Non vsurpabis nomen Dei frustra quia non erit impunitus, qui super re vana nomẽ Dei assumpserit. Vel non habebit Dominus insontem, id est, innocentem, hoc est à culpa immunem, eum qui assumpserit nomen Dei frustra, quia vt habetur Ecclesij 23. Vir multum iurans, replebitur iniquitate, & non discedet à domo eius plaga. Sed quid dicetur de istis magnatibus & secularibus, qui consuetudinem habent iurandi nunquid trãsgrediuntur istud præceptũ seu mandatum, & peccant mortaliter? Aliqui respondent distinguendo, dicentes quod periurium multipliciter dicitur scilicet indiscreta iuratio vt pote quãdo quis inutiliter iurat verum, vel quãdo sine deliberatione iurat: & tunc non credunt esse mortale peccatum. Nam tunc fit pręter pręceptum, sed non contra præceptum, nisi forsan nimia esset assuefactio. Alio modo sumitur periurium, vbi vel quando quis iurat cum deliberatione illud quod iuramento non esset asserendum, immo nec simpliciter dicendum seu loquendum, sed potius oppositum, & tunc creditur esse mortale peccatum. Alij distinguunt dicentes, quod periurium multipliciter dicitur. Vno modo falsa iuratio, quæ si fiat ex ignorantia, adhibita tamen prius diligentia debita, non est peccatum. Sed si fiat non adhibita diligentia debita, peccatum quidem est, sed veniale. Si autem falsa iuratio fiat scienter, vt pote cum mendacium iuramento confirmatur tunc nisi tantum iocando fieret, semper est peccatum mortale. Alio modo dicit periuriũ transgressio iuramenti iam facti, quod si fuit licitum, semper est ipsa transgressio mortale peccatum. Si verò illicitum, transgressio illius non est peccatum, sed illud illicitum scienter iurasse fuit peccatum. Tertio modo dicitur periurium indiscretum iuramentum, quod ponunt (nisi alia aggrauaret circunstantia) veniale peccatum. Item nomen Dei patris est filius, quia ipsum patrem notificat. Nomen ergo Dei inuanum, quia ipsum Christum puram creaturam ponit seu asserit, quia sic ponit ipsum esse vanum, vel vanitatem. Vnde ad Rom. 8. Vanitati subiecta est omnis creatura. Sed cũ Christus veritas sit, vnde Ioan. 14. Ego sum via veritas & vita, nullatenus poterit esse vanitas, & sic nec pura creatura. Quid ergo absurdius, quã illam firmissimam veritatem ponere vanitatẽ, & illud verbum virtuosum sustentans omnia (vt habetur ad Heb.1.) ponere vanum est sustentatum. Denique tertio modo nomen Dei assumit ille in vanum, qui nomen Christi, vt dicitur Christianus, per peccatum vanum reddit & mortuum. Nomen quippe super homines scriptum vt viuant ipsi, iuxta quod loquitur Christus Apoca.3. Et scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouę Hierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo & nomen meum nouum.

Expositio tertij præcepti.

Tertium præceptum pertinens ad Deum, cohibens transgressionem in opere est. Memẽto vt diem sabbati sanctifices id est sanctum & feriatũ habeas, cessando ab omni opere seruili. Vbi nota quod in quantum sabbatum designat quietem interiorem à prauis affectionibus, & exteriorem ab omnibus seruilibus, pręter illius diei determinationem, morale est hoc pręceptũ & scriptum in corde humano, sicut alia decalogi mandata seu præcepta. Natura enim dictat esse vacandum aliquãdo quieti, & orationi & diuinę laudi. Sed quia tali die.s. sabbato, & à talibus rebus grossioribus abstinere non dictat conscientia, sed sola exterior iussio diuina, quantũ ad hoc fuit cerimoniale hoc mandatum, & soluendum, id est solui poterat. Circa quod est aduertendum quod in dominica resurrectionis dominicæ, ex statuto ecclesiæ mutatum est sabbatum in dominica, ne videremur iudaizare. Quia ex quo veritas luxit, trãsijt legis vmbra & hoc quo ad cerimonialia. Et si quæratur, quare aliæ Iudæorum festiuitates non præcipiebantur in decalogo. Dic quod cæteræ eorum festiuitates fuerunt tantum cerimoniales, nec ab omnibus sunt obseruandæ, hoc autem præceptum magis mortale est, quam cerimoniale, ideo in decalogo ad quem omnes tenentur, semper præcipiendum erat. Sequitur Deute.5. vnde sumitur hoc præceptum. Sex enim diebus facies opera tua, septimo autem die quæ est dies sabbati, non facies in ea quicquam operis. Et subdit rationem præcepti. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, (vt patet Gen. 1.) & requieuit die septimo, non quasi lassus, sed ponitur ibi requieuit, pro cessauit, sicut dicitur Apoca. 4. Requiem non habebant die ac nocte dicentia, sanctus sanctus &c. id dicere non cessabant. Ita sumitur in dicto passu requieuit, pro cessauit. Nihil enim vlterius fecit nouum, cuius non fecerit prius materiam, vt pote corporalium, vel similitudinem, vt pote spiritualium. Operatur tamen adhuc quotidie creatura, gubernando, vt dicitur Ioan. 5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Circa quod dicitur Augustini libro 4. super Gen. Sic requieuit vt nouam creaturam vlterius conderet nullam non vt quæ condiderat, continere & gubernare cessaret. Et benedixit diei septimo, qui est dies sabbati, & pro id est sanctificauit eum id est sanctum & celebrem eum habere voluit, vt scilicet non fieret opus seruile in eo. Et sic non interdicitur opus charitatis, nec necessitatis. Vt patet quod poterunt exhiberi ecclesiastica sacramenta, sicut enim poterant circuncidere sabbato, & nos etiam die dominica sacramenta possumus exhibere, & opera charitatis, vt eleemosynas, & opera necessitatis exercere, vt bibere & comedere.

Expositio quarti præcepti.

Hic quoad Deum ponuntur tria præcepta. Quantum autem ad proximum ponũtur septem sequentia, quorum vnum est affirmatiuum, & sex sunt negatiua. Affirmatiuum autem & quartum in ordine principali, sed primum in his quæ respiciunt proximum, est illud: Honora patrẽ tuum & matrem tuam. Per quod mandatum natura quæ corrupta est, ad ordinẽ naturalẽ reuocatur. Nec fuit necesse huiusmodi præceptũ dari parẽtibus respectu suorũ filiorũ. Crescẽte enim virtute in filijs, decrescit virtus in parẽtibus secundũ naturã, & deficienti virtuti debetur iustè subsidiũ. Vnde quia minoratur virt⁹ seu vigor in parẽtibus, &

& augetur in filijs, datur præceptum vt filij subueniant parentibus. Nec fuit necesse dare huiusmodi pręceptum parẽtibus de filijs, quamuis primò, ipsi filij fuerunt impotentes, quia natura etiã corrupta ad id cogit; eò quod naturaliter succus ascendit à radice ad ramos, & non èconuerso. Et Chrys. Hoc est amor in hominibus, quod est humor in arboribus. Ait ergò. Honora patrem tuum, duplici scilicet honore, & reuerendo, & necessaria præbendo. Patrem tam spiritualem quã carnalem. Intelligitur etiã de patre Deo, qui potissimè est honorandus. Vnde Malach. 1. Filius honorat patrem, & seruus dominum. Si ergo pater ego sũ, vbi est honor meus? Et matrem tuam carnalem, necnon & spiritualem scilicet ecclesiam. De qua ad Gal. 4. Illa autem quę sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Nomine etiã patris & matris omnes proximi intelliguntur, vt dicit Aug. Vnde secũdum ipsum omnia vẽdenda sunt, & dãda pauperibus in extrema necessitate, quod si non fit, transgreditur istud mandatum. Si ergo nomine patris & matris omnis proximus intelligitur, & nobilissimum inter proximos ponit pro omnibus scilicet patrem & matrem, clarum est quod illis præcipuè honor debetur & subsidium. Et vt firmius obseruetur adhuc hoc præceptum, subiungit præmium dicens, vt sis longæuus super terram. Nam Eccles. 4. Qui honorificat patrem & matrem, vita viuet longiore. Iustum enim est vt qui alterius vitam sustentat, vita illius prolongetur. Super terram inquit scilicet tam morientium quam viuentium, eò quod pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ 1. ad Timoth. 4.

Expositio quinti præcepti.

QVintum autem præceptum principale, & secundum in ordine eorũ quæ respiciũt proximum, & primum negatiuum, est istud. Non occides. Vbi pręcipitur quod non lędatur proximus in sua persona. Non occides igitur supple hominem, teipsum videlicet vel alium, dupliciter, videlicet anima vel corpore. Sed cõtrarium huic præcepto videtur haberi Exod. 22. Et maleficos nõ patieris viuere. In quo verbo præcipit Dominus fieri occisionem, hic verò prohibet, vnde contrarius sibijpsi videtur in legislatione. Sed ad hoc hoc dicitur quod personæ priuatæ quę nullam habet iurisdictionẽ vel autoritatem, hic prohibet occidere, legi autem vel ministro iustitiæ præcipit occidere Exo. 23. & sic non est contrarietas, quia non est circa idem, seu respectu eiusdem. Sed nũquid aliquo modo priuatæ personæ licet absq; trãsgressione occidere? Videtur quod sic, ad minus in sui defensionem, hoc enim iura permittunt scilicet iniuriam propulsare & temperatè vim vi repellere. Item ex ordine charitatis debeo potius subuenire vitæ propriæ, quam alienæ. Vnde volentẽ me perimere, potius occidere debeo, quam permittere me occidi. Sed cõtra hoc videtur esse illud Mat. 5. Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe ei & aliam. Et ideo dicunt quidam, quod nullo modo licet occidere, etiam defendendo, maximè autẽ viro perfecto. Et hęc videtur esse opinio Anselmi. Nec secundum eos debeo opinari quod mę occisurus sit, si eum non occidero, sed quod Deus præstabit mihi auxilium vel euasionis, aut A fugæ beneficiũ. Alij volunt quod in suam defensionem liceat occidere, eò quod lex occidere iubendo vel saltem permittendo talem defendentem se in dicto casu iudicem constituit in aduersarium. Vnde ipsum vice legis interficit, vnde lex præbendo autoritatem excusat à peccando. Hoc tamen intellige si necessitas est ineuitabilis, quoniã si te percusserit aduersarius & fugerit, vel percurere destiterit, eum repercutere nõ licet, vel sequi fugientem, quia hoc non fieret ad propulsationem iniuriæ sed ad vltionem, quæ spectat ad B solum iudicem. Et respondent isti ad illud Mat. 5. Si quis te percusserit in vnam maxillam &c. quod illud continet consilium, non præceptum. Et notat hic quod homicidium multis modis fieri dicitur. Fit enim quandoq; sola mentę per odium fraternum. Vnde Ioan. epistola 1. c. 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. Item prauum exẽplum relinquendo. Vt enim dicit Greg. Tot mortibus digni sunt, quot prauitatis exempla reliquerunt. Item lingua, & hoc tripliciter, vel scilicet contra C legem quenquam morti adiudicando. Vnde 2. Reg. 12. dicitur Dauid Vriam percussisse gladio, quia morti dolosę & iniustę adiudicauit. Item mentiendo. Vnde Sap. 1. Os quod mentitur, occidit animam. Item cuiquam dettahendo, vnde dicit Bern. quod detractor vno ictu tres animas interficit, suam scilicet & illius quem sua detractione inficit, & illius de quo detrahit: quia sibi forsan præiudicium mortis vel damni irreparabilis, sua detractione parat & acquirit. Item fit homicidium manu, qualicunq; scilicet peremptione D exteriori, siue per gladium, siue per venenum, siue per aliam pœnam. Item fit homicidium per subtractionem victus scilicet corporis. Vnde Ambr. Pasce fame morientem, quod si non pascis, occidis. Siue victus subtractione id est verbi Dei. Vnde Ezech. 3. Si loquente me ad impium &c. non annunciaueris ei &c. vt auertatur à via sua impia &c. & ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem eius de manu tua requiram. Vnde versus.

Exemplum, mens, lingua, manus, subtractio, victus,
E *Corporis & animæ dici faciunt homicidam.*

Expositio sexti præcepti.

SExtum præceptum in ordinẽ princpiali, & tertium eorum quæ respiciunt proximum, est istud: Non mœchaberis, vbi præcipitur vt non lædatur proximus in re sibi coniuncta per legem scilicet in vxore. Et accipitur hic sub nomine mœchiæ, omnis illicitus concubitus & quicunque coitus fornicarius, quamuis mœchia magis propriè adulterium dicatur. Mœchos enim F græcè adulterium dicitur latinè. Et ad hanc reduci potest fornicatio spiritualis, sicut idolatria, de qua Hierem. 3. Mœchata est cum lapide & ligno. Potest etiam ad hanc reduci expositio praua sacræ scripturæ. Vnde secundæ ad Corinth. secundę. Non sicut plurimi adulterantes verbum Dei.

Vnde hic nota quod fornicatio est mortale peccatum. Videtur tamen cõtrarium, eò quod sit actus naturalis. Actus autem naturalis nõ est peccatum. Insuper cum coire sit necessariũ ad conseruationem speciei, sicut comedere ad conseruationem

indiuidui & in necessitate vt fame, liceat etiam non sua rapere & comedere, quia tempore necessitatis omnia sunt communia, videtur similiter quod in feruenti desiderio coeundi posset quis non suam rapere & cum ea coire. Ad quod dicitur quod actus fornicationis dupliciter dicitur. Vno modo dicitur naturalis, eo scilicet quia naturaliter fit. Alio modo dicitur contra naturã. Et iuxta istum secũdum modum dupliciter dicitur adhuc contra naturam. Vno modo quando fit cõtra naturalem cõcubitum qui est maris cum fœmina, & isto modo potest dici actus innaturalis, quia contra naturalem commixtionem. Alio modo dicitur contra naturam, quia scilicet naturam in suis naturalibus vulnerat & spoliat gratuitis scilicet bono gratiæ & virtutis. Et isto vltimo modo omnis fornicatio est contra naturam, sicut omne peccatum mortale. Corrumpit enim naturalia & destruit omnia gratuita. Et quia isti sunt effectus mortalis peccati, propter hoc patet fornicationem esse peccatum mortale. Et sic patet solutio argumenti, quia licet fornicatio sit actus naturalis, quia scilicet naturaliter fit, est tamen naturalis quia naturam corrumpit. Nec sequitur quod sit actus naturalis, quia naturaliter fit, quod propterea non sit peccatum, vbi non debito modo fit. Et intellige quod coitus qui de se naturalis est, post contractam per peccatum primi parentis cõcupiscentiam, est sicut cibus veneno iunctus qui quamuis de se naturalis sit, tamen propter veneni admixtionem interficit, nisi beneficio theriacæ comedenti subueniatur. Pari modo & animam concupiscentia carnalis inordinata interficit, nisi beneficio matrimonij & honestate nuptiarum intercipiatur. Nec est simile de extrema necessitate famis & desiderio feruẽti coitus, quia si in necessitate famis non subueniatur per alienum esurienti, periret indiuiduum. Non sic autem periret species generis humani, si nõ satisfiat per coitum alicuius cum aliena. Nam saluatur in alijs. Etiam ipse posset aliter saluare, scilicet cognoscendo suam propriam vxorem.

Sed quare ponũtur duo præcepta circa prohibitionem illiciti co[illegible]cundum. Non mœchaberis & non concupisces vxorem proximi tui, cum vnum sub alio possit intelligi? Et similiter de istis duobus. Non furtum facies, & non concupisces rem proximi tui, cum omnis qui furatur, rem proximi concupiscat, & sic possit primum contineri sub secũdo? Aug. soluit quod in duobus præceptis scilicet non mœchandi & non furandi, omnia opera interdicta sunt, in alijs autẽ duobus interdicitur etiam omnis concupiscentia. Et quia vtrobique est peccatum, vtrobique est mandatum prohibitorium. Nec similiter fit prohibitio de voluntate occidendi, sed tantum de actu, quia naturaliter sunt proni homines ad velle luxuriari, & ad actum luxuriandi, similiter ad voluntatem habendi alienum & ad actum, sicut ad rapinam & furtum. Et ideo duæ sunt prohibitiones & data duo præcepta prohibitoria, vnum cohibens ipsum actum. Non sic autem est in occidere, quia homo naturaliter abhorret tam voluntatem occidendi quam actum. Quælibet enim creatura suam speciem amat, & nititur eam seruare, non destruere, nisi cum extra se exit per furorem iræ, vel temeræ
A concupiscentiæ.

Expositio septimi præcepti.

Septimum præceptum in ordine principali, & quartum in ordine eorum quæ respiciunt, quo scilicet prohibetur lædi ipse proximus, in rebus sibi non per legem coniunctis, sed fortuitis & est istud. Non furtum facies. Est autem furtum contractio rei alienæ, inuito domino animo lucrandi. Notanter dicit, contractio, quia quis furtum non facit, nisi opere contractet. Dicit etiam, rei alienæ, quia in re quæ plenissimè mea est, non facio
B furtum. Secus autem si quis habeat mecum rem communem. Dicit, inuito domino, quia si credat dominum per missurum, & subsit iusta causa sic credendi, etiã si dominus non erat concessurus non tenetur furto. Si autem non subsit iusta causa sic credẽdi, tenetur furto. E contra si crederet cõtrectare rem domino inuito, licet etiam cõtrectet domino volente, peccat tamen mortaliter & furtum facit, quia in peccatis contrahendis committendis intentio principaliter attenditur. Dicit e-
C tiam, animo lucrandi, quia si quis ancillã alienam in meretricem rapuerit nõ lucri, sed libidinis causa, furtum propriè nõ facit, secus autem si eam rapiat vt vendat. Et nota quod in extrema necessitate excusatur fur, quia tempore tantæ necessitatis omnia sunt communia. Et intellige quod sub nomine furti intelligitur prohibita omnis vsurpatio illicita rei alienæ, animo dico lucrandi, qualis est rapina, vsura, negociatio fraudulenta & huiusmodi. Et nota quod non dicit. Nõ facies rapinã, quãuis rapere sit generalius quam furari. Nam omnis
D qui furatur, rapit, & non è conuerso. Quod fecit ideo, quia Iudæi quibus huiusmodi pręcepta data sunt, proniores sunt ad furtũ quod est occultum, quã ad rapinam, vbi testis adest, & ideo occurrẽdo magis periculoso, furtum in prohibitione nominauit, non rapinam. Voluit tamen à parte totum intelligi, vt pote per furtum omnem rei alienæ vsurpationem. Per hoc etiam prohiberi videtur, ne fiant violentiæ & nimiæ exactiones & tallię principum & militũ in populũ suum, quia hoc vide-
E tur rapina esse, & species furti. Propter quod dicitur Esa. 1. Principes tui infideles socij furum. Sed circa hoc distinguitur ab aliquibus quia aut talliæ istæ fiunt super seruos, aut super colonos terræ. Si super seruos, cum nihil habeat nisi nomine Domini sui, videtur quod Dominus seruum suum talliare possit & onerare quantumcunque vult. Potest tamen Dominus nimis angariando seruum suum, nimisq; exigendo & opprimendo eum, ita grauiter sic contra istud præceptum faciendo peccare,
F quia iustitia Dei exigit vt vnusquisque re sua debitè vtatur. Non tamen vt sit rapina dicunt, nec oportet de necessitate restituere, licet pietas hoc exigat. Si autem fiat super colonos terræ siue inhabitantes terram, tunc taxanda est illarum talliarum seu exactionum acceptio, secũdum laborem principis vel militis quem habent in defensione illius terrę, quam ipsi coloni sic talliati inhabitant, & etiam secũdum ex pensas quas necesse est principi vel militi facere secundum suam moderatam & honestam familiam, & si vltra exigant, rapina est, & per istud præceptum inhibetur.

Expositio

Expositio octaui præcepti.

OCTAVVM præceptum in ordine principali & quintum in ordine eorum quę respiciunt proximũ quo scilicet prohibetur quis contra proximum transgredi ore. s. ferendo falsum testimonium, & est istud : Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. In quo & & periurium & mendacium hoc genere verbi complectitur. Quisquis enim aliquid enunciat, perhibet testimonium animo suo, vnde si mentitur, falsum testimonium animo suo perhibet. Per hoc autem quod hic dicit, contra proximum, vt dicit August. de quæstionibus Exo. non videtur prohibere mendacium quod prodest alicui, & nihil obest ei cui mentitur. Est argumentum quod est aliquid genus mẽdacij, quod non est mortale peccatum, illud. s. quod non fit cum libidine decipiendi vel nocendi. Nec enim omnis intentio vel libido fallendi efficit mortale peccatum. Prædicatur enim hoc complexum intentio fallendi, & de mendacio pernicioso, & de mendacio iocoso, & de mendacio officioso, sed tamẽ per prius & posterius, & de secundum suam primariam intentionem non dicitur nisi de mendacio pernicioso. Et ideo solum secundum se mendacium perniciosum à multis reputatur esse mortale peccatum, vt videtur velle Præpositinus & magister Guillelmus Antissiodorensis & alij magistri magni decretorum.

Sunt autem secundum Augustinum octo genera mendaciorum, quorum sufficientiam sic accipe. Tria enim in genere sunt mouentia ad mendacium. s. nociuitas, libido mentiendi & vtilitas. Si autem nociuitas sit in causa, hoc est si quis mẽtiatur vt noceat, aut ergo intendit inferre alicui nocumẽtum spiritus, vt scilicet subuertatur à fide catholica, aut à regulis bonorum morum, vt sunt qui dicunt Christum non incarnatum, vel luxuriam non esse peccatum mortale, & huiusmodi, & tunc est primus modus seu primum genus mẽdacij. s. mentiri in doctrina pietatis & religionis, hoc est mortale peccatum. Aut intendit nocumentum totius hominis, quod contingit dupliciter. s. vel intendendo nocere vniuersaliter & totaliter, & secundum genus quod omnibus nocet: & nulli prodest, vt qui mendaciter persequitur hominem ad mortem. Et est secundus modus seu secundum genus mendacij, & istud est peccatum mortale. Aut intendendo nocere particulariter, & secundum genus quod alicui nocet, & alicui prodest, vt est mendacium mercatorum & calumniatorum. Et est tertius modus seu tertium genus mendacij, & istud simpliciter est peccatum mortale, & vocatur quodlibet istorum trium generũ mendacium perniciosum. Si autem libido mentiendi sit in causa, hoc est quis mentiatur ex sola libido, tunc aut mouetur tantum ex affectione & intentione mentiendi, & non propter aliud, & est quartus modus seu quartum genus mendacij, quod vocatur mendacium libidinosum, & ponitur mortale peccatum. Aut mouetur ex intẽtione mouendi auditorem ad complacentiam vel risũ, & est quintus modus seu quintum genus mendacij, quod vocatur mendacium iocosum, quod ponitur vt communius veniale peccatum. Aut vtilitas aliqua est in causa, hoc est si quis mentiatur

A vt sibi vel alteri prosit, & tunc aut vtilitas illa consistit in bonis fortunæ, quæ perdi possũt, vt si quis mentiatur ne per raptores suam pecuniam amittat, & est sexus modus seu sextum genus mẽdacij. Aut vtilitas consistit in bonis corporis, vt cũ quis mentitur pro saluando vitam hominis, vt si homo requiratur pro eum occidendo, aut ad mortẽ ducendo, & mentiendo dicat se non vidisse vel nescire vbi sit, & est septimus modus seu septimum genus mendacij. Aut illa vtilitas consistit in bonis animæ, quæ tamen sic sunt in anima, vt quodammodo etiam abeant esse in corpore, vt cum quis

B mentitur pro sua aut alterius pudicitia vel virginitate seruanda, & est octauus modus seu octauum genus mendacij, secũdum debitam assignationem Augustini. Et vocatur quodlibet istorum trium vltimorum generum mendacium officiosum, & de se ponuntur esse peccata venalia.

De tripliciter genere mendacij.

IN summa nota quod in genere est triplex mẽdacium. s. perniciosum, libidinosum & officiosum. Primum. s. perniciosum continet sub se tria

C prima genera supra posita & declarata, & est semper peccatum mortale. Secundum. s. libidinosum cõtinet sub se quartum genus supra positum & declaratum, quod ponitur mortale. Et quintũ quod dicitur iocosum, & ab omnibus ponitur veniale. Tertium. s. officiosum, continet sub se sextum, septimum & octauum, genera etiam supra posita & declarata. Et est semper veniale nisi ex accidenti efficeretur mortale.

Expositio noni & decimi præceptorum legis.

D NONVM & decimum mandata in ordine principali, & sextum & septimum in ordine eorum quæ respiciunt proximum, eò quod diuerso modo ordinantur secundum ordinem textus Exodi & Deuteronomi, simul pertractentur, in quibus prohibetur trãsgressio in corde contra proximum. Fit autem transgressio in corde dupliciter, vicesimum quintum ad concupiscentiã carnis, contra quam ponitur nonum mandatũ, quod est. Non considerabis vxorem proximi tui. Quod ponitur nonum præceptum secundum magistrũ

E in li. sententiarum: & secundum August. & secũdum librum Deuteronomij, licet aliter ordinetur in Exodo. Item fit trãgressio contra proximũ in corde quantum ad concupiscentiam oculorũ, contra quam ponitur decimum mãdatum, quod est: Non concupisces domum proximi tui, quod ponitur in Exodo nonum.

In quibus notandum quod prohibetur speciali mandato concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum potius quam concupiscentia aliorum malorum actuum, quia istę duæ concupiscẽ-

F tiæ habent delectationes suas etiam ante opus, & non tantum coniunctas operi, vt dicit Aug. Et cũ hoc etiam habent in opere nocumentum proximi, quod non sic est in concupiscentiis aliorum actuum. Et ideo propter istam turpitudinem istarum concupiscentiarum quæ sic sunt ante opus reprimendam, data sunt ista mandata quæ prohibent cordis cogitatum. Vel propter causam supra in fine sexti mandati assignatam.

Porrò quod subditur, non seruum non ancillam &c. quod annectitur nono mandato secundum ordinem Exo. decimo. s. de non concupi-

scendo domum proximi secundum ordinem Deutero.5.specialiter ad decimum pertinet mandatum. A Ordinatur tamen cum nono secundum dictum ordinem. Exo. eò forte quod ea quæ ibi enumerat,sunt res mobiles sicut vxor, de qua est nonum mandatum.

Vnde sumitur numerus seu sufficientia præceptorum legis.

NVnc restat videre numerum&sufficientiam istorum decem præceptorum seu mandatorum legis. B Circa quod nota, quod sicut supra dictum est, lex præceptorum posita est propter transgressionem. Transgressio autem in primo suo genere quantum ad materiam præsentem attinet, dupliciter habitum fieri.s. directè contra Deum, vel directè contra proximum.

De triplici modo transgreßionis contra Deum.

COntra Deum autē contingit directè transgressionem fieri tripliciter.s.corde,ore & opere. C Corde autem fit contra Deum transgressio, cum quis scilicet à Deo auertitur per idolatriam vel huiusmodi,quod per primum præceptum seu mādatum prohibetur,in quo dicitur. Non habebis deos alienos coram me &c.Ore fit cōtra Deū transgressio per nomen.s.suum mentiendo, blasphemando,periurando &c.Quod per secundum præceptum seu mandatum prohibet in quo dicitur.Non assumes nomen Dei tui in vanum &c. Opere autem fit contra Deū transgressio,quando s.tempore debito & ad Dei cultum principaliter D deputato fit operatio non licita, vel illi cultui seu illi tempori non conueniens. Quod per tertium præceptum seu mandatum prohibetur,in quo dicitur.Memento vt diem sabbati sanctifices &c.

Contra proximum contingit directè transgressionem fieri dupliciter. Vel omissione.s.boni,ad quod quis erga proximum tenetur. Vel illatione mali,quod quis sibi inferre non deberet. Contra primum.s. contra omissionem boni ad quod quis erga proximum tenetur,datur quartum præceptū seu mandatum,quod est.Honora patrem tuum& E matrem tuā &c.Illatione verò mali contingit tripliciter cōtra proximū trāsgressionem fieri.s.opere,ore,& corde.Opere quidem dupliciter. Vel.s. malū proximo inferendo in seipso.i.insua propria persona. Quod per quintum præceptum seu mādatum prohibetur, in quo dicitur. Non occides. Vel proximo inferendo in re sua,& hoc iterū dupliciter. Vel.s.in re sua sibi per legem coniuncta, vt est vxor.Quod per sextum præceptum seu mādatum prohibetur, in quo dicitur.Non mœcha- F beris.Vel in re sua sibi per legem coniuncta, sed omnino separata,qualia sūt bona fortuita. Quod per septimum præceptum seu mandatum prohibetur,in quo dicitur.Non furtum facies. Ore fit contra proximum transgressio sibi mentiendo, fallendo,decipiendo,falsum testificando. Quod per octauum præceptum seu mandatum prohibetur,in quo dicitur:Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium &c. Corde denique fit contra proximum transgressio dupliciter.Vel scilicet quantum ad cōcupiscentiam carnis. Contra quod datum est nonum præceptum seu mandatum:in quo dicitur. Non desiderabis vxorem proximi tui. Vel quantum ad concupiscentiam oculorum. Contra quod datum est decimum & vltimum præceptum seu mandatum, in quo dicitur:Non concupisces domū proximi tui,non seruum:non ancillam &c.

Qualiter per decem præcepta legis omne peccatum mortale prohibetur.

POstremò notandum est qualiter in decalogo fit virtualiter & effectiuè omnis peccati mortalis prohibitio. Prohibentur enim ibi septem capitalia peccata.

In primo quippe præcepto seu mandato prohibetur superbia.Ipsa etenim oratione intimo debitoque cultui contrariatur. Vnde Eccles.10.Initium superbiæ hominis apostare à Deo.

Inuidia autem prohibetur in quarto pręcepto seu mandato.Ibi enim vt à parte totum intelligatur, præcipitur vnicuique honorem debitum impendere quod facere non sinit inuidia.

Ira autem prohibetur in quinto præcepto seu mandato. Ibi enim perfectè intelligendo prohibetur occisio seu homicidium, omneque nocumentum in persona proximi, ad quæ inducit ira.

Luxuria verò tam corporalis quam mentalis prohibetur in sexto præcepto seu mandato, & in nono.Ibi enim prohibetur mœchia,omnisque illicitus concubitus, & etiam omnis illicita carnis concupiscentia.

Gula autem quæ deseruit luxuriæ, in eisdem duobus præceptis effectualiter prohibetur, sicut enim in naturis nutritiua deseruit generatiuæ, ita vitiis gula deseruit luxuriæ. Vel secundum alios, Gula in primo mandato prohibetur. Gulosi enim vt communius Deum non colunt, sed ventrem suum.Vnde ad Phili.3. Quorum Deus venter est &c. Acedia verò in tertio præcepto seu mandato prohibetur. Ibi enim præcipitur debita sabbati sanctificatio,quod propriè fit per spiritualē animi quietem in Deum, feruentemque & diligentem laudem Dei.Cuius cōtrarium omnino efficit acedia, quæ in seipsa quietem extra Deum quærens tabescit,& à laude diuina torpet.

Auaritia tam realis seu exterior quam etiā mentalis prohibetur in septimo pręcepto seu mādato, & in decimo. Ibi enim prohibetur furtum,omnisque rei alienæ vsurpatio, indebitaq; detentio, & etiam omnis mentalis bonorum & rerum illicita concupiscentia.

Quod effectualiter in primo præcepto prohibetur omne peccatum.

POtest etiam & aliter dici,quia.s.in primo pręcepto seu mandato prohibetur non tamen omne capitale peccatum,quin etiā omne peccatū mortale. Tunc enim est peccatum mortale,cum homo plus vel æquè aliquam creaturam diligit sicut Deum. Quod planè in primo præcepto seu mandato,quod est de vno Deo super omnia diligendo & colendo, prohibetur, & sic ex consequenti omne mortale peccatum in illo primo præcepto effectualiter censetur prohibitum.

Alius

Alius modus ponendi prohibitionem septem peccatorum mortalium per decem præcepta legis.

A SVnt & alij aliter imagines, qui adhuc amplius ipsa septem peccata capitalia per dicta decem legis præcepta seu mandata prohiberi concipiunt & ponunt considerando. s. plenariam ipsorum præceptorum seu mandatorum intentionem, finem & effectum. Dicunt enim superbiam prohiberi per primum præceptum.

De prohibitione superbiæ per primum, per secundum, per tertium per quartum.

B ETenim vt dicunt (iuxta quod supra tactũ est) superbia facit apostatare à Deo, superbia procliuis est ad contemnendum blasphemandúmq; nomen Dei. Superbia non se faciliter ad debitam sabbati sanctificationem, deuotumque cultum Deo exhibendum disponit. Superbia non libenter debitum patri & matri ac alijs quibus conuenit, honorem impendit.

De prohibitione inuidiæ.

C Dicunt enim vt supra, inuidiam prohiberi per quartum præceptum, per quintum, per octauum. Etenim inuidia non faciliter ad debitum tam patri & matri, quam alijs quibus cõuenit honorem impendendum animũ inclinat. Inuidia sæpe proximum animo & interdum verbo necat, eiúsque mortem optat, & in ea exultat. Inuidia libenter proximo detrahit, falsumque de eo testimonium perhibet.

De prohibitione iræ.

D Item dicunt &c. per secundum præceptũ, per quintum & octauum. Etenim ira facilis est ad nomen Dei in vanum sumendum & blasphemandum. Ira procliuis est ad occisionem seu læsionẽ proximo in sua propria persona inferendum. Ira etiam inclinata est ad proximum verbis iniuriandum & damnificandum.

De prohibitione duplicis luxuriæ.

E Per sextum præceptum & nonum dicit prohiberi duplicem luxuriam, actualem. s. & mẽtalem. Luxuria etenim prout in nomen transit vitij capitalis, dicitur omnis illicitus & indebitus actualis concubitus. Dicitur etiam omnis illicita concupiscentia carnalis.

De prohibitione gulæ.

F Dicunt gulam prohiberi per primum præceptum, per tertium, per sextum, per nonũ. Per primum quidem eo respectu quo supra declaratum est. Etenim gulosi vt communius Deum non debitè colunt, sed ventrem suum. Gula respectu tertij præcepti non faciliter inclinatur ad debitè sanctificandum sabbatum, eaq; supportandum qui ad dictam sanctificationem spectant. Per sextum verò & nonum præceptum eo respectu vt supra declaratum est, prohiberi dicitur, quo luxuria cui deseruit.

De prohibitione acediæ.

Dicunt acediam prohiberi per tertium præceptũ, per quartum. Per tertium quidẽ eo respectu, quo supra declaratum est. Respectu verò quarti præcepti, quia acedia quæ de se negligens incuria & torpens est, omnino impeditiua & opposita videtur debitæ honorationis, prouisionis & sustentationis parentũ, eorumq; quibus conuenit.

De prohibitione duplicis auaritiæ.

A Duplicem auaritiam, exteriorem scilicet & mẽtalem dicunt prohiberi per primum præceptum, per quartum, per septimum, per decimũ. Etenim respectu primi præcepti auaritia (quæ iuxta dictũ apostoli ad Eph. 5. propriè idolorum seruitus est) Deum non debitè colit. Respectu quarti pręcepti manifestum est auaritiam debitè contrariari honorationi, subuentioni & prouisioni parentum & aliorum quibus conuenit. Respectu verò septimi præcepti & decimi satis facta est supra declaratio. Possent & aliis modis aliisq; respectibus & rationibus ista septem peccata capitalia, per dicta decem legis præcepta & mandata prohibita, dici & assignari iuxta varios conceptus, variasque imaginationes hominum.

B Secundi tractatus qui est de expositione decem præceptorum seu mandatorum legis, finis.

TRACTATVS TERTIVS DE SEPTEM SACRAMENTIS *ecclesiæ, & eorum declaratione.*

C AD compendiosam sacramentorũ noui testamenti notitiam videndũ est summatim in genere quid sit sacramẽtum. Quibus de causis instituta sunt sacramenta. In quibus cõsistant. An aliqua possint iterari. Quot sunt, & qualẽ ad vitia & ad virtutes & contrarietatẽ & ordinẽ habeant. Deinde de quolibet sacramento tangendũ est aliquid in speciali.

Definitio sacramenti & eius expositio.

D DEfinitio autem sacramenti exverbis magistri in 4. sententia elicitur, quæ est ista. Sacramẽtum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, imaginẽ ipsius gerens & causa existens. Quam sic intellige. Sacramentum est forma, non intrinseca quidem, vt est forma essentialis, sed exterior, vt est accidẽs. Visibilis, sic. s. vt sicut visus pro quolibet sensu, ita visibile pro quolibet sensibili. q. d. Sacramentum est sensibile signum vel sensibile signatum seu figuratum. Inuisibilis gratiæ. i. gratiæ quæ non videtur vel non sentitur sensu exteriori, & hoc dicit

E ad differentiam decoris corporis & huiusmodi, quę sunt gratiæ visibiles. Imaginem gerens. i. similitudinem ipsius. s. gratiæ. Verbi gratia. Proprietas quædam naturalis connexa est aquæ quæ in sacramento baptismi gratiam repræsentat inuisibilem, vtpotè refrigerium quod est in aqua, repræsentat refrigeriũ gratiæ ab incendio fomitis, & vis ablutiua quæ est in aqua, repræsentat ablutionem macula originali. Sequitur & causa existens, scilicet ipsius gratiæ, communiter & largè sumendo causam, sic. s. quod illud dicatur esse causa alicuius rei, sine quo res ipsa non fit, quamuis sine eo fieri posset. Deus enim propriè & per se causa est remissionis peccati & collationis gratiæ. Quia tamen hoc communiter non facit nisi ad existentiam sacramenti haberi potest, ideo dicitur communiter sacramentũ ipsorum causa, quasi illud sine quo hæc non fiunt. Quod si obiiciatur de corpore Christi vero, quod est sacramentum corporis mystici, vt infra dicetur, quod tamen non est signum sensibile, nec forma visibilis. Dic quod corpus illud est sensibile & forma visibilis in annexo, licet in se

non sit, licet enim in sua vera & propria natura nõ sit, visibile aut sensibile, est tamen visibile & sensibile in forma vel specie panis annexi. Vnde cum dicitur. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, intellige.s.in se vel habens annexum visibile vel sensibile.

Quibus de causis instituta sunt sacramenta.

SEcundum magistrum in. 4. senten. instituta sunt sacramenta propter humiliationem, propter eruditionem, propter exercitium. Propter humiliationem, videlicet vt propter Deum subiiciatur peccator curandus creaturæ, qui per auersionem à Deo per inordinatũ amorem creaturæ, subiectus est. Equum enim est vt vbi oritur peccatum, ibi & moriatur. De Eruditione. Propter eruditionem verò, vt per ipsa exteriora sacramenta, ad aliqua spiritualia cogitanda & consideranda erudiamur & excitemur. Excitamur etenim vt aduertamus per ea quę exterius videntur, purgationem animæ intrinsecam in sacramento fieri. Si enim Deus animã curaret, nulla exterius dum purgatur vel ante vel post composita specie, nũquam cogitaret rudis homo de aliqua interiori purgatione, sed per hæc quæ exterius fieri videtur, instruitur & excitatur ad recogitandum purgationẽ fieri interius. De exercitio. Propter exercitium verò vt scilicet homo in his exerceatur, vt pericula ociositatis deuitet, quod non refertur hic ad actum sacramenti, qui in pluribus iterari non potest, sed ad actum gratię sacramẽtalis, qui frequenter iterandus est. Alius modus. Vel prædicta secũdum quosdam distingue, quod scilicet sacramẽta data sunt clericis in exercitationem siue exercitiũ. Hi enim exercitium habent in ipsa.s.sacramenta ministrando, vt celebrando, pœnitentias iniungendo, infirmos vngendo, & tam ipsos quã sanos communicando & alia sacramenta exhibendo. In quibus sufficienter poterunt occupari tam sacerdotes quam alij clerici, qui tenentur eorum esse ministri & coadiutores. Sic ergo data sunt ipsa sacramenta clericis in exercitationem. Laicis autem data sunt in eruditionem, vt supra monstratũ est. Vtrisque autem tam clericis quam laicis data sunt in humiliationem, quia vtrique sacramenta suscipiunt, in quibus propter Deum se creaturæ subiiciunt, cui ante immoderatè amando contra Deũ se subiecerunt.

In quibus consistunt sacramenta.

COnsistunt autem sacramenta (vt dicit magister in 4. sententiarum) in duobus.s.in rebus & in verbis, vt per res intellige omnia sensibilia ad sacramentũ necessaria præter verba, vt aquam, oleum, linitionem, panem, vinum, impositionem manuum, & cætera huiusmodi. In sacramento tamen in quo necessaria sunt. Per verba autem intellige omnia verba necessaria ad sacramentum, siue sint inuocatio Trinitatis, siue alia quæcũque verba ad ipsum sacramentum necessaria. Vnde per aquam & oleum quæ hic quasi causa exempli ponit, intellige omnes res necessarias in omnibus sacramentis, & per nomẽ Trinitatis omnia verba necessaria ad sacramenta hoc tamen scias quod non in omnibus sacramentis ęqualiter sunt hæc duo necessaria.

Potest enim matrimoniũ cõtrahi nutu vel signo, quæ succedunt loco verborum, vt in mutis. Po-
A test etiã vera pœnitentia sine confessione & satisfactione in aliquo casu haberi. Veruntamen de pœnitentia dicunt aliqui quod tota virtus pœnitentiæ potest haberi sine confessione & satisfactione, sed non sacramentum pœnitentiæ in quãtum sacramentum, quia sic.i.in quantum pœnitentia est sacramentum contritio, confessio & satisfactio ad esse suum exiguntur, vt partes suæ integrales. Et sic in casu prædicto habetur virtus sacramenti, sed non sacramentum in quantum
B sacramentum. Vnde si homo sic contritus, sine confessione & satisfactione decederet & ex post resuscitaretur, ipse teneretur ad confessionem & satisfactionem.

In quibus differunt sacramenta noua legis à sacramentis veteris legis.

HIc notandum venit qualiter & in quibus differant sacramenta nouæ legis à sacramentis veteris testamenti. Et secundum August. tota dif-
C ferentia est timor & amor, quia veteres sua sacramenta adimplebant timore, nos verò sacramenta euangelica ex amore. Et ad literam datio veteris legis tota fuit in timore & igne & fumo, & aliis terribilitatibus, sed noua lex tota in benignitate & gratia. Hugo de sancto victo. inter sacramenta nouæ legis & sacramenta veteris legis ponit triplicem differentiam. Prima est, quod nostra sacramenta sunt immediatè signa gratiæ, sed illa non sic immediatè sunt signa gratiæ sicut nostra. Se-
D cunda differentia est quod nostra sacramenta sũt signa & causæ, illa verò sunt signa tantum. Tertia differentia est, quod illa sacramenta veteris legis tantum promittunt gratiam quam non continent, nostra autem dant gratiam quam continent.

Quot modis sacramenta iterentur.

TRibus autem modis dicitur sacramentum
E iterari. Vno modo ex parte efficiẽtis, vt potè conferentis, & sic omne sacramentum est iterabile, quoniam idem episcopus frequenter confirmat, frequenter ordinat, idem etiam sacerdos frequenter baptizat, consecrat corpus Christi, & huiusmodi. Alio modo dicitur sacramentum iterari respectu suscipientis, vt cum ab eodem idem sacramentum non numero, sed specię suscipitur. Et hæc iteratio est in quibusdam sacramentis, & in quibusdam non. Sunt enim aliqua sacramenta instituta in remedium malorum quæ frequenter
F personæ accidere solent, & in quibus imprimitur character, sicut pœnitentia in remedium mortalium actuum, & Eucharistia in remediũ venialiũ, & extrema vnctio in remedium vtrorumque, & etiam corporalis morbi. Et hæc sacramenta, sicut mala (in quorum remedium instituta sunt) frequenter accidunt: ita frequenter conferri & iterari possunt. Sunt & alia sacramenta in quibus imprimitur character, & hæc sacramenta propter dignitatem characteris quem sic imprimunt (qui semel impressus indelebilis est) iterari non possunt. Tertio modo iterari dicitur sacramentum,

sic

sic scilicet quod eadem forma verborum numero super eandem materiam numero ad eandem sanctificandam proferatur. Et isto modo nullum sacramētum iteratur, quia sic verba sanctificata seu sanctificantia viderentur insufficientis efficaciæ respectu sanctificationis illius materiæ. Quod si obiicias de extrema vnctione, in qua videtur eadem forma verborum iterari super eundem infirmum. Dic quod non iteratur illa forma verborum super eundem infirmum nisi se aliter habentem & sic alteratum: hoc est nisi alia ei infirmitas numero superueniat, vel eiusdem infirmitatis magna fiat immutatio, & sic propriè non videtur super eundem fieri.

Assignatio numeri sacramentorum secundum septem virtutes.

DE numero sacramentorum sciendum est, quod septem sunt scilicet baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, extrema vnctio, ordo, matrimonium, quæ continentur in hoc versu.

Abluo, firmo, cibo, piget, vngit, & ordinat, vxor.

Quæ conuenienter septem assignātur secundum septem virtutes, vt videlicet baptismus sit sacramentum fidei. In ipso enim initiatur ipsa fides. Extrema vnctio sit sacramentum spei. Qui enim inungitur, sperat specialiter de meritis ecclesiæ & de misericordia Dei. Eucharistia sit sacramentū charitatis. Vnde Hilarius li.8. de Trini. dicit sacramentum esse amoris. Confirmatio sit sacramentum fortitudinis, quæ necessaria est ad pugnam spiritualem, ad quam quis confirmatur. Pœnitentia sit sacramentum iustitiæ, propter satisfactionem in qua vnicuique reddere debet quod suum est. Ordo sit sacramentum prudentiæ, propter clauem scientiæ quæ confertur ordinato. Matrimonium sit sacramentum temperantiæ, eò quod libido in illo sacramento honestate excipitur nuptiarum.

Alia assignatio per contrarietatem ad septem peccata capitalia. Potest & aliter numerum ipsorum sacramentorum accipi, secundum contrarietatem quam habent ad vitia capitalia, videlicet Baptismus sit contra superbiam, eò quod homo ibi se maximè humiliet communissimo elemēto scilicet aquæ. Eucharistia contra inuidiam, quæ contrariatur charitati, & ita Eucharistiæ quæ est sacramentum amoris. Confirmatio contra acediam, eò quod homo confirmatur, vt fortis efficiatur in spiritualibus, in quibus deluber est acediosus. Extrema vnctio contra iram. Ira enim tumere facit, & tumoris mitigatio est ab vnctione. Ordo contra auaritiam, quia ordinati Deum esse suam portionem profitentur, non aliquod mundanum. Vnde in susceptione clericatus, qui omnium initium est ordinum, dicitur illud psal. Dominus pars hæreditatis meæ &c. Pœnitentia contra gulam, quia inducit abstinentiam & carnis macerationem. Matrimonium contra luxuriam, vbi turpis voluptas honestate excipitur nuptiarum.

A

PARTICVLARIS DECLARATIO SACRAMENTORVM, ET *primò de baptismo.*

POST hæc accedendum est ad ipsorum sacramētorum declarationem, & primò de baptismo. Vbi primò videndum est quid sit, scilicet quid sit nomine & ratione. Quot modis sit, seu quotuplex est. Quę sit propria eius materia. Quæ sit eius propria forma. Quis sit eius effectus. Quis minister. Quæ conditiones accedentium ab baptismum. De patrinis, & quod est eorum officium.

B

Quid sit baptismus nomine & ratione.

VIdetur autem baptismus quo ad nomen idē esse quod lauacrum, sicut baptizare idem est quod lauare. Vnde glo. Can. 4. Baptismus & lauacrum sunt eiusdem rei nomen, sed vnum latinum est, alterum Græcum. Sic ergo baptismus dum generaliter sumitur idem est quod lauacrum. Specialiter verò aliquando ipsum designat sacramentum. Aliquando autem ipsam actionem scilicet ipsam lotionem. Vnde dicitur baptismus Ioannis. i. ablutio quā abluebat Ioannes. Aliquando verò designat ipsam passionem seu susceptionem lotionis. Vnde Mar. 7. Reliquentes enim mādatum Dei tenetis traditiones hominum, baptismata vrceorum & calicum. i. quibus lauantur vrcei & calices. Aliquando autē nomina seu designat ablutionem sacramentalem, vt cum dicitur, baptismus est tinctio, vt est subiuncta definitione exprimitur. Vnde baptismus ab Aug. sic definitur. Baptismus est tinctio in aqua verbo vitæ sanctificata. Et intellige tinctionem passiuam scilicet qua intingitur baptizatus, sicut vult magister in sententiis, & multi alij. Et si obiiciatur quod baptismus manet in baptizato, tinctio autem illa transit, quare vt videtur, non potest dici baptismus. Responde quod quamuis tinctio illa in se transire videatur, manet tamen in suo effectu, scilicet in charactere quem imprimit, qui quidem indelibilis est, & ideo non non omnino transit illa tinctio, cum in suo effectu maneat. Et in dicta definitione dum dicitur, tinctio scilicet facta in aqua, verbo vitæ id est per inuocationem sanctæ Trinitatis sanctificata est.

C

D

E

Quotuplex sit baptismus.

ESt autem triplex baptismus scilicet fluminis, flaminis & sanguinis. Baptismus quidem fluminis est qui fit in aqua secundum modum ecclesiæ consuetum. Qui omnino à culpa liberat, tam scilicet peccati actualis si ipsum inuenerit sicut adultis, quam originalis sicut in paruulis, qui tantum originalem culpam habent. Liberat etiam à pœna debita. Insuper imprimit characterem. Baptismus flaminis est cum quis habens fidem, volens baptizari caret baptismo aquæ, non quidem per negligentiam vel contemptum, sed propter impotentiam, quia scilicet habere non potest, vbi defectum supplex gratia spiritus sancti. Et iste liberat à culpa & à pœna debita. Baptismus sanguinis est vt in martyribus qui non valentes habere

F

baptiſmum aquæ, proprio ſanguine baptizantur, vel potius merito precioſiſſimi ſanguinis in cruce effuſi. Et hic ſimiliter liberat à pœna & à culpa.

Iſti duo vltimi modi extenſo nomine dicuntur baptiſmi, quia quo ad euacuationem culpæ & pœnæ ſupplent locum fluminis, ſed tamen non imprimunt characterem.

Vnde extat opinio quod ſi contingeret aliquem talium ſic baptizatorum reſuſcitari, teneretur denuo baptizari baptiſmo aquæ.

Nec tunc diceretur baptiſmus iterari, quia non eadem ſpecies iteraretur.

Quæ ſit propria materia in ſacramento baptiſmi.

PRopria materia in ſacramento baptiſmi eſt ſola aqua, eò quod vt dicit magiſter. 4. ſententiarum. Hoc ſacramentum tantum in aqua celebratur. Cuius cauſæ & rationes ſunt multæ, & aſſignari poſſunt.

Vna quia aqua vim refrigerandi habet & abluēdi, & ideo ſignat gratiam abluentem culpæ maculam, & refrigerantem incendium, quod eſt in æſtu fomitis & concupiſcentiæ, quæ duo ſunt principales effectus baptiſmi. Et ideo ad deſignationem huius duplicis gratiæ, fit in aqua.

Secunda cauſa eſt comitas huius elementi & facilitas habendi, quia nullus etiam inopum prohibetur ab aqua. Et ideo quia ſacramentum neceſſitatis eſt fit in communiſſimo elemento, vt nullus à ſuſcipiendo excuſetur.

Tertia cauſa eſt comitas & facilitas aquam inueniendi, quia vbique eſt, & in omni parte mundi inuenitur vbi habitant homines, & hoc iterum competit huic ſacramento ſic generaliter neceſſario.

Quarta cauſa eſt, quia non vinum vel oleum, ſed aqua de latere ſaluatoris fluxit, vbi ſecundum quoſdam initium ſumpſit hoc ſacramentum.

Quinta cauſa eſt quia ſpiritus ſanctus viuificans primò ſuper aquas apparuit. Vnde Gen. j. Spiritus domini ferebatur ſuper aquas.

Sexta cauſa eſt quia ſaluator noſter in riuis Iordanis ſua mundiſſima ac ſanctiſſima carne hoc elementum tetigit, dans ei virtutem vt ſpiritiferas aras facere poſſit, vt dicit Chryſoſto.

Sed nunquid in quolibet aqueo liceat baptizare? Nunquid primò in aqua marina, quæ non videtur aqua ſimplex quia habet immixtum aduſtū terreſtre: ob quam cauſam eſt ſalſa? Item nunquid in brodio vel cereuiſia vel medone? Item nunquid in aqua calida, vt in balneo? Circa hæc ab aliquibus ſic diſtinguitur, quia vel illa commixtio aquæ tollit ſpeciem & proprietatem elementi, & ipſum trahit in aliam ſpeciem, aut non. Si autem tollit, tunc in illa commixtione non poteſt fieri baptiſmus, ſicut nec in medone, nec in cereuiſia, nec in lixiuio & in vrina, nec in aqua quam alchimiſtæ faciunt ad mutanda metalla, quæ vehementiſſimam vim habet purgandi & diſſoluendi. Si autem non tollit proprietates & ſpeciem aquæ, quin ipſa aqua remaneat in virtute refrigerandi & abluendi, & non

A diſſoluendi ad modum aquarum acutarum, tunc in illis poteſt fieri baptiſmus, vnde in mari & in aquis turbidis poteſt fieri baptiſmus, & etiam in brodio ſi non ſit remotum & alteratum in ſpecie elementi per illud quod coctum eſt in eo.

Vnde adhuc quæritur, vtrum in aqua calida ſicut in balneo poſſit fieri baptiſmus? Conſtat quod ſic, eò quod illa aqua per accidentalem caliditatem non amiſit ſuam naturalem frigiditatem, quinimmo conſultius facerent ſacerdotes (vt dicunt aliqui) ſi in tempore frigido

B facerent aquam pro baptizando calefieri, quia aliquando paruuli baptizandi adeo frigore aquæ penetrantur, quod inde contrahunt mortales infirmitates & moriuntur.

Sed quid ſi alius liquor admiſceatur aquæ, vt potè cereuiſia vel vinum nunquid in illa aqua fit baptiſmus? Dicitur quod ſic, ſi aqua in illa commixtione prædominetur, aliàs non.

De forma præſcripta ſacramenti baptiſmi.

C DE forma præſcripta huius ſacramenti dicendum eſt quid ſit, quoad verba proferenda. Quoad immerſiones faciendas. Quoad quædam præparatoria quæ de huius ſunt ſolemnitate ſacramenti.

De forma ſacramenti baptiſmi quoad verba.

D FOrma autem verborum talis eſt. Ego baptizo te in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Vbi nota hoc pronomen ego, ſecundum omnes fere doctores etiam decretiſtas, non eſt de neceſſitate ſacramenti, & poteſt omitti ſine magna culpa, tutius eſt tamen apponere, ſed reliqua verba ſunt de forma quoad neceſſitatem, adeò quod ſi aliquid eorum omittatur, non fiat baptiſmus.

Quod autem apoſtoli baptizauerunt in nomine Chriſti, & non expreſsè inuocando Tri-

E nitatem, triplex cauſa aſſignatur. Vna quia illo tempore odioſum erat illud nomen ſalutare, & ideò vt homines videntes ſpiritum viſibiliter ad eius inuocationem deſcendere, magis illud nomen reuererentur, cautum ad tempus apud eos, donec illud nomen amplius publicaretur, ipſo inuocato baptizare.

Alia cauſa fuit ſignificatio nominis, quæ implicitè exprimit Trinitatem, quia in hoc no-

F mine Chriſtus qui interpretatur vnctus, intelligitur vngens pater, vnctus filius, vnctio ſpiritus ſanctus.

Tertia cauſa fuit reuelatio diuina eis facta, quæ licet non legatur, non tamen putatur apoſtolos hoc præſumpſiſſe niſi ſpiritus ſancti inſtinctu & iuſſione monerentur.

Sed quid ſi modo in nomine Chriſti baptizaretur? Dicunt quidam magiſtri doctorum quod non debet in nomine Chriſti baptizari, ſi tamen baptizatum fuerit, valet baptiſmus. Ambroſius Hugo de ſancto Victore in lib. de ſacramentis,

sacramentis,& Magister in li. 4. sententiarum videntur idem sentire, & etiam modernorum aliqui. Alij quidam licet pauci quos viderim, sentiũt contrarium, eò quod secundum ipsos non fit baptismus his diebus nisi per inuocationem Trinitatis explicitè. Sed quid si ex turbatione animi vna tantum persona nominaretur, vt si diceretur solum, baptizo te in nomine patris? Item quid si fiat aliqua transpositio aliquarum dictionum, vt baptizo te in nomine filij & patris,&c. Item quid si fiat appositio aliarum dictionum, vt baptizo te in nomine patris & beatæ Mariæ? Itẽ quid si in prolatione verborum fiat aliqua interpositio, vtputa, baptizo te in nomine patris,& interponatur, veni huc, vel porta sal,& huiusmodi,& postea dicatur, & filij &c. Quid si fiat corruptio verborum, vt baptizo te in nominepatria & filia, & huiusmodi? Responsio, in primo casu, Hugo de sancto Victore baptisatum dicit. Ait enim: vides ergo qualiter in fide Trinitatis solo patre & filio nuncupato plenum fit baptismatis sacramentum Alij volunt quod non sit baptismus, sicut plenè vult Huguelinus in apparatu suo super decretales. Magister etiam Albertus idem dicit, & plenè cõtradicit in li. senten. in hac parte vbi per vnius personæ nomen intelligi dicit Trinitatem, in quo nomine apostoli baptizauerunt ratione iam dicta scilicet quod cuiuslibet istorum trium nominum significatio implicitè exprimit Trinitatem. In secũdo casu cum fit aliqua transpositio dictionum, secundum Huguelinum & secundum aliquos modernorum magistrorum, qui volunt quod cũ ipse ordo verborum sit de forma baptismi, non est baptizatum. Alij dicunt quod peccat qui transponit, tamen si nihil aliud faciat nisi transpositionẽ, nec intendit deridere, vel hæresim inducere, baptizatum est, quod ego melius credo. In tertio casu scilicet cum aliquid apponitur distinguunt aliqui, quia aut apponitur aliquid non corruptum, vt pateat in exemplo superius posito, vbi addit,& beatæ Mariç. Et tunc dicunt esse peccatum in appositione, sed quod baptizatum est. Aut apponitur aliquid corruptum, vt si dicatur. Non baptizo te in nomine patris &c. Vel baptizo te in nomine patris &c. diaboli. Et tunc dicunt non esse baptizatum, nec aliquid fieri. Et eodem modo in quarto casu cum fit interpositio aliqua maximè si casu vel aliqua necessitate aliquid interponatur quod non corrumpit, vt patet in dicto exemplo. Et istã opinionem videtur confirmare Aug. in de vnico baptismo li. 6. Alij volũt quod in isto quarto casu non sit baptizatum, maximè interposito aliquo quod sit præter vel contra formam. In vltimo casu dicitur quod si dicantur corruptè verba ex ignorantia vel impotentia rectè sonandi, tamẽ nõ intendit baptizans hæresim sequi vel inducere baptizatum est.

Secus tamen esset si fieret corruptio in principio dictionis, quia corruptio in principio dictionis, variat & aufert signatum ipsius dictionis, nec sic est dum corruptio fit in fine. Vnde verbi gratia. Istæ dictiones sortes, sortis, sortem eandem personam signant & repræsentant, non sic autem istç dictiones fortes, & mortes. Et ideo dicunt quod corruptio in principio dictionis tollit formam baptismi, non autem corruptio in fine.

Gerson. Secunda pars.

A

De forma baptismi quoad immersiones.

FORMA autem baptismi quoad immersionem hæc est, vt accipiatur puer per latera facie eius versa, capite etiam ad orientẽ verso, & mergatur, & simul mergendo dicatur. Ego te baptizo in nomine patris. Secundo capite ad aquilonẽ verso dicatur, & filij. Tertiò capite ad austrum verso dicatur, & spiritus sancti. Vt sic pedibus sẽper versus orientem tentis formetur crux Christi, in cuius morte baptizamur. Hoc tamẽ scito quod

B si prima mersione omnia verba proferantur, cõpletum est sacramentum, & perfectè baptizatum. Sed quid si moriatur puer in prima mersione patre nominato, vel in secundo patre & filio nominatis? Creditur quod baptizatus sit plenè, quia tunc summus sacerdos supplet quod minister supplere non potuit. Idem dicitur si sacerdos vel quicunque baptizans vna mersione facta, vel vna persona nominata moriatur. Sed quid si fiat mersio nihil dicendo præturbatione vel ignorantia, vel si

C mutus sit qui baptizat? Dicitur ab omnibus quod nihil tunc fit, cum ipsa Trinitas nec explicitè nominetur. Sed quid si non adsit tantum de aqua vt infans ex toto mergi possit? Dic quod tunc illud quod est principalior pars, vt pote caput, vel mergatur vel aqua perfundatur. Si enim vna extremitatum vt pote manus vel pes immergatur, dicunt quidam quod non baptizatum est. Aliqui alij decretistæ dicunt, quod si aquæ in quacunque parte corporis cadat, baptizatum est, & ponunt argumentum persimile. Sicut sufficit possidere partem

D agri ad hoc vt quis totum possidere videatur, dũ tamen eius sit animi vt totum possidere intendat. Idem sentiunt quidam de his qui non totaliter egressi sunt vterum maternum, videlicet quod si principalior pars egressa fuerit, poterit baptizari. Quod vtrum verum sit, nescio, præsertim cum oporteat quemlibet nasci ad hoc vt renascatur.

De forma aliquorum quæ sunt de solemnitate baptismi.

E FORMA autem quæ seruari debet in baptismo, quæ concernit aliqua quæ sunt de solemnitate baptismi, in his constat. Vt primò scilicet catechizetur baptizandus.

Circa quod multa diuersimodè fiunt, secundum diuersas consuetudines ecclesiarum. Sed vt frequentius primò exufflatur, vt virtus dæmonis exterior expellatur.

Secundò signum crucis fit ei in pectore & fronte, vt diabolus se cognoscat pelli ab illo tam

F in occulto cordis quam in aperto confessionis.

Tertiò accipit sal in ore, vt sapor sapientiæ præparetur, & fætor fomitis restringatur.

Deinde fit linitio aurium & narium cum sputo, vt discretionem fidei habeat & gratiam, quæ per saliuam à capite descendentem signatur, vt scilicet sensus eius quoad doctrinam fidei in auditu, & discretio in naribus significata, aperiantur Christo Deinde fit inũctio in pectore, propter cor Deo præparandum, & in spatulis, vt fortitudinem accipiat ad portandum onus Domini.

DD

Post baptiſmum autem fit inunctio chriſmatis in vertice, vt appareat mens imputribilis Deo, vel A vt ſpiritui Chriſti participando, meritò deinceps Chriſtianus appellaretur, hęres iam regni effectus.

Deinde fit veſtitio de veſte candidiſſima, in ſignum innocentiæ quæ accipitur in baptiſmo, & gloriæ, quam expectat in reſurrectione.

Tandem cereus accenſus ſibi, ponitur in manu, vt ſic luceat vita eius coram hominibus vt glorificetur pater qui in cælis eſt. Et ſi adeſt epiſcopus, confirmetur. Et ſi adultus eſt, datur ei Euchariſtia poſt confirmationem.

Quis ſit effectus ſacramenti baptiſmi.

QVIS autem ſit effectus baptiſmi; liquet ex doctrina magiſtrorum qui ponunt triplicem eius effectum. Primus effectus eſt omnimoda euacuatio culpæ originalis in paruulis, & tam originalis quam actualis in adultis, præter exteriorem pœnitentiam. Secundus eſt debilitatio fomitis. Tertius eſt collatio gratiæ.

Quis ſit idoneus miniſter ſacramenti baptiſmi.

MINISTER autem in hoc ſacramento quo ad Deum & eccleſiam, eſt habens ordinem ſacerdotalem, iuriſdictionem ſacerdotalem, iuriſdictionem & laudabilem vitam. Tempore tamen neceſſitatis eſt vel eſſe poteſt quilibet, nec ſextum virilem, nec ordinem, nec iuriſdictionẽ habens, nec laudabilem vitam, immo etiam vetula. Largiſſima etenim pietas Dei qui neminem vult perire, ſicut ad hoc ſacramentum tam neceſſarium, prouidit communem materiam, quæ ab omnibus poteſt haberi & vbique inueniri, ita etiã in caſu neceſſitatis de generali miniſtro prouidit, voluitque vt ipſius neceſſitatis tempore quilibet alium poſſit baptizare. Vnde quamuis talis nõn habeat poteſtatem ex ordine, habet tamen poteſtatem ex tempore. Sed nunquid licet aliquem in neceſſitate à ſacerdote ſimoniacè recipere baptiſmum, maximè cum aquam ad ſe vel paruulum ſuum baptizandum aliter habere non poſſit niſi eam emat? Item nunquid ebrius qui iam amiſit vſum linguæ poſſit baptizare? Item nunquid hæreticus poteſt baptizare? Nũquid poteſt vnus duos baptizare dicendo. Ego baptizo vos &c. Et è cõuerſo plures vnum, dicendo. Nos baptizamus te &c. Item poteſt ne aliquis in vltima neceſſitate, cum non eſt alius præſens, baptizare ſeipſum? Itẽ quid ſi iocosè vel ioculatoriè quis aliquem baptizaret, nunquid baptizatus eſt?

Reſpondetur in primo caſu ſecundum quoſdam quod ſi ſacerdos non vult te baptizare vel paruulum niſi des pretium, non dabis, ſed hoc facies quod ſi ſacerdos præſens non eſſet, facturus eſſes, eò quod nullo modo facienda ſunt mala vt eueniant bona. Sed plures alij dicunt quod in dicto caſu poſſit ab eo baptizari, eò quod quærens baptiſmum non emit aquam, nec emit actum baptiſmi, ſed tempore neceſſitatis poteſt redimere vexationem ſui iuris, & pro ſe ſi ipſe baptizandus eſt, & pro paruulo ſi quem habeat baptizandum. Et tunc non fiunt mala vt eueniant bona, nec cõmittitur ſimonia ex parte quærentis baptiſmum, nec etiam cõmitit ſe diſcrimini pro ſalute ſua vel alterius. In ſecundo caſu ſcilicet in ebrio, aut in tali ebrio, omnino ſuffocatur ratio aut non ſuffocatur, ſed tantum patitur impedimentum linguæ. Si autem omnino ſuffocatur ratio, dicitur quod baptizare non poteſt. Si autem impedimentum tantum linguæ patitur, habetque diſcretionem, poteſt niti ad formandum dictiones cum ſtudio. Vnde ſi non adſit alius, poteſt talis baptizare. Sed ſi nullam poſſet dictionem exprimere, ſecus eſſet. Sed non videtur quod ebrietas quæ non ligat rationem, tantum impedimentum pręſtet vt cum diligenti ſtudio non poſſet exprimere verbum. In tertio caſu ſcilicet de hæretico dicitur quod hæreticus baptizans in forma hæretica, non baptizat, ſed hæreticus baptizans in forma eccleſiæ, dummodo habeat intentionem baptizandi, B baptizat in fide eccleſiæ, & baptizatum eſt. Et ponit de hoc Aug. contra donatum hæreticum conueniens exemplum. Quia ſicut Iacob ſemen benedictum non tantum genuit per vterum liberarum, ſed etiam per vterum ancillarum, ita Chriſtus non tantum ſpiritualiter regenerat miniſterio fidelium, ſed etiam miniſterio infidelium, eò quod actus ſuus ſit, non hominis. In quarto caſu dicitur, quod vnus poteſt tot baptizare quot poteſt ſimul C mergere vel perfũdere pro neceſſitate. Dico quod præter neceſſitatem nullatenus eſt hoc faciendũ nec eſt lyte, in tali caſu de neceſſitate formæ, quia Dominus tradens formam baptizandi dixit, eos, cui tantum conſonat vos quantum te. Sed ſecus eſt ſi duo baptizent vnum, dicendo baptizamus te, quia ſecundum Huguelinum in apparatu ſuo ſuper decre. non eſt baptizatus. Sed ſi plures ſimul mergant puerum proferentes ſinguli formam eccleſiaſticam, ego baptizo te &c. confertur bap-D tiſmus. Nec eſt iteratum ſacramentum propter illã verborum iterationem ſeu multiplicationem, vt dicunt, niſi cũ hoc etiam iteraretur & merſio ſimul. Sed eſto quod duo ſint baptizantes aliquem quorum vnus ſit mancus & dicat verba, & alius mutus & mergat puerum, nũquid eſt baptizatus? Dicitur quod non, quia in omni ſacramento habente præſcriptam formam, illud quod ſolemnitatis eſt bene diuiditur, ſed illud quod eſt neceſſitatis nequaquam. Et ideo quia vtrumque ſcilicet forma verborum & merſio ſunt de neceſſitate ſa-E cramenti, diuidi non poſſunt, vnde non eſt baptizatus. In quinto caſu ſcilicet vtrum aliquis poſſit ſeipſum baptizare, ſecundũ canones cõſtat quod nõ, & forte ideo, quia ſub hac ſpe poſſit nimis differri baptiſmus, eò quod quãdo vellet poſſet ſeipſum baptizare. Inſuper ſicut contra naturam eſt quod quis ſeipſum generet, ita contra rationem videtur eſſe quod quis ſeipſum poſſit regenerare. Veruntamen ſi deſideret baptiſmum & non ſit alius qui ipſũ poſſit baptizare, ſi in illo ſtatu more-F retur ſalueretur, eò quod eſſet baptizatus baptiſmo flaminis, qui ſupplet in neceſſitate baptiſmum fluminis. In vltimo caſu dicitur quod ſi iocose, cũ intentione tamen faciendi quod facit eccleſia, ſuper non baptizatum proferat verborũ formã, mergendo in aquã, ipſo tũc vel ante non reclamantẽ baptizatus eſt, quia tunc non totum fuit iocoſum vel ioculatorium, eò quod intentio faciendi quod facit eccleſia ioculatoria non fuit. Si autem totum fuit ioculatorium vel ipſe reclamaſſet, tunc nihil fieret. Et ponunt iuriſperiti exemplum perſimile in ſtipulatione. Nam cum ludendo dicuntur hæc verba ſpõdes, ſpondeo, non inducitur obligatio.

De qualitatibus seu conditionibus accedentium ad baptismum.

NVNC dicendum est de conditionibus accedentium ad baptismũ. Et primò quæritur de ficte accedente vtrum baptismum recipiat? Item vtrum dormientes possint baptizari? Item an amentes? Item an inuiti?

Ad primum dicitur quod fictus suscipit baptismi sacramentum, sed non rem sacramenti vel effectum, eò quod ponat obicem spiritui sancto & gratiæ sacramentali. Vult enim aliquid quod stare non potest cum gratia sacramentali, sed cessante fictione suscipit effectum. Quis autem dicatur fictus, & quis fictus recipiat characterem, & quis non? Dic in effectu post Raymundum in summa, quod ille fictus qui se simulat velle suscipere baptismum, & omnino suscipere non intendit, non recipit sacramentum, nec rem sacramenti. Sed qui exterius suscipiens se simulat interius dispositum cum non sit, vel quia non credit, vel quia indeuotus. i. cum proposito peccandi accedit vel contemnit sacramentum. i. non reueretur, ille non suscipit rem sacramenti. i. gratiam, characterem tamen suscipit.

In secundo casu scilicet de dormientibus distinguitur. Aut quia ante dormitionem habebant voluntatem omnino contrariam & repugnantem, & in ipsa contradictione perstiterunt, aut non. Si sic, tunc dormientes si baptizentur nihil recipiũt nec sacramentum nec rem sacramenti, vt patet extra de bap. ca. maiores. in fi. in antiquis. Si autem non apparuerit talis voluntas eorum, sed vigilantes institerint baptizari, nunc si timeatur de periculo, possunt dormientes baptizari. Idem dicendum est de lethargico & de amentibus. De amentibus tamen distinguunt aliqui. Aut furia est perpetua aut non. Si sic, pro infantibus habendi sunt, qui & si nunquam voluerint baptizari, nũquam tamen etiam noluerint, quod sufficit ad baptismalem characterem imprimendum. Si autem furia non est perpetua, vt puta quando aliquis incidit in furorem vel amentiam, tunc distinguendum est, sicut supra distinctum est de dormientibus. Ad illud autem quod quæritur de inuitis, distinguendum est, quia aut omnino ita fuerunt nolentes baptizari, vt pro posse suo resisterent, & resisterent cum vsu rationis, quod dico propter amentes, & tales nullo modo recipiunt sacramẽtum, nec vt priores sunt rebaptizandi.

De patrinis & ad quid tenentur.

POSTREMO de patrinis tangendum est, qui sint & ad quid tenentur. In cuius persona respondeant. An excusentur à mendacio. Solutio secundum Hugonem de sancto victore, patrini qui paruulos ad baptismum offerunt vt regenerẽtur ad vitam nouam. Et scias quod patrini idonei non possunt esse infideles, cum teneãtur instruere paruulum in fide catholica quod non potest infidelis. Item nec religiosæ personæ, propter susceptam familiaritatem, quæ generatur per talem compaternitatem. Ad quid autem patrini teneantur? scias quod secundum Augu. maximè tenẽtur ad duo. s. monere ad virtutes, & docere symbolum & orationem dominicam. Dicit autem Gerson. Secunda pars.

A magister Albertus quod patrini ad istam diligentiam obligantur, si tamen aliter non instruantur paruuli. Sed quia parentes sunt cõmuniter in istis circa paruulos diligentes. Credo etiam, & Pater noster, cantantur in ecclesia, & mores prædicantur ac in bonis operibus ostenduntur, in magna parte excusantur modo patrini. Secus autem fuit in primitiua ecclesia, quando paruuli inter infideles nutriebantur. Deinde patrini in persona paruulorum respondent, & tantum valet cum ipsi patrini dicunt, credo, ac si paruuli met dicerent, sacramentum fidei paratus sum suscipere. Quod

B verum videtur, cum non habeant obicem contrariæ voluntatis vel dissensus, & ad credendum ista non reperiatur in eis vsus liberi arbitrij. Patet ergo quod patrini ita pro paruulis respondentes non mentiuntur.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS ET PERTINENTIBVS AD IPSVM

IN materia autem sacramenti confirmationis videndum est primò. Vtrum

C istud sacramentum sit necessarium ad salutẽ. Quæ sit propria materia in hoc sacramento. Quæ sit propria forma. Quis minster quis eius effectus. Quales ad cõfirmationẽ accedere debẽt. Et an aliquis possit seipsũ repræsentare.

An sacramentum confirmationis sit necessarium ad salutem.

AN autem confirmatio sit necessaria ad salutem dubitari potest. Et videtur quod sic, loquendo etiam non quoad esse bene institutum

D sed quoad esse necessarium, maximè cum dicat Hugo de sancto Victore, Quid prodest si per baptismum à lapsu erigeris, nisi etiam per confirmationem ad standum cõfirmeris. Ad quod dici potest, quod vno modo loquendi cõfirmatio necessaria est, alio modo non. Necessitas enim duplex inuenitur, quædam absoluta & quædam conditionata.

Absoluta est, quia illud sine quo res esse nõ potest necessarium dicitur. Sic baptismus necessarius est

E ad salutem, quia sine eo non est salus nisi cum necessitas excluderet sacramentum. Sic etiam pœnitentia necessaria est ad salutem post lapsum in mortalem culpam. Et isto modo confirmatio nõ est ad salutem necessaria. Alio modo dicitur necessitas conditionata. i. secundum quid vt si homo non debeat debilitari, necesse est bene comedere. Et isto modo dici potest quod confirmatio ad salutem est necessaria. Nã ad hoc quod debeat vita spiritualis & salus in baptismo adepta robustè contra

F hostes spirituales custodiri, necesse habet hoc sacramento confirmari & confortari. Datur enim hoc sacramentum ad robur. Vnde dicit Hugo de sancto Victore illud quod supra allegatum est. Quid prodest &c. Non quia sine confirmatione non valeret baptismus ad salutẽ, quia hoc falsum est, sed quia freqũeter in pugna spirituali ex debilitate virtutis spiritualis accideret etiã facilitas cadendi, & proinde damnatio, nisi esset cõfirmatio.

Quæ sit propria materia in sacramento confirmationis.

MATERIA autem huius sacramenti debita est chrisma, quod conficitur ex oleo oliua-

rum & balsamo per consecrationem & sanctificationem pontificis.

Rabanus de naturis rerum, Balsamus in chrismatis confectione liquori oliuæ commisceri, & pontificali benedictione solet consecrari. Vnde aliud oleum quam oleum oliuarum vt communiter dicitur, vel oleum & balsamum non consecrata, non sunt nec esse possunt materia huius sacramenti.

Nec est simile de baptismo, in quo in necessitate potest esse materia aqua non consecrata, quia baptismus sacramentum est necessitatis, & ideo in necessitate sine mora benedictionis cum forma ecclesiastica baptizatur. Confirmatio autem non est sacramentum necessitatis, eò quod multi nō confirmati saluantur, dummodo contemptus sacramenti non interueniat. Ideo etiam in necessitate oleo non consecrato non potest quis confirmari.

Quæ sit forma in sacramento confirmationis.

FORMA enim verborum quibus vtuntur episcopi duplex est. Et secundum quosdam talis est. Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine patris, &c. Secundum alios talis est. Firmo te signo crucis & chrismate salutis, in nomine patris, &c. Sed primus modus generalior est eò quod generalius dicantur priora verba in consecratione. Et nota cum hoc sacramentum ordinatum sit contra debilitatem ex fomite surgentem, quæ non tota purgatur in baptismo, sed remanet debilitas ad exercitium, & sit duplex debilitas in nobis scilicet interior & exterior, indigemus primò vt tollatur à nobis interior, quæ est verecundia noxia confitendi nomen Christi, quæ tollitur de iure in consignatione & impressione crucis in fronte, in qua conscribuntur vexillo sūmi imperatoris in quo ipse de hoste triumphauit quod omnem pudorem debet euacuare, & gloriā superinducere multiformem. Exemplum de portantibus insignia regis in armis suis. Vnde dicit Paulus ad Gal. vlti. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Ad absolutionem ergo huius verecundiæ fit in confirmatione consignatio crucis in fronte, vbi locus est verecundię & dicitur, consigno te signo crucis. Indigemus etiam vt tollatur à nobis debilitas exterior quæ est flexibilitas seu instabilitas, ad standum exterius in confessione nominis Christi corā regibus & principibus mundi. Ad hoc fit confirmatio chrismate salutis quod designat ipsa inunctio, vt sicut inunctio per subintractionem in substantiam corporis ministrat ei fomentum humoris, ne desiccetur & rigescat in pugna, ita ipsa inunctio chrismatis robustos & intrepidos nos efficit ad resistendum contra principes huius mundi, hoc est contra peccata, & contra principes tenebrarum, hoc est cōtra dæmones. Et ad istud robur conferendum dicit. Confirmo te chrismate salutis. Et notandum quod quamuis nulla forma verborū legatur quibus confirmabant apostoli, immo vt videtur Act. 8. tantum vsi sunt pro confirmatione impositione manuum, tamen credunt maiores eos nunquā sine verbis, nec sine materia chrismatis determinata confirmasse. Cuius argumentum est quod in libro de ecclesiastica hierarchia beati Dionysij, qui cum apostolis fuit, habetur expressum capitulum de perficiēdis & in templo offerendis, vbi loquitur de sanctificatione chrismatis. Possunt hic multa quæri & similiter solui vt supra quæsitum est in tractatu de baptismo.

Quis sit minister sacramenti confirmationis.

EST autem minister in hoc sacramento solus Episcopus cuius ratio assignatur. Nam rem aliquā statuere vel facere minorum est, sed factam confirmare est maiorum. Et ita baptizare omniū sacerdotum minorum est, confirmare verò post baptismum maiorum est scilicet episcoporum. Insuper res huius sacramenti spiritus sanctus est, vel gratia eius collata ad robur contra debilitatem & timiditatem ex fomite procedentem, & ideo cōueniens quod quoad signum sacramentale, ab eo qui plenitudinem potestatis & vigoris habet, descendat.

Si autem obijcias, si solus episcopus hoc facere potest, aut ergo hoc habet ex ordine aut ex iurisdictione. Si ex ordine ergo hoc etiam poterit simplex sacerdos, quia episcopus nullum habet ordinem quem non habeat sacerdos, ad minus secundum eos qui episcopatum non ponunt esse ordinem. Si autem episcopus hoc habet ex iurisdictione sequitur quod electus confirmatus ante consecrationem omnimodam habet iurisdictionem.

Tu dic quod hoc, scilicet quod solus episcopus potest confirmare, nec ex ordine tantum nec ex iurisdictione tantum habet, sed ex vtroque simul. Vnde hoc annexum est officio episcopali sicut consecratio ecclesiarum, & ordinatio clericorum & velatio virginum, & huiusmodi.

Sed quid si aliquis episcopus confirmet chrismate nondum baptizatum, siue nondum christianum, & fiant omnia quæ exiguntur ad collationem huius sacramenti, nunquid sacramentum tale est isti non baptizato collatum? Dicunt fere omnes quod non, eò quod baptismus sit ianua & fundamentum omnium sacramentorū. Et sic ibi non nisi per baptismum potest ad alia sacramenta iter haberi, sic nec ad alia sacramenta potest sine baptismo superædificari. Sunt alij qui videntur modo contrario sentire.

Quis sit effectus sacramenti confirmationis.

DENIQVE effectus huius sacramenti per supradicta in parte patet. Secundum enim Rabanū, effectus huius sacramenti est roboratio per spiritum sanctum, vt scilicet intrepide prædicet aliquis quod ipse accepit. Et dicit magister in. 4. sēten. quod effectus eius est donatio spiritus sancti ad robur, scilicet contra debilitatem vel instabilitatem à fomite procedentem. Si quis autem obuiauerit dicens, quod idem est effectus Eucharistiæ scilicet robur spiritus sancti, quia panis cor hominis confirmet, & quod ita superfluit istud vel illud sacramentum. Dic quod vario modo est robur & effectus istius & illius sacramenti, quia effectus confirmationis est per se, effectus verò Eucharistiæ est per accidens. Vel dic quod ad duo tenemur scilicet ad credendum articulos fidei firmiter, & confitendum exterius audaciter, iuxta illud Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et ideo duplici indigemus roboratione.

Vna

Vna quæ intus nutriat nos & confirmet ad credédum, & est panis vitæ qui cor hominis confirmat. Et alia quæ confortet & confirmet nos ad audacius confitendum nomen Christi exterius. Et hæc est confirmatio. Vnde quantum ad hunc respectum rectè recipiatur Eucharistia interius & confirmatio exterius.

De qualitate accedentium ad sacramentum confirmationis.

DE qualitate accedendũ quæritur primo, qua ætate accedere debent? Item an ieiuni vel pransi, quia de conse. dist. 5. dicitur, vt ieiuni veniant perfectæ ætatis, & moneantur confessionem prius facere, vt mundi donum spiritus sancti valeant accipere.

B Sed dic quod vtriusque ætatis homines scilicet puerilis & iuuenilis simul accedere possunt. Et melius ac securius est quod pueri confirmentur, quia quamuis ętas immatura tentationes & fortes motus concupiscentiæ non sentiat, præparantur tamen ad pugnam spiritualem, cum tempus tentationis aduenerit, & bonum ac securum est semper paratum esse. Decretum autem illud allegatũ de adultis loquitur qui tenentur ad illa quæ tãgit. C

Ad aliud dicitur quod propter sacramenti reuerentiam decet vt ieiunus recipiat, & à ieiuno cõferatur, si tamen aliter propter raritatem & carentiam episcoporum fiat, non nocet, melius est etiã post prandium confirmari dum potest haberi episcopus, quam ipso recedente dilationem.

Sed nunquid aliquis ad hoc sacramentum suscipiendum posset seipsum præsentare episcopo? Dicitur quod non, quia confirmandus debet significari seu præsentari tanquam non habẽs propriam virtutem ad standum, sed indigens vt ab alio statuatur, & ideo ab alio est præsentandus. D

In fine nota quod confirmatus secundum morem communem se debet per septem dies obseruare à lotione capitis & frontis, propter inunctionem chrismatis & dignitatem huius sacramenti.

Insuper vt dicit Hugo de sancto Victore, tanto tempore debet confirmatus vnctionem conseruare in capite, vt scilicet caput non lauet, quanto aduentus spiritus sancti celebratur, hoc est diebus septem, vt aduentum spiritus sancti ad se totidem diebus agat, quot agit vniuersalis ecclesia aduentum spiritus sancti super apostolos. s. in Pẽthecoste. Quid autem sic hic res, & quid sacramentum? Dic quod sacramentum est ipsa consignatio quæ per manus episcopi fit in fronte confirmati, ex chrismate (vt supra tactum est) sanctificata. Res verò sacramenti est ipsa gratiæ spiritualis datio ad robur contra debilitatem seu instabilitatem ex fomite procedentem. E

F

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ ET PERTINENTIBVS AD IPSVM.

TERTIO loco se offert tractatus de corpore Christi seu de Eucharistia. Vbi primò tangendum venit tempus institutionis eius. Quæ vtilitas eius. In qua materia cælebretur. Quæ in eo sit præcisa forma verborum. Quis eius effectus. Deinde tanguntur Gerson. Secunda pars.

A aliqua de vero corpore Christi. De conditione recipientium. De conditione ministri.

De tempore institutionis sacramenti Eucharistiæ.

HOc sacramentum vt plures volunt, in die cęnę plenè institutum fuit, & habuerunt verba consecrationis plenam efficaciam à tempore illo vsque nunc, quantam modo habent. Alij volunt quod tunc forma verborum perfectè tradita fuerit, sed quod virtus verborum vsque ad pascha suspensa est. Vnde secundum eos non potuit corpus Christi confici in illo triduo, eò quod verba illa virtutem suam ex passione, sepultura, lateris apertione, & resurrectione Christi contraxerunt, quæ omnia repræsentantur per signacula quæ in missa fiunt. Sed credo quod prior sententia verior sit. Alioquin si Christus vlterius per decem annos post cænam illam vixisset, non confecissent apostoli virtute illorum verborum quod non reputatur verum.

Quæ sit vtilitas.

ASSIGNANTVR hic plures vtilitates, quę causæ sunt quare institutum est hoc sacramentum. Est autem prima & principalis, vt sicut homo per esum ligni vetiti perdidit vitam, ita recuperet per esum ligni vitæ. Secunda causa proxima huic est, vt hic scilicet sit aliquod nutrimentũ hominis spirituale, secundum illud psal. Panem angelorum manducauit homo. Tertia, vt vniantur membra corporis Christi suo capiti. Hic enim cibus conuertit cibantem in se, vnitque sibi membra cibantia. Vnde Augu. in libro confessionum loquens sub nomine Christi. Non me mutabis in te sicut cibus carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Quarta causa est, vt augeatur meritum fidei quæ in hoc sacramento maximè meretur, quam causa tangit magister in. 4. senten. dist. 12. Quinta est subleuatio spei, vt recipiamus in cœlo sua, quò hic recipimus semetipsum, quã causam tangit Chryso. super Io. Sexta est dilatatio charitatis quæ huius sacramenti sumptione augetur, eò quod sit sacramentum amoris, vt dicit Hilarius. Septima diminutio venialium, sicut infra tangetur. Psal. 77.

De materia sacramenti.

MATERIA huius sacramenti nõ est res vna sed triplex, scilicet panis triticeus, & vinũ aqua mixtum, quibus Christus ea in carnem & sãguinem suum conuertendo contulit vim talem, vt essent materia huius sacramenti. Vnde Alexander papa de conse. dist. 2. In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum & vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Vnde quamuis nõ legatur in euangelio, æstimatur tamen aqua simul cum vino in calice Domini fuisse. Vnde Damascenus. Capiens calicem ex vino & aqua, tradidit eis, dicens. Bibite ex hoc omnes. Item de cõse. dist. 2. A Domino admoniti & instructi sumus, vt calicem Domini cum aqua mixtum secundum quod Dominus obtulit offeramus.

Sed hic plura scire oportet. Ad scilicet primo deficiente aliquo istorum conficiatur? Item an possit confici de pane siliginoso. Item an de

azimo tamen vel de aliquo modo fermentato? Item an confici poterit si vinum tam modicum fuerit vt omnino sit ab aqua absorptum? Item an sine aqua possit quis conficere. Et quantum de aqua in calice sit apponendum? Item an panis transeat in carnem & sanguinem & animam & deitatem, & similiter vinum in hæc etiam omnia? Item an aqua transeat tantum in sanguinem vel primo transeat in vinum, & deinde illud vinum in sanguinem? Item an in alio liquore liceret hoc sacramentum celebrare?

A

Responsiones. Ad primum dicitur secundum opinionem eorum qui dicunt, quod in vltimo instanti prolationis primæ clausulę.s. hoc est corpus meum, fit transsubstantiatio panis in carnem Christi,& est ibi Christus perfectus sub specie panis. Deinde prolatis verbis super vinum, fit ibi sanguis Christi per conuersionem, & ibi est totus Christus. Secundum hanc inquam opinionem quæ probabilior apud multos habetur,dicẽdum est quod antequam aliquid dicatur super vinum est facta panis transsubstantiatio in corpus Christi. Alioquin deciperetur ecclesia adorando illam hostiam in eleuatione. Vnde quamuis vinum deesset, facta tamen esset illa transsubstantiatio panis in corpus Christi.Eadem ratione dicunt quod dictis verbis super vinum, etiam absente pane fieret sanguis Christi, & totus Christus esset sub specie vini. Peccaret tamen mortaliter qui scienter prætermisso altero consecraret, nisi forte ab infidelibus tempore consecrationis impediretur. Si autem alias & aliter defectum alicuius prædictorum missa iam incepta deprehenderet non deberet consecrare, nisi ante prolationem verborum consecrationis posset defectum cautè supplere. Si autem pane consecrato vt ab infidelibus aut alijs, vel infirmitate vinum consecrare impediretur, tunc vnus alius sacerdos ad verba sequentia deberet incipere scilicet ea quæ pertinent ad consecrationẽ sanguinis & perficere. Si verò tantum deesset aqua,dicitur quod omittens grauiter peccaret, & grauissimè si scienter consecraret,& cõficeret tamen. Quamuis enim aqua sit de necessitate sacramenti, non tamen adeò est de necessitate quin tunc sine ea fieret sacramentum in specie vini. Cuius ratio ex hoc habetur, quia si aqua vino admisceatur ad hoc quod inde conficiatur, oportet ita modicam esse, vt absorbeatur aqua à vino vt totum sit vinum, & tunc inde conficitur vnde prius transit aqua in vinum quam inde conficiatur. Quare ergo ex hoc vino non commixto sicut ex illo mixto cum eiusdem speciei sint confici non possit, non video. Veruntamen decretum quoddam de conse. dist. 2. videtur velle contrarium, vbi apparatus dicit quod secundum aliquorum opinionem in prædicto casu non fit consecratio.

B

C

D

In secundo casu: vtrum scilicet de pane siliginoso possit confici. Dicitur quod non. Sicut enim non potest baptizare nisi in aqua, immo mersione facta in vino cæteris etiam omnibus alijs ritè seruatis, non est baptizatum. Sic propter institutionem primariam huius sacramenti, quæ statuit fieri in pane triticeo, non potest confici de pane alio. Sed quid si tritico fuerit siligo admixta? Dic quod dummodo maior pars sit frumentum, sufficit. Et dico maiorẽ partem in quantitate & virtute, vt scilicet à frumento absorbeatur quicquid est ibi de non frumento, alioquin non esset panis triticeus, & perinde in eo confici non posset.

In tertio casu, quando scilicet conficitur de pane fermentato, sicut conficiunt Græci, dicunt ferè omnes quod non sine graui peccato conficitur de fermentato. Quia tamen fermenti admixtio speciem & virtutem fermenti siue panis triticei non destruit, dicunt quod si conficitur de fermẽtato quod consecratum est. Et ponunt exemplum de baptismo, qui debet fieri in pura aqua, & tamen secundum eos si aliquid de alio liquore admisceatur, quod possit ab aqua omnino absorberi, & ita aliquis baptizatus fuerit quod verè baptizatus est, eò quod adhuc remaneat aqua in specie & virtute sua. Secundum tamen Huguelinum in apparatu suo, qui de fermentato conficit, nihil agit. Prior tamen opinio est probabilior.

In quarto casu dicitur à magnis, quod ex quo tam modicum apponitur de vino, vt omnino ab aqua absorbeatur, cum aqua tunc magis colorata dici debeat, sit quam vinum, & de aqua confici non possit, per consequens nec de tali commixtura confici poterit. Vnde secundum istorum opinionem illi non conficiunt qui pannum lineum in vino intinctum per totum annum conseruant, & in tempore sacrificij particulam eius in aqua calicis abluunt, vt legitur de consec. dist. 2. c. cum omne. Opinio quorumdam decretistarum tenet contrarium, scilicet quod conficiatur cum vino ab aqua absorpto, sicut recitat magister Gal. in summa.

Quoad quintum verò scilicet an sine aqua possit confici, & quantum sit apponendum de aqua, patet per antedicta respondendo ad primũ, & ad hoc præcedens scilicet quod tamen modicum vt à vino absorberi possit.

Ad sextum autem in quo quæritur an panis trãseat in carnem, sanguinem, animam & deitatem, & similiter vinum. Dicendum quod totus Christus est sub vtraque specie, sed tamen panis transit in carnem Christi, & vinum in sanguinem. Sed quia totus Christus inseparabilis est, ideo sub specie panis est caro per conuersionem & transsubstantiationem, & sanguis & anima, & deitas per concomitantiam, eò quod caro eius sine sanguine, anima & deitate nunquam sit, virtute enim verborum est principaliter ibi caro & consequẽter cætera omnia Christi. Vnde Christus totus est ibi verborum virtute, sed tamen caro principaliter, & cætera consequenter, & sub specie vini tantum est sanguis Christi per conuersionem & transsubstantiationem, reliqua autem Christi omnia per concomitantiam.

E

F

Ad septimum verò quo quæritur, an aqua transeat in sanguinem vel tantum in vinum. Dupliciter respondetur secundum duplicẽ opinionem. Ponit enim quædam opinio quod aqua non trãseat in sanguinem Christi verum, sed tantum est ibi ad significandum populum secundum quod dicitur de conse. di. 2. ca. cum omne. Cum in calice Christi aqua vino miscetur, Christo populus adunatur. i. adunari signatur. Alia opinio (cui magis credere possumus) ponit quod aqua transit in sanguinem, sed hoc cum prius est à vino absorpta,

sorpta, & ita verum est quodammodo quod aqua non transit in sanguinem scilicet immediatè, quia non transit nisi prius sit absorpta à vino, & quasi facta vinum, & sic non contradicit priori opinioni.

Ad vltimum scilicet an de aliquo alio liquore liceret conficere. Dic quod non. Sed nunquid confici possit in aggresta? Item nūquid de aceto? Ad primum istorum dic quod non, nisi tunc cū visibiliter in ipso aspectu inceperit vinum apparere, & gustus iudicet vinum esse vel vini saporem habere. Ad secundum istorum dicendum quod si acetum fuit de vino, tunc potest de eo confici, aliter non. Quibus ego non credo, eò quòd (vt vult philosophus in metaphysica sua) acetum nō est vinum neque potest fieri vinum, & ideo de aceto non potest fieri confectio, sed de vino acido potest, licet non sit tutum de vino acido conficere propter reuerentiam sacramenti. Et ita sentiunt doctores theologi, priori verò consentiunt quidam decretistæ.

Quæ sit forma verborum præcisa in sacramento Eucharistia.

FORMA autem verborum quæ pertinent ad consecrationem, hæc est: Hoc est corpus meū, & nihil amplius, vt volunt fere omnes. Quod enim additur, Accipite & comedite, ad vsum pertinet sacramenti & non ad confectionem, & ideo non dicitur esse de forma. Hæc etiam est forma verborum in consecratione sanguinis. Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti, mysterium fidei qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Vnde quamuis non legantur omnia verba hæc seriatim in euangelio, credendum tamen est quod illa habeat ecclesia ex speciali traditione Domini. Quod patet ex verbis apostoli. j. ad Corin. 11. c. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis quia Dominus &c. Et quia forma verborum illorum vehementer impressa fuit cordibus discipulorum & in quotidiano vsu, ideo non est adeò diligenter ab apostolis scriptum, sicut fuit à Christo factum & dictum, vt videtur velle Damascenus.

Sed tunc quæres an solis his verbis possit nunc confici, non additis orationibus præcedentibus? Item an immutata in aliquo ista forma possit verbis illis confici corpus Christi, vt pote si adderetur aliquid vel minueretur vel mutaretur vel corruptiuè pronunciaretur?

Ad primum dicitur secundum multos & magnos, quod possit confici solis illis verbis Domini prolatis à sacerdote, tamen & cum apparatu conueniente secundum constitutionem apostolorū & ecclesiæ. Cum his solis verbis in primaria institutione facta benedictione hoc sacramentum cōpletè consecratum sit. Quod confirmare videtur sententia Alberti in suo libro de sacramentis qui ait: Quomodo potest qui panis est, corpus Christi esse? Confectione quidem verbis & sermonibus Domini Iesu. Nam per omnia alia quæ dicūtur, laus Deo defertur. Veruntamen grauissimè peccaret qui aliter faceret, etiam in quacumque necessitate, hoc est qui verba præcedentia scienter omitteret, eò quod hoc sacrametum non est simplicis necessitatis. Vnde sic non posset eum ne-

cessitas excusare. Alij æstimant quod sine præcedentibus quæ dicuntur in secreto missæ, nō fieret A confectio, & hoc propter statutum ecclesiæ. Primum tamen videtur aliquibus verius.

In secundo casu suprapposito principali distinguitur, quia in tali transmutatione vel corruptione verborum aut intenditur hæresis aut non. Si sic, creditur quod illis verbis non conficiatur, vt superius est dictum in consimili de baptismo. Si autem non intenditur hæresis, adhuc distinguitur, quia aut tali facta mutatione seu corruptione vel additione stat adhuc sufficienter sensus verborū B aut non. Si non stat, creditur quod non conficitur, vt si dicatur. Non est hoc corpus meum, vel hoc est corpus meum scilicet Thomæ vel huiusmodi. Si autem sensus verborum stat, creditur quod prolatis verbis, quacumque etiam transpositione vel corruptione, etiam in quocumque vulgari fiat, conficitur sacramentum, quoniam (vt dicit Huguelinus) non multum curandum est de modo sermonis, dummodo res integra sit. Aliqui videntur oppositum sentire, quos tantum vide- C tur mouere statutum ecclesiæ, quod nec addendo vel minuendo, nec transponendo permittunt irritare.

Quis sit effectus sacramenti Eucharistia.

EFFECTVS autem huius sacramenti ponitur duplex secundum magistrum in sentētijs. Secundum ipsum enim duo efficit, scilicet charitatis augmentum & infirmitatis, hoc est venialis peccati diminutionem. Possunt & alij assignari D huius sacramenti effectus, iuxta eius supra tactas & declaratas vtilitates. Hos autem effectus seu vtilitates ibi recitat, quia isti sunt notabiliores.

Sed ex quo ponitur quod valet ad diminutionē venialium, quæ res an eius sumptio in aliquo casu deleat omnia venialia? Item an in aliquo casu valeat ad deletionem peccati mortalis? Item an si deleat veniale, deleat ei debitas pœnas?

Ad primum dicitur secundum illos qui dicunt quod sine veniali non possit hic quis viuere, quod nunquam delet omne veniale quin aliquid relin- E quat. Semper enim relinquitur in anima minor amor Dei quam esse debeat. Eo quod in via secūdum Aug. nō impleatur ex toto hoc præceptum, Diliges Dominum Deū tuum ex toto corde tuo &c. Et minor amor. Dei est peccatum veniale secundum Augu.

Ad secundum, scilicet an deleat mortale peccatum, dicitur quod non, quia istud sacramentū non ordinatur contra mortale peccatum. Cum enim triplex sit culpa scilicet originalis, contra F quam specialiter baptismus ordinatur, & actualis quæ duplex est scilicet mortalis, contra quam specialiter ordinatur pœnitentia, & venialis, contra quam ordinatur Eucharistia patet quod de se tantum veniale delet.

Ad tertium dicitur, quod delet veniale & pœnam ei debitam, hoc tamen intellige secundum magis & minus, secundum scilicet quod magis aut minus afficitur conficiens vel recipiens hoc sacramentum ad mortem & ad passionem Christi, quæ in ipsius Eucharistiæ sacramento repræsentantur.

Aliqua de vero corpore Christi.

HIc breuiter tanguntur aliqua de ipso corpore Christi. Primo scilicet qualiter post fractionem factam in speciebus panis, totus Christus sit sub qualibet particula, qui prius totus fuit sub tota hostia. Item an corpus Christi in ventrem intret, & si sic, quamdiu ibi existat.

Ad intelligendum autem qualiter totus Christus est sub qualibet parte hostiæ qui prius fuit totus sub tota hostia datur aliquale exemplum de speculo. In speculo enim integro apparet vnica imago scilicet inspicientis, si tamen sit solus vnus inspiciens, fracto autem speculo in qualibet parte fractionis eadem apparebit imago, si tamen inspiciens easdem particulas inspiciat. Ita Christus qui est imago Dei patris, sub hostia integra totus est, & post fractionem hostiæ imago eadem, idemque Christus sub qualibet fractionum particula remanet.

Ad secundum scilicet vtrum in ventrem vadat? Dicitur secundum quosdam quod dum est in ore, adhuc præsens est sub illis speciebus, sed statim cum glutitur corpus Christi, transit in mentem, & species illæ panis & vini ni ventrem. Alij quibus magis credendum est, dicunt quod intrat in ventrem, & ibi tandiu remanet, quamdiu species illæ sunt incorruptæ, & cum species desinunt ibi esse panis & vini, desinit etiam ibi esse caro & sanguis Christi. Quod etiam contingeret in pyxide, si per diutinam conseruationem corrumperetur, & perirent illæ species. Nec obstat verbum Augustini quod videtur mouere eos qui sunt in priore opinione scilicet quod quamdiu est in ore, tandiu est in mente. Nec datur in secessum, sed rapitur in excessum. Per hoc enim non negat Aug. quin vadat in ventrem, sed negat quod traijciatur in alimentum corporis, & quod digeratus in stomacho, & quod pars trahatur ad hepar & formetur in sanguinem quo restaurarentur deperdita corporis, & pars impurior in secessum vadat, sicut est videre in cibo corporali. Hoc enim nefas esset dicere, immo etiam cum assensione cogitare.

De qualitate seu conditione recipientium.

NVNC de conditione recipientium restat aliquid tangendum. Et primò quæritur, an possit sumi ab illo qui est in peccato mortali? Et an debeat hoc sacramentum in aliquo casu existenti in peccato mortali dari? Item an existenti in peccato mortali possit loco Eucharistię dari hostia nõ consecrata. Item an possit sumi ab eo qui nocturna illusione pollutus est. Et an à menstruata? Item an ab eo qui nocte præcedente cognouit vxorem suam. Item an liçet cognoscere vxorem suam die receptionis. Item quæritur quare non datur Eucharistia populo sub vtraque specie? Respondetur in primo casu, & dicitur quod aut aliquis scit se esse in peccato mortali, aut non. Si scit, peccat mortaliter sumendo, nec debet aliquo modo sumere. Si non scit se esse in peccato mortali, scit tamen, sed post sufficiens conscientiæ suæ scrutinium hoc deprehendere non potest, & tunc sumere potest, nec peccat si sumat. An autem debeat existenti in peccato mortali dari si petat? Distingue, quia aut ille qui petit est, in mortali publico, aut in occulto. Si in occulto quamuis illud

A certissimè sciat sacerdos, petenti tamen in publico debet dari, alioquin peccatum secretum publicaret, quod fieri non debet. Si autem petat in secreto, vetare potest sacerdos & debet. Si autem sit in peccato mortali publico, tunc publicè negare debet, vt publicis meretricibus & histrionibus, & huiusmodi petentibus & non petentibus, quibus negare debet, vt plenè dicit canon de conse. dist. 2. De hoc autem quod secundo quæritur scilicet an existenti in peccato mortali debeat dari simplex hostia loco Eucharistiæ? Dicunt maiores

B quod non tamen quia hoc non videtur Deus facto suo approbare, immo contrarium, nam corpus suum dedit Iudæ, quem sciebat esse in mortali peccato, tum quia nescitur an visitauerit eum Dominus, quia nescit tarda molimina spiritus sãcti gratia, tum quia simulatio talis esset ei cui daretur inutilis. Ex quo enim corpus Christi petit, per eum non stat quin accipiat, & sic æqualiter peccat. Secus si expressè peteret sibi hostiam non consecratam dari, tunc enim ei dare posset, ita tamen quod illa hostia seorsum poneretur à conse-

C cratis, ne ecclesia deciperetur dando ei non consecratam acsi consecrata foret. Propter quam etiã causam reprobatur cõscius sibi mortalis criminis, simulans se conficere vbi non conficit, vt habetur extra de mis. cele. c. ab homine.

Ad tertium, quo scilicet quæritur. An pollutio nocturna impediat sumptionem? Respondetur, aut quia venit pollutio ex superfluitate humorũ, vel ex infirmitate naturæ, vel ex illusione diabolica, & tunc nullus dicitur ibi esse reatus culpæ,

D nec cogitur quis propter talem pollutionem abstinere à ministerio altaris vel à sumptione Eucharistiæ. Et dico notanter, non cogitur, quia causa reuerentiæ à tali celebratione aut sumptione abstinere laudabile est. Si autem cõtingat dicta pollutio nocturna ex crapula, vel ex aliqua fœdæ delectationis permeditatione, tunc si potest fieri sine scandalo, debet abstinere nisi necessitas cogat, vt pote vbi alius qui celebret, non inuenitur. Magna enim reuerentia exhiberi debet sumptioni, & si fieri potest, multo maior consecrationi. Cæterũ

E menstruata non est arcenda à communione, eò quod passio sit, & pœna sit hoc pati, & non culpa. Et propter pœnam quis arcendus non est.

Ad aliud sequens quod est quartum. An scilicet ab eo qui nocte præcedenti cognouit vxorem suã, suscipi possit Eucharistia? Dicitur quod reddens debitum propter fidem thori & iustitiam, vel etiã exigens propter bonum prolis, non debet prohiberi à communione, sed suo iudicio est circa hoc relinquendus, an velit scilicet abstinere ex hu-

F militate vel accipere ex deuotione. Secus autem est si ex infirmitate carnis hoc exigat, quia iste monendus est ne accipiat, & non est suo iudcio quoad hoc relinquendus. Si autem omnibus modis ex deuotione se ingerat, non est prohibendus.

Hoc etiam seruandum est respectu quinti, quod die scilicet communicationis causa reuerentiæ nullo modo reddendum est debitum, nisi alter coniugum instanter petat. Si etiam alter reddat, vel etiam si petat, peccat quidem sed non mortaliter.

Ad vltimum verò scilicet sextum, quare non datur populo sub vtraque specie. Dicitur quod triplex

plex est ratio. Vna, quia non legitur Christũ corpus suum sanguini intinctum præbuisse. Nec est contrarium de Iuda, cui videtur Dominus intinctum panem porrexisse. Quia secundum Aug. prius verum corpus dedit, & postea panem vsualem intinctum. Alia causa est imminens periculũ, quia scilicet facilius caderet gutta sanguinis quam mica hostiæ, quia in hostia partes cohærent sibi, non sic in sanguine. Tertia causa est præcedens signum, quia in lege qua in sacrificijs offerebant libamina, de libamine nihil habebant offerentes, sed sacerdotes tantum, licet de alijs haberent. Vt ergo congruat veritas signo, nõ datur populo Eucharistia cum sanguine.

De qualitate seu conditione ministri sacramenti.

VLTIMO restat dicere de ministro scilicet quis posset consecrare. Et scias quod habens ordinem sacerdotalem, & solus talis potest consecrare Eucharistiam, & corpus Christi conficere. Quinimmo & si malæ vitæ fuerit & hæreticus, dummodo formam ecclesiæ teneat, intentionem habeat consecrandi, cõficere potest corpus Christi, quamuis magister in sententijs videatur sentire contrarium, nisi intelligat de his qui præcisi ab ecclesia non obseruant ritum celebrandi ab ecclesia traditum, quia tunc constat quod non cõficiunt. Nec obstat quod secundum canones prohibetur quod missa aut aliqua sacramenta recipiãtur ab hæreticis, simoniacis, scismaticis, fornicarijs, quia per hoc non dicitur quin conficiant. Solus ergo (vt dixi) habens ordinem sacerdotalem conficere potest.

Sed quæritur vtrum non ieiunus potest conficere? Item an post sumptionem medicinalium vel potum aquæ? Item si nõn debito loco, vt pote in altari non consecrato, vel super terram vbi non est altare, vel sine sacris vestibus possit celebrari?

Ad primum dicendum est, quod propter institutionem ecclesiæ apostolicæ peccat mortaliter qui pransus celebrat, conficit tamen, dummodo intentionem habeat seruandi formam & debitam materiam. Quod autem à ieiuno conficiatur, nõ est de sacramenti essentia.

Ad secundum dicitur quod post medicinalium sumptionem, vel etiam potum aquæ non est celebrandum, eò quod omnis cibus quem vsualiter cibum vocamus, hoc est qui transit in ventrem, si non conuertatur in corpus frangit ieiunium, & impedit celebrationem. Insuper huiusmodi medicinalia in hoc impediunt, quia frequenter inducunt abominationem. Si tamen isti de facto confecerint, consecratum est, sed grauiter peccãt.

In tertio articulo siue casu dicitur, quod huiusmodi tamen habent intentionem conficiendi cõficiunt, sed mortalissimè scilicet qui in non debito loco vel sine sacris vestibus celebrat. Et si posset inueniri foret degradandus.

DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ ET PERTINENTIBUS AD IPSUM.



QVONIAM de sacramẽto pœnitentiæ sufficienter in summa Raymundi tractatur, quæ passim apud fratres habetur ideo pauca hic de hoc pœnitẽtiæ sacramento dicenda sunt. Et primò de ipso sacramento in genere aliqua dicantur. Secundò aliqua de eius partibus tangantur. In genere ergo prius videndum venit. Quid est pœnitentia. Quot & quæ eius species. Quid in ea sit sacramentum. Et quid res. Et quis sit eius effectus. An necesse sit quod fiat in charitate voluntariè. Et an quis possit pro vno peccato mortali pœnitere non pœnitendo de omnibus. An pœnitentiam pro se factam teneatur quis dum conualuerit, iterum facere. An pœnitentię hic diminutæ à confessore iniunctæ, superaddet Deus quod deest in purgatorio. Quæ sunt pœnitentiæ regulares & canonicæ. Et quare pro peccato mortali tenetur quis ad septemnem pœnitentiam. An pœnitẽtiæ sint arbitrariæ. Quis sit minister in hoc sacramento.

Quid est pœnitentia in generali.

EST autem pœnitentia secundum Ambro. mala præterita plangere, & iterum plangenda non committere i. non habere propositum iterũ committendi. Et nota quod secundum magistrũ in li. 4. senten. est pœnitentia interior scilicet cõfessio & satisfactio. Interior verò pœnitentia quodammodo radicaliter omnis pœnitentia est. Ipse enim dolor exerit se in ore per confessionem exerit etiam se in opere per satisfactionem. Et hęc interior pœnitentia. i. contritio habetur specialiter secundum Ambrosium quia ipsa principaliter est pœnitentia, radicabiliterque omnis pœnitẽtia.

Quod & quæ sunt pœnitentiæ species.

DISTINGVVNTVR autem tres species pœnitentiæ. s. solemnis quæ fit in capite ieiunij cum illa solemnitate, de qua habetur de pœnitentia, dist. 5. c. in capite. Item publica, cum iniungitur scilicet aliqui peregrinatio per mundum cum baculo cubitali, & cum aliqua veste religiosa tali pœnitentiæ, apta. Itẽ priuata quæ quotidie imponitur his qui secretius sua confitentur peccata. Cætera circa hæc quære in summa Raymundi ti. de pœnitentijs.

Quid in pœnitentia sit res, & quid sacramentum, & de eius effectu.

QVID autem in ea sit res & quid sacramentũ. Dicitur quod sicut in sacramẽto Eucharistiæ species panis & vini sunt sacramentum geminæ rei, scilicet corporis Christi veri & mystici, ita hic confessio & satisfactio sunt sacramentum contritionis & remissionis peccati. Vnde virtute contritionis efficiunt quod figurant scilicet remissionem peccati. Sic ergo intelligendo patet quod contritio diuersis respectibus & res est & sacramentum. Res scilicet confessionis & satisfactionis quæ sunt eius sacramentũ Et sacramentum remissionis peccati quæ est eius res. Ex quo in parte patet quis sit effectus pœnitentiæ, scilicet remissio peccatorum, & commutatio pœnæ æternæ in tẽporalem, & ex consequenti collatio vitę æternæ.

An quis possit de vno peccato pœnitere & non pœnitendo de omnibus.

AN autem existens in vno mortali peccato possit agere pœnitentiam famosam de alijs prius est inquirendum. Et dic quod non. Quia etiam apud homines remanentibus inimicitijs, nõ

recipitur satisfactio lædentis. Vnde cum retento vno mortali peccato, inimicus Dei fiat peccator & ab eo auersus, patet quod valere nō potest pœnitentia pro pluribus commissis vno tantum retēto, quia in illo vno inimicatur Deo. Et hoc satis clamat apostolus. 1. Corin. 13. dicens. Si habuero prophetiam, &c. & corpus meum tradidero ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Vnde opinio quæ in. 4. senten. ponit contrarium, manifestè hęretica est. Si iuxta hoc quæras, an oporteat quod pœnitentia sit voluntaria ad hoc quod satisfaciat? Dic quod sic. Distingue tamen quod aliquid dicatur voluntarium dupliciter. Aut propter se vt sanum esse est volūtarium, sed propter. i. propter ipsam sanitatem, quia enim bonum est sanum esse, ideo sanari volo. Aut propter aliud scilicet propter bonum exinde sequens sicut secari voluntarium est, non quidem propter se, sed propter consequentem sanitatem. Sic ad propositum dico pœnam quæ est in pœnitentia oportere voluntariam esse, non quidē propter se, quia nūllus propter se. i. propter ipsam pœnitentiam vel pœnam eam vult aut libenter accipit, sed bene ex consequenti scilicet propter salutem animæ consequendam.

An pœnitentiam pro se factam teneatur homo dum conualuerit iterare.

CÆTERVM cum quæritur, an pœnitentiā per alios factam teneatur quis dum conualuerit iterum facere, puta ægrotus aliquis dum adhuc sanus erat, pœnitentiam condignam suscepit à sacerdote, deinde de vita sua desperans ipsam amicis imponit, qui eam peragunt antequam plenè conualuerit. Quæritur vtrum iste post suam cōualentiā ad pœnitentiam iniunctam, sic per amicos suos peractam teneatur? Respondetur quod quia potest apud talem dubium esse, vtrum illi sui amici ipsam pœnitētiam ex charitate fecerint, quæ talis non sufficeret. Insuper quia non tam efficaciter satisfacit pœnitentia ab alijs facta, sicut illa quæ ab ipsomet pœnitente fit. Ideo securum est quod iste de ea iterum satisfaciat postquam fuerit redditus sanitati, immo & eam facere tenetur ne incerto se discrimini committat. Et expedit quidem, quoniam si prior pœnitentia per aliquos facta satisfecit pro culpa, secunda quam ipse faciet, cedet ei in augmentum gloriæ.

An pœnitentiæ diminutæ addet Deus in purgatorio quod deest.

SEQVENTI verò articulo quæstionis scilicet an pœnitentiæ diminutæ inflictæ, addet Deus quod deest in purgatorio? Dicit magister in li. sēten. quod sic. Ait enim. Si interior pœnitentia scilicet contritio in vindictam peccati non sufficit nec exterior pœnitentia hic impletur, Deus qui modos & mensuras peccatorum nouit, pœnam sufficientem addet. Vnde quoniam condignam pœnam non iniungit sacerdos, vel si iniungit non tamen impletur, non absoluitur pœnitens à condigna vel tota pœna correspondente, sed à tanta scilicet quantam facit hic. Vnde de tanta erit absolutus non autem de residua, quin scilicet in purgatorio compleat. Tamen magnitudo contritionis & feruor implendi quod iniungitur, multum poterit facere ad hoc quod condigna reputetur.

A Vnde dicit Hugo de sancto Victore libro suo de sacramentis. Sæpe quod minus foris agitur, efficacius intus operatur. In aliquo enim opere apparētia exteriori magna potest deuotio esse.

Quæ sunt pœnitentiæ canonicæ, & quare pro peccato mortali agi debet pœnitentia septennalis.

QVÆ autem pœnitentię canonicæ sint, ex hoc accipe, quod regulariter pro peccato mortali debet agi septemnis pœnitentia, vt dicit canon. 33. q. 2. Cuius dicti multiplex ponitur ratio, præter eam quam canō de Maria scilicet sorore Moysi, quæ iubetur excludi per septem dies extra castra

B videlicet propter septemplicem gratiam spiritus sancti recuperandam, quam peccando perdidimus. Item propter septemplicē concursum peccatorum, quia vno peccato perpetrato, concurrunt omnia septem capitalia, secundum opinionē dicentiū quod habito vno habētur omnia. Iuxta illud pro sexdecim septendecim nequitiæ in corde eius.

Itē propter recuperationē septē dotum, quia per pœnitentiam septem dotes recuperamus quatuor

C scilicet corporis & tres animæ. De quibus supra in fine tractatus de symbolo fidei in declaratione scilicet duodecimi articuli. Item propter recuperationem septē illorum ex quibus constat homo scilicet quatuor elementorum quo ad corpus & trium virium scilicet rationabilis, irascibilis, & cōcupiscibilis quoad spiritum. Pro enormitate tamē criminis debet quocumque maior pœnitentia quā septennis infligi. De qua materia require in summa Raymundi ti. de pœnitentia.

D *Vtrum pœnitentiæ sint arbitrariæ vel non.*

VTRVM etiam pœnitentiæ arbitrariæ sint necne, & qualiter sic, & qualiter non dicit idem Raymundus eodem ti. de pœnitentia. Nota tamē circa hoc duplex est opinio. Vna ponit quod omnes pœnitentiæ arbitrariæ sunt. i. quia in voluntate sacerdotis est dare vel plus vel minus, & hoc ex potestate & vi clauiū. Et huic opinioni ferè omnes confessores innitūtur. Alia ponit quod ita arbitrariæ sunt quod sacerdotum est iudicare de omnibus circunstantijs contingentibus, & ta-

E men à canonibus non recedere. i. à pœnitentijs à canone iniunctis. Consideratis enim circunstantijs si grauiores fuerint, pœnam canonicam aggrauare possunt. Si verò leuiores fuerint, sic scilicet quod factum diminuant, tunc de pœna canonica poterunt diminuere. Et hæc est opinio securior.

Quis sit idoneus minister in sacramento pœnitentiæ.

MINISTER autem huius sacramenti est sacerdos. Nā solis sacerdotibus dedit Dominus

F potestatem ligandi & soluendi. Et licet quilibet sacerdos ex vi ordinis huius sacra. minister sit, nō tamen cuilibet sacerdoti indistinctè permisū est ista potestate vti, immo respectu aliquorū est huiusmodi potestas ligata, vt tangit Raymundus in summa sua ti. de pœnitentia dist. 2. quæ est de cōfessione. §. tenetur pœnitens, & pluribus paragraphis sequentibus vsque in finem dictæ secundæ distinctionis. Et infra etiam aliqualiter tangetur vbi de ipsa confessione agetur.

De partibus sacramenti pœnitentiæ in generali.

NVNC ad partes pœnitentiæ attendendum est, quod sunt tres secundum triplex peccatum

tum, cordis oris & operis. Vel secundum triplex allectiuum ad peccatum scilicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & superbiam vitæ. Et sunt istæ, contritio confessio & satisfactio Hæc est triplex dieta qua deuenitur in cælum. De qua Exodi. 3. Ibimus viam trium dierum &c. De prima scilicet de contritione tangendum est primò quid sit. An dolor minimus sufficiat ad hoc quod quis virtutem habeat cótritionis. An oporteat contritionem cum tota vita protendi.

De prima parte pœnitentiæ. Quid sit contritio.

Definitur autem contritio ab aliquibus sic. Contritio est dolor voluntarius pro peccatis semper in se puniés quod dolet admisisse. Quæ definitio licet generaliter pœnitentiæ conuenire videatur, tamen maximè conuenit propter contritionem. In contritione enim esse ipsius pœnitentiæ maximè saluatur, eò quod oportet semper illam actu cum pœnitentia esse. Alias autem partes pœnitentiæ in casu sufficit vt adsint secundú votum & voluntatem. Definitur etiam & ab alijs sic. Contritio est dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi & satisfaciendi. Quoniam nisi adsit propositum confitendi & satisfaciendi, non est contritio, scilicet potius attritio nominatur. Quod si obijcias quod in valida contritione deletur culpa & pœna, vnde cum confessio & satisfactio pœnę sint, tam intensa poterit esse contritio, quod neque oportebit adesse confessioné neque satisfactionem. Ad quod dici potest quod nemo nouit se talem contritionem habere quæ delere possit vtrumque. Vnde vt non committat se quis discrimini, oportet quod quamuis habeat validam contritionem, habeat nihilominus propositum confitendi & satisfaciendi, maxime cum ista sint in præcepto ecclesiæ, & non parere præcepto, transgressio & peccatum mortale sit. Hoc tamen scito quod contritio sola in articulo mortis vbi non apparet cui possit fieri confessio, sufficit ad salutem, sed quoniam incertum est vtrum tunc cótritio possit haberi, stultum est illum tempus expectare, & tanto se discrimini reseruare.

An minimus dolor sufficiat ad habendum virtutem contritionis.

AN dolor minimus possit esse contritio, vel sufficiat ad delectionem culpæ præcipuè cú dicatur Tren. 2. Magna velut mare contritio tua, dubitari potest. Sed dicunt magistri minimus dolor sufficit ad delectionem culpæ, dummodo informatus fuerit charitate, vt pote qui exerat à se propositum confitendi & satisfaciendi, quia talis dolor contritio dicitur. Est ergo talis dolor contritio minima, hæc delet tantum culpam & reatú seu debitum pœnæ æternæ. Qui si maior fuerit, delet partem pœnæ temporalis debitæ. Si verò maximus fuerit, totam pœnam & totam culpam delet. Quæ autem talis sit, nescio, Deus scit. Et dicitur magna, vel maior, vel maxima contritio, secúdum quod ad maioré doloré mouemur, eò quod proni sumus ad doloré minoré debito, qui nó liberat à gehenna. Et quia per maioré doloré euacuatur culpa & tota pœna hinc cótritio dicitur minor & maior & maxima. Sed núquid oportet quod tá tus sit dolor vel pigentia, vt nollet homo pro toto mundo vel pro vita obseruáda, iterum mortaliter peccare? Planè dicitur quod sic, eò quod minus bonú semper debet velle amittere, ne maius amittat. Deus enim in infinitum maius bonú est toto múdo, qui tamen amittitur in peccato mortali. Vnde si pœnitens profiteatur se esse in tali proposito, amplectendus est, quia bene validá habet cótritionem. Si autem profiteatur se in ambiguo esse, vtrú cederet vel sustineret morté antequá peccaret mortaliter, adhuc fouendus est, non abijciédus. Sufficit enim aliquo modo istud ambiguú eò quod nullus certus est vtrum cederet vel sustineret. Vt dicit Augu. in lib. de virginitate. Sed si ex deliberata conscientia dicat se certum esse, quod prius peccaret quá cederet toti múdo, vel morté pateretur, istum dicút esse nó cótritum, nec vllam recipere remissioné peccatorum, eò quod nullam habet contritionem. Hanc tamen quantitatem contritionis non debet confessor exigere, vt corá se confiteatur pœnitens, sed per signa debet eam in ipso supponere. Si ita tamen de facto profiteatur, tenendum est quod dixi.

An contritionem oporteat cum tota vita protendi.

DE excessione contritionis, vtrum videlicet oporteat ipsam cum tota vita protendi, maximè cum medici nó protendatur vltra morbum, dubitari potest. Sed dic quod dolor contritionis non finitur, nec finiri debet in hac vita, immo sicut infinita est offensa in peccando, quia in Deum qui est infinitus, ita exigitur vt dolor de offésa pro modo possibili sit infinitus, vt scilicet æternitatem saltem vitæ hominis habeat, cum æternitatem simpliciter habere non possit, eò quod nemo sit qui semper viuat. Hoc est, si in ęternum in hac vita viueret, in æternum de peccato dolere deberet. Insuper morbus peccati quamuis euacuatus sit quátum ad culpam & reatú, semper tamen manet & manere debet quantum ad detestationem in memoriá perpetrati delicti, vt dicit Hugo de sancto Victore. Cum quo de morbo protenditur dolor vt eius medicina, qui non est curans morbú præteritum, sed præseruans à futuro. De effectu verò contritionis, & an in contritione deleatur peccatum antequá deueniat ad confessionem, inuenies in summa Raymundi ti. de pœnitentia. dist. 1. quæ est de contritione. §. Sequitur quis sit effectus &c. §. Qualiter autem hoc sit intelligendum.

De secunda parte pœnitentiæ scilicet de confessione in generali.

DE confessione & satisfactione non est opus multa tangere, eò quod diffusè de his tractetur in summa Ray. Nota tamen quid sit confessio, an sit necessaria ad salutem. Et an cadat sub præcepto. Et sub quo. Cui facienda est. Quantum differri possit.

Quid sit confessio in speciali.

DEFINITUR autem sic confessio. Confessio est legitima coram sacerdote peccatorú declaratio. Dicitur in ista definitione, peccatorum declaratio, contra illos qui peccata sua celando vel ea excusando occultant. Dicitur peccatorú contra eos qui recitant bona sua in confessione, vel qui confitentur per abnegationem peccatorú, vt non sum adulter, non sum homicida, & huiusmodi. Dicitur, coram sacerdote scilicet qui claué habet & potestatem soluendi, non coram quolibet de populo. Poterit tamen in necessitate, vt in periculo mortis, coram non sacerdote fieri. Lo-

gitima dicit quod importat omnes conditiones quæ exiguntur ad veram confessionem, quas quęre in summa Raymundi. ti. de pœnitentia. dist. 2. quæ est de confessione §. sequitur quæ sunt necessaria ad veram confessionem.

A

An confessio sit necessaria ad salutem.

PROPTER eos qui dicunt confessionem nō esse necessariam ad salutem, eò quod non cadat sub aliquo præcepto diuino, vt patet discurrēdo præcepta decalogi. Exo. 20. Notandum est inuiolabiliter obseruandum, quod absque vocali confessione vel signo, quod loco vocis sufficiat, non est salus, dummodo confessor haberi possit. Eò quod dicit Ambro. Non potest quis à peccato iustificari, nisi peccatum fuerit confessus. Et cōcedendum est quod sub præcepto cadat, sicut omne necessarium ad salutem. Sed attendendum est aliquid sub præcepto cadere dupliciter scilicet vel principaliter explicitè, vel secūdariò & implicitè. Primo modo confessio non cadit sub præcepto, eò quod non inueniatur expressè in aliquo decē mandatorum seu præceptorum. Cadit tamen secundariò & implicitè sub præcepto, & dici potest quod sub illo præcepto. Honora patrem tuū & matrem tuam. Vbi præcipitur honor & obedientia facienda matri ecclesiæ. Quia igitur ecclesia statuit & pręcepit confessionem homini fieri, ex consequenti in mandato illo præcipi videtur, vt homini fiat confessio. Vbi autem confessio instituta sit & præcipiatur ab ecclesia, require in summa Raymundi. titu. de pœnitentia. dist. 2. quæ est de confessione. §. cui sit.

B

C

Cui facienda sit confessio.

CVI autem facienda sit confessio, in summa prædicta Ray. dicitur. Veruntamen breuiter dici potest quod soli proprio sacerdoti est facienda, quia ille solus habet potestatem absoluēdi suos subditos, præterquam in casibus specialibus scilicet cum Dominus papa vel episcopus in dioccesi sua dat proprio sacerdoti adiutores, sicut facit cū transfert potestatem suam in pœnitentiarios suos, vel ordinat aliquos qui prædicando & exemplū bonæ vitæ dando moneant populum, & eos quos monuerint, audiant & absoluant. Vel cum plebs multa est, & non sufficit proprius omnes audire, tunc potest episcopus dare coadiutores. Sunt & alij casus scilicet cum sacerdos licentiat suum subditum, vt alij confiteatur. Et creditur quod tenetur licentiare in sequentibus casibus subditos. Et si non licentiauerit, potest ratihabitione alicuius peti scilicet cum quis habet indiscretum sacerdotem. Item cum probabiliter credit quod reuelet confessionem suam. Itē cum quis fornicatus fuerit cum filia, sorore, matre, vel concubina proprij sacerdotis, propter quod incurrere credit eius odium si confiteatur ei. Item cum probabiliter credit quod velit inclinare animum cōfitentis ad cōsensum mortalis peccati. Item cum quis occultus hæreticus deprehenditur. Item secundum aliquos, cum propriam ouem cognouerit. In huiusmodi casibus peti potest licentia proprij sacerdotis, ne contemni videatur. Et si non dederit, creditur vel quod maior adeundus, vel aliquibus illorum qui à superiore suo vel Domino papa potentiam absoluendi acceperunt, confiteri possit, eò quod fatuitas iudicaretur committere se discrimini, præsertim cum omnibus contradicentibus possim cauere periculum in corpore. Et fatuū esset dicere quod aliquo casu tenerer sequi eum qui me vult præcipitare in mente. Sunt & alij casus in quibus nō oportet expectare nec adire proprium sacerdotem. Vt cum quis peccauerit in parochia alterius, vbi ratione delicti efficitur de iurisditione eius in cuius parochia peccauit. Item cū quis mutauerit domicilium & in alterius parochia habitat. Item si est vagabundus per terras. Item cū est in articulo mortis. In quo casu siue habēti claues ligatas siue solutas, licet cōfiteri. Sed hic attēde quod Raymūdus & alij valde magni dicūt, cū prorius sacerdos dat suo parochiano licentiā vbi voluerit cōfitendi, oportet illū parochianū aliquē adire habētem generalē potestatē confessiones audiēdi, eò quod ipse proprius sacerdos parochianū suū licet possit de cōfitendo alteri licentiare, non potest tamē illū alienū sacerdotē licentiare quod talē possit confessionem audire, nisi accepta ab ordinario potestatem. Et tamen nos passim videmus quod plebani assumūt sibi in adiutoriū multos qui nunquā licētiati fuerūt ab aliquo ordinario. Vnde vult & scribit magister 6. de trano. in sūma sua de titulis, quod à iure in ordinatione data est eis potestas absoluēdi, & hāc recipit quilibet in sui ordinatione. Vnde cū assumūtur à plebanis in adiutoriū, possūt secundū ipsū cōfessiones audire, nā cū à iure licentiā habent, non egent licētia ordinariorum. Cæterū de verbo quodā quod dicit ipse. 6. de trano. ti. de pœni. & ti. de gradibus peccatorū, videlicet quod vsus cōtra naturā execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in vxore, dubitatio oritur apud magnos, eò quod ipse vi per verbū prædictū videtur velle, quod ille vsus etiam cū vxore propria semper mortale sit, quod aliquibus nō placet. Dicūt enim quidā quod propter necessitatem vt propter nimiā pinguidinem, vel apostema, vel vulnus in vētre, dummodo fieret indebito vase, si cognosceret vir vxorem modo inconsueto, excusabitur vir à peccato, dūmodo causa prolis habendę hoc fieret. Et vocant illi vsum cōtra naturā solū quando quis nō ea parte corporis vtitur, quæ ad generandū instituta est, sed alia. Magister Alexander de Ales dicit, quod peccat vir vxorē suā modo brutali cognoscendo, nec necessitas excusat à toto, licet diminuat quantitatē peccati. Vnde grauiter peccaret, & vt creditur mortaliter secūdum ipsum, qui sic cognosceret, nulla existente necessitate. Magister Alber. dicit quod nihil eorum quæ facit maritus cum vxore seruato vase debito, est secundum se peccatum mortale, sed potest esse signum concupiscentiæ mortalis, scilicet quando non sufficit modus quem natura determinat, sed habent modos brutorum animalium, nulla existente necessitate. Vnde secundum ipsum quando alter eorum nimis pinguis est, vel quando contingit ventrem mulieris apostemari vel imprægnari, ita quod interius non est membrum applicabile, tunc causa prolis habendæ, vel causa reddendi debitum, vel causa fornicationis vitandæ, non est prohibendum aliter conuenire, nisi duntaxat vbi nulla præcedente necessitate, sed tantum ex libidine fieret. Istud tamen non expedit populum scire.

D

E

F

Quantum

Quantum possit confessio differri.

QVantum autem differri possit cōfessio, apud aliquos dubitatur. Dicunt enim aliqui quod confessio differri potest sine peccato vsq; in tempus determinatum. Et quod cōfessionem facere, non sic est præceptum quod oporteat quolibet tempore fieri. Sunt qui distingunt. Quia aut ille qui peccauit, nondum est contritus, sed manet adhuc in mortali peccato. Et tunc non confiteri data oportunitate, sicut non conuerti vel non conteri, est ei omni hora peccatum, sed non nouum peccatū, immo aggrauatio prioris, eò quod diuturnitas sit circunstantia aggrauans peccatum. Si autem ille qui peccauit, iam contritus est, dic quod tenetur confiteri aliquando, sed non tunc vel tunc. Et ex præcepto ecclesiæ infra annum, iuxta formam decretalis, omnis vtriusque. Quod si non confitetur, peccat mortaliter propter inobediētiam factam matri ecclesiæ. Vnde illud præceptū de confitendo, non obligat sub pœna mortalis, dum modo fiat infra tempus statutum, si tamen homo semper conteratur. Sed quid si ante tempus sit ad confitendum statutum, contingat aliquem antequam confiteatur, subitò mori, nec habuerit tempus conterendi de transgressione diuini præcepti, quo iubetur aliquando confessionem facere eò quod sit morte præuentus? Puto quod damnatur tanquam legis diuinæ transgressor, eo in quo instanti prius fuit soluendo. i. potēs soluere confessionē quia potuit confiteri vel dolere, quod non fuit confessus. Sed in vltimo instanti iam factus est transgressor. Hoc tamen non intelligatur de eo qui ex causa confessionem differt, vt scilicet habeat confessorem discretiorem, vel alia vtili causa, dummodo diligentiam apponat vt habeat.

De tertia parte pœnitentiæ scilicet satisfactione.

DE satisfactione breuiter dicendum est. Et primò quid sit. Quæ eius partes. An necesse sit ipsam fieri in charitate.

Quid sit satisfactio in speciali.

DEfinitur autē sic satisfactio secūdum Grego. à magistro in 4. li. senten. Satisfacere est causas peccatorum excidere, & earum suggestionibus additum non indulgere. Et vocat causas peccati occasiones allicientes ad peccandum. Quarum quędam propinquæ sunt peccato. Et hæ sunt in nostra potestate, vt eas possumus amouere vel excidere. Verbi gratia. Cæna splendida causa propinqua est luxuriæ, vt Hiere. 6. Saturaui eos & mœchati sunt. Et hanc causam seu occasionem possumus amouere & excidere. Sūt & aliæ causæ seu occasiones peccati remotiores quæ in nostra potestate non sunt, vt puta oblatio talis cœnæ, vel alicuius rei delectabilis oculis cordis nostri, vel suggestio diabolica de tali splendida cœna. Non est enim in nostra potesta arcere diabolum, quin talia oculis mētis nostræ offerat. Occasiones ergo peccatorum propinquas debemus excidere, quia in nostra potestate sunt. Sed occasionibus peccatorum remotioribus si veniant à parte diaboli vel carnis vel mundi, non debemus consentiendo aditum indulgere, eò quod nostra in potestate sit eas non recipere.

Aliter autem definitur sic. Satisfactio est damni
A vel iniuriæ illatæ recompensatio secundum iudicium & ordinem iuris.

Quot & quæ sint partes satisfactionis.

SAtisfactionis autem ponūtur tres partes. s. oratio: eleemosyna, ieiunium. Quæ generaliora sūt in satisfactione cuiuslibet peccati. Cum enim quis peccat, delinquit in Deum: & cōtra hoc specialiter satisfacit oratio. Item delinquit in ecclesiam, hoc est in proximum: & contra hoc specialiter satisfacit eleemosyna, item derelinquit in se-
B ipsum, & contra hoc specialiter satisfacit ieiuniū. De quibus illud dicitur. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.

An necesse sit confessionem & satisfactionem fieri in charitate.

VLtimò quæritur causa breuitatis de confessione & satisfactione simul, vtrum necesse sit quod fiat in charitate? Et an qui confitetur & satisfacit extra charitatem, teneatur iterum confiteri, & iterum satisfacere? Et dicunt hic plures
C quod vtrumque debet fieri in charitate, & repeti si fiat extra charitatem.

Alij circa vtrumque distinguunt. Et primò de confessione dicunt quod oportet quod fiat in charitate, ex quodam tamen consequenti, ita quod oportet quod fiat illud quod statutum est ab ecclesia. Et oportet etiam quod dum fit quod charitas habeatur, quia semper siue confiteamur siue non, nos tenemur habere charitatem. Et sic vt tactum est, nos tenemur ex quodam conse-
D quenti confiteri in charitate. Sed si fiat extra charitatem, non oportet (vt dicunt) eam repetere, sed solum satisfacere & confiteri quod confitendo prius ficti fuerimus. i. extra charitatem, dum tamen idem sit prior & posterior confessor, & memoriam habeat peccatorum confitentis. Alioquin oporteret repetere, quia integra debet esse confessio. Et isti dicti sui ponunt rationem quod scilicet ad hæc duo scilicet confiteri & charitatem habere tenemur diuisim, nam propter statutum ecclesiæ tenemur siue habeamus charitatem siue
E similiter tenemur habere charitatem siue confiteamur siue non. Et ideo potest vnum solui sine alio. Vt gratia exempli. Si teneor ire ad ecclesiam, & cum hoc teneor tota die esse capatus in ecclesia si vado ad ecclesiam sine capa, non oportet me iteratò ire ad ecclesiam, sed solum satisfacere de eo quod non fui tota die in ecclesia capatus. Cōsimiliter in proposito. De satisfactione autem dicunt quod in satisfactione duo sunt considerāda. s. ipsa solutio debiti, & ipse modus soluendi, ita vt per datum siue factum fiat solutio debiti, &
F per modum soluendi placeat solutio. Si autem per aliquem fiat extra charitatem solutio debiti puta bene taxatæ à sacerdote, sicut ieiunare per annum, & huiusmodi, dicitur quod de rigore non exigitur quod iteratò reddat, cum charitatē & gratiam adeptus fuerit, sed solum quod illud quod defuerit in modo, ipse pœnitendo soluat. Vnde qui tenebatur Deo iniunctam pœnitētiam facere, quod respicit debitum, & cum hoc in charitate & bene ordinata voluntate facere, quod respicit modum soluendi, debitum soluet sed non modo debito, oportebit talem confiteri & satis-

facere de indebito modo soluendi. Et tunc erit debita satisfactio, quia scilicet eiicit satisfactum prius, quantum ad debitum, nunc verò posterius satisfit quantum ad debitum modum. Reliqua plena tractantur in summa Ray. ti. de pœnitentia, propter quod multa causa breuitatis transeo.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS ET PERTINENTIBUS AD IPSUM.



EQVITVR aliqua tangere de sacramento vltimæ vnctionis. Et primò quid sit. De eius institutione. Quid sit eius materia. Quæ forma. Quis debitus minister. Quis eius effectus. Quid hic res, & & quid sacramentum. Quis sit perceptibilis huius sacramenti, & quoad morbum & quoad ætatem. De loco vnctionis.

Quid sit extrema vnctio.

DEfinitur autem sic extrema vnctio à quibusdam. Extrema vnctio est linitio olei sanctificati facta ad reuelationem vtriusque infirmitatis. s. mentis & corporis. Et ponitur vnctio extrema pro nomine vnico definiti, quod quia non habemus, circumloquimur per duo. Iste verò terminus linitio qui ponitur in definitione, sonat in actum vel in passionem quæ est in suscipiente ipsum sacramentum, sicut cum dicitur baptismus est tinctio &c. designatur tinctio passiua, quia intingitur baptizatus. Verumtamen si quis totum esse extremæ vnctionis vellet definire, posset ita notificare. Extrema vnctio est sacramentum ex vnctione infirmis per oleum sanctificatum facta, conferens infirmis remedium contra peccati reliquias, & si expediat, alleuiationem ferens corporis infirmati.

De eius institutione.

QVando autem & vbi sit hoc sacramentum institutum est duplex opinio. Vna dicit ab apostolis hoc sacramentum esse institutum, qui videtur confirmari per glossam super illud Mar. 6. Vngebant oleos multos ægrotos, & sanabãtur. Quæ glossa sic dicit. Ab apostolis patet hunc morem esse traditũ vt energumeni & alij ægroti certo loco oleo à pontifice consecrato. Secundum hoc ergo dicendum est quod apostoli à Deo inspirati, diuina auctoritate & voluntate instituere potuerũt istud sacramentũ, immo ipse Deus in ipsis licet forsitan tunc non vngerent modo & forma qua nunc secundum ordinationem ecclesiæ fit vnctio. Sed forsan ad tempus istam formam ex causa seruauerunt, sicut ipsi (vt supra tactum est) ad tempus ex causa rationabili formam baptismi mutauerunt, vt scilicet baptizarent in nomine Christi. Alij volunt quod istud sacramentum Christus per se instituerit, quoniam iuxta præallegatum. c. 6. Mar. narrato quomodo Christus suos misit discipulos ad prędicandum, statim sequitur: Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerẽt, & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros & sanabantur quod non creditur sine institutione Domini fuisse. Nec simile est de immutatione baptismi, quia aliud est mutare formam sacramenti, & aliud instituere totum sacramentum de nouo celebrandum. Nam & fortè nunc per ecclesiæ auctoritatem aut aliquam sibi datam inspirationẽ sicut apostoli habuerunt possent aliqua ad tempus iusta de causa circa formam alicuius sacramenti immutari, sed totum sacramẽtum instituere nullus posset (vt creditur) nisi solus Deus.

A

Quæ sit materia sacramenti extremæ vnctionis.

MAteria huius sacramenti est oleum simplex ab episcopo benedictum sine alterius rei admixtione. Cum enim significet nitorem conscientiæ, & balsamum suauitatem famæ, & moriturus maximè indiget nitore conscientiæ & non multum suauitate famæ, apparet quod morituri simplici oleo conuenienter perunguntur, non chrismate, quod compositum est ex oleo & balsamo. Et quoniam in exitu constitutus indiget gratia sanante non tantum cor, sed etiam alia mẽbra quibus abusus est, indiget non tantũ vnctione cordis, sed etiam aliorum membrorum quibus maximè peccauit, vt sicut trina mersio in baptismo signat submersionem trium peccatorum quæ in mundo regnant scilicet concupiscentię carnis, concupiscentiæ oculorum & superbiæ vitæ, sic hic multiplex inunctio signat eliminationem ex diuina misericordia membrorum singulorum.

B

C

Quæ sit forma huius sacramenti.

DE forma autem sciendum est quod sicut forma aliorũ sacramẽtorũ consistit in sermone & opere vt baptismus in verbis illis, baptizo te &c. & in opere scilicet in mersione baptizati, & sic de sacramentis. Sic huius sacramenti forma consistit in opere & sermone. In opere quidem, in illa scilicet significatione membrorum in forma crucis. In sermone verò, in prolatione horum verborum. Per istam suauissimam vnctionem & suam piissimam misericordiam dimittat tibi Deus quicquid per visum peccasti. Et sic de cæteris membris. Nec iteratur ista forma super eandem materiam per replicationem verborum, quia non omnino sunt eandem verba, vt patet, licet in parte eadem esse videantur.

D

E

Sed cum multiplex sit vnctio & multiplex verborum prælatio, quia ad singula membra singulæ fiunt vnctiones, & propria verba dicuntur, nunquid ad inunctionem oculorum dimittuntur eorum peccata, & similiter ad alias inunctiones aliorum membrorum, alia eorum peccata, vel an omnia peccata simul dimittantur? Dicitur quod omnes aliæ illæ inunctiones, licet fiant diuersis temporibus, tamen pro eodem tempore scilicet pro vltimo instanti prolationis & completæ inũctionis factæ censentur, sicut in simili dictum est supra in consecratione Eucharistię. Nã sic est hic, tunc enim omnia peccata simul dimittuntur scilicet in vltimo instanti totius inunctionis & prolationis verborum, pro quo fiunt omnes inunctiones.

F

Quis sit debitus minister in sacramẽto extremæ vnctionis.

DE ministro autem hoc est tenẽdum quod solus sacerdos potest hoc sacramentum conferre, & solus episcopus hoc oleum consecrare. Quod patet tũ ex auctoritate B. Iacobi qui in sua canonica c. vlti. dicit. Infirmatur aliquis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum,

eum, vngentes eum oleo in nomine Domini &c. Tum quia istud sacramentum consummatiuum est pœnitentiæ. Et ideo pertinet ad claues quæ solis sacerdotibus conferuntur.

Quis sit effectus istius sacramenti.

Effectus autem huius sacramenti secundum magistrum in lib. sententiarum ponitur duplex scilicet sanatio corporis & spiritus, vt sicut homo ex duobus constat. s. ex corpore & anima, ita sit effectus huius sacramenti sanatio vtriusque, sed principalius mentis, quia iste effectus semper sequitur in verè pœnitente. Et ista sanitas mentis in duobus consistit scilicet in peccatorum remissione, & in virtutum ampliatione.

Quid hic res & quid sacramentum sit.

Denique vt sciatis quid sit hic res, & quid sacramentum. Notandum quod secundum quosdam sacramentum hic est ipse vsus olei, siue consignatio cum oleo. Res autem est ipsa gratia spiritus sancti, quę dicto modo efficit sanationem mentis, & etiam quandoq; corporis, quādo scilicet expediens fuerit. Secundum alios autem sacramentum est ipsum oleum. Res autem gratia spiritus sancti &c. Est autem inuenire inter illa plurimam similitudinem, quia gratia spiritus sancti ad modum olei lenitiua est morbi spiritualis, lætificat etiam & consolatur ab hac vita exeuntem. Vnde in psal. Vt exhilaret faciem in oleo. i. mentem quæ facies interior est, in oleo extremæ vnctionis. Et panis. i. Eucharistia quæ iniunctis exhibetur, cor hominis confirmet.

Quis sit perceptibilis huius sacramenti.

Qvis autem perceptibilis sit huius sacramēti. Dicitur quod non omni morbi vexatus, sed solum morbo grauiori in quo timetur periculum mortis. Tamen quia omnis ęgritudo corporis crescendo potest reducere hominem ad obitum, in omni morbo cum cœperit iminere periculum mortis, poterit istud sacramentum dari. Sed nunquid paruuli & ignorantes & amentes possunt inungi? Dicitur quod non, cum enim hoc sacramentum non debeat dari non recognoscentibus, & non postulantibus ipsum, tales autem sunt paruuli & ignorantes qui omnino vsum rationis amiserunt, & furiosi nisi habuerint dilucida interualla, dicitur quod huiusmodi inungēdi nō sunt. Posset enim esse periculum tam in irreuerentia quam etiam in immundiciis, quæ huiusmodi homines concomitantur. Si tamen furiosi habuerint lucida interualla, possent in illis interuallis inungi, si immineret periculum mortis.

De loco vnctionis.

De locis autem vnctionis est variatio apud diuersas ecclesias. Hoc tamē semper tenendum est quod loca quinque sensuum principaliter inungenda sunt, sicut oculi, aures, nares, pedes & manus. Quidam autem addunt pectus & renes & vmbilicum, in quibus delectatio est venerea, licet non oporteat. Sed vbi iniungendi sunt mutilati? Dicitur quod in loco mutilationis quia licet membro careant, non tamen carent potentia

A qua completur actus peccati ab intra, licet non ab extra. Et ideo vt expietur peccatum, cum membrum nō superfit, in loco incisionis, vt in loco illi membro maximè vicino inungendus est.

DE SACRAMENTO ORDINIS ET PERTINENTIBVS AD ipsum in generali.

In sacramento ordinis primò occurrit dicēdum, Quid sit ordo. Quid ibi pro materia & quid pro forma. Quot sunt gradus & sufficientia eorū. Quot sunt de necessitate huius sacramenti. Qui ordines sacri, & quare si dicantur. B

Quid sit ordo & quomodo definitur.

Definitur autem sic à magistro in li. sen. Ordo est signaculum quoddam sacrum, quo spiritualis potestas traditur ordinato & officium. Itē quidam antiquorum magistrorum ita definiunt. Ordo est sacramentum spiritualis potestatis ad aliquod officium in ecclesia ordinatum. C

Quid in sacramento ordinis sit materia, & quid res sacramenti.

Qvid autem sit hic propria, & quid pro re sacramēti. A quibusdam dicitur quod sicut in baptismo tria sunt, vnum. s. quod tātum est sacramentū scilicet aqua vel tinctio cū verbo, & aliud quod est res tantum, scilicet remissio peccati vel collatio gratiæ, & tertium quod est res & sacramentum scilicet character baptismalis. Sic hic est D aliquid quod est sacramentum tantum scilicet illa signa visibilia cum verbis, quibus spiritualis potestas tradi ostenditur. Vt in ostiarijs traditio clauiū cum verbis ad hoc pertinentibus. In lectoribus traditio libri prophetarum cum verbis ad hoc institutis, & sic de alijs. Et aliquid quod est res tantum, scilicet gratia spiritus sancti infusa vel potestas spiritualis. Est & aliquid quod est sacramentū & res scilicet character qui imprimitur. Alij ponunt duo priora pro sacramento & re.

E Sed tunc circa hoc oritur dubium, cum dicatur quod hoc sacramentum sit aliquod sacratum signum exterius cum verbis ad hoc ordinatis, & in quibusdam ordinibus sicut in sacerdotio sit pro sacramento impositio manuum cum forma verborum, an si ab vno verba proferantur & ab alio manus imponatur, ordo cōferatur. Et patet quod non. Vt in decreto dist. 23. c. quorundam clericorum & ex textu & glossa.

Quot sunt ordinum gradus & vndè eorum numerus & sufficientia. F

Qvot autem sint ordinum gradus, dicit magister in. 4. sentē. quod sunt septem scilicet ostiariatus, lectoris, exorcistæ, acholyti, subdiaconi, diaconi, & presbyteri. Quorum est conficere corpus Christi, quod est excellētissimum officiorum humanorum. Et ideo supra sacerdotium non est ordo superior, immo nec episcopatus nec archiepiscopatus. Quorum numerum & sufficientiam sic poteris accipere. Ordinum vnus est supremus & principalis scilicet sacerdotium. Alij secundarij & huic deseruientes. Supremus ordo duos habet

actus scilicet principalem, qui est cõficere corpus Christi. Et secundariũ, qui est populum præparare vt idoneè cõmunicet. Secundarij autem ordines & huic supremo ordini deseruiẽtes, aut deseruiũt ei quoad actum suum principalem, aut quoad actum suum secundarium. Si quo ad actum suum principalem qui est conficere corpus Christi, tũc est potestas super hostias ex quibus cõficitur corpus Christi. Et hoc potest esse dupliciter. Quia aut in comparatione quoad populum qui eas offerũt templo, & sic est ordo subdiaconatus. Subdiaconi enim interest accipere hostias à populo & reponere in presbyterio, vt ipsas ministrare possit diacono vt dicit Isido. Aut est potestas super hostias in comparatione quoad sacerdotẽ, & sic est ordo diaconatus, cuius est hostias oblatas ponere super altare & ordinate vt eas ibi consecret sacerdos. Si autem est ordo deseruiens sacerdotio quoad actũ suũ secũdarium scilicet ad preparandum populũ, tunc aut deseruit ei in amouendo malum aut in ordine ad bonum. Si primo modo, tũc iterũ contingit hoc dupliciter scilicet aut amouendo malũ quod est ab extra, & sic est ordo ostiariorum, quorum officiũ est indignos & viles excludere, ne violent locũ communionis fidelium, aut amouẽdo malum quod est ab intra, & tunc est ordo exorcistarum quorum est arcere vim dæmones per adiurationes ne impediat perceptionem sacramentorum. Si autem ordo deseruit sacerdotio in ordine ad bonum, tunc potest esse dupliciter, aut ex parte intellectus, & tunc est ordo lectorum quorum officium est legere apertè & distinctè ad illuminationem intellectus. Aut ex parte affectus, & tũc est ordo ceroferiarorum, qui in signum ignis spiritualis accendendi in cordibus nostris cereos flammiferos deferunt, & hi sunt acholyti. Acholytus enim Græcè ceroferarius dicitur latinè. Alij volunt quod nouem sunt ordines in ecclesia militante, sicut sunt nouem ordines angelorum in ecclesia thiumphante. Et secundum quosdam illorũ episcopatus & archiepiscopatus constituunt duos gradus, qui additi septem præcedentibus faciunt nouem. Secundum alios corona est primus ordo & episcopatus vltimus, & sic fiunt nouem cum septem prænominatis. Sed prior sententia potior est in conspectu modernorum.

Quot & quæ sunt de necessitate huius sacramenti.

SEquitur dicere quot & quæ sũt de necessitate huius sacramẽti. Et dicitur quod sex præcipuè scilicet sexus virilis. Vnde mulier non est susceptibilis ordinis. Item præcedens baptismus qui etiam est fundamentum cæterorum sacramentorum excepto coniugio. Vnde si aliquis non baptizatus ordinaretur nihil reciperet, vnde oporteret post baptismum si vellet aliquem ordinem exequi quod iterum ordinaretur.

Item potestas ordinantis, quia qui non est episcopus, ordines conferre non potest. Item intentio recta vt scilicet ordinans intendat facere quod facit ecclesia, & similiter ordinandus secundum quosdam. Item materia seu sacramentum, vt traditio libri & similium cum forma verborum. Item tempus seu ætas secundum aliquos, quoniam si paruulus ordinetur etiam præcedentibus aliis gradibus nihil reciperet, cum secũdum eos in hoc sacramento exigatur tam intentio recipientis ordinem quam conferentis. Paruulus autem quia non habet vsum liberi arbitrij, non habet intentionem. Alij volunt quod ætas sit de congruitate, & non de necessitate huius sacramenti. Et ideo in prædicto casu paruulus secundum eos recipit characterem, nec secundum eos est reordinandus. Frater Albertus vult quod in aliis ordinibus ætas sit de congruitate, sed in vltimo ordine qui est sacerdotium est de necessitate. Vnde planè vult quod ordo sacerdotij non possit paruulo conferri. Item ieiuniũ secũdum aliquos, eò quod secundum eos pransus non conferret ordinem nec susciperet. Alij ferè omnes volunt contrarium. Multa præterea de honestate & congruitate tam ex parte conferentium ordines quã ex parte tẽporis; quæ reperies expressè in summa Ray. li. 3. in principio & consequenter.

Qui ordines sint sacri & quare sacri dicantur.

POstremò notandum quod licet omnes prædicti septem gradus sacri sint, quatuor tamen primi minores ordines non dicuntur sacri, sed solũ tres maiores scilicet ordo subdiaconatus, ordo diaconatus, & ordo presbyteratus. Et hoc propter dignitatem quæ inducitur ministrantibus in tribus maioribus ordinibus, oportet enim eos vouere continentiam vel simpliciter vel secundum tempus. Simpliciter in tota eccclesia occidentali, vbi non dantur isti tres ordines nisi vouentibus ipso facto perpetuam castitatem. Secundum tempus vt in orientali ecclesia, vbi qui in matrimonio ordinem recipiunt in matrimonio permanent. Sed tamen dum ministrant, abstinent ab vxoribus. Insuper illis mortuis alias ducere non possunt.

DE SACRAMENTO CONIVGII ET PERTINENTIBVS AD IPSVM.

DE sacramento coniugij non multa necesse est hic dicere eò quod in summa Ray. li. 4. de hoc sacramento sufficienter tractetur. Sunt quædam tamen quę ibidem non tangũtur, de quibus hic aliqua breuiter memoranda sunt, videlicet, An istud sacramentum sicut alia sacramenta conferat gratiam & efficiat quod figurat. Quis sit eius effectus. An opus coniugale possit fieri sine peccato. An debeat reddi debitum coniugale tempore imprægnationis. Item an debeat reddi tempore & loco sacro. Item an semper debeat reddi cum petitur. Quid hic sit materia & forma, & quid res & sacramentum.

An sacramentum coniugij conferat gratiam & efficiat quod figurat.

PRæpositio quod matrimonium est viri & mulieris coniunctio legitima, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, quæ definitio

datur

datur secũdum naturam optimè institutam, quia tunc vna & pura fuit. Prætermisso etiam tractatu de causa institutionis huius sacramenti, & vbi institutum fuit & qui possunt contrahere, qui non cum aliquibus aliis circa hoc sacramentum necessariis, quæ expresse lib. 4. summæ Ray. inuenies. Nunc quærendum venit an hoc sacramentum sicut alia confert gratiam, & efficiat quod figurat? Vbi triplex cadit opinio. Prima dicit quod non confert aliquam gratiam, sed cum alia sacramenta significent gratiam & conferant, istud tantum signat gratiam, sed non confert. Hęc est opinio magistri in lib. senten. & Præpositi Antisiodorensis. Secunda opinio dicit quod dicit confert gratiam scilicet recessum à peccato, non tamen in ordine ad bonum. Et dicũt quod gratia illa est quod virtute huius sacramenti mitigatur concupiscentia ne ferueat vltra nuptiarum honestatem. Et hæc opinio probabilior videtur. Tertia & satis peritorum opinio est, quod confert gratiam etiam in ordine ad bonum. Non quidem generaliter, sed ad bonum hoc tantum quod debet facere coniugatus. Et istud bonum est vt fideliter coniugi assistat, opera sua illi communicet, prolem susceptam religiosè nutriat, & huiusmodi. Et secundum hoc patet quod efficit gratiam quam figurat, sed non omnem quam figurat, sicut nec oportet. Figurat quippe coniunctionem fidelis animæ cum Christo, quæ quidem est effectus eius, non contentus quidam, sed significatus.

Quis sit eius effectus.

EX præmissis igitur habes quod duplex est effectus matrimonij. Vnus scilicet non contentus, sed tantum significatus scilicet coniunctio fidelis animæ cum Christo. Alius contentus & significatus, gratia scilicet qua mitigatur fomes, & qua fideliter coniugi assistitur.

An amplexus matrimonialis possit fieri sine peccato.

VTrum autem fieri possit amplexus matrimonialis sine peccato vel meritoriè, post hæc venit dicendum. Et dicitur quod causæ quatuor præcipuè sunt propter quas fit commixtio coniugalis. Aut enim fit causa suscipiendæ prolis, & hoc dupliciter. Aut scilicet ad cultum diuinum ampliandum, & hæc causa sic cognoscendi vxorem, ab omni peccato excusat, & reddit opus meritorium, dummodo ista intentio antè finem operis per delectationem nõ corrumpatur. Vel fit causa prolis vt scilicet habeatur successor hæreditatis, & hæc causa non excusat à veniali, sed à mortali. Aut fit causa reddendi debitum, & hæc causa excusat à culpa, & secundum aliquos meretur sic faciens, dum tamen ista intentio per inordinatam voluptatem antè finem operis non supplantetur. Aut fit causa fornicationis vitandæ, & hæc causa excusat à mortali. Aut fit causa exsaturandæ libidinis, & hæc causa excusat à mortali. Vel secundum alios in hoc vltimo casu distingue, quia aut illa libido causa cuius exsaturandę fit commixtio coniugalis, tantum repressa erat, quod eam nollet alter coniugum cum alio vel alia explere, & tunc dicunt quod adhuc est peccatum veniale. Aut in tantum creuerat illa libido vt indifferenter vellet
A quis eam siue cum sua, siue cum non sua explere. Et tunc dicunt esse mortale peccatum.

An tempore imprægnationis debeat reddi debitum coniugale.

DE tempore imprægnationis dicitur quod propter periculum non debet in tempore imprægnationis vxor cognosci. Vnde si vir eo tempore moueatur ad coitum, debet ratione talẽ motum propter timorem prædicti periculi refrenare, maximè quatuor primis mensibus. Si tamen
B vir vxorem dicto tempore cognouerit, non propter hoc peccat mortaliter. Verumetiã quia mulier illo tempore maximè coitum vt frequenter appetit, si ipsa petat & ipse vir exactus reddat, sic reddens leuius peccat, exigens verò grauius, vterque tamen venialiter tantum.

An tempore & loco sacris debeat reddi debitum.

C DE tempore sacro similiter dicitur quod tempore quadragesimæ & quatuor temporum & rogationum, & præcipuarum solemnitatum non debet alter coniugum debitum petere. Si tamen petierit cum pigẽtia tamen animi quod sine coniugij vsu esse non possit, venialiter peccat. Si autem alter petierit, reddat, ex actu tamen iustitiæ & fide thori excusatur à peccato, nisi in his casibus præter temporum huiusmodi solemnitatem aliquid iuxta distinctiones supra positas, grauius incideret quod peccatum aggrauaret. Sed secus
D est de loco, vt volunt aliqui quod scilicet non tenentur in loco sacro reddere debitum, si aliquis alius locus haberi possit. Si autem alius locus non possit haberi vt contingit in tempore guerræ, vbi multis noctibus in locis sacris iacent viri cum vxoribus suis, tunc si alter cõiugum soluat exactus, habens de hoc dolorem cordis, peccat tantum venialiter; immò si exigat cum planctu & pigentia, quod sine vsu coniugij esse non potest, non credunt multi quod peccat mortaliter. Nec credas
E quod tunc contaminetur locus; ita quod reconciliatione indigeat, quia contaminatio sacri loci distinguitur dupliciter. Vna quæ procedit ex incongruitate operis quod fit in ipso respectu dicti operis in se. Et alia quæ procedit ex incongruitate operis, non quoad se, sed quoad consecrationem seu actum ipsius loci in quo fit. Nam illam quæ procedit ex incongruitate respectu loci tantũ & non operis in se, non contaminat locum in tãtum quod indigeat reconciliatione. Sed illa verò quæ procedit ex incongruitate ad sanctificationem
F loci respectu operis in se, vt est in imaginis facinoribus, sicut in stupro adulterio, homicidio, & huiusmodi. Et hæc locum contaminat in tantum, quod reconciliatione indiget: maximè respectu aliquorum facinorum vbi sunt manifesta.

An semper debeat reddi debitum coniugale cum petitur.

DE solutione autẽ debiti cõiugalis hoc tenẽt aliqui quod omni tempore petẽti debitũ est, reddẽdũ secũdũ oportunitatẽ loci. Quod ideo di-

citur, quia ille actus verecundiam quandam habet sibi annexam. Vnde nõ oportet quod soluatur in publico, sed in omni hora omniq; dimisso negotio, si scit alterum esse in periculosa concupiscentia, tenetur captare secretum cubile & debitum reddere.

Alij distinguunt quod sicut in præceptis affirmatiuis semper ad ea tenentur sed pro semper, vt verbi gratia, semper teneor honorare parentes meos, sed non pro semper, sed solum pro loco & tempore. Ita hic (vt dicunt) quis ad semper tenetur reddere debitum, sed non tenetur pro semper, sed solum cum oportunitas loci & temporis hoc exegerit.

Et nota duos versus qui determinant quinque casus in quibus quis potest reddere debitum sine peccato sed non petere.

Festa, sacerque locus, ieiunium, menstrua, partus.
Si petas his peccas, reddis quandoque licenter.

Quid sit materia & quid forma in sacramento coniugij.

QVid autem sit materia & quid forma, dicitur quod materia sunt legitimæ personæ in potentia commixtionis sexuum existentes. Circa quod multi difficiles & diuersi casus occurrunt hoc sacramentum matrimonij impedientes, qui sufficienter in summa Raymundi determinantur, quare hic causa breuitatis non exprimuntur, sed solum pro quadam compendiosa annotatione ponuntur sex versus sequentes.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.
Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Hæc socianda vetant connubia, iuncta retractant.

Forma autem est consensus per verba expressus, vt accipio te in meam &c. vel huiusmodi. Secundum alios consensus animorum est materia in coniugio. Forma autem est debita verborum prolatorum forma scilicet Accepio te in meam &c. Sed nunquid & iste consensus debeat ferri & esse ad carnalem copulam? Et dicit magister in li. senten. quod non in carnalem copulam nec in cohabitationem corporalem, sed in societatẽ coniugalem, quod sic exponitur, hoc est in carnale debitum, non in carnalem actum.

Nec obstat illud de matrimonio beatæ Virginis, quæ secundum beatum Aug. ita in matrimonio consensit quod nisi aliter Deus iuberet, debitum coniugale non redderet. Ait enim sic: Committens autem virginitatem suam diuinæ dispensationi, & consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed diuinæ inspiratione in vtroque. s. virginitate & commixtione obediẽdo. Sed virginitatem quam nondum vouerat, in desiderio habuit & cum firmo proposito, commixtionẽ verò illã nisi Deus aliter disponeret, in sufficiẽtia.

Ex his satis patet quid hic sit sacramentum & quid res. Nam sacramẽtum est consensus animorum & coniunctio corporum. Res autem duplex est scilicet vnio Christi & ecclesiæ. Itẽ vnio duarũ naturarum in Christo. Nam sicut in matrimonio coniunctio est animorum vnius cum vna, ita vnitur Christus cum ecclesia quæ vna est, vt dicitur Can. 6. Vna est columba mea &c. De qua etiam

A vnione dicitur. 1. Cor. 6. qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Item sicut in matrimonio est cõmixtio diuersorũ sexuum, ita in Christo est vnio duarum diuersarum naturarum scilicet diuinæ & humanæ.

TRACTATVS QVARTVS DE SEPTEM VIRTVTIBVS & earum declaratione.

B NVnc aliqua tangenda sunt de virtutibus. Et primò quid sit virtus in genere. Quot sunt in numero, & de earum sufficientia. Deinde de singulis in speciali erit aliquid dicendum.

Quid sit virtus in generali.

ESt virtus secundum Aug. bona qualitas mentis qua rectè viuitur & quæ nullus malè vtitur quam solus Deus in homine operatur. Notanter dicitur bona qualitas, ad differentiam malarum

C qualitatum, cuiusmodi sunt prodigalitas, auaritia. Addit, mentis, ad differentiam corporalium qualitatum, quales sunt albedo, nigredo. Et subiungit, qua scilicet virtute rectè viuitur, ad differentiã scientiæ, quæ quamuis sit bona qualitas mẽtis, non tamen necessariò ea rectè viuitur, sed potius ea rectè intelligitur. Et additur, quia nullus malè vtitur, ad differentiam potentiarum naturalium quibus contingit & bene vti, & malè vti, cuiusmodi sunt rationabilitas & concupiscibilitas &

D irascibilitas quæ propriè potentiæ dicũtur. Dicitur etiam, quo solus Deus operatur in homine quod ponitur ad differentiam virtutum politicarum, quæ (vt vult philosophus in ethicis) generãtur ex frequenti bene agere, cum virtutes theologicæ à Deo infundantur. Ex quo appatet quod præcedens definitio est propriè virtutis theologicæ. Sed prout virtus cõprehendit tam quatuor virtutes cardinales quam tres theologicas, sic potest definiri. Virtus est habendi se ad omnia vt debetur. Vnde Aug. in lib. de moribus ecclesiæ, sin-

E gulas definiens virtutes, in omnibus definitionibus ponit amorem tanquam genus adiungit diuersos actus quasi diuersas differentias.

Quot sunt virtutes & de earum sufficientia.

EX dicta autem definitione extrahi potest numerus septem virtutum scilicet quatuor cardinalium & trium theologicarum. Cum enim virtus sit amor habendi se ad omnia vt debetur, aut erit amor habendi se vt debetur ad creatorem,

F aut ad creaturam. Si primo modo, tunc vel erit amor ad creatorem vt recognoscatur & sic erit fides, quæ est illuminatio mentis ad cognoscẽdum Deum. Aut erit amor ad creatorem vt possideatur, & hoc dupliciter scilicet vel vt habendus in futuro, & sic est spes, vel vt quomodo hic iam habitus & tentus, & sic est charitas, qua quis licet per quendam modum imperfectum, habet hic Deum. Quia qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Io. 4.

Si autẽ sit amor habendi se vt debetur ad creaturam, tunc vel ad creaturam quæ sub nobis est, vt caro,

caro,& talis amor sic habendi se ad eam vt debetur, est temperantia. Aut ad creaturam quæ iuxta nos est, sicut est proximus, & talis amor sic se rectè habendi ad eum, est iustitia. Aut ad creaturam quæ contra nos est, & tunc aut illa creatura est nobis insidians, & talis amor sic se habendi ad eam vt debetur, est prudentia. Aut illa creatura est nos molestans, & talis amor sic se habendi ad eam vt debetur, est fortitudo.

DE TRIBVS VIRTVTIBVS THEOLOGICIS. ET PRIMO *de fide.*

IN speciali tangendum est de virtutibus theologicis. Et primò de fide, de qua primò dicendum quid sit. Quot modis dicatur. Quæ sit fides informis & quæ formata, & vtrum vna sit alia. Et an dæmones habeant fidem. Vtrum paruuli baptizati habent fidem. Vtrum in aliquo casu sufficiat seruare fidem corde & diffiteri ore. Vtrum fidei possit subesse falsum. An omnes teneantur ad fidem explicitam.

Quid sit fides & quomodo definitur.

SEcundum autem apostolum ad Hebræ. Fides est rerum sperandarum substantia, argumentum non apparentium. Et definitur hic fides prout est fundamentum in ædificio spirituali. Subsistit enim omnibus alijs virtutibus, & eas collocat in nobis id est facit eas in nobis collocari. Et hanc sic intellige definitionem. Fides est sperandarum rerum substantia id est fides facit modo res speratas subsistere in nobis spe, quæ tandem subsistent re. Fides dicitur argumentum id est ostensio vel præmonstratio non apparentium rerum.

Sed nonne apostoli crediderunt Christum passum? vtique, quia in eorum symbolo hoc pro articulo ponitur, & tamen apparuit eis passio sua. Sed dic quod aliud viderunt & aliud crediderunt, quia hominem passum viderunt, & Deum passum crediderunt. Deum autem passum esse est articulus fidei secundum Augustinũ non hominem illum passum esse. Quia hoc crediderunt Iudæi, qui fidem non habent catholicam. Secundum autem August. Fides est illuminatio mentis ad videndum Deum.

Quot modis fides dicatur.

DIcitur autem fides multipliciter. Aliquando enim accipitur pro habitu fidei informis. Vnde Iaco. 2. Fides sine operibus &c. Aliquando accipitur pro habitu fidei formatæ. Vnde ad Hebræ. 11. Sancti per fidem vicerunt regna. Aliquando pro actu fidei formatæ, secundum quod dicit Aug. Fides est credere quod non vides. Aliquando pro facultate credendi. Vnde Mat. 7. Nõ inueni tantam fidem in Israel. Aliquando pro obiecto fidei, scilicet eo quod creditur, cuiusmodi sunt articuli fidei. Vnde in symbolo Athanasij dicitur: Hæc est fides catholica, quod intelligitur de articulis ibi positis.

Quid sit formata & quid informis, & vtrum vna posit fieri sine alia.

FIdes autem formata est fides quæ operatur per dilectionem, quæ scilicet informatur gratia & charitate. Fides autem informis est huic contraria, vtraque formabilitate priuata, qualem habent existentes in peccato mortali, quæ nihil aliud est quam potentia naturalis assentiendi veritati vtili. Vtrum autem fides informis fiat quandoque formata vel non, & an quotiens peccatur mortaliter, omnino pereat fides formata. Et cum ad statum gratiæ per pœnitentiam reditur, vtrum noua fides creatur? Multi videntur dubitare. Dicunt enim aliqui quod fides informis eadem est in essentia cum fide formata, sed differunt secundum intentionem maiorem & minorem, vt assensus veritati aliqua illustratione gratiæ irradiatus sit fides informis, assensus autem vehemens multa illustratione gratiæ illuminatus, sit fides formata. Et volunt isti quod fides informis hic finiri possit, formata verò non. Alij dicunt quod non sunt eadem in substantia, sed euacuata sine recedente fide formata, totum perit. Et relinquitur tantum modica quædam lux in anima quæ non facit hominem gratum, quæ dicitur fides informis. Alij distingunt quod dupliciter dicitur fides informis. Vno modo per priuationem actualem formæ debitæ. Et per hunc modum dicitur fides informis esse in peccatoribus, quia non est in eis gratia gratificans vel charitas. Alio modo dicitur fides informis per priuationem possibilitatis ad formam debitam. Et hæc fides informis est in dæmonibus, qui non habent possibilitatem ad gratiam. Et primo modo dicta fides informis sic differt à formata, quod tamẽ formata fieri possit scilicet quod illud quod fidei informi subiacet, potest formari. Vnde materialiter loquendo hæc potest fieri illa sicut cæcitas in oculo potest fieri visus per miraculum. Sed secundo modo dicta fides informis omnino differt à fide formata, sic quod nullo modo potest fieri formata. Et illud plus placet aliquibus. Ex his patet an dæmones habeant fidem. Habent enim fidem informem, vt dicunt sancti. Sed vt dixi, multo aliter quam peccatores, quoniam fides informis dæmonum non est possibilis ad formam debitam sicut fides peccatorum, in qua est aliqua quamuis modica illustratio gratiæ. In fide verò dæmonum nulla, sed tantum credulitas quædam ex cogitatione naturali exorta.

Vtrum paruuli baptizati habeant fidem.

AD id quod quæritur, vtrum paruuli baptizati fidem habeant? Dicunt quidam quod nec fidem habeant nec cæteras virtutes, eò quod hæ non conferuntur eis in baptismo, sed tantum purgatio ab originali peccato. Dicunt tamen quod si anima paruuli post baptismum separetur, in illa separatione illi infundi fidem cæterasque virtutes ab ipso Deo. Et similiter cum adultus efficiatur, si tamen retineat innocentiam baptismalem. De hac opinione est Hugo qui fecit apparatum super decre. Alij dicunt paruulis plenè fidem

& cæteras virtutes in baptismo infundi, sed non vsus earum. quam opinionem tenet magister in lib. de senten. & alij plures. Est & alia opinio inter has duas media, quæ ponit quod paruuli nec habent completum habitum virtutum neque actum, quia nondum sunt capaces virtutis completæ, vt est habitus vel actus. Sed accipiunt virtutes ad potentiam, quæ potentia aliquid habet de natura habitus, & fit habitus completus si anima separetur, vel cum veniunt ad ætatem adultam.

Vtrum in aliquo casu suffitiat corde seruare fidem, & ore diffiteri.

VTrum autem in aliquo casu sufficiat veram fidem corde tenere, & pro vita saluanda ore negare, nullus discretus dubitat. Negans enim fidem ore quantumcunque retineat firmiter corde (præcipuè requisitus) peccat mortaliter. Corde enim (vt ait Apostolus) creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Vnde sine cōfessione fidei non videtur esse salus, quanto minus cum negatione. Insuper talis impugnat fidei veritatem agnitam, & sic videtur quodammodo peccare in spiritum sanctum. Vnde hæc est hæresis Priscillianistarum, qui dicunt quod pro vita saluanda licet fidem ore negare, si tamen verè teneatur in corde.

Rom. 10.

Vtrum falsum posit subesse fidei.

HIc dubitatur vtrum falsum possit subesse fidei, hoc est vtrum falsum possit credi vel id quod non est, puta cum sacerdos eleuat hostiam non consecratam, vtrum sit vera fides qua à toto populo creditur ibi esse, vel illud esse corpus Christi? Et dicitur ad hoc quod fidei nunquam potest subesse falsum nec dubium, immo nec etiam potest quicquam credi nisi sit infallibiliter verū. Vnde in prædicto casu credere quod illud siue illa hostia sit corpus Christi non est fides, sed opinio tantum quæ potest esse de falso. Sed credere quod sub illa hostia si in forma debita consecrata fuerit, sit corpus Christi, est fides: & hoc semper infallibiliter est verum. Vnde illa conditio semper apponenda, vel ad minus supponenda est quando hostia adoratur vel sumitur scilicet si ritè consecrata fuerit. Hostia ritè consecrata infallibiliter est corpus Christi.

An omnes teneantur ad fidem explicitè credendam.

DEnique an omnes teneantur ad fidem explicitam scilicet ad credendum articulos fidei explicitè, dubium est apud quosdam. Dicunt enim aliqui quod nec ante aduentum nec post aduentum Christi tenebantur homines scire omnes articulos fidei explicitè, nec etiam omnes explicitè credere, nisi in quantum docti erant à maioribus, & illam doctrinam intellectu capere poterant. Sed tamen adhuc illi qui præcesserunt minus tenebantur propter vmbram quæ tunc erat, isti autem plus, propter doctrinam & veritatem expressam. Vnde nunc quilibet quantumcunque simplex qui humanam habet discretionem, tenetur ad minus explicitè scire & credere primum articulum & reliquos nullatenus diffiteri, sed in generali credere quidquid sancta & vniuersalis credit ecclesia. Et tenetur præter hoc se paratum exhibere ad amplius discendum, cum doctorem catholicum habuerit. Et quoniam obtusum sensum habent simpliciores, non credo quod teneantur ita explicitè scire sicut explanatur eis, quia sufficit quod ipsi accipiant explanationem secundum suam potestatem intelligendi & non secundum voluntatem au facultatem explanatoris. Si autem primum articulum vel plures etiam alios explicitè crederent, vni tamen pertinaciter contradicerent, hæretici iudicarentur. Quia hoc fieri non posset nisi egressi iudicium ecclesiæ, pueruli hæreticorum iam per doctrinam peruersam esse inciperent.

Secus tamen est de sapientioribus qui tenentur explicitè omnes articulos scire. Et maximè prælati aut quicunq, alij qui se fatentur doctores, cum ignorantia iuris non cadat in principem aut doctorem.

DE VIRTVTE SPEI ET PERTINENTIBVS AD IPSAM.



SEQVITVR aliquid dicere de spe. Primò quid sit spes. An spes possit esse malarum rerum. Quorum sit spem habere. An ipsa simul cum fide euacuabitur. Et quid succedit eis.

Quid sit spes & quomodo definitur.

DEfinitur autem sic spes ab Augustino. Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, prouenìens ex gratia & meritis præcedentibus. Quam sic expone. Spes est certa, quod dicit propter hæsitationem. Nam spes vsquequaque absq; fluctuatione hęsitationis est. Expectatio, quod dicit ad differentiam comprehensionis quæ erit in patria, vbi nihil expectabitur sed omnia præsentialiter habebuntur. Futuræ beatitudinis, quod dicit ad differentiam timoris seruilis qui est expectatio futuræ miseriæ. Expectatio dico proueniens ex gratia.i.benignitate Dei considerata. Quod enim dicitur ex benignitate Dei considerata, dicitur ad differentiam præsumptionis, quæ ex Dei benignitate tantum considerata & nō cū hoc ex meritis beatitudinem adipisci credit. Et sic definitur hic motus spei.

Aliter sic à magistris communiter definitur. Spes est audacia mentis de largitate Dei concepta habendi vitam ęternam per bona merita.

An spes posit esse malarum rerum.

AN autem spes possit esse malarum rerum? Dicit magister in 3. senten. quod spes est tamen bonarum & earum quę ad eum spectant qui earum spem gerere videtur, quia propriè spem habemus de bonis nostris, non de alienis. Vnde ad hoc quod sit propriè spes, tria concurrere debent scilicet quod sit respectu boni & proprij futuri. Vnde si aliquando legatur, spes dici malorum, sicut apud poëtam.

Hunc

Nunc ego si potui tantum sperare laborem,
Vel etiam bonorum & communium, sicut spetamus salutem bonorum qui sunt in via vel etiam boni præsentis, intellige in talibus spem non propriè accipi, sed largo modo.

Quorum sit habere spem seu sperare.

DE eo autem quod quæritur, quorum sit sperare scilicet an sit angelorum, an animarum beatarum in cœlo, & an Christus spem habuerit, & etiã an antiqui patres in limbo, vel animæ nunc detentæ in purgatorio spem habuerunt aut habeant?

Dicendum est ad tria priora, quod propriè sumpto nomine spei neque angelis neque animæ beatæ, neque Christus spem habuerunt. Cuius ratio est, quia propriè non est nisi de substantiali beatitudine, quã nunc habent angeli & animæ beatæ, eo quod stola corporis non sit secundum doctores de substantiali pręmio ipsarum, sed tantum ipsa contemplatio diuinitatis & humanitatis Christi. Quia vt habetur Io. xvij. Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et quoniam Christus beatitudinem substantialem in via habuit, quia comprehensor fuit, ideo spem propriè non habuit. Et si aliquando legatur ipsum spem habuisse, intelligendum est de impropriè dicta scilicet de aliqua spe de accidentali beatitudine, vt pote de glorificatione corporis sui, cuius non est spes nisi per posterius, vel de ipso loquitur de scriptura gratia membrorum. De patribus autem in limbo & de animabus in purgatorio existẽtibus dicitur, quod spem habuerunt & habent aliquantulum extenso nomine. Cum enim spes sit boni futuri expectatio, potest esse expectatio cum omnimoda hæsitatione, & tunc non est spes, vel cum certitudine opinionis, & tunc propriè est spes qualem habent electi in via. Vel potest esse cum certitudine scientiæ, quod scilicet sciant se bonum æternum adepturos, & sic minus propriè dicitur spes. Et sic isto modo sumendi spem dicitur, quod patres in limbo & in purgatorio animæ spem habuerunt & habent.

An spes, & fides euacuabuntur, & quid eis succedet.

DE vltimo quod ponebatur in quæstione scilicet an spes & fides euacuabuntur, & quid ipsis succedet. Dicitur quod vtraque euacuabitur. Cum enim venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Et ideo quia fides & spes imperfectionem habent, euacuabuntur, nec erũt sanctis in cælo sed loco fidei succedet visio, loco autem spei succedet amplexus, vbi videbitur & gustabitur quam bonus est Dominus.

DE VIRTVTE CHARITATIS ET PERTINENTIBVS *ad ipsam.*



IAM de charitate aliquid dicatur. Et primò quid sit charitas. Quæ sint diligenda charitate. Et quis ordo sit obseruandus in diligendis. An omnes teneantur ad dilectionem inimicorum. Et iterum de quodam alio ordine diligendorum.

A *Quid est charitas.*

CHaritas secundum magistrum in. iij. senten. est dilectio qua diligitur deus propter se, & proximus propter Deum vel in Deo. Nec hic diffinitur idem per seipsum scilicet charitas per dilectionem quia dilectio quodammodo genus est ad charitatem, & ea quidem communior, quamuis in frequenti vsu scripturæ, vnum pro alio quoties ponatur. Alia datur ab August. in lib. de moribus ecclesię. Charitas est affectio animi recta, B coniungens nos Deo. Et sciendum quod quantum ad priorem diffinitionem, eadem est dilectio qua Deus & proximus diligitur, quia quando vnũ propter aliud amatur, vnico vtrũque amore amatur, sicut idem est amor quo amatur vinum & dulcedo vini. Geminata dicitur hæc dilectio propter duo dilecta scilicet Deum & proximum, propter quod etiam dicuntur duo mandata de dilectione. Primum de dilectione Dei, quod cõtinet tria prima præcepta seu mandata decalogi pertinentia ad C Deum, vel quibus ordinamur ad Deum. Secundum est de dilectione proximi, cõtinens septẽ alia decalogi præcepta seu mandata quæ nos ordinant ad proximum, sicut in superioribus declaratum est.

Quæ charitate diligenda sunt, & quo ordine.

CÆterum vt sciamus quæ charitate diligenda sunt. Attendamus doctrinam Augusti. lib. j. de doctrina Christiana. Quatuor enim secundum D eum, diligenda sunt. Vnum quod supra nos est scilicet Deus. Alterum quod nos sumus scilicet anima Tertium quod iuxta nos est scilicet proximus Quartum quod infra nos est scilicet corpus. De secundo autem & quarto nulla præcepta specialia data sunt. Quãtumcunq; enim homo exciciat à charitate, semper tamen illi remanet affectio ad seipsum & ad carnem suam. Sed quis ordo seruandus est in his diligendis, vtrum videlicet in aliquo casu extranei præponendi sint consanguineis? Item an filij parentibus? Item an vxor parẽtibus? In E primo quidem casu distinguunt quidam, quia aut beneficium conferendum est spirituale, aut temporale. Si est spirituale, cum beneficium spirituale ad neminem iure consanguinitatis deuoluatur, debet extraneus melior præferri consanguineo minus bono. Si autem sit temporale, puta de bonis acquisitis vel iure hæreditario possessis, dicunt quod consanguineo pariter indigẽti etiam minus bono prius est subueniendum quam extraneo. Vnde si vnus est consanguineus, & alter non, & vtrique dandum non sufficeret, tunc dandum est F consanguineo. Si verò vtrique sufficiat, vterque accipiat sed consanguineus prior.

Respectu verò secundi scilicet an filij præponẽdi sint parentibus scilicet patri & matri. Dicunt plures quod parente & filio in æquali necessitate constitutis, prius est subueniendum parenti, quam filio, cum ad hoc nos cogat tam lex naturæ, quam dominicum præceptum. Vidi aliquos sentire cõtrarium, & aliquos distinguere de dilectione affectuali & effectuali, dicendo quod dilectione affectuali plus diligendi sunt parentes propter præstita beneficia, effectuali verò plus diligendi sunt

filij, quia vt plurimum plus indigent. Sed pone æqualem vtrobiq; indigētiam, tunc puto plus subueniendum esse parentibus scilicet patri & matri, quam filijs. De vxore autem quod est tertium, dicitur quod præferenda est parentibus quantum ad cohabitationem, non quantum ad dilectionem. Vnde illud, Relinquet homo patrem & matrem suam & adhærebit vxori suæ &c. Intelligendum est quod magis adhærendum est eis, quam parentibus cohabitatione, non tamen magis dilectione, eò quod multa plura beneficia à parentibus exhibita sunt quam ab vxore.

Ephes. 5.

An omnes teneantur ad dilectionem inimicorum.

C De dilectione autem inimicorum, an teneamur omnes ad eorum dilectionem? & an teneamur eis omnes ostendere signa familiaritatis? Et dicitur quod sic. s. quod omnes tenentur inimicos diligere, eò quod super hoc extat præceptum diuinum. Matt. 5. Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Sed hoc quo ad effectū dilectionis, quo simpliciter tenentur omnes inimicos diligere, quo verò ad signa dilectionis & ad affectum, non tenentur omnes (vt dicitur) inimicum diligere, nisi viderint eum necessitatem patientem, vel veniā, non fictè seu irrisoriè, sed veraciter postulantem. Vnde si salutat non irrisoriè, salutandus est. Perfecti verò saltem religiosi ad amplius tenentur. Propter scandalum enim euitandum coram his, præcipuè qui sciunt quod offensi sunt, tenentur offerre signum dilectionis. Nec tamen intelligas de tali inimico, qui fidem Christianam & fidem catholicam impugnat, quia sic impugnanti nisi in vltima necessitate, non est subueniendum.

De quodam alio ordine diligendorum.

IN summa nota secundum Aug. & Ambro. & alios expositores quod primò diligendus est Deus, deinde anima propria, deinde anima proximi, deinde corpus proprium & postea corpus proximi. Inter proximos autem primò parentes scilicet pater & mater, secundo filij deinde alij cognati. Vtrum autem vxor sit pręferenda filijs, certum non habeo, post filios & vxorem, domestici scilicet noti, deinde extranei non inimici, deinde inimici. Quod autem iubemur diligere proximos sicut nosmetipsos, sic intelligendum est, quod scilicet æquè optandum est eis bonum æternum sicut nobis. Nō enim tenemur temporalia æqualiter eis vt nobis ministrare, sed nobis primo, postea autem ipsis.

DE QVATVOR VIRTVTIBVS CARDINALIBVS IN GENERALI.

SEQVITVR breuiter aliquid dicere de virtutibus cardinalib. scilicet de iustitia quę secundum Aug. est in subueniendo miseris; de prudentia, quæ est in cauendis insidijs, de fortitudine, quæ est in perferendis molestijs, & de temperantia, quæ est in prauis delectationibus coercendis. De quibus primò dicendum est quare dicantur cardinales & ciuiles & politicæ. Deinde de singulis quæ sit quælibet virtus in se, & qui sunt proprij earum actus tā in via quam in patria. Postremò de ordine earum ad septem vitia capitalia.

A

Quare dictæ virtutes dicantur cardinales, ciuiles & politicæ.

DIcuntur autem secundum quosdam virtutes cardinales quasi cordiales, ad differentiam virtutum corporalium. Cardo enim secundum Isido. à corde deriuatur, quia à Cardian grecę quod est cor latinè. Vel vt alij volunt, dicuntur cardinales, quia in eis sicut in cardinibus omnis alia virtus maximè ciuilis voluitur. Secundum autem philosophos qui de ipsis tractauerunt, dicuntur cardinales, quia in his sicut in cardine est regulatio totius vitæ humanæ secundum statum honestum & ciuilem. Ciuiles autem dicuntur, quia constituunt bonum statum vnius cum altero in ordine ciuium. His enim virtutibus secundum Plotinum philosophum & Macrobium boni viri reipublicæ consulunt, vrbes tuentur, parentes venerantur, proximos amant. Politicę autem dicuntur eadem de causa, quia idem est polis grecè, quod ciuitas latinè, & ideo politicę dicuntur quasi ciuiles.

B

C

DE VIRTVTE IVSTITIÆ IN SPECIALI.

EST autem iustitia secundum August. virtus tribuens vnicuiq; quod suū est. Quæ definitio conuenit iustitiæ tam secundum statum vię quam secundum statum patrię. Alia autē definitio quę ponit quod iustitia est subuenire miseris, cōuenit iustitiæ tantum secundum statum viæ.

D

Ponuntur autem secundum magistrum in 3. lib. sententia. duo eius actus, scilicet actus eius in patria, qui est Deo regenti subesse, & actus eius in via, qui est miseris subuenire. Hi sunt actus generales ad quos tenentur omnes. Sunt autem & alij actus eius speciales ad quos non ita indifferenter omnes tenentur, qui sic (quantum ad propositum præsens sufficere potest) distinguuntur. Iam tactum est quod actus generalis iustitiæ est vnicuique tribuere quod suum est, hoc est, superioribus, paribus & inferioribus. Superioribus quidem præeminentiam, & hoc dupliciter. Quia vel generaliter, & sic dicitur actus eius inferiora potioribus subdere, quam ponit Aug. de lib. arbi. li. 2. Vel specialiter, & sic dicitur actus eius soli Deo deseruire, de quo August. libr. 6. suæ musicæ. Si autem sit in tribuendo quod suum est paribus, sic est triplex actus eius. Vnus paria sibimet copulare, de quo August. de lib. arbi. libro 1. Alius nullis coæquari, nisi purificatis animis. Tertius nullis dominari appetere, nisi naturæ corporali vel bestiali. De quibus duobus August. in lib. 6. suæ musicæ. Si autem in tribuendo quod suum est inferioribus, hoc est dupliciter. Vel quoad pœnam subleuandam, & sic eius actus est miseris subuenire, secundum magistrum in 3. libro sentent. Vel quoad culpam corrigendam, & sic eius actus est iniquos moribus corrigere & punire. De quo Aug. super Gen. ad litteram lib. 12.

E

F

De

De virtute prudentia in speciali.

PRudentia secundum magistrum in 3. senten. est in præcauendis insidijs. Vnde sic apertius definitur Prudentia est virtus rerum bonarum vel malarum neutrarumq; discretio, cum fuga mali & electione boni. Et dicitur neutrarumq;, hoc est indifferentium, quæ scilicet neq; bonæ, neq; malæ sunt, quale est frangere festucam, vel huiusmodi. Et trahitur definitio præsens ex verbis Augustini libro 6. vbi dicit quod prudentia est bonarum rerum & neutrarum scientia. Ponuntur autem plures prudentiæ actus. Actus eius in patria duplex est. Vnus nullum bonum Deo præponere vel æquare, qui ponitur per magistrum in 3. lib. senten. Alius ipsam concupiscere veritatem, de quo Augu. in 6. suæ musicæ. Actus prudentiæ viæ ponuntur quinque scilicet præcauere insidias, qui ponuntur per magistrum in 3. libro senten. Item mala deuitare, de quo August. super Genes. ad literam libro 12. Item incorruptionem corruptioni præponere, de quo Aug. de lib. arbi. lib. 1. Item discernere bonum à malo, de quo Aug. de ciui. Dei li. 19. Item æterna præponere temporalibus, de quo Aug. in 6. suæ musicæ.

De virtute fortitudinis.

FOrtitudo autem est in perferendis molestijs. Vnde secundum quosdam sic apertius definitur. Fortitudo est immobilis animi inter aduersa laborum & periculorum æqua susceptio.

Cuius quadtuplex assignatur actus viæ. Vnus firmare animam contra temporales molestias, de quo August. vt supra Alius non aduersitatem nec mortem temporalem formidare, de quo August. in 6. suæ musicæ. Alius à sapienter electo nullis terroribus, nullisque pœnis depelli, de quo Aug. de lib. arbi. lib. 1. Alius pro dilecto habendo aduersa tolerare, de quo August. super Gen. lib. 12. Actus patriæ duplex est. Vnus firmissimè Deo adhęrere, qui ponitur per magistrum in 4. senten. Alius nihil molestè pati, qui ponitur per Aug. in 6. suæ musicæ.

De virtute temperantiæ in speciali.

TEmperantia est in prauis delectationibus coercendis. Definitur autem sic ab August. in libro de libero arbitrio. Temperantia est affectio coercens appetitum ab his rebus quæ turpiter delectant. Cuius actus assignantur in via. Subtrahere se ab amore inferioris pulchritudinis, de quo August. in. 6. suę musicæ. Item coercere cogitationes prauas, de quo in 3. senten. Item libidinem refrenare, de quo August. super Gen. 12. Item refrenare cupiditates ab his quæ temporaliter delectant, de quo Aug. de lib. arb. Actus autem patriæ est nullo respectu noxio delectari, de quo in 3. sentent. Item immaculatum manere, de quo Aug. in. 6. suæ musicæ.

De effectu dictarum virtutum, & an sint in patria.

IStę quatuor virtutes hominē ad virtutes theologicas habendas habilitant. His nihil vtilius est in vita dummodo informentur charitate. Tunc enim æquè meritoriæ sunt vitæ æternæ, sicut theologicæ.

A An autem hæ virtutes futuræ sint in patria, dicit magister 3. lib. senten. quod sic, secundum aliquos earum actus, vt patet per singulas iuxta supra tactas.

VLtimò dicendum qualiter per has septem virtutes septem vitia capitalia expellantur. Fides enim quæ mentem illuminat, expellit superbiā quæ cor excęcat, spes quæ gaudio futurorum cor lætificat, expellit iram quæ præsenti miseria mentem conturbat. Charitas quæ gaudet de proximi prosperitate, delet inuidiam quæ est o-
B dium fœlicitatis alienæ. Fortitudo per quam in actus viriles consurgimus expellit accidiam per quam desideria tabescimus. Iustitia quæ sua vnicuique tribuit, eliminat auaritiam quæ aliena retinet & rapit. Temperantia quæ excessum reprimit, expellit gulam quæ modum excedit. Prudentia quę secundum Aug. incorruptionem corruptioni pręponit, euacuat luxuriam quia corrumpitur corpus & anima.

Quarti tractatus huius libelli qui est de explanatione virtutum finis.
C

TRACTATVS QVINTVS DE SEPTEM PETITIONIBVS CONtentis in oratione dominica, & earum expositione.

TRACTATVM de septem petitionibus quæ in oratione dominica conti-
D nentur, aliqui secundum ordinem huius libelli ponunt, scilicet immediatè post tractatum de articulis fidei, & ante tractatum de decem pręceptis legis. Hic verò quinto loco poni placuit scilicet inter tractatum de septem virtutibus, & tractatum de septē donis spiritussancti, ea scilicet cōsideratione quod in ipsis septem petitionibus sic in ipsa oratione dominica contentis effectualiter ipsę septem virtutes, ipsaq; septem dona spiritussancti peti videatur. Circa quem tractatum primò videndum venit de ef-
E ficacia modi petendi, qui describitur in prœmio dictæ orationis dominicæ. De distinctione & expositione ipsarum petitionum particulariter. De numero & sufficientia earum. De ordine earum ad septem vitia capitalia.

De efficacia modi petendi contenti in proœmio dictæ orationis.

PAter noster. Cum hæc oratio à sapientissi-
F mo vtpote ab eo qui est ipsa sapientia infinita, & veracissimo, vt pote ab eo qui est fons & origo totius veritatis, condita sit. Patet quod nihil ei deesse poterit, siue quoad petendi modum, siue quoad sufficientiam bonorum petendorum. Modus autem petendi efficacissimus describitur in tribus primis verbis petitiones præcedentibus, quibus ad misericordiam flectitur animus patris misericordiarum, ideòque ea his septem petitionibus præmisit, quasi quoddā proœmium in quo ostendit orantem in consequenter petendis fore exaudiendum.

Cum enim ad sufficientem agentem tria concurrere debeant scilicet quod sit sciens, volens & potens. In hoc quod dicit pater, ostendit eum scire & aduertere nostram id est filiorum suorum indigentiam, iuxta illud Matth. 6. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. In hoc autem quod dicit noster, ostendit eum subuenire volentem, suis enim omnes boni diligenter subueniunt, alioquin boni non essent. Vnde j. ad Timo.5. Si quis autem suorum & maximè domesticorum curam non habet fidem negauit, & infideli deterior. In hoc etiam quod dicit, qui es in cœlis, ostendit ipsum potentem Quia vt habetur primo Mach.3. De cælo fortitudo est. Cum igitur his verbis ostenderimus ipsum scientem nostram indigentiam, & subuenire potentem, necessariò flectemus ipsum ad misericordiam.

Ait ergo. *Pater noster.* Et hic stat hoc nomen pater essentialiter siue pro essentia, & non personaliter siue pro persona. Dicitur enim isto modo Deus pater omnium. Quod & adhuc potest tripliciter dici. sc. communiter, propriè & magis propriè. Cōmuniter per creationem, & sic nō tantum persona patris, sed tota Trinitas dicitur pater omniū & nō tātum electorum, sed etiam peruersorū. Vnde Deut.32. Popule stulte & insipiens, nūquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, fecit te, & creauit te? Propriè autē dicitur papa per adoptionem, & sic tantum dicitur pater bonorum. Vnde ad Rom.8. Accepistis spiritum adoptionis filiorū, in quo clamatis abba pater. Proprijssimè autem dicitur pater per generationem, & sic persona patris tātum dicitur pater vnigeniti filij sui. Duobus primis modis dicitur pater noster tota Trinitas, sed sed tertio modo nō dicitur pater noster Deus, sed tantum filij sui. Ex quo patet, quod hæc oratio nō dirigitur ad patris personam tantum, sed ad totam Trinitatem.

Sequitur, *qui es in cœlis.* Non excluditur tamen per hoc quin sit vbique. Et quamuis vbique sit essentialiter, potentialiter, & præsentialiter, magis tamen in cœlis dicitur esse, quia vbi magis videtur relucere virtus sua & operatio, ibi dicitur potius esse quam alibi. Sicut anima licet vbique sit in corpore, tamen magis dicitur esse in corde secundum aliquos, vel in capite secundum alios, quia ibi nobiliores apparēt operationes suæ. Et hoc est quod dicit Aug. de spiritu & anima. Sicut Deus vbique totus est in toto mundo & in omni creatura sua, sic tota anima in toto corpore suo tanquā in quodam mundo suo est, & in omni eius parte, intensius tamen in corde & cerebro, quemadmodum Deus est & dicitur præcipuè esse in cœlo. In his autem septem petitionibus omne bonum generi humano necessarium petitur. Vt enim dicit glossa Augustino. Nihil homini deest quod his septem petitionibus non contineatur, siue ad præsentem, siue ad futuram pertineat vitam. Petitur enim in eis accessus omnis boni, tam creati quam increati. Item recessus omnis mali tam scilicet præsentis, præteriti quā futuri, vt patebit inferius.

De effectu primæ petitionis.

PRIMA ergo petitio est, vt cōfirmetur in nobis notitia siue cognitio veri Dei quę habetur per fidem orthodoxā. Et hoc est quod dicit. *Nomen tuum* id est notitia tua vel notamē tuum, sanctificetur id est cōfirmetur in nobis. Sanctū enim idem quod firmum, & sanctificare idem quod cōfirmare est. Secundum Pap. enim dicitur sanctum à sanctio sancis, quod idem est quod confirmare. Quasi diceret, firmetur in nobis per fidē verā notitia tua, vt sicut tu semper in te firmus es, quia æternus & incōmutabilis, ita da quod te firmiter cognoscamus. Vel nomen tuum scilicet paternitatis, quo pater noster diceris, sanctificetur id est firmetur in nobis scilicet vt filij tui per gratiam semper maneamus. Vnde glossa. Oramus ne à sanctificatione nominis in aliquo discrepemus, ne patris nomen in filijs moribus & vita offendatur. Vel nomen tuum quod in se venerabile & sanctum est, sanctificetur id est sanctum in nobis ostendatur, sic quod sicut sanctum est in se, ita nos sanctificet. Vnde glos. Nomen patris petimus sanctificari in nobis non vt ipsum sanctius sit, sed vt in nobis augmentum suæ sanctificationis operetur.

De effectu secundæ petitionis.

SEcunda petitio est qua petitur regnū seu gaudium futurum, siue etiam speciale Dei regimen quoad presentē statū, cū ait: *Adueniat regnū tuum* scilicet in nobis id est ad nos veniat. Vnde Augu. Per hoc desiderium nostrum excitamus vt regnū suum nobis veniat, & in eo regnare mereamur. Et signanter dicit, adueniat id est ad nos veniat, quia virtute meritorum nostrorum ex condigno ad ipsum peruenire non possumus, scilicet oportet vt gratuito ad nos accedat. Vnde ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. Similiter Mat.3. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Vel sic, regnum tuum id est ecclesia tua adhuc in terris militans. De quo regno Luc.17. Ecce regnum Dei intra vos est. Adueniat id est ad aliud regnum tuū veniat scilicet ad ecclesiam triumphantem. Vel adueniat id est ad te veniat scilicet vt te videat per speciem, sicut nunc videt per fidem. Vel regnum tuum id est spirituale vel speciale regnum tuum, adueniat nobis: vt scilicet in nobis per specialem effectum regnare cognoscaris & perciparis. Vnde glo. Regnum Dei semper præsto est, sed petimus vt veniat id est vt manifestetur hominibus à quibus velut lux à cæcis non videtur.

De effectu tertiæ petitionis.

TErtia petitio est qua petimus vt conformis fiat voluntas nostra voluntati diuinæ. Et est hęc: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Sicut scilicet fit in cœlo ab electis hoc est. Da vt conformes tibi fiamus in terris, sicut conformes tibi facti sunt sancti in cœlis. Vel secundum alios. Voluntas id est volitum tuum scilicet illud quod vis fieri circa nos, quod specialiter est iustificatio nostra. Vnde primę Thes. 4. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra. Fiat id est adimpleatur. Non voluntas quidem in se qua fieri vis quia illa æterna est, nec in se aliter fieri potest scilicet fiat per executionem & effectus adhibitionem, fierique cognoscatur. Vel sic, fiat voluntas tua in terra id est in homine qui terra est, vnde Gen. 2. Formauit igitur dominus Deus hominem de limo terræ, & Eccl.17. Deus creauit hominem de terra. Et iterū. Omnis homo terra & cinis. Quod propriè potest intelligi in homine peccatore conuertendo, sicut

sicut scilicet fit in cœlo, id est in homine sancto iā conuerso & iustificato, quasi dicat. Conuertantur mali & faciant quæ tibi placita sunt scilicet iusta & bona opera, sicut faciunt boni iam conuersi. Quæ tamen intelligenda sunt de volitis quæ procedunt à voluntate bene placiti, quæ semper bona sunt, & non de his quæ procedunt de volūtate permissionis, quæ mala plerumque fiunt. Nec enim erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit Amos 3. Exponit etiam sic. Fiat voluntas tua in terra, id est in Ecclesia, sicut supple fit in cœlo, id est in Christo, qui cœlum dicitur, quia in eo deitas cælata est. Vnde Esa. 45. Verè tu es Deus absconditus.

De effectu quartæ petitionis.

QVARTA petitio est qua petitur temporale subsidiū ad sustentationem vitæ. Et est hæc: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod autem hæc petitio pertineat ad corporalem necessitatem, specialiter testatur Chrisſt. super Matth. ita inquiens. Quia hominibus loquebatur carne indutis & necessitati naturæ subiectis, docuit subsidium peti naturæ infirmitati. Dicit igitur. Panem nostrum quotidianum, id est corporalem vel visualem, id est nobis quotidie necessariū. Vnde Matth. 6. loco quotidianum habetur supersubstantialem. Ante enim peccatum fuit panis, id est cibus homini substantialis, sed post peccatū factus est sibi superstantialis, id est necessarius ad hoc vt sustentetur in vigore. Vnde nec per diem naturalem sine languore virium potest homo eo carere. Et ideo subditur, da nobis hodie. Et ponitur hic panis pro omni genere sustentamenti corporis. Vnde panis dicitur à pane, quod est totū secundū Isido. Exponitur etiam de pane spirituali, scilicet de corpore Christi seu de Eucharistia, sic. s. panē nostrum Christum, scilicet vel Eucharistiam quæ verissimus panis est, & efficacissimus animæ cibus Ioan. 6. Ego sum panis viuus qui de cœlo descēdi, quotidianum, id est quotidie necessarium, da nobis hodie. Sed nunquid secundum hoc debet quilibet de Ecclesia quotidie communicare? Dic quod tripliciter contingit communicare, scilicet corporaliter seu sacramentaliter tantū, & isto modo communicant mali quādo in peccato mortali sumunt corpus Christi. Item spiritualiter tantum, scilicet credendo sacramētum. Credere enim est spiritualiter manducare, secundū illud Aug. Crede & manducasti. Et isto modo communicant quotidie omnes boni. Item corporaliter seu sacramentaliter & spiritualiter, & isto modo communicāt quotidie boni sacerdotes qui celebrant, & alij boni de Ecclesia dum communicāt. Quod quilibet Christianus debitæ ætatis tenetur facere ad minus semel in anno. s. in pascha. Sed cum complexa refectione corporali vel spirituali habeamus quod in ista petitione petimus, vt quid post prandium istam orationem iteramus? Ad quod dicitur quod sensus huius petitionis duplex est, scilicet vt panis detur, & vt in commedentis nutrimentum, non autem in detrimentum cōuertatur. Et ratione primi habet locū hęc oratio ante susceptionem cibi. Ratione verò secundi habet locum post susceptionem.

De effectu quintæ petitionis orationis prædictæ.

A IN quattuor igitur præcedentibus petitionibus petitur accessus omnis boni. In tribus verò sequentibus ponitur amotio omnis mali. In hac igitur quinta petitione petimus absolui à malo præterito. Et est hæc: *Dimitte nobis debita nostra*, id est peccata quæ nos pœnæ debitores constituunt. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quasi dicat, sic te velis habere ad nos in debita nostra dimittendo, sicut nos habemus nos erga debitores nostros quibus debita dimittimus. Et intelligas quod hæc oratio profertur in persona totius Ecclesiæ, quæ in bonis stat qui peccantibus in se debita dimittunt.

B Alioquin si in persona sua intentionem imputando diceret peccator, in se peccātibus non dimittens mentiretur, sibimet imprecās malum, secundum quod dicit August. Si non dimittis, mentiris, & ei mentiris quem non fallis.

Sed secundum aliquos istud in peccatore videtur posse saluari orando iuxta priorem modum, per hoc quod ly nos & ly nobis supponant pro diuersis. Et hic sit sensus. Dimitte nobis infirmis debita nostra, sicut & nos boni & perfecti dimittimus debitoribus nostris.

C Sed istam expositionē vt nimis extortam credo derelinquendam. Expone sic igitur. Dimitte nobis debita nostra, id est peccata quæ nos constituunt debitores. Vel debita nostra, id est pœnas nobis pro prædictis peccatis nostris debitas, commutādo saltem æternas, quas peccando meruimus, in temporales, sicut & nos dimittimus. i. iustè dimittere debemus debitoribus nostris, vt saltem eos nolimus vel hic vel in futuro obligari, cū aliquid scilicet fecerint quare obligare desierint, vt pote cum satisfecerint si

D possint, vel saltem cum petierint veniam si nō possint. Vnde hic nota quod dupliciter cōtingit alicui dimittere. Vno modo dimittendo rancorem, sic scilicet quod nec malum inimici velis procurari, nec eius bonum minui, bene tamen velis illud ꝙ in te deliquit, aliquatenus satisfieri. Et ad hoc tenetur omnes indifferenter, quia hoc omnino præceptum est saltem sub intellectu. Alio modo dimittere contingit non solum dimittendo rancorem, sed omnino sine satisfactione iniuriarum

E sineque restitutione rerum, necnon sine interuētu precū omnia dimittere, ac ex puro corde diligere, & ad hoc tenentur tantum perfecti, quia isto modo solum consilium est.

De effectu sextæ petitionis.

SEXTA petitio est respectu amotionis mali futuri, in quod varijs temporibus ex carnis mundi & dæmonis tentationibus incidere formidamus. Et est hæc: *Et ne nos inducas in tentationem.*

F Quod intellige permissiuè, id est non induci sinas in tentationem, hoc est, ne permittas nos succumbere tentationi. Aliud est enim in tentationem duci, & aliud induci. In tentationē enim ducitur qui à tentatione pulsatur, sed non deijcitur. In tentationem verò inducitur qui à tentatione pulsatur, eò quòd à gratia nō supportatur, sed sibi relinquitur, à tentatione frangitur & absorbetur. Quia ergo non est malum à tētatione probationis vel etiam suggestionis duci, quinimmo est occasio exercendæ virtutis, quia beatus vir qui suffert tentationem. Iac. 1. Non petimus hic vt non ducamur in tētationem, sed ne induca-

mur, id est ne interius inducamur & succumbamus. Vnde gloss. Non precamur non tentari, sed nec etiam modicum à tentationibus vinci. Tentatio enim necessaria est ad coronam. Et cum duplex sit tentatio, scilicet probationis & suggestionis, non dicitur Deus propriè inducere in tentationem suggestionis, quia vt dicitur Iacob. 1. Ipse enim Deus neminem tentat. Sed ideo (vt dicit August.) dicitur aliquem inducere in tentationẽ, non quia ipse inducit, sed quia aliquando induci permittit, vel saltem quod inducamur non impedit.

De effectu septimæ petitionis.

SEPTIMA & vltima petitio est respectu amotionis mali præsentis siue instantis. Vnde glossa ordin. super isto passu Matth. 6. *Sed libera nos à malo.* In illam quæ nondum est, supple tentationem ne nos sinas induci, quod intellige petitione præcedenti petitum est, & ab ea in quam inducti sumus, libera nos Et hoc est quod dicit. Libera nos à malo, tam, scilicet, visibili quàm inuisibili, & tam pœnæ quàm culpæ. Vnde simpliciter dicit à malo, nihil determinãdo, dans hoc de omni malo intelligi posse & debere. Vnde sic intelligendo petit amotionẽ omnis mali instantis. Est autẽ quadruplex malum. Vnum originale aliud actuale, quod est duplex. Nam aliud est mortale aliud veniale. Quartum malum est, pœna peccatum consequẽs. Primum autem malum est innatum, duo sequẽtia sunt malum additum, quartum est malum inflictum. Et ab omnibus his petimus liberari, dum in persona Ecclesiæ orantes & loquẽtes dicimus. Sed libera nos à malo, &c.

De numero & sufficientia prædictarum petitionum.

NVmerus verò & sufficiẽtia prædictarum petitionum sic accipitur: Omne quod rationabiliter peti potest, aut est collatio boni, aut amotio mali. Si est collatio boni, aut boni increati, scilicet Dei, aut boni creati. Si est collatio boni increati, hoc potest esse dupliciter. Vel scilicet vt per veram fidem confirmetur eius noticia in nostro aspectu, & hoc petitur ibi. *Sanctificetur nomen tuum.* Vel vt sua voluntas confirmetur in nostro affectu, & hoc petitur ibi. *Fiat voluntas tua, &c.* Si verò petatur collatio boni creati, hoc iterum potest esse dupliciter. Vel scilicet vt conferatur bonum æternum, vt est regnum cœlorum. Et hoc petitur ibi. *Adueniat regnum tuum.* Vel vt cõferatur bonum temporale ad sustentationem. Et hoc petitur ibi: *Panem nostrum quotidianum.* Si autẽ fiat petitio pro amotione mali, hoc potest esse tripliciter. Vel scilicet vt amoueatur malũ præteritum siue in præterito commissum. Et hoc petitur ibi: *Et dimitte nobis debita nostra.* Vel petitur vt amoueatur malum futurum. Et hoc petitur ibi: *Et ne nos inducas in tentationem.* Vel petitur vt amoueatur malum præsens. Et hoc petitur ibi. *Sed libera nos à malo.*

De ordine ipsarum petitionum ad septem vitia capitalia.

NVnc videndum venit qualiter in his septem petitionibus cohiberi petũtur septem capitalia vitia. In prima igitur petitione cohibetur
A superbia. Superbi enim non sanctificant nomen Dei, sed nomen suum proprium, secundum quod dicit Psal. Vocauerunt nomina sua in terris suis. In secunda petitione eliditur inuidia, quæ est dolor alieni boni, quæ non considerat vt proximo adueniat bonum, sed potius malum, & è contrario in ista petitione petitur commune omniũ bonum. In tertia petitione resecatur ira quæ voluntatem Dei non sequitur, sed proprium impetum, & è contrario in ista petitione petitur voluntatẽ
B Dei fieri. Vel aliter secundum aliquos dici potest: quod in secunda petitione eliditur ira, quæ bonũ homini non patitur euenire, ibi enim aduenire petitur. Et tunc in tertia resecatur inuidia, quæ specialiter sanctam Dei persequitur voluntatem, vt dicit Hieron. cuius contrarium in dicta petitione oratur. Et secundum istum secundũ modum ponendi ordinantur petitiones ad vitia in secunda tabula per aliquos circa hæc confecta. In quarta autem petitione expellitur accedia. Ibi enim petitur robur tam spirituale quã corporale, quod con-
C fertur in pane corporali & spirituali, quod quidẽ euacuat accediam, quæ est ignauia & tædiũ vitæ. In quinta petitione eliditur auaritia, quæ est immoderatus amor congregandi & retinendi temporalia. Vnde & debita semper exigit nec dimittit. Cuius contrarium ibi petitur & offertur. In sexta petitione extirpatur gula, ex qua ortum habuit primaria hominis tentatio, cum ibi petatur amotio tentationis futuræ. In vltima petitione resecatur luxuria quæ specialiter semper habet secũ
D malum, tam corporis, quod ipsa debilitat, quia qui fornicatur, in corpus suum peccat, quam etiã spiritus, cuius vires eneruat, cum ibi petatur amotio omnis mali præsentis.

Tractatus quinti de septem petitionibus orationis dominicæ, finis.

TRACTATVS SEXTVS DE SEPTEM DONIS SPIRITVS-SANCTI, & eorum declaratione.

E POSTMODVM de donis Spiritus-sancti sub compendio agendum est. Vbi primò dicendum erit, vtrum idem sint quod septem virtutes denominatæ. Et si non, in quo ab eis differunt. Quot sunt dona, & quæ sint. Deinde de singulis donis in se aliqua tangenda erunt. Postremò qualiter per ipsa dona excluduntur septem peccata capitalia.

F *Vtrum septem dona Spiritus-sancti sint idem quod septem virtutes. Et in quo differunt.*

OMNIVM autẽ ferè opinio est quod dona non sunt virtutes. Sed differẽtiam inter virtutes & dona assignando magna est diuersitas. Quidam dicunt quod virtutes principaliter sunt ad agendum, & quod ideo definiuntur per actus & operationes suas. Dona verò principaliter sunt ad resistendum tentationibus, quæ viam iam habitæ virtutis impugnant.


Alij sic

Alij sic dicunt & melius, quod virtutes simpliciter sunt ad agendum, sed dona sunt ipsarum expeditiones virtutum, & sic sunt ad magis expeditè agendum. Sunt alij qui distinguunt, dicentes quod in donis illa quæ pertinent ad effectum, sunt virtutes. Illa verò quæ pertinent ad aspectum rerum, vt sunt propriè dona. Et hi soluunt facilè quæ ex vtraque parte obijci possunt, scilicet vtrum sint virtutes vel non. Et quia opinio media innititur sententiæ beati Gregorij à pluribus probabilior habetur.

Quot sint dona Spiritus-sancti & quæ sint.

QVOT & quæ dona sint patet per Esa. 11. cap. vbi tanguntur septem dona Spiritus-sancti hoc ordine: *Requiescet super eum scilicet Christum, Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Duo autem prima digniora sunt qui regunt vitam cõtemplatiuam, scilicet sapientia & intellectus. Alia autem quinque sufficienter regunt vitam actiuam. Et secundum hoc sumitur ab aliquibus numerus & sufficientia ipsorum septem donorum, sic scilicet. Nam aut ipsa dona quæ (vt tactum est) sunt quædam ipsarum expeditiones seu perfectiones virtutũ, ipsam virtutem perficiunt respectu vitæ contemplatiuæ vel respectu vitæ actiuæ. Si respectu vitæ contemplatiuæ quæ circa diuina & cœlestia versatur, aut ipsam virtutem perficiunt per modum cuiusdam experientiæ & gustus, & hoc fit per donum sapiẽtiæ, aut per modum cuiusdam intimæ inuestigationis & speculationis, & hoc fit per donũ intellectus. Si respectu vitæ actiuæ quæ circa agibilia versatur, aut perficiunt ipsam virtutem quantũ ad recessum à malo, & hoc fit per donum timoris, aut ipsam virtutem perficiunt quantum ad operationem boni, & tunc vel boni ad quod omnes tenẽtur, & quod est in communi operatione. Vel boni ad quod non omnis tenetur, vt est bonum arduum. Si quãtum ad operationem boni ad quod omnes tenentur, hoc contingit dupliciter. Nam vel donũ in tali operatione virtutẽ perficit tanquã ipsum opus exequens, & tunc est donum pietatis. Vel tanquam ipsam opus regẽs & dirigens, & tũc est donum scientiæ. Si quantũ ad operationẽ boni ad quod non omnes tenentur: hoc iterũ contingit dupliciter. Nam vel donum in tali operatione virtutem perficit tanquam opus ipsum arduũ exequens, & tunc est donũ fortitudinis. Vel tãquam ipsum opus arduum regens & dirigens, & tunc est donũ consilij. Aliter per alios sumitur iste numerus & sufficientia prædictorum donorũ secundũ aliquas ipsorum donorũ rationes, & hic inserere visum est causa breuitatis non expedire. Nota insuper quod illud donum quod in prædicta Esa. assignatione vltimo loco ponitur scilicet donũ timoris, est primum in ascendendo, iuxta illud Psal. Initiũ sapiẽtiæ timor Domini. A quo timoris dono fit quidã per alia dona gradalis ascensus. Ne em̃ timor conceptus gelidus foret aut aridus, sequitur donum pietatis quæ ad omnia vtilis est. Et ne pietas ipsa nimis remissa, aut nimis prodiga, aut aliquo modo inordinata esset, adiungitur ei donum scientiæ quę opera pietatis regat vt discretæ fiant. Et ne scientia inualida foret, additur ei donũ fortitudinis, vt quod aliquis per scientiam bene facere nouit, per fortitudinem exequi facto possit. Et ne fortitudo præsumptuosa vel impetuosa esset, adiungitur ei donum consilij, quo regi possit opus fortitudinis & debito modo comprimi, quia secundum Gregor. fortitudo sine cõsilio præcipitat. Et ne consilium incautum foret, adiungitur ei donum intellectus, qui est cognitio bonorũ spiritualium, quo consilium in ipsa spiritualia dirigi possit. Et vt intellectus modo debito temperetur & ordinetur, datur ei sapientia quæ est cognitio per gustum diuinæ dulcedinis. Quæ sapientia à sapore, non à sapere dicta est.

DE DICTIS SEPTEM DONIS IN SPECIALI. ET PRIMÒ *de dono timoris.*



NVNC breuiter de singulis donis in se aliqua tangenda sunt. Et primò de dono timoris. Vbi primò dicetur, Quid sit timor. Deinde quot sint eius species. Et quæ earum sit donum.

Quid sit timor, & quot sunt eius species.

TIMOR secundum August. super Ioan. sic definitur: Timor est fuga animi, ne perdat quod diligit. Idem in lib. de Ciuit. Dei. Timor est affectio vel amor fugiens quod ei aduersatur.

Species autem timoris ponuntur sex. Est enim timor mundanus humanus naturalis, seruilis, initialis, filialis. Timor mundanus est quo quis timet amittere quæ mundi sunt, & ideo non peccat si ea amittat. Humanus est quo quis ex deliberatione tãtum timet pœnam sui corporis. Naturalis est quo quis naturaliter timet mortem siue horribile aliquid ante deliberationem rationis, qui timor vitiosus nõ est sicut duo priores. Seruilis est quo quis offendere timet tantum ne incurrat pœnam gehennæ. Iste aliquantulam habet vtilitatem quia frequenter introducit charitatem, sicut seta introducit filum sutoris, vt perhibet Aug. Initialis est qui quasi duplicem habet oculum seu respectum, vnum ad fugam pœnæ, alium ad amorem gloriæ. Seruit enim Deo partim timore gehennæ, partim amore gloriæ vel iustitiæ. Filialis siue castus est quo timemus ne Christus animæ nostræ sponsus aut tardet, aut discedat, aut aliquatenus offendatur. Hic est timor sanctus qui permanet in sæculum sæculi, qui alio nomine dicitur reuerentialis. Quis autem timorum istorum sit donum Spiritus-sancti patet, quia nec timor mundanus, nec timor humanus qui simpliciter mali habentur, nec naturalis, quia donum est quidem diuinitus infusus, non innatus, timor verò naturalis innatus est, nec seruilis timor, propriè tamen sumẽdo donum nisi generaliter sumeretur sicut generaliter dicitur donum de omnibus quæ dantur à Deo, & sunt supra naturam ad ordinandum aliquo modo vitam in bonum gratiæ, sicut & fides informis dici potest donũ Dei sed initialis timor & castus siue reuerẽtialis propriè dicuntur donũ Spiritus-sancti. Concedunt tamẽ aliqui simpliciter, ꝙ timor seruilis sit donum Spiritus-sancti, &

tamen negant quod simul insit cum Spiritu-sancto. Quod qualiter esse possit non video.

De secundo dono Spiritus-sancti, scilicet dono pietatis.

SEquitur de dono proximo quod est in ascendẽdo scilicet de dono pietatis. Vbi primò videndum quid sit, quod modis dicatur, & secundũ quem modum sit donum Spiritus-sancti. Definitur autem sit pietas ab Aug. Pietas est cultus Dei, quam Græci eusebiam vocant. Item Gregor. super Iob. Pietas est quæ docet opus misericordiæ. Secundum Tullium in fine primi suæ rhetoricæ. Pietas est beneuolentia in parente. Magistralis verò definitio hæc est: Pietas est ex benignę mentis dulcedine omnibus auxiliatrix affectio.

Quot modis dicatur pietas.

DIcitur autem pietas multis modis. Quandoque motus ipsius affectionis tẽdens in Deũ, & sic dicitur pietas cultus Dei, & sic est in genere virtutis quæ est latria. Quandoque dicitur motus affectionis tendens in eius imaginem, scilicet in hominem: & hoc potest esse tripliciter, vel ille motus affectionis tendit in imaginem Dei, quæ est sibiipsi per sanguinem coniuncta, & sic est beneuolentia in parentes, & est species iustitiæ naturalis. Quandoque etiam dicitur affectio tendens in imaginem Dei, id est in hominem tanquã miserijs oppressum, & sic pietas est quæ docet opera misericordiæ, vt dicit Gregor. & sic potius virtus est quam donum. Quandoque etiam est affectio tendens in imaginem Dei, non quidem in quantum est sanguine cõiuncta vel miserijs oppressa vt sic, sed motu quidem generali, scilicet in quantum est imago Dei, hoc est in quantum est rationalis creatura. Et tunc propriè dicitur donũ Spiritus-sancti, quod habilitat & expeditum reddit hominem ad habendum se beneuolentem seu beneuolum ad rationalem creaturam, scilicet ad quemlibet hominem sui indigentem, siue non indigentem. Et sic maximè ei conuenit ista definitio magistralis prius posita. Secũdum primũ modum definitur ab Aug. Iuxta secundum modum definitur à Tullio. Secundum tertium modum definitur à Gregor. Et secundum quartum modũ definitur à magistris, quia illo modo est propriè donum Spiritus-sancti.

De tertio dono Spiritus-sancti, scilicet de dono scientiæ.

DE dono autem scientiæ duo videnda sunt, scilicet quid sit, & in quo differt à dono sapientiæ, à quo secundum August. distare non videtur. Quando scientia propriè donum est, sic definitur. Scientia est lumen spirituale acceptum à Deo, in quo videntur rationes operabilium pertinentium ad vitam, per quas sanctè & meritoriè viuamus, sicut dicit apostolus ad Tit. 2. Abnegãtes omnem impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè viuamus in hoc seculo. Vnde sicut fides est illuminatio quædam ad credibilia, ita donum scientiæ est illuminatio quædam ad operabilia.

In quo differt donum scientiæ à dono sapientiæ.

A DIcitur autem in hoc à dono sapientiæ differre, quoniam sapientia est cognitio quędam diuina per gustum, sciẽtia autem est lumen quoddam diuinum ad operabilia pertinentia ad hanc vitam. Vnde sicut dicit magister in lib. sen. Sciẽtia docet bene conuersari in medio huius prauæ & peruersæ nationis. Et hoc satis videtur consonare verbis Augustini, qui dicit quod sapientia est de æternis, scientia verò de temporalibus.

B *De quarto dono Spiritus-sancti, scilicet de dono fortitudinis.*

POst hæc de dono fortitudinis duo etiam dicenda sunt. s. quid sit, & qualiter differt à fortitudine prout fortitudo est virtus.

Quid sit fortitudo, & quomodo differt à fortitudine, prout est virtus.

SEcundum autem quod fortitudo est donum, sic notificatur. Fortitudo est affectio C animi qua cupiditas terrena deprimitur, nulláque aduersitas formidatur. Et videtur hæc notificatio sumi ex verbis August. in lib. de spiritu & anima, & in 5. lib. suæ musicæ. Differt autem à fortitudine prout est virtus, licet vtraq; sit circa difficile & arduum. Quoniam fortitudo prout est virtus, sustinet periculum, quando scilicet necesse pati vel à bono virtutis cedere, sicut quando quæritur fides vel iustitia, vel libertas patriæ vel huiusmodi. Sed fortitudo prout est donum, se D gratis & ex abundanti illi statui offert in quo talia sæpe quæruntur, vt est status perfectionis consiliorum. Si autem dicatur quod secundum hoc nõ haberent donum fortitudinis nisi tãtum perfecti, & quod sic habita vna gratia gratificante nõ omnes haberentur. Dico quod non est verum, nec ex prędictis sequitur quoniam perfecti istud donum habent in actu, omnes verò in charitate existentes habent in habitu. Vnde qui imperfectus est habet in habitu. Vnde opus perfectionis facere potest qui vult.

E *De quinto dono Spiritus-sancti, scilicet de dono consilij, & quid sit.*

POSTREMÒ de dono consilij duo similiter videnda sunt, scilicet quid sit, & qualiter sit donum, cum in Christo non videatur fuisse, in quo tamen sunt & fuerunt omnia bona. Definitur autem sic à Tullio in rhetorica sua? Consilium est faciendi vel non faciendi verè excogitata ratio. Sed hæc definitio non videtur conuenire F consilio prudentum prout est donum, ideo aliqui corrigunt eam sic: Consilium est faciendi vel non faciendi verè excogitata ratio, earum scilicet rerum in quibus propter arduitatem indiget quis adiutorio. Vnde consilium prout hic sumitur, non est de dubio, sed de arduo, ad quod propter difficultatem non omnes tenentur. De reliquo dic quod isto modo vltimo consilium est donum, & quod verissimè hoc donum fuit in Christo, sicut & cætera dona fuerunt & semper erunt. Vnde cõsilium secundũ quod ponit dubitationem & circa eã quærit ab alijs certificationẽ, non fuit in Christo qui certissimè oĩa nouit, quia nec

nec sic est donum Spiritus-sancti. Sed consilium quod est lumen immissum à Spiritu-sancto, omnia dubia dissoluens & indubitanter in aggressionem arduorum dirigens, quæ Deus ad statū perfectionis pertinere propalauit, sic est donum. Et isto modo fuit in Christo.

De sexto dono Spiritus-sancti, scilicet intellectus.

SEquitur de dono intellectus. Circa quod attēde & primò quid sit, deinde qualiter differt à sapientia. Definitur autem sic ab Augustino in sermone quodam suo de timore. Intellectus vocatur quo ab omni infirmitate carnali corda mūdantur, vt pura intentio dirigatur in finem suum scilicet Deum. Est intellectus quoddam lumē spirituale infusum ad cognitionem Dei in creaturis. Differt autem à dono sapientiæ, quia sapientia est cognitio per gustum. Est enim quoddam lumen, sub quo vel in quo videntur & gustantur diuina per experimentum. Vnde sapientia prout est donum est propriè gustus Dei in donis suis. Intellectus autem non est per gustum, scilicet potius est lumen quoddam datum à Deo ad cognitionem Dei in creaturis illis, in quibus resultat Deus per gratiā, vel in illū in quibus habet resultare per gratiam & gloriam. Vnde intellectus est donum quo gratuitè cognoscimus dispositiones cœlestiū, per easque tendimus in Deum sic disponentem.

De septimo dono Spiritus-sancti scilicet sapientia, & quid sit.

DEnique de dono sapientiæ dicendum est. Et quoniā ex superius dictis in parte patet quid sit, & qualiter se habet donum scientiæ & ad donum intellectus, ideo sufficit hic ponere eius notificationem. Secundum autem August. sic definitur. Sapientia est cognitio rerum diuinarum. Item ex littera 3. lib. sen. Sapientia ad solius æternæ veritatis contemplationem & delectationem pertinet, ipsaque tantum creator conspicitur, & quod semper & incommutabiliter manet quod Deus est. Gregor. sic definitur: Sapientia est donum spe & certitudine æternorum mentem reficiens. Quæ definitio dicit operationem eius propriam, quæ est mentem per gustum reficere, quod sonat nomen eius. Sapientia enim à sapore dicta est.

Quomodo per septem dona spiritus-sancti excluduntur septem vitia capitalia.

VLtimò dicēdum est qualiter per septem dona excludantur septem peccata capitalia. Et sciendum est quod timor (quia per eum quis se deprimit ne super aliū se extollat) excludit superbiam, quæ super alios se extollit. Pietas quæ sibi illatas remittit iniurias, expellit iram, quæ vindicari quærit. Scientia quæ mentem illuminat, euacuat inuidiam, quæ mentem excæcat. Fortitudo quæ excellit in arduis, pellit accediam quæ torpet in imis. Cōsilium quod docet pro transitorijs æterna mercari, remouet auaritiam, quæ in terrenis & pro terrenis tantum quærit negotiari. Intellectus quo verè delectamur in bonis spiritualibus, excludit gulam, quæ vanè & miserè delectatur in carnalibus. Sapientia per quam purè delectamur in Deo, extirpat luxuriam, quā quis impudicè in suo misero corpore delectatur.

A

Tractatus sexti huius compendij de septem donis Spiritus-sancti finis.

TRACTATVS SEPTIMVS DE DE OCTO BEATITVDINIBVS, & earum explanatione.

NVnc breuiter restat aliquid de octo beatitudinibus dicere. Et primò quid dicatur beatitudo, scilicet an ipsa virtus an id quod promittitur? vt gratia exēpli, respectu eius quod dicit Christus. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; an beatitudo sit ipsa paupertas vel promissio regni? Qualiter se habeant ad dona & ad virtutes. Quare vltimæ beatitudini idem præmium reddatur sicut primæ. Deinde de qualibet beatitudine in se quid est, & qualiter, & cum quo dono conuenit, & cui vitio capitali contrarietur.

B

C

Quid dicatur beatitudo, an scilicet ipsa virtus, vel id quod promittitur.

SCiendum est autem quod beatitudo duplex est, scilicet viæ & patriæ. Beatitudo autē viæ consistit in perfecta euacuatione vnius miseriæ scilicet culpæ, & quo ad essentiam, & quo ad occasiones. Vnde quia istæ virtutes de quibus infra, euacuant culpam & culpæ occasiones, disponūtque ad beatitudinem patriæ, ideo dici possunt & dicuntur beatitudines. Beatitudo autem patriæ consistit in omnimoda euacuatione vtriusque miseriæ, scilicet & culpæ & pœnæ. Et isto modo dicuntur propriè beatitudines præmia prædictis virtutibus respondentia. Sicut est illud: Ipsorum est regnum cœlorum. Vel illud? Ipsi saturabūtur, &c. Et sic varia ratione & consideratione poteris dicere quod virtutes illæ sint beatitudines, & quod similiter præmia eis correspondentia beatitudines sunt.

D

E

Qualiter se habeant beatitudines ad dona & ad virtutes.

QValiter autem se habeant istæ beatitudines ad dona & ad virtutes, hoc scito quod secūdum glo. super isto passu Matth. 5. per virtutes ad dona, & per dona ad beatitudines peruenitur. Vnde virtutes dicunt initium operationis bonæ, & euacuationem culpę quoad essentiam dona autem dicunt bonum & expeditū progressum, quia donum expeditum reddit actum virtutis vt expeditè operetur. Beatitudines autem dicunt consummationes siue terminum, quatenus in via haberi potest, ita vt omnem culpam euacuet, & omnem culpæ delectationem, & bonum delectabilitur operetur quantum facere possibile est viatori. Et ideo dicuntur istæ beatitudines virtutes purgati animi, quia scilicet animam purgant vltima purgatione viatori possibili.

F

Quare vltima beatitudini idem redditur præmium sicut prima.

VLTIMÆ autem beatitudini idē præmiū redditur quod & primæ, sed non eadē ratione.

Quia regnum cœlorum duo in se comprehendit, scilicet exaltationem & abundantiam. In beatitudine autem quæ prima ponitur, quæ est paupertas spiritus, est summa rerum abdicatio siue abiectio, & ideo promittitur ei regnum in quantum dicit abundantiam. In beatitudine verò quæ vltima ponitur, quæ est persecutioné pati propter iustitiam, est summa deiectio, & ideo promittitur ei regnum in quantũ nominat exaltationem. Vnde quamuis regnum cœlorũ omnibus beatitudinibus debeatur, istis tamẽ solum promittitur, quia per quandã appropriationem istis magis debetur.

De beatitudinibus in speciali. Et cum quo dono conueniat. Et primò de prima.

NVNC attendendum est ad aliqualem singularem determinationem. Prima igitur virtus seu beatitudo est paupertas spiritus, quæ adaptatur dono timoris. Et expellit superbiam cui contrariatur, eò quod paupertas spiritus, vera humilitas sit. Huic beatitudini in præmium promittitur regnum cœlorum. Et nota quod paupertas hic dicitur abdicatio temporalium secũdum rem & secundum voluntatem. Quia cum beatitudines perfectam dicant peccati exclusionem, tam quoad peccati essentiam quam quo ad peccati occasionem, cum abdicatio solum secundum volũtatem non sit euacuatio perfecta occasionis peccati, quia est alia vtilior quæ magis occasionem peccati euacuat, scilicet illa quæ est secũdum rem & secundum voluntatem, patet quod illa prima est propriè beatitudo.

De secunda.

SEcunda virtus seu beatitudo est mititas siue mansuetudo, quæ congruit dono pietatis, & expellit iram, quia mitis est quem ira vel rancor non afficit. Cui respondet in præmium possessio terræ viuentium.

De tertia.

TErtia virtus seu beatitudo est luctus, qui est dolor animi charitate informatus, qui facit cognoscere miseriam propriam & lachrymabilem præsentis vitæ statum, & delectationẽ futuræ gloriæ, quæ sufficiens causa luctus sunt. Quem dolorem inducit scientiæ donum. Qui enim addit sciẽtiam istam, scilicet addit & dolorem. Cui pro prẽmio respondet æterna consolatio, in qua absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorũ. Et iam non erit amplius neque luctus neque clamor, &c. Et hæc euacuat inuidiam, quæ dolet de bono alieno & lætatur de malo, hæc autem beatitudo è conuerso. Et quamuis luctus ipse miseria quædam videatur, congruè tamẽ beatitudo propter sibi annexam dulcedinem dicitur, eò quod dicit Gregor. Dulciores sunt lachrymæ pœnitentium, quam delitiæ regum. Et Aug. lib. confess. Currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum illis.

De quarta.

QVarta virtus seu beatitudo est esuries & sitis iustitiæ quæ dono fortitudinis adaptatur, quæ est in sustinendis periculis pro iustitia & fide, quæ expellit tædium boni, hoc est accediam. Cui respondet pro præmio æterna saturitas.

De quinta.

QVinta virtus seu beatitudo est misericordia, quæ appropriatur dono consilij, quod docet alijs dimittere minora, vt nobis dimittantur maiora, vel conferre terrena, vt obtineamus cœlestia. Hæc expellit auaritiam, cuius proprium est congregare, & non remittere vel conferre. Præmium autem huic beatitudini respondens est cõsecutio misericordiæ.

De sexta.

SExta virtus seu beatitudo est munditia cordis, cui conuenit donum intellectus, qui est cogitatio cœlestium, oculos cordis mundans & illuminans. Hac eliminatur gula, quæ corrumpit & excæcat cor. Vnde Oseæ 4. Fornicatio & vinum & ebrietas aufert cor. Præmium huic beatitudini respondens est visio Dei.

De septima.

SEptima virtus seu beatitudo est pax seu esse pacificum, cui respondet donum sapientiæ, quæ est delectari in Deo, qui est pax nostra. Hæc expellit luxuriam, quæ animum non pacificat, sed vagum reddit & instabilem. Cui correspondet præmium esse filium Dei.

De octaua.

OCtaua virtus seu beatitudo, quæ est pati persecutionem propter iustitiam, clarificat & ostendit quoddam factum habens respectum ad singula præcedentia. Et per quod omnes aliæ beatitudines ab vltima vsque ad primam probantur, si veræ sint. Vnde Greg. Qualis vnusquisque apud se lateat, illata cõtumelia probat. Et hinc est quod beatitudo ipsi facto pro præmio respõdens quod idem est cũ præmio primæ beatitudini promissio redire dicitur ad caput tanquam circulus perficiẽs & omnes beatitudines ambiens & comprehendens. Hæ virtutes seu beatitudines tanguntur Matth. 5. *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Vnde accipitur numerus seu sufficientia beatitudinum.

HARVM verò beatitudinum numerus & sufficientia secundum integritatem perfectionis hominis accipitur. Ad perfectionis autem integritatem requiruntur tria scilicet recessus à malo, profectus seu progressus in bono, & perfectus status in optimo. Sanè respectu primi malum procedit aut ex tumore superbiæ aut ex rancore malitiæ, vel ex languore libidinis seu cõcupiscentiæ. Contra quæ tria sunt, seu sumuntur tres primæ beatitudines, scilicet paupertas spiritus contra malum tumoris superbiæ. Mititas contra malum rancoris malitiæ. Luctus contra malum languoris libidinis seu concupiscentiæ. Respectu verò secundi profectus seu progressus in bono attenditur circa diuinam imitationem, quæ est duplex secundum duas vias quibus intendi potest scilicet misericordiam & veritatem. De quib⁹ in Psal. Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas. Et secundũ has duas vias sumũtur duæ aliæ beatitudines, scilicet respectu veritatis esuries iustitiæ, & respectu misericordiæ perfectus status in optimo attenditur in duobus, scilicet in limpida cognitione, & in tranquilla affectione. Et secundum hoc sumuntur duæ aliæ vltimæ beatitudines, scilicet respectu limpidæ cognitionis, munditia cordis ad Deum videndum & re-

& respectu tranquillæ affectionis, pax mentis ad Deo perfectè fruendum. Et aduerte quod sicut A in enumeratione donorum iuxta quod supra in tractatu de donis declaratum est, est ordo quidam artificialis, quo primo loco ponuntur & enumerantur digniora, ita in enumeratione beatitudinum est ordo quidam naturalis, quo digniores vltimo loco ponuntur.

EX supradictis colligitur, quod habitus virtutum cardinalium principaliter disponunt ad exercitium vitæ actiuæ. Habitus verò donorum B maximè disponunt ad actus vitæ contemplatiuæ. Habitus autem beatitudinum disponunt ad perfectionem vtrorumque.

Tractus septimi de octo beatitudinibus finis.

TRACTVS OCTAVVS ET FINALIS DE VITIIS TAM *natura quam voluntatis.*

IN finalibus aliqua de vitijs summatim tangere conuenit. Et quia sunt vitia C naturæ & vitia voluntatis, tangitur primò aliqualiter de vitijs naturæ, & deinde de vitijs voluntatis.

De numero & sufficientia vitiorum naturæ.

VITIA autem naturæ quantum ad huiusmodi compendium attinet, satis erit enumerare, quæ sunt septem, scilicet extollentia seu præsum- D ptio, duritia, ignorantia, timiditas, præcipitatio, hebetudo, stultitia. Quorum numerus siue sufficientia, licet de se satis clareat, nam reperibile non videtur vitium naturæ aliud à prædictis, vel quod saltem ad aliquod præmissorum non sit reducibile, per oppositionem tamen ad septem dona Spiritus-sancti sumunt aliqui numerum & sufficientiam ipsorum vitiorum naturæ. Etenim tres animæ sunt vires seu potentiæ, scilicet concupiscibilis, irascibilis & rationalis, quæ quasi continuè in suis virtuosis actibus & operationibus, per ipsa E vitia quæ naturæ ex sua corruptione insunt, varijs modis impugnantur & impediuntur, contra quæ cum septem sint, data sunt in adiutorium septem dona Spiritus-sancti, quę lumina quędam siue lux diuinitus inspirata & infusa ad efficacius tam cõtra ipsa septem vitia naturæ, quam vitia alia voluntatis & tentationes, viã iam habitæ virtutis impugnantes resistendum, liberiúsque & expeditius ipsos actus virtutum exequendum.

De vitijs naturæ circa vim concupiscibilem. F Circa igitur vim seu potentiam concupiscibilem reperitur vitium naturæ, retrahens ad debitè compatiendo & subueniendo proximo, quod vocatur duritia. Contra quod disponit donum pietatis.

De vitijs naturæ circa vim irascibilem. Circa verò vim seu potentiam irascibilem duplex reperitur vitium naturæ. Vnum immoderatè retrahens ab agendis quod vocatur timiditas, contra quod disponit donum fortitudinis. Aliud immoderatè accedens, quod vocatur præsumptio, contra quod disponit donum timoris.

De vitijs naturæ contra vim rationalem. Contra vim autem seu potentiam rationalem duplex contingit vitium naturæ scilicet vel respectu finis, vel respectu eorum quæ sunt ad finem. Si respectu finis, duplex reperitur naturæ vitium. Vnum impediens ne cognoscatur, quod vocatur hebetudo contra quod disponit donum intellectus. Aliud retrahens, ne animus ad ipsum finem debitè afficiatur, quod vocatur stultitia, contra quod disponit donum sapientiæ. Si respectu eorum quæ sunt ad finem, duplex similiter naturæ vitiũ reperitur. Vnum impediens ne sciatur quid ad persecutionem finis expediat, quod est ignorantia, contra quod disponit donum scientiæ. Aliud quo quis in in his quæ agenda sunt, magis ex passionis impetu quam ex debita electione ducitur, quod est præcipitatio, contra quod disponit donum consilij.

Quibus contrarientur vitia naturæ? Contrariantur etiam ista septem naturæ vitia singula scilicet singulis virtutibus, singulis orationis dominicæ petitionibus, & singulis beatitudinibus, & conueniunt cum septem principalibus seu capitalibus vitijs voluntatis. Quod clarius ex tabula in fine huius tractatus posita concipi poterit & perpendi.

De vitiis voluntatis seu de malo culpæ in generali.

DE vitijs voluntatis, id est, de malo culpæ seu de peccato opportunum foret & vtile specialem & longum tractatum subiungere. Sed cum pluribus notabilibus hæc sint diffusè explanata, sufficiet interim ad præsentis compendij processum continuandum, eiusq; complementum summatim dicere, quid sit peccatum in genere. Quoties fit, siue quot sũt eius genera. Deinde venient aliqua de quolibet genere explananda.

Quid sit peccatum in genere, & quomodo definitur.

PECCATVM autem in genere sic definitur. Peccatum est auersio ab incõmutabili bono ad bonum commutabile. Quam definitionem sic intellige. Peccatum est auersio scilicet voluntatis, quia propriè & per se talis auersio est peccatum ab incõmutabili bono, scilicet Deo, qui omninò incommutabilis est. Nec est auersio aliud quam disconformitas voluntatis creatæ à voluntate diuina, quod est in omni peccato, vbi aliquid vult voluntas creata, quod non vult Deus. Sequitur ad bonum commutabile, supple cõuersio scilicet ad bonum creatum quod continuò mutatur, vt saltem mutabile est. Et licet peccatum in sui definitione duo contineat, scilicet auersionem ab incommutabili bono, & conuersionem ad commutabile bonum, essentialius tamen peccato est primum quam secũdum. Si enim fuerit conuersio ad creaturam, ita tamen quod non fieret auersio à creatore, sicut contingit quando quis amat creaturam propter Deum tantum, tunc non fieret peccatum, immo in isto casu meritoriè fieret.

Licet plures aliæ sint definitiones peccati, non tractatur nisi de vna. Plures aliæ à doctoribus assignantur peccati definitiones secundum causas efficientem, materialem & formalem ipsius peccati. Sed quantum ad præsentem tractatum attinet, supradicta definitio, quæ secundum causam finalem peccati sumitur, sufficiat.

De dupliti diuisione peccati in genere.

PLVRES etiam à doctoribus assignantur peccati diuisiones secundum diuersas peccati causas & origines. Quantum verò ad præsentem tractatum sufficit, de duabus peccati diuisionibus principaliter tangetur. Et primò de vna quæ sumitur secundum quandam peccati qualitatem & quantitatem. Secundo de vna quæ sumitur iuxta peccati causam materialem. Respectu primæ diuisionis tria principalia reperiuntur genera peccatorum, quia omne peccatum aut est originale aut actuale. Si actuale, hoc iterum est dupliciter, quia aut est mortale, aut veniale.

DE PECCATO ORIGINALI ET QVID EST.

ORIGINALE autem peccatum est illud quod à nostra vitiosa origine trahimus. Et est auersio quædam habitualis à Deo qua anima prona effecta est non reddere iustitiam quam debet. Vnde omnes ferè doctores respectu effect⁹ ipsius peccati originalis consonant in ipsam auersionem habitualem secundum August. Hugo de sancto Victore dicit, quod originalis culpa est corruptio seu vitium quod nascendo contrahimus per ignorantiam in mente, & concupiscentiam in carne. Alij volunt quod originalis culpa sit necessitas cõcupiscendi cum debito non concupiscendi. Et ponunt exemplum de radio contiguato aquæ qui mouetur aqua mota, & quiescente quiescit. Et hoc patet ex contiguatione sui cum aqua. Vnde cum maior sit vnio animæ & carnis quam in casu prædicto radij & aquæ, cum caro de se valde mobilis sit ad concupiscendum, anima eo ipso quod tali carni vnita est, habet statim talem quãdam necessitatem concupiscendi. Cum igitur caro paruuli cui infunditur anima, per peccatum primi hominis ad concupiscendum sit mobilis, inerit ipsi animæ iam illi carni vnitæ necessitas quædam concupiscendum, nec potest anima illam carnem seu sensualitatem cohibere, sicut anima Adę ante peccatũ potuisset, quæ habuit potestatem super sensualitatẽ, & etiam libertatem concupiscendi vel non cõcupiscendi. Patet igitur quod per peccatum & post peccatum primi hominis inest animæ duplex necessitas. Vna non possendi sensualitatem retinere seu cohibere, & alia necessitas concupiscendi. Et prima est quædam necessitas non valendi facere quod debet, & secunda est quædam necessitas faciendi quod non debet. Et ita inest ei carentia vtriusque partis iustitiæ, quæ sunt declinare à malo, & facere bonum. Ex quo patet quod peccatum originale & est in carne & est in anima, sed in carne originaliter & materialiter, in anima verò formaliter & tanquam in subiecto. Sola enim anima est susceptibilis virtutis & vitij, & tamen (sicut dictum est) ex coniunctione ipsius ad corpus contrahit vitium illud, sicut quando quis cadit in lutum, fœdatur & maculatur. Talis autem animæ infectio non tantum est pœna, sed est etiam culpa, ipsa verò culpa quæ macula est, deletur in baptismo. Pœna autem quæ fomes siue peccandi pronitas appellatur, remanet post baptismum. Sic enim in baptismo curatur culpa quantum ad reatum damnationis æternæ, sed non quin remaneat ipsa pœna quantum ad motum & actum concupiscentiæ, cum qua oportet nos quãdiu viuimus pugnare, nisi extinguatur concupiscentia per specialem gratiam, sicut in beatissima Virgine in conceptione filij Dei. Originale etiam peccatum sic in homine per baptismum curatur, quod nihilominus ab eo qui curatus est, transmittatur in prolem quam generat, sicut Iudæus circuncisus generat filium cum præputio, & granum nudum & purum seminatum procreat granum cum palea. Quod hinc est, quia homo non generat filium secũdum quod in mente curatus est, sed secũdum quod in carne.

De nominibus peccati originalis secundum quod operatur ad animam.

ORIGINALE peccatum diuersis in sacra scriptura nominibus, multiplicibus de causis nominatur. Secundum enim quod originale peccatum comparatur ad animam, vocatur quandoque infirmitas, quia reddit animam impotentem ad resistendum motibus. Quandoque vocatur fœditas, quæ per ipsam anima maculatur. Vocatur quandoque pronitas, propter continuam appetitus inclinationẽ ad malum. Vocatur quandoque corruptio, quia ad nihilum ducit & peccatum. Vocatur quandoque vitium, quia est diminutio bonorum naturalium. Vocatur quandoque languor naturæ, quia durat in natura corrupta. Habet etiam nomina secundũ quod comparatur ad corpus. Vocatur enim quandoque lex carnis, eò quod lege diuina sit carni inflicta. Vnde quandoque lex membrorum vocatur, quia mouet organa ad operationem concupiscentiæ. Vocatur quandoq; tyrannus propter dominationem quasi violentam in ipsa concupiscentia. Vocatur quandoque fomes, quia sicut ignis fouet ignem, ita per ipsum fouetur in carne peccatum secundum actus generatiuè & nutritiuè. Vocatur quandoque stimulus carnis, quia stimulat carnem ad primos motus, & animum ad consensum. Habet quoque nomina secundum quod comparatur ad actus delectabiles. Et secundum hoc vocatur concupiscentia quæ sonat vitiũ in actu, prout est in adultis. Item concupiscibilitas quæ sonat vitium in potentia, pront est in paruulis. Habet etiam nomen secundum quod comparatur ad primum hominem à quo contrahitur, & sic vocatur originale, quod est carentia debitæ iustitiæ.

DE PECCATO ACTVALI MORTALI, ET CIRCA IPSVM *in generali occurrentibus.*

CIRCA peccatum autem actuale mortale aliqua sunt videnda. Primò quid sit. Secundò de diuersis eius nominibus seu appellationibus. Tertiò de huius peccati effectibus. Quartò de diuersis eius generibus seu diuisionibus. Quintò de quolibet septem peccatorum capitalium ac eorum filiabus seu speciebus aliquid in speciali declarabitur.

Quid

Quid sit peccatum actuale mortale in speciali, & quomodo definitur.

PECCATVM igitur actuale mortale sic definitur secundum August. Peccatum est dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei. Et ponitur in dicta definitione dictum, propter peccatum oris, factum propter peccatum operis, concupitum propter peccatum cordis. Definitur & aliter secundum eundem Aug. Peccatum est voluntas retinendi, faciendi vel consentiendi quod iustitia vetat. Insuper sciendum quod peccatum propriè non est substantia vel res aliqua, sed defectus & corruptela. Circa quod tamen aduertendum est, quod aliud est peccati actus, aliud est peccati habitus, aliud peccati reatus. Peccati actus aliquid est, sed quando non amplius fit, desinit esse, etiam sine gratia. Sed peccati habitus qui ex malis actibus relinquitur, etiam aliquid est, & remanet interdum cessantibus etiam ipsis actibus, ac etiam post infusam gratiam, peccatique remissionem. Peccati verò reatus siue macula secundum rem nihil est, deformat tamen animam non per modum positionis, sed per modum priuationis, sicut truncatio membri per modum priuationis corpus deformat & maculat. Dicit etiam Augustin. quod sicut abstinentia nulla substantia vel res est, & tamen ex ea corpus languescit, ita peccatũ non est aliqua substantia vel res, ex eo tamen natura minuitur & corrumpitur, deletur tamen semper per gratiam. Notandum pręterea quod peccatum quandoq; transit actu, & remanet reatu, sicut peccatum actuale actu completo ante pœnitentiam. Quandoque è contra peccatum transit reatu, & remanet actu, sicut in peccato originali post baptismum. Quandoq; transit peccatum actu simul & reatu, sicut peccatum actuale actu completo, & post pœnitentiam. Quandoque peccatum remanet actu & reatu, sicut peccatum originale ante baptismum.

De diuersis nominibus peccati actualis mortalis.

DIVERSIS frequenter nominibus peccatum ipsum mortale per doctores nominatur secundum diuersas eius proprietates & operationes & effectus. Vocatur enim quandoque macula, & hoc ideo, quia imaginem Dei deformat & maculat. Vocatur quandoque reatus, quoniam ad æternam pœnam obligat. Vocatur quandoque pollutio, & hoc quantum ad contagionem contractam ex terrena delectatione. Vocatur quandoque delictum, & hoc secundum quod est recessus à dignitate gratiæ habitæ. Vocatur quandoque culpa, & hoc prout respicit pœnam quam meretur & incurrit. Vocatur quandoque offensa, & hoc est quia contra Deum est, & contra Deum facit. Vocatur quandoque præuaricatio, & hoc in quantum mandatum Dei respicit quod transgrediendo præuaricatur. Vocatur quandoque peccatum prout conuersio fit ad bonum commutabile cum auersione à bono incommutabili. Vocatur quandoque scelus propter magnam iniuriam quæ peccando Deo fit. Vocatur etiam quandoque nefas, prout est illicitum personę perpetranti. Vocatur etiam quandoq; crimen, prout est dignum accusatione & pœna.

De diuersis effectibus peccati actualis mortalis.

A HVIVSMODI autem peccati multiplex secundum doctores reperitur effectus, sed quantum præsentem concernit tractatum, satis erit aliquos enumerare. Vnus effectus. Et primò naturalia vulnerat, quod signatur in illo qui iuxtà euangelium descendens ab Hierusalem in Hierico, incidit in latrones. Alius intellectum obscurat in cognitione veri, & affectum tepescere facit in opere boni. Alius, Gratuitis spoliat, ne tamen bonum aliquod pereat, bona opera quæ quis peccando mortificat, alijs iuxta dispensationem Dei

B elargientur saluandis. Alius, Animam maculat, ad pœnam æternam obligat, conscientiam amaricat, cor indurat. Alius, Hominem quasi insensibilem reddit. Exemplo canis submergendi, qui lapidem in collo suo non sentit, donec ab eo in fundum aquæ trahitur. Alius, Animam occidit, quia Deo qui vera vita est, priuat. Alius, Ad alia peccata trahit. Vnde Gregor. Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Alius, Bona quæ in peccatis

C fiunt, infructuosa & quantum ad meritum & quantum ad præmium reddit. Alius, Ex homine quendam effectiuè infirmum facit. Nam in peccatore est ignis auaritiæ, fœtor luxuriæ, tenebræ ignorantię, vermis conscientię, sitis concupiscentiæ, & dæmones per effectum, & huiusmodi. Alius, Vacuum hominem tandem relinquit, & meritò, quia mundo adhærentia sugunt vbera arentia. Fallendo decipit, sicut esca in hamo vel lignum putridum de nocte lucens. Alius, Hominem verè stultum demonstrat, seruiendo scilicet

D illi qui ipsum torquere quærit, & tandem torquebit, componendoque & congregando supra se vnde torqueatur & cremetur. Vnde August. lib. de Ciuitat. Dei. Hoc vitium adimit integritatem, pulchritudinem, salutem, virtutem, & quicquid boni per vitium detrahi seu minui consueuit.

In quo peccatum habet esse ortum. Notandum est vlterius quod quamuis peccatum ipsi bono contrarium sit, non tamen habet esse nisi in

E bono, nec ortum nisi à bono, quod quidem bonum est liberum arbitrium ac voluntas, à qua peccatum est, sicut à prima origine, & in qua est, sicut in proprio subiecto. Voluntas igitur est causa peccati, causam dico non efficientem, sed deficientem. Voluntas enim secundum quod habet respectum ad suum principium à quo est scilicet Deum, non est nata elicere ex se nisi bonum. Sed secundum quod habet respectum ad principium ex quo est, quod est omnino nihil, cum ipsa volun-

F tas ex nihilo sit, semper tendit ad defectũ. Si ergo velimus scire vnde malum culpæ sit materialiter, dicendum quod ex nihilo. Si verò velimus scire vnde sit terminaliter, dicendum quod ex absentia debiti modi, debitæ speciei & debiti ordinis. Sed si velimus scire vnde sit originaliter, dicendum quod à voluntate siue à libero arbitrio.

De progressu peccati.

NOTA quod peccatum initatur in cogitatione, procedit & crescit in delectatione, perficitur in consensu. Circa processum autem peccati notandum est, quod aliqua ipsum peccatum

antecedunt, aliqua ipsum subsequuntur, aliqua ipsum concomitantur. Item respectu primi. Aliqua peccatum antecedunt ex parte auersionis, & aliqua antecedunt ex parte conuersionis. Ex parte autem auersionis, id est, quando quis à bono incommutabili quod Deus est, auerti & separari incipit, antecedunt peccatum, contemptus, omissio, ingratitudo inobedientia. Ex parte verò conuersionis, scilicet quando homo se in peccatum conuertit, antecedit peccatum cogitatio, libido, concupiscentia, delectatio, peruersa intentio, consensus. Peccatum autem subsequuntur macula, id est deformatio imaginis Dei, reatus & obligatio ad pœnam æternam. Peccatum concomitantur circunstantiæ, quæ ipsum vel aggrauant vel minuunt, & sunt octo, quæ ex versu sequenti notificari possunt. Vnde versus:

Quis, quid, vbi, per quos, quotiēs, cur, quomodo quādo.

De tribus actionem deprauantibus.

PER tria etiam principaliter deprauari solet actio, etiam illa quæ est de genere bonorum. Quandoque in sui principio, quandoque in sui medio, quandoq; in sui fine, scilicet per malam intentionem, per negligentiam, per vanam gloriam.

Quibus causis vnum peccatum dicitur maius.

MVLTIS etiam causis seu respectibus vnum peccatum dicitur maius seu grauius altero, videlicet causalitate, vt peccatum luciferi. Generalitate, vt peccatum primi hominis. Deformitate, vt peccatū Iudę proditoris. Remissionis seu veniæ difficultate, sicut peccatum in Spiritum sanctum. Periculo, sicut peccatum ignorantiæ. Inseparabilitate, vt peccatū cupiditatis. Pronitate, vt peccatum carnis. Offensione, vt peccatum idololatriæ. Expugnandi difficultate, vt superbia & vana gloria. Mentis cæcitate, vt peccatum iræ.

De quinque operum generibus.

NOTANDVM est etiā quod inter cætera quinque reperiuntur genera operum. Nam quædam sunt mala in se, vt illa quæ de sui natura seu in suo genere mala sunt, sed tamē per aliquas circunstantias bona fieri possunt, vt homicidiū quod in se malum est, sed per circunstātiam aliquam potest effici bonū, vt puta quando fit per debitam iustitiam, vel se legitimè defendēdo, cum mortis periculum euadi non possit, & huiusmodi. Quædam sunt mala secundum se, vt illa quæ secundū totum suum esse mala sunt, nec per circunstantias aliquas bona effici possunt, sicut est odire Deum vel fornicari, & huiusmodi. Quædam è cōtrario sunt bona in se, vt illa quæ de sui natura sunt bona ex genere, sed tamen per aliquas circunstantias possunt fieri mala, sicut est dare eleemosynam, quod in se bonum est, sed per circunstantiā aliquam potest fieri malum, vt puta si daretur pro sola vana hominum laude acquirenda, vel huiusmodi. Quædam sunt bona secundum se, vt illa quæ secundum totum suum esse bona sunt, nec per circunstātias aliquas possunt fieri mala, sicut diligere Deum ex charitate. Quædam sunt indifferētia, scilicet quæ suo esse nec bona nec mala sunt, possunt tamen secundum circunstantias bona vel mala fieri: sicut mouere pedem sine deliberatione, vel quandoque comedere, quod secundum circunstantiam aliquam

A bonum fieri potest, vt puta in necessitate corpus suum debitè sustentandi, vt efficacius Deo seruire possit, & è contrario malum, vt puta si ad superfluitatem & ex sola libidine vel voluntariè præcepta Ecclesiæ transgrediendo fiat.

De quatuor generibus seu diuisionibus peccati mortalis.

LICET plures peccati mortalis diuersis respectibus & causis possent assignari diuisiones seu genera, quantum tamen ad præsentis tractatus

B compendium attinet, quatuor solummodo tangentur. Circa quarum adhuc solam quartam diffusè insistetur, quia per eius declarationem aliæ tres clare & faciliter poterunt intelligi, immo ipsas tres effectualiter comprehendit.

De prima diuisione.

PRIMA igitur dictarum quatuor diuisionum est, quod peccatorum mortalium aliqua sunt carnalia, alia spiritualia. Carnalia autem maioris

C sunt infamiæ, spiritualia verò maioris culpæ.

De secunda diuisione.

SECVNDA diuisio est, quod peccatorum mortalium aliqua sunt cōmissi, talia dilecti. Quod in effectu est dicere. Aliqua committuntur in faciendo, alia in omittēdo. Prima peccata sunt præuaricatio seu transgressio legis, quo ad præcepta negatiua, vt puta, Non occides, non mœchaberis. Secunda sunt præuaricatio seu transgressio legis

D quo ad præcepta affirmatiua, sicut sunt. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &cæt. Honora patrem tuum, &c. Et secundum hanc etiam diuisionem dicitur peccatum mortale esse & fieri contra duas partes iustitiæ, quarum vna est declinatio à malo, alia est facere bonum.

De tertia diuisione.

TERTIA diuisio est, quod peccatorum mortalium aliqua directè cōmittuntur in Deum, alia in proximum alia in seipsum. Peccatum autem

E in Deum iterū subdiuiditur. Nam quandoq; peccatur in patrem, quandoq; in filium, quandoque in Spiritum-sanctum. De quibus latior fiet speculatio infra in fine declarationis quartæ diuisionis. Peccatur enim alio respectu in Deum quadrupliciter. Primò malè de ipso per infidelitatem sentiendo, secundò ipsum blasphemando, tertiò eius sacramenta indignè ministrando & tractando, quartò eum tentādo, rursus Deum tentando peccatur tripliciter. Nam tentatur vel eius potentia,

F signa scilicet ab eo petendo. Vel tentatur eius iustitia, per humanas scilicet probationes, vt puta per candens ferrum vel duellum, vel similia, iudicium eius exquirendo. Vel tentatur eius misericordiam, suam scilicet quasi examinando bonitatem, se stultis periculis committendo. In proximum verò peccatur etiam tripliciter, vel bona sua ei indebitè auferendo, vel bona propria sibi in sua necessitate non communicando, vel mala persuasione, aut malo exemplo eum in peccatum trahendo & inducendo. In semetipsum autem peccat quis etiam tripliciter. Vel sibijpsi necessaria subtrahendo, vel superflua sumendo, vel vltra

vires

vires ac debitum moderamen quippiam aggrediendo.

De quarta diuisione.

QVARTA diuisio peccati mortalis sumitur per septem vitia capitalia. Quæ sunt superbia, inuidia, ira, acedia, auaritia, gula, luxuria. Et quia (vt supra tactum est) de ista quarta diuisione expediens est diffusiorem hic facere declarationem, tum quia per eam, supradictæ tres aliæ diuisiones clarius intelligi poterunt, immo eas effectualiter comprehédit, tum quia propriè loquendo in ipsa & ex ipsa principalis effectus principalisque intentio huius octaui tractatuli istius belli consistit & dependet. Ideo de ipsis septem peccatis capitalibus hic fiet quoddam speciale capitulum, & iuxta diuisioné in principio huius principalis capituli, quod est de peccato actuali, positam de his scilicet quæ in eo videnda sunt.

ALIQVA CIRCA MATERIAM SEPTEM VITIORVM *capitalium prænotanda.*

INTERIM antequam ad specialem seu particularem declarationem ipsorum septem vititiorum capitalium veniatur, aliqua sunt circa ipsa aduertenda. Et primò notandum venit quod peccatum veniale, siue sit quantum ad actum siue quantum ad maculam, nullo modo potest fieri mortale, sic scilicet quod illud idem secundum substátiam quod prius fuit veniale, fieret mortale. Et ratio est, quia nulla res potest mutare speciem, Peccatum autem mortale & veniale sunt duæ diuersæ peccati species. Veruntamen aliquis actus qui de sui natura est de genere peccati venialis, bene potest fieri mortalis, & hoc quatuor modis. Primo modo ratione conscientiæ quæ de illo actu fieri potest, quia quicquid fit contra consciétiam formatá, ædificat ad gehennam, etiá si sit contra conscientiam erroneam. Et hæc est ratio, quia cum in peccato duo sint, scilicet auersio & conuersio, penes primum iudicatur qualitas siue grauitas peccati, quoniam auersio à DEO est in peccato quasi formale, & conuersio ad creaturam quasi materiale. Quamuis ergo leuare festucam de terra videatur leue vel indifferens, si tamen fiat contra conscientiam, est peccatú, quia tunc in animo spernitur realiter bonum incommutabile, & ita fit auersio à creatore. Secundo modo ex complacentia quæ in illo actu posset capi & caperetur. Vnde August. Nullum pactum adeò veniale est, quod non fiat mortale dum placet. Tertio modo ex dispositione seu procliuitate quæ exinde contrahitur, quia per frequentem lapsum in venialia disponitur homo ad mortale. Et secundú hoc intelligitur illud dictum Gregor. Vitasti grandia, vide ne obruaris arena. Hoc autem dicit, quia sæpe de minimis peccatis, dum frequenter fiunt, & sic quasi contemnuntur, venitur ad magna. Sicut de modica scintilla surgit quandoque magnus ignis. Quarto modo ex progressu, quia quando insurgit veniale, si non prohibetur, possit progredi vsque ad mortale. Non quod ipsum veniale (vt supra tactum est) in sua substantia fieret mortale, sed quia ex ipso occasionaliter fieret progrediendo mortale, vt patet in primis motibus, qui inter venialia computantur. Sed quando delectatio conualescit, intantum quod consensus accedit, iam est peccatum mortale.

Vnde sumatur numerus & sufficientia septem vitiorum capitalium.

NOTANDVM insuper, quod (vt aliqualiter supra tactum est) septem sunt peccata seu vitia capitalia, scilicet superbia, inuidia, ira, acedia, auaritia, gula, luxuria, quorum sufficientia seu numerus potest colligi. Voluntatem enim humanam frequenter contingit deordinari. Aut ergo deordinatur, quia appetit quod non est appetendum, aut deordinatur, quia refugit quod non est refugiendum. Si primo modo, aut appetit quod non est appetendum interius, & tunc peccatur peccato superbiæ seu vanæ gloriæ. Aut appetit quod non est appetendum exterius, & tunc peccatur peccato auaritiæ. Aut appetit quod non est appetendum inferius, quale est corpori delectabile. Et istud iterum est in duplici differentia. Quia aut illud delectabile quod sic inordinatè appetitur, tendit ad conseruationem indiuidui, & tunc peccatur peccato gulæ. Aut tendit ad conseruationem speciei, vt coitus, & tunc peccatur peccato luxuriæ. Si secundo modo, quando scilicet voluntas deordinatur refugiendo quod non est refugiendum. Aut illud non refugiendum refugit secundum peruersum instinctum potentiæ rationalis, & tunc peccatur peccato inuidiæ. Aut illud refugit secundum peruersum instinctum potentię irascibilis, & tunc peccatur peccato iræ. Aut illud refugit secundum peruersum instinctum potentiæ concupiscibilis, & tunc peccatur peccato acediæ. Et sic patet quod quia sunt quatuor principalia appetibilia, in quibus voluntatem humanam deordinari contingit, & tres solum sunt vires seu potentiæ animæ, secundum quarum instinctum est fuga, ideò tantummodo sunt septem peccata seu vitia capitalia,

Duplici modo septem vitia capitalia se ostendunt, nunc palam, nunc palliatè.

NOTANDVM insuper, quod ista vitia septem peccata capitalia quandoque palam & publicè sese ostédunt, vt quando directè fiunt, quandoque verò sub quadam specie boni palliata se ingerunt & decipiunt. Vnde superbia quandoque sic sibi persuadet. Volo præesse vt possim prodesse. Inuidia sic sibi persuadet, Bona alijs non non cupio, nec opto, ne in prosperitate successum nimis extollantur. Ira verò sic persuadet. Non debeo mala mihi illata tolerare, ne mihi inferri consuescant. Acedia sic sibi persuadet. Ad hoc mihi in laboribus parco, ne indiscretè aliquid aggrediens deficiam, & indiscretionis arguar. Auaritia sic sibi persuadet. Mihi multa adhuc congreganda veniunt ne propter casus fortuitos qui superuenire possunt, in inopiam incidam, & sic furtum, rapinam, vel aliud iniustum committam. Gula sic sibi persuadet. Corpus meum cibis & potibus delicatis nutrio, quatenus in sanitate conseruetur, fortiusque efficiatur, vt sic aptius sit & va-

lentius ad Deo seruiendum. Luxuria sic sibi persuadet. Non est malum aliquando tempore ad libitum & complacentiam viuere, & postea fortiter pœnitere.

Septem vitia capitalia septem ferocibus bestiis comparantur.

NOTANDVM præterea quod prædicta septem vitia seu peccata capitalia septem tã ferocibus quam immundis bestijs comparari consueuerunt. Superbia seu vana gloria comparatur leoni. Inuidia comparatur cani. Ira comparatur lupo. Acedia comparatur asino. Gula comparatur vrso. Luxuria comparatur porco. Auaritia comparatur ericio. Similiter etiam comparari consueuerunt septẽ grauibus infirmitatibus. Superbia seu vana gloria comparatur corporis inflationi. Inuidia comparatur lepræ. Ira comparatur phrenesi. Acedia comparatur lethargiæ. Auaritia comparatur hydropisi. Gula cõparatur epileptiæ. Luxuria comparatur febri. Est insuper notandum & bene considerandum, quod ista septem peccata seu vitia capitalia, deuota ac frequenti passionis Christi meditatione curantur. Nam qui debitè ea quæ ipse dominus noster Iesus Christus in sua sacratissima passione egit & sustinuit contemplatur, reperiet quod hæ septem mortiferæ pestes ibidem mirabiliter curantur. Etenim sui sacri capitis in cruce humillima inclinatio curat superbiam. Sui sacri lateris apertio curat inuidiam. Oratio sua pro inimicis curat iram. Portatio crucis curat acediã. Traditio sui spiritus patri sui corporis cruci, sui matris discipulo, & suarum vestium suis crucifixoribus, curat auaritiam. Potatio aceti & fellis curat gulam. Et sua flagellatio curat luxuriam.

Notandum insuper, quod prædictorum peccatorum vnum ex alio nascitur, quod sic apparet. Superbia enim, quia omnes præcellere vult & appetit, statim quando aliquem sibi æquari videt aut timet, in se dolere & conturbari incipit, ac exinde contra illum ad ipsum suum bonum, quo sic eum sibi æquari timet, impediendum ac diminuendum mouetur, & sic ex superbia nascitur inuidia. Inuidus verò quia de facili ei cui sic inuidet, irascitur, & contra eum quasi toto spiritu commouetur, ideo ex inuidia nascitur ira. Cum autem sit contra alium commotus & iratus, vindictam de illo appetat, & se vindicari quærat, in quo si eum deficere contingat, in animo suo contabescit & contristatur ideo ex ira nascitur quædam mentalis tristitia, quæ à doctoribus acedia nuncupatur. Cum verò sic animo tristis & contabescens, consolationem & quandam sui exaltationem, quam in seipso non habet, in rebus exterioribus quærat, & quanto plura congregare poterit, maiorem se habiturum sperat, ideo ex acedia nascitur auaritia. Auarus autem qui bonis temporalibus abundat, & sic ea quæ ad delectationem in cibis & potibus faciunt, facilius cõparare, & ad sui libitum habere potest, ideo ex auaritia nascitur gula. Gula verò propter ventris repletionem variasque ciborum & potuum delectabilium species quibus reficitur, facillimè despumat in libidinem, ideo ex gula nascitur luxuria.

Notandum insuper: quod plura prædictorum septem vitiorum seu peccatorum capitalium dicuntur radices & initia seu causæ aliorum, diuersis tamen respectibus. Superbia enim primò dicitur radix & initium omnis peccati, propter tres causas seu rationes. Primò propter causam quæ in omni peccato inuenitur, scilicet contemptus Dei, qui est quædam causa omnis peccati. Iste autem contemptus est auersio à creatore, quæ in omni peccato est, quia in omni peccato præponitur bonum commutabile bono incommutabili. Iste contemptus non nisi ex superbia procedit, & ex ea quam maximè. Et ideo dicitur, quod sicut sine charitate aliæ virtutes nihil sunt, ita sine superbia alia vitia nihil sunt. Abstrahe superbiã, & habebitis gratiam. Quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Secundò dicitur superbia radix & initium omnis peccati, quia fuit primum peccatorum. Hoc enim peccato peccauit primò diabolus in cęlo, & primus homo in paradiso. Tertiò dicitur superbia radix & initium omnis peccati, quia ex ea secundum prius & posterius, hoc est mediatè vel immediatè nascuntur alia vitia & peccata, vt aliqualiter supra ostensum est in notabili immediatè præcedenti.

Libido etiam prout August. ponit, dicitur causa omnis peccati, scilicet alio respectu propter scilicet inordinatam delectationem quæ ex ipsa libidine habetur in creatura, quæ delectatio inordinate afficit & attrahit animam, & auertit à summo bono. Est enim libido voluntas improba qua mouetur anima rationalis ad hoc quod inordinatè delectetur in creatura. Et ex hac libidine omnia alia peccata secundum prius & posterius, hoc est mediatè vel immediatè, alia tamen via seu ordine quam à superbia insurgunt.

Cupiditas etiam sicut ponit Apostolus, radix dicitur omnium malorum, quasi eodem respectu iuxta suũ esse, sicut dicitur libido iuxta suum. Nam sicut libido (vt statim dictũ est) dicitur causa omnis peccati, propter inordinatam delectationem quæ ex ipsa libidine habetur in creatura, quæ delectatio inordinatè afficit & attrahit animam, & auertit à summo bono, sic cupiditas in suo esse dicitur radix omniũ malorum ex inordinato amore, qui ex ipsa cupiditate habetur ad creaturam, qui inordinatus amor similiter afficit & attrahit animam, & à summo bono auertit. Ex quo inordinato amore omnia alia peccata secundum prius & posterius, hoc est mediatè vel immediatè, alia tamen via seu ordine quam à superbia, & quam à libidine insurgunt & oriuntur.

Luxuria etiam secundum Cassianum dicitur radix omnis peccati, quia carnales delectationes sunt nobis naturales, & ad naturalia proni sumus & inclinati, ac eis cum difficultate resistimus. Attracta igitur & affecta per luxuriam anima, in omnia alia vitia faciliter & sine cõsideratione ac moderamine, secundum tamen prius & posterius, hoc est mediatè vel immediatè, ex vno scilicet in aliud prolabitur, alia tamẽ via & ordine quam per superbiam & quam per libidinem, & quam per cupiditatem.

Possent ista profusius declarari, sed quantum ad breuitatem huius tractatuli cõuenit, satis sint quæ tacta sunt, qui ampliora videre voluerit, doctores habeat solennes, & inter cæteros beatum Thom. secunda secundæ, & summã de vitijs & virtutibus.

DE SEPTEM VITIIS CAPITALIBVS IN SPECIALI. ET PRIMÒ *differentia inter superbiam & inanem gloriam.*



IStis sic prænotatis dicendum venit de quolibet prædictorum septem vitiorum capitalium in specie seu in particulari. Et primò de superbia. Circa quam notandum est, quod licet communiter non fiat distinctio inter superbiam & inanem gloriam, immo ponatur inanis gloria filia superbiæ, Gregor. tamen inter eas differentiam ponit, immo superbiam dicit reginam & matrem omnium vitiorum. Quod intelligendum est Grego. accepisse prout superbia consideratur secundum quandam redundantiam & generalitatem quam habet in alia peccata; in quantum. s. ex ipsa omnia peccata oriri possunt. Et hoc duplici via seu ratione. Vno modo per se & directè, in quantum. s. alia peccata ordinãtur ad finem superbiæ quæ est propria excellẽtia, ad quam potest ordinari quicquid homo indebitè & inordinatè appetit. Alio modo indirectè & quasi per accidens remouendo prohibens; in quantum. s. per superbiam homo legem diuinam contemnit, per quam prohibetur à peccando, & transgreditur mandata. Intelligitur tamen hoc, quando illa transgressio mandatorũ fieret ex contemptu. Nam fieri posset ex ignorantia vel infirmitate, quod ibi nõ esset superbia. Vt igitur semper natura ipsorũ vitiorum clarius elucescat, procedatur, opinionẽ Greg. insequendo. Differentia autem quę communiter inter superbiam & inanem gloriã assignatur, est, quia licet in vtraq; sit immoderatus & inordinatus propriæ excellentiæ appetitus, qui. s. non est secundum rectã & debitam rationẽ, in hoc tamen differunt, quia superbia excellẽtiam propriam inordinatè appetit. Inanis verò gloria excellentiæ proprię manifestationem, ita quod superbia propriè considerat, in quantum ille inordinatus propriæ excellentiæ appetitus habetur ab intra, etiam si nõ ab extra progrediatur. Inanis gloria transit ab extra, quia illam excellentiam appetit ab extra apparere, & in ore aliorum apparere & manifestari.

De superbia in particulari, prout distinguitur ab inani gloria, & ponitur quasi regina aliorum vitiorum.

DIcitur ergo primò de superbia, quæ sic vt aliqualiter tactum est, secundum Augu. definitur. Superbia est peruersus propriæ celsitudinis appetitus. Dicit etiam Aug. quod superbia omnibus hominibus inuidet, scilicet superioribus, quia eis non æquatur. Paribus quia sibi æquantur. Inferioribus, ne sibi æquentur.

Dicitur etiam superbia omnis peccati radix & initium, propter tres rationes supra in penult. ca. immediatè præcedenti tactas. Gregor. 31. lib. moralium quatuor species superbiæ assignat. Prima est, cum homo bonum quod habet, æstimat se à seipso habere. Secunda species est cum homo bonum quod habet, sibi desuper datum credit, sed tamen se reputat illud pro suis meritis accepisse. Tertiam species est, cum homo iactat se
A habere bonum quod non habet. Quarta species est, cum homo despectis cæteris appetit singulariter videri habere bonum quod habet. Et est aduertendum, quod hic iactãtia accipitur quantum ad interiorem cordis arrogantiam. Quia si caperetur iactantia quantum ad exteriorem actũ, quo quis falsò se diceret vel laudaret habere bonum quod nõ habet, magis proprie pertineret ad peccatum inanis gloriæ, & etiam ad peccatum mendacij quam ad peccatum superbiæ, prout sumitur
B hic & à Beato Greg. Istarum autem quatuor specierum numerus & sufficientia sic sumitur. Dictum est superbiam esse inordinatum propriæ excellentiæ appetitum. Omnes autem excellentia accedit homini ratione alicuius boni quod habet. Bonum autem quod habet homo, tripliciter potest considerari. Vno modo secundum se. Alio modo ex parte causæ qua habetur. Tertio modo ex parte modi ipsum bonum habendi. Respectu primi certum est, quod quanto bonum
C quod quis habet maius est, tanto per hoc maiorem excellentiam consequitur. Ex quo contingit, quod homo cuius appetitus inordinatè vel vltra modum sibi conueniẽtem, in suam propriam excellentiam tẽdit sibi in animo suo attribuit bonum quod non habet, vel maius quam habet & tunc est tertia species superbiæ supra posita, quæ est scilicet cum quis iactat se habere bonum quod non habet. Respectu secundi certum est, quod quando homo bonum quod habet, habet ex se
D ipso ipse excellentius habet quam si haberet ab alio. Et exhinc procedit, quod homo cuius appetitus inordinatè & vltra modum debitum & sibi conuenientem, in suam propriam excellentiam tendit, illud bonum quod habet ab alio, æstimat in suo animo & sibi attribuit habere à seipso. Et quia dupliciter aliquis potest esse causa boni sui; vno modo efficienter, alio modo meritoriè; secundum hoc sumuntur duæ primæ species superbiæ supra positæ. Nam si homo illud bonũ quod à Deo habet, æstimet & reputet se à semetipso
E habere, & sic efficienter; tunc est prima species superbiæ supra positæ. Si verò illud bonum quod à Deo habet, æstimet se & reputet à Deo habere, sed suis meritis, & sic meritoriè, & tunc est secunda species. Respectu tertij certum est, quod quanto aliquis bonum quod habet, excellentiori modo quam alij possidet; tanto per hoc maiorem excellentiam consequitur. Et hinc est quod homo cuius appetitus inordinatè & vltra modum debitum & sibi conuenientem, in suam propriam excellentiam tendit, illud bonũ quod
F habet, æstimat in suo animo & sibi attribuit excellentius habere quam cæteri, & tunc est quarta species superbiæ supra posita scilicet cum quis despectis cæteris appetit singulariter videri habere bonum quod habet. Ex quibus apparet clara sufficientia specierum superbiæ per Gregor. assignata. Est tamen aduertendum quod secundum diuersos doctores plures & aliæ assignantur superbiæ species. Hier. assignat ingratitudinem speciem superbię. August. dicit, quod se excusare de peccato commisso, ad superbiam pertinet. Etiam præsumptio qua quis tendit ad assequẽdum

aliquid quod est supra se, ad superbiam pertinere videtur.

Bern. etiã duodecim gradus ponit superbiæ, qui sunt, curiositas, mentis leuitas, inepta lætitia, iactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas, peccandi consuetudo. Sed qui debitè considerat omnes huiusmodi species seu gradus ad quatuor species per Gregor. vt tactum est assignatas reduci possunt, & sub eis comprehenduntur. Nam prima ingratitudo de qua loquitur Hieros. reducitur ad primam speciem, quia ingratus sibi propriè & in effectu attribuere videtur habere à semetipso illud bonum quod ab alio habet, cum illud recognoscere nolit. Excusatio de peccatis, de qua loquitur Augustinus propriè pertinet ad tertiam speciem, quia sic se excusans, videtur se iactare habere bonum quod non habet, scilicet bonum innocentiæ. Præsumptio autem qua quis tendit in id quod supra ipsum est, proprie ad quartam speciem pertinet, secundum quam quis appetit præ alijs singulariter videri. Duodecim verò gradus superbiæ quos ponit Bern. licet secundũ quid & secundum modum accipiendi ipsius Bern. ad superbiam pertineant, non omnes tamen accipiuntur secundum ipsam propriam naturam seu essentiam superbiæ cui assignatur. Sed sumuntur aliqui tam secundũ diuersas hominum conditiones, quam secundum comparationem ad gradus hominum, qui vel sunt maiores vel æquales, vel minores. Nõ solum etiã in dictis duodecim gradibus tãguntur species aliquę superbię, sed etiam quædam ipsam superbiam antecedentia, & quædam consequentia.

Sumuntur etiam prædicti duodecim gradus superbiæ à Bern. assignati per oppositum ad duodecim gradus humilitatis, quos beatus Benedictus in sua regula ponit. Primus enim gradus humilitatis ab ipso B. Benedicto assignatus, est corde & opere semper humilitatem ostẽdere, defixis in terram aspectibus. Contra quem ponit Bern. primũ gradum superbiæ, curiositatẽ. Nã iuxta quod dicitur. Mens hominis suijpsius incuriosa, quod ex propriorum meritorum vana ęstimatione procedit, aliorum communiter curiosa efficitur, & iam vel ad ea quæ ad ipsam non spectant, immoderatè cognoscenda, vel mores vitiaque aliorum inquirenda se transfert, hinc inde oculis vagari, capiteque erecto ac auribus suspensis incedere incipit. Secundus gradus humilitatis à dicto Beato Benedicto assignatus est, vt pauca verba & rationabilia quis loquatur, & non clamosa voce. Contra quam ponit Bern. secundum gradũ superbiæ, leuitatem mentis, quam ex gradu præcedenti oriri ponit. Nam vt dicit, animus hominis nulla sui cura aggrauatus, dum mores & vitia aliorum curiosè circunspicit, in quandam leuitatem & instabilitatem transit. Nam dum nunc aliquos sibi superiores aspicit, iam se superari dolet, & per inuidiam tabescit. Dum verò nunc alios sibi inferiores cernit, per quandam vanam excellentiam pueriliter hilarescit. Nunc pauca & mordacia loquitur, nunc multa & inania, nunc risu, nunc luctu plena.

Tertius gradus humilitatis à beato Benedicto assignatus, vt quis non sit facilis aut promptus in risum. Contra quem ponit Bern. tertium gradum superbiæ, ineptam lætitiam, quam ex duobus gradibus immediatè præcedentibus oriri. Nam dum per curiositatem ad animi seu mentis leuitatem quis deuenit, & gaudium quod ex sui præsumptione concepit, per tristitiam quam interdum de alienis bonis contrahit, interpolari metuit, statim ad remedium falsæ consolationis confugit, ita vt bene sibi conscius, vel sui oblitus, vel ab omni culpa absolutus putetur. Nunc apparet in fronte hilaritas, nunc in signis scurrilitas, nunc ad iocum pronitas, nunc vanitas in incessu, nunc facilitas in risu.

Quartus gradus humilitatis à dicto beato Benedicto assignatus, est taciturnitas vsque ad interrogationem. Contra quem ponit beatus Bern. quartum gradum superbiæ, iactantiam, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Nam dum mente in ineptam lætitiam resoluta, vanitas crescere & grossescere inceperit, iam necesse est vt laxato sinu ab extra erumpat, quærit tunc quibus omne quod sentit effundat præuenit interrogantem, non quærenti respondet. Nunc quærit & soluit, nunc ieiunia laudat, commendat vigilias, somnia profert & visiones.

Quintus gradus humilitatis à beato Benedicto assignatus est tenere quod habet communis obseruantia. Contra quem beatus Bern. quintum gradum superbiæ ponit singularitatem, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Turpe etenim esset ei qui se supra cæteros extollit & iactat, nisi plus vel aliter quam cæteri aliquid speciale ageret, quo vltra eos apparere possit. Talis plus sibi de aliquo particulari bono, quod se facere æstimat blanditur, quam si decies plus in communitate faceret. Pallorem suum in vultu, & maciem in manibus, & talia quæ in seipso videre potest, speculatur, ad sua particularia strenuus, ad communia piger, vigilat in lecto, & dormitat in choro, & huiusmodi.

Sextus gradus humilitatis, à dicto beato Benedicto assignatus, est credere & pronunciare se omnibus viliorem. Contra quem ponit Bern. sextum gradum superbiæ arrogantiam, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Nam cum quis talia opera sic singulariter agit, iã apud suppliciores eius fama seu opinio crescere incipit, qui ipsa eius opera quę vident probant, quia discernere nesciũt qua intentione procedant. Sicque dum miser ille ab alijs beatificatur, apud se in errorem inducitur. Credit enim quod audit, sed quid intendat non attendit, & dum plus de seipso alijs quam sibi credit, non solum verbo aut operum ostentatione probitatem demonstrat, sed interno etiam sui cordis affectu, se alijs sanctiorem credit & reputat.

Septimus gradus humilitatis ab ipso Beato Benedicto assignatus, est se ad omnia indignum & inutilem credere & confiteri. Contra quem ponit beatus Bern. septimum gradum superbiæ, præsumptionem, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Nam qui se in animo alios præcellere putat, quomodo esse potest quando plus de se quam de alijs præsumat? Talis primus in conuentibus residet, primus in consiliis respõdet, non vocatus accedit, nõ iussus se intromittit quic-

quidquid ipse fecerit, rectè factum, quicquid verò non fecerit, inordinatè factum reputat, si vt optat non promoueatur, superiorem suum aut inuidum aut deceptum indicat, in minoribus obedire indignatur, quia ad maiora se reputat idoneum. Octauus gradus humilitatis à dicto B. Benedicto assignatus, est confessio peccatorum. Cōtrà quem ponit Bern. octauum gradum superbiæ, defensionem peccatorum, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Etenim qui se faciliter ad omnia ingerit, impossibile quasi est quin aliquando deficiat. Cum ergo talis à suo superiori corrigi cœperit, culpam suam (quia habere non putat) non agnoscit, & tunc in varias peccatorum suorum excusationes se ponit. Aut enim fecisse negat, aut fecisse confitetur, sed quod bene fecit, aut si malè se fecisse fateatur, dicit tamen quod non multum male, & si multum malè, quod non mala intentione. Et si iterum de mala intentione conuincatur, aliena se dicit suasione peccasse. Et quomodo talis qui aperta defendit, malas sui cordis cogitationes reuelaret. Nonus graduo humilitatis à dicto beato Benedicto assignatus est, pro obedientia in duris & asperis patientiam amplecti. Contra quem ponit Bernardus nonum gradum superbiæ, simulatam confessionem, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Nam qui (vt dictum est) sic ex arrogantia & præsumptione, peccata sua excusant (vt interdum contingere potest) de manifestioribus culpis arguantur, scientes quod si defenderent, non crederetur eis, ad subtiliora se conuertunt argumenta defensionis, verba respondendo dolosæ confessionis. Nunc etenim vultum demittunt, corpus prosternunt, lachrimas sibi si possunt extorquent, suspiria & gemitus emittunt. Sed si eis leuis aliqua contumelia aut exigua pœna inferatur, iam suam simulationem dissimulare non valentes, murmurare, frendere, irasci & conturbari incipiunt. Decimus gradus humilitatis à dicto beato Benedicto assignatus est, vt cum obedientia quis se subijciat maiori. Contra quem ponit Bernardus decimum gradum superbiæ, rebellionem, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Cum enim sic simulatè suam culpam confitens, pœnam sibi impositam impatienter sustinet, seque iam ab alijs notari, ac suam falsitatem conspici, & exinde suam opinionem & laudem diminui videt, grandem in corde suo superbo confusionem habet, valde tunc difficile est talem huiusmodi vniuersorum iudicijs tacitum acquiescere, sed mox frontosus impudens, & quasi desperatus in rebellionem corruit. Et qui prius solum fratres contempserat, iam imprudenter & potenter inobediens, etiam contemnit magistrum. Vndecimus gradus humilitatis à dicto beato Benedicto assignatus, est vt quis voluntatem propriam non delectetur implere. Contra quem ponit Bern. vndecimum gradum superbiæ, libertatem peccandi, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Nam cum subditus magistrum vel superiorem non timere incipit, nec proximos seu fratres, aut sodales habet quos veretur, in quadam securitate maiorique libertate ad sua desideria implenda profluit, in ipsisque adimplendis

A delectatur, & quamuis forsitan non penitus in principio Dei formidine abiecta, quasi vadum tentans, illicita cum quodam timore perficiat, postmodum tamen pedetentim in vitiorum gurgitem intrat.

Duodecimus gradus humilitatis à dicto beato Benedicto assignatus, est vt quis Deum timeat, & memor sit omnium quæ præcepit. Contra quem ponit Bern. duodecimum gradum superbiæ, consuetudinem peccandi, quam ex præcedenti gradu oriri dicit. Nam postquam terribili B Dei iudicio prima flagitia impunitas sequitur, tunc per quandam frequētiam malorum actuum homo in quandam peccandi consuetudinem trahitur. Ex hincque carnalibus desiderijs absorptus, rationisq; ac timoris Dei oblitus, indifferenter suis libitis vtitur. Nec ab illicitis cogitatis & peragendis restringitur, sed quicquid sibi in corde, in ore, in manu occurrit, machinatur, garrit & operatur maleuolus quidem, magniloquus, facinorosus.

Istorum duodecim graduum numerus ex hoc C accipitur, quia homo per superbiam communiter iniuriatur vel Deo vel homini, cui debet esse inferior, vel homini cui debet esse par. Sex primi gradus determinantur secundum iniuriam quæ per superbiam fit homini, cui debet quis esse par. Quatuor alij sequentes gradus determinantur quantum ad iniuriam quæ per superbiam fit homini, cui quis debet esse inferior. Duo verò vltimi gradus determinantur quantum ad iniuriam quæ per superbiam immediatè Deo fit. Et notanter dicitur immediatè, quia etiam alij gradus re- D dundant in Deum, sed nō immediatè, immo mediante proximo. Gradus autem dicuntur, quia à minori ad maiorem fit progressus. Etiam propter grauedinem peccatorum, quæ iuxta illos gradus committuntur. Primus enim gradus malus est, secundus peior, & sic ascendendo vsque ad vltimum, qui reperietur esse pessimus omnium. Vnde iniuria quæ fit respectu paris, est minor, illa quæ fit respectu superioris, est maior, sed illa quæ fit respectu Dei est maxima, propter quod præ- E dicti gradus taliter ordinantur.

De vitio seu peccato inanis gloriæ.

NVNC dicendum est de inani gloria, quam Greg. ponit esse primum vitium capitale. Quæ sic describitur. Inanis gloria est inordinatus appetitus laudis, gloriæ & honoris. Finis enim principalis inanis gloriæ est manifestatio propriæ excellentiæ.

Inanis gloriæ septem à B. Grego. 31. lib. moralium filiæ assignantur, scilicet inobedientia, ia- F ctantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, nouitatum præsumptio. Quarum numerus seu sufficientia sic sumitur. Finis inanis gloriæ, vt supra dictum est, est manifestatio propriæ excellentiæ. Ad manifestationem autem propriæ excellentiæ potest quis dupliciter tendere. Vno modo directè, alio modo indirectè. Si directè, aut fit per verba, aut fit per facta. Si per verba, tunc est iactantia. Si per facta, aut illa facta sunt vera, & aliquam admirationem importantia, aliàs nulla consequeretur gloria, & tunc est nouita-

tum præsumptio. Nam eas solent homines magis admirari. Si autem per facta, & aliquam admirationem (vt dictum est) habentia, sed tamen non vera, immo ficta, & tunc est hypochrisis. Si autem tendit homo ad manifestationem propriæ excellentiæ secundo modo, scilicet indirecte. Et hoc potest contingere quadrupliciter scilicet vel quantum ad intellectum, vel quantum ad voluntatem, vel quantum ad locutionem, vel quantum ad factum. Si primo modo, sc. quãtum ad intellectum, & tunc est pertinacia, per quam. s. homo ad suam excellentiam ostendendam nimis innititur suæ propriæ sententiæ, nolens cedere sententiæ meliori. Si secundo modo, scilicet quantum ad voluntatem, & tunc est discordia, per quam scilicet homo ad suam excellentiam ostentandam, non vult à propria voluntate discedere, vt in aliũ seu in alio concordet. Si tertio modo, scilicet quãtum ad locutionem, & sic est cõtentio, per quam sc. homo ad suam excellentiam ostentandam, clamosè verbis contra alium litigat, volens vincere & obtinere. Si quarto modo, sc. quantum ad factum, & sic est inobedientia, per quam sc. homo ad suam excellentiam ostentandam, non vult exequi præceptum superioris, ne exequendo videatur in aliquo inferior.

De vitio seu peccato inuidiæ.

SVbsequenter de inuidia tractandum venit. Quæ secundum Aug. est dolor seu odium fœlicitatis alienæ. Secundum verò Ioan. Damasc. est tristitia de alienis bonis. Et dicitur inuidia à non videndo, quia scilicet bona aliorum videre non potest, seu non libenter videt. Et quia displicentia boni alterius quę interius habetur, potest quodammodo per actum visionis exterius denotari seu percipi, ideo propriè dicitur inuidia à non videndo id est non libenter videndo. Nam sicut dicit Seneca, Quicquid mente fugimus, ingestum oculis vix videmus. Et ideo illa interior displicentia propriè inuidia dicitur. Ipsius autem inuidiæ quinque per Greg. assignantur filiæ 31. mora. s. odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio in eius prosperis.

Quarum numerus seu sufficientia sic accipitur. In conatu enim inuidiæ, quando scilicet aliquis contra alium inuidia in animo motus, ipsam ad effectum perducere nititur, aliquid est tanquam principium, aliquid tanquam medium aliquid tanquam terminus, seu finis. Illud autem quod est tanquam principium, est vt primò inuidus apud alios verbo diminuat gloriam seu famam hominis. Et hoc potest contingere dupliciter. Vel in occulto, & tunc est susurratio quæ est quando aliquis malum occultè de suo proximo dicit, eius famam denigrando. Et iuxta Isido. dicitur à sono locutionis, quia propriè fit in aure & secretè, non in facie hominum. Vel intendit inuidus gloriam alterius diminuere in manifesto seu in apperto, & tunc est detractio, quæ est quando aliquis apertè malum de suo proximo dicit, eiusque famam denigrat, lædit & diminuit. Est tamen circa ista duo peccata aduertendum, quia secundum Thom. ipsa in materia conueniunt, & etiam in forma siue modo loquendi, quia vtrobique malum de proximo occultè dicitur. Et intellige hic occultè id est non audiente eo de quo sic malum dicitur. Et hinc est quod propter istam similitudinem vnum pro sæpe sumitur. Differunt tamen in specie respectu finis ad quem fertur intentio. Nam principalis intentio detractoris est, famam proximi denigrare. Vnde illa pręcipuè mala de proximo profert, ex quibus ipse proximus infamari possit, vel eius fama diminui. Susurronis verò intentio principalis est, illum cui sic inuidet, per mala quæ de eo dicit, ab amicitia aliorum separare. Detractor etiam propriè est, qui apertè & in facie hominum mala de aliquo loquitur. Susurro autem ad patrem & secretè, & quasi in aure, vt iam tactum est. Illud autem quod est tanquam medium, est quo inuidus facto per se, nec per alium, commodum & vtilitatem seu profectum alterius impediat seu diminuat. Et tunc aut illud facere & adimplere potest, & tunc exinde venit & oritur exultatio in aduersis proximi, aut non, & tunc exinde venit & oritur afflictio in prosperis proximi. Illud autem quod in inuidia est tanquam terminus seu finis, consistit in ipso odio, quod inuidus de persona cui inuidet habet. Nam sicut bonum quod delectat, causat amorem, sic illud quod contristat, causat odium.

Est tamen pro clariori pręmissorũ intellectu aduertendũ, quod afflictio in prosperis proximi dupliciter potest considerari. Vno modo secundum quandam generalitatem, quãdo. s. aliquis de prosperis alicuius in quãtum habet aliquam gloriam seu famam tristatur. Et tunc afflictio in prosperis proximi non est filia inuidiæ, immo est ipsamet inuidia. Alio modo magis particulariter, in quantum. s. quis de prosperis proximi quæ ipse nitebatur impedire, tristatur, in quantum. s. contra suum conatum eueniunt, & tunc est propria filia inuidiæ. Exultatio in aduersis proximi non est directè idem quod inuidia, sed ex ea sequitur & nascitur exultatio de malo eiusdem.

Est etiam notandum, quod est quædam inuidia quę inter grauissima peccata computatur, scilicet inuidentia fraternæ gratiæ, quando scilicet aliquis non solum de bono proximi dolet, sed etiam de ipso augmẽto gratiæ Dei quod ipse proximus habet. Et huiusmodi inuidia ponitur peccatum contra spiritum sanctum. Quia per huiusmodi inuidiam homo quodammodo videtur spiritui sancto inuidere, eò quod in suis operibus glorificatur. Et ideo ponitur huiusmodi inuidia species peccati in spiritumsanctum, vt latius infra videbitur, vbi de peccato in spiritumsanctum agetur.

Notandum etiam quod licet interdum inuidia zelus nominetur, & interdum pro zelo accipiatur est tamen inter ea realis differẽtia. Pro quo sciendum quod tristitia de alienis bonis potest quatuor modis seu causis contingere. Vno modo quando aliquis dolet de bono alicuius inquãtum ex eo timet sibiipsi vel aliis bonis viris nocumentum prouenire, & talis tristitia non est inuidia, & potest esse sine peccato. Secundo modo quando aliquis dolet de bono alterius, non inquantum ille alter illud bonum habet, sed ex eo in quantum ipse qui inuidet simile bonum in se non habet, immo sibi deest, pro vtẽdo tamen ad bonum finem, & ista tristitia non est inuidia, sed est propriè zelus. Et si iste zelus sit certa bona virtuosa seu

seu honesta, laudabilis est. Iuxta illud j. ad Cor. 14. Æmulamini spiritualia. Si autem sit de bonis tẽporalibus, potest esse & cum peccato & sine peccato, iuxta hominis sic zelantis intentionem. Tertio modo quando aliquis de bonis alterius dolet seu tristatur, in quantum ille cui illud bonum accidit, est ipso bono indignus. Et ista tristitia non potest propriè oriri ex bonis virtuosis seu honestis, ex quibus aliquis iustus & virtuosus effici potest, quia iam quodammodo sibijpsi repugnaret. Si verò oriatur & veniat ex bonis temporalibus, cum secundum doctrinam fidei temporalia bona quę indignis proueniũt, ex iusta Dei ordinatione disponantur, vel ad eorum damnationem, & huiusmodi bona temporalia quasi nihil sunt in cõparatione ad bona futura quę seruãtur bonis, ideo huiusmodi tristitia prohibetur. Iuxta illud Ps. Noli ęmulari in malignantibus, neq; zelaueris facientes iniquitaté. Et alibi. Penè effusi sũt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns. Quarto modo quando aliquis dolet seu tristatur de bonis alterius, in quantum scilicet ille alter ipsum in dictis bonis excellit seu excedit. Et hæc tristitia est propriè inuidia, & est semper praua & peccatum, quia dolet de eo de quo gaudendum est, scilicet de bono proximi, & sic propriè accipitur hic.

De vitio seu peccato iræ.

DIcendum inde venit de ira, quæ secundum Aug. sic describitur. Ira est vlciscendi libido. Secundum verò Cassiodorum sic describitur. Ira est immoderatus animi motus, concitatus ad pœnam seu vindictam. Et intelligitur hæc definitio non de ira quæ procedit seu denominatur per zelum, quæ est quando quis contra ipsa vitia mouetur secundũ ordinem rationis ad bonum finem, quia etiam interdum sibijpsi propter sua peccata & vitia irascitur, sed intelligitur de ira quæ procedit & nominatur per vitium, de qua etiam solum hic agendũ est. Ira enim duplex habet esse, .s. naturæ & moris. Quoad esse naturę nõ est propriè nisi passio quædã, ratione cuius passionis sic purè seu absolutè consideratæ ira non est peccatum, immo magis est pœna, quo verò ad esse moris seu mortale in quãtum illa passio deordinat à debito ordine rationis, debitóq; fine, tunc dicit & importat vitiũ & peccatum. Nam ira isto modo non dicit puram passionem, immo quandam actionem qua deordinatur homo & quantum ad Deum & quantum ad proximum. Vult enim à se vindictam exquirere, quam non debet nisi à Deo vel à iudice constituto expetere. Vel illam vindictam exercere appetit contra illum qui non meruit, vel vltra id quod meruit, vel non secundum legitimum modum & ordinem, vel non propter debitum finem. Greg. 31. li. mo. sex assignat iræ filias quæ sunt, rixa, tumor mẽtis, cõtumelia, clamor, indignatio, blasphemia.

Quarum numerus seu sufficientia sic accipitur. Tripliciter potest ira considerari, vno modo secundum quod est in corde, secundo modo prout est in ore seu locutione, tertio modo prout est in facto seu opere. Quoad primũ modum. s. in quãtum ira est in corde, nascuntur duo vitia. Vnum in respectu ad illum contra quem homo irascitur, quia. s. eum quodammodo abhorret & indignum reputat vt sibi tale vel tale quid fecerit, & tunc est indignatio. Aliud vitiũ quod inde nascitur est in

A respectu ad ipsum hominem & qui irascitur, in quantum. sc. in animo suo diuersas vindictæ vias excogitat, & talibus excogitationibus animũ suũ replet, & tunc est tumor mentis. Quo verò ad secundum modum. s. in quantum ira ostenditur in ore seu locutione, hoc contingere potest dupliciter. Vno modo quando homo suam demonstrat iram per verba inordinata, confusa alta & indignatiua, & tunc est clamor. Alio modo quando suam demonstrat iram in verba iniuriosa prorumpendo. Et hoc iterum dupliciter. Nam vel illud

B fit in Deum aut sanctos, & tunc est blasphemia, aut fit in proximum, & tunc est contumelia. Quo ad tertium modum. s. in quantum ira ostẽditur in opere. s. quando procedit vsq; ad factum, & tunc oriuntur rixę, per quas hic intelliguntur & accipiuntur omnia nocumenta, quæ tacta occasione rixæ proximis inferri solent, vt sunt pulsationes, percussiones, & huiusmodi.

Et insuper aduertendum quod (vt supra aliqualiter tactum est) aliquod vitium potest esse filia vnius vitij capitalis, & nihilominus interdum ex

C alio vitio capitali procedere, & hoc diuersis respectibus & considerationibus, sicut in hoc præsenti proposito blasphemia in quantum aliquis in eam ex deliberata mente prorumpit, tunc procedit ex superbia hominis contra Deum se erigentis. Vnde Eccl. 10. Initium superbiæ hominis apostatare à Deo. i. ab eius veneratione seu honoratione recedere. In quantum verò homo non ex deliberata mente, sed ex quadam commotione

D seu furore animi in blasphemiam prorumpit, sic procedit ex ira & est filia iræ. Similiter tumor mentis non accipitur hic pro vana & superbia excogitatione propriæ excellentiæ, qua quis animum suum implet, quia tunc idem esset in effectu quod superbia, sed accipitur hic pro quodam exteriori conatu siue ex cogitatione hominis, vindictam ex ira appetentis, & in animo excogitantis. Similiter posset dici de odio quod ex ira nasci potest, cum tamen ponatur ex inuidia nasci, & eius filia sit, sicut supra declaratũ est capitulo im-

E mediatè præcedenti.

Vtrum autem teneatur quis iniuriam sibi factam inimico requirenti remittere, distinguendum est. Ex iniuria enim tria oriri solent. Primum est rancor in affectu. Secundum rancoris signũ in effectu. Tertium est actio contra iniuriantem. Primum tenetur quilibet statim remittere etiamsi non rogetur. Secundum tenetur quis remittere, si rogetur, scilicet veniam petenti, & iuxta suam facultatem emendare parato. Tertium non tenetur quis remittere.

F An autem ille cui facta est iniuria, debeat amicitiam quærere? Sciendum est quod duplex est debitum, primum est necessitatis, secundum est perfectionis. Quantum ad primum scilicet debitum necessitatis, sine quo scilicet non est salus, iniuriatus non tenetur ad reconciliationem & amicitiam quærere. Quantum verò ad secundum debitum, dicit Chrysost. quod talis iniuriatus debet reconciliationem & amicitiam quærere, & hoc maximè vt exinde duplicem coronam accipiat. Vnde quia iniuriam passus est, alteram quia prius rogauit.

Notandum postremò quo ad hoc capitulum: quod reddere malum pro malo est fragilitatis, reddere malum pro bono est peruersitatis, reddere bonum pro bono est æquitatis: reddere bonum pro malo est charitatis.

De vitio seu peccato acediæ.

SVBSEQVENTER dicendum venit de acedia, quæ secundum aliquos sic describitur. Acedia est de virtutum laudabili exercitio, vtriusque hominis languida deiectio. Aliter sic describitur: Acedia est diffidentia de proprijs viribus & Dei auxilio quoad ardua bona implendo. Secundum alios sic: Acedia est torpor mentis bona inchoare aut perficere negligenter.

Notandum autem quod Isidorus acediam à tristitia distinguit, dicens tristitiam esse in quantum homo recedit à bono ad quod tenetur, tanquam à graui & laborioso. Acediam verò dicit esse in quantum homo ab illo bono diuino seu spirituali se cõuertit ad quietem indebitam Grego. verò acediam tristitiam nominat, & vt videtur conuenientius, quia tristitia de se secundum quam aliquis à graui laborioso opere recedit, vel secundum quam aliquibus alijs causis tristatur, non est vitium speciale ab alijs distinctum. Sed tunc solum speciale vitium dicitur, in quantum homo contristatur de bono diuino seu spirituali, & tunc clarum est ad rationem acediæ pertinere quæ se ex eo ad quietem indebitam conuertit, in quantum scilicet bonum diuinum seu spirituale aspernatur. Et secundum hæc duo nomina habetur propria ratio acediæ, quia in quantum est auersio à bono diuino, ex eo quod graue æstimatur, tunc dicitur tristitia: sed inquantum est spreto ipso bono diuino conuersio ad creaturam scilicet ad quietem indebitam, ex eo quia leuis æstimatur & placens, ratione huius dicitur acedia. Ex quibus patet, quod hoc vitium inquantum est vel dicitur tristitia, opponitur lætitiæ spirituali. Sed prout est & vocatur acedia, opponitur virtuti fortitudinis, quæ consistit in arduis aggrediendis & in sustinendis aduersis. Et denominatur acedia ab acedine, quia per eam anima quandam habet acedinem, quamdamque gustus spiritualis indispositionẽ de bono diuino seu spirituali difficili.

Sed secundum B. Greg. 31. lib. mora. sex assignantur acediç filiæ. s. malicia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, euagatio mentis circa illicita. Quarum numerus seu sufficientia sic accipi potest. Cum enim iuxta philosophum in ethi. nullus diu absque delectatione possit cum tristitia manere, & vt tactum est, acedia sit tristitia de bono diuino tanquam de graui & laborioso, euenit quod acediosus tẽdit & laborat ad hoc quod à sua tristitia se eximat & liberet seu recedat. Duplici autem via potest aliquis à tristitia recedere. Vno modo vt à contristantibus recedat. Secundo modo vt ad alia in quibus delectari possit, transeat. Sicut secundum eundem philosophum communiter videtur quod illi homines qui non possunt in delectationibus spiritualibus gaudere, se trãsferunt ad delectationes corporales. Respectu primi membri in recessu seu fuga à contristãtibus talis processus attenditur. Nam primo homo ipsa contristantia fugit. Secundo interdum

A vltra progreditur, ita vt ipsa quæ tristitiam ingerunt, impugnet. Respectu iterum primi istorum duorum scilicet fugæ contristantium bona spiritualia, de quibus acedia tristatur, sunt vel ipse finis scil. Deus, vel ea bona quæ ordinantur ad ipsum. Fuga autem ipsius finis fit per desperationem. Eorum autem bonorũ quæ sunt ad ipsum finem, siquidem sint ardua, vt puta ea quæ subsunt consilijs euangelicis, fuga fit per pusilanimitatem. Si verò non sint ardua, sed solum quæ pertinent ad communem iustitiam, fuga fit per torporem circa

B præcepta. Respectu secundi istorum duorum dupliciter fit ipsorum bonorum spiritualium impugnatio. quandoq; enim fit indirectè, contra. s. homines qui ad ipsa bona spiritualia inducũt, & tũc est rancor. Quandoq; verò vlterius se extendit directè. s. ad ipsa etiam spiritualia bona quæ contristãt. In quorum detestationem aliquis ex ipsa tristitia adducitur, & tunc est propriè malitia. Respectu secundi membri principalis, in quantum. s. aliquis propter tristitiam bonorum spiritualiũ se ab

C ipsis bonis spiritualibus ad delectabilia exteriora transfert, ponitur filia acediæ, euagatio mẽtis circa illicita. Est tamẽ hic aduertendũ, vt clarius prædicta intelligantur, quod malitia non capitur hic in sua generali acceptione, secundũ quã est quoddam genus omnium vitiorũ, sed capitur pro quadam particulari malitia qua quis vt tactũ est, bona spiritualia impugnat in quantum ex ipsis contristatur. Similiter rancor non accipitur hic, vt cõmuniter accipitur. s. pro odio, sed pro quadam animi radicata indignatione, qua quis contra homi-

D nes ipsum ad bona spiritualia inducentes mouetur, in quantum scilicet illa bona spiritualia ipsum contristant.

Est etiam notandum quod Isid. aliam differentiam quam vt supra tactum est, ponit seu assignat inter tristitiam & acediam. Aliàs etiam ipsius tristitiæ & acediæ filias assignat. Nam tristitiæ quattuor ponit esse filias, quæ sunt rancor, pusilanimitas, amaritudo, desperatio. Acediæ verò septem ponit esse filias, quæ sunt ociositas, somnolentia, importunitas mentis, curiositas, verbositas, in-

E quietudo, corporis instabilitas. Sed istæ filiæ sic per Isidorum assignatæ reducuntur & in effectu idem sunt cum illis, quas Gregor. assignat. Nam prius Grego. ponit rancorem esse filiam acediæ, quam & tristitiam nominat, & sic quo ad hoc Isido. cum eo concordat. Similiter & respectu amaritudinis, quia est propriæ quidam effectus rancoris. Quo verò ad pusilanimitatem Isido. similiter cum Greg. in effectu cõcordat, licet varia modo. Ociositas autem & somnolẽtia quas assignat

F Isidorus filias ecclesię, comprehenduntur & reducuntur ad torporem circa præcepta, quam assignat Greg. filiam acediæ. Nam ociosus in bono spirituali præcepta prætermittit, somnolentus verò ea negligenter implet. Alię verò quinque filię, quas assignat Isidorus ex acedia oriri, pertinent & reducuntur ad euagationem mentis circa illicita, quam ponit Gregor. filiam acedię, quę quidem euagatio secundum quod in ipsa arce mentis residet, volentis se importunè ad diuersa diffundere vocatur importunitas mentis. Secundum autem quod illa euagatio mentis pertinet ad vim cognitiuam, dicitur curiositas. In quantum

tum

tum autem se vagando diffundit ad locutionem dicitur verbositas. In quantum verò respicit vagationem corporis, per quam communiter indicatur vagitas mentis, hoc contingit dupliciter. Vel respectu corporis in eodem loco manentis, sed per varios & inordinatos membrorum motus se vagè & instabiliter agentis, & tunc est inquietudo corporis. Vel respectu corporis se per diuersa loca vagè agitantis seu discurrentis,& tūc est instabilitas, licet etiam instabilitas possit secūdum vagam & inconstantem mutabilitatem & variationem propositi accipi. Et sic patet quod Grego.& Isidorus in effectu concordant.

Est tamen pro clariori dictorum intellectu aduertendum, quod non omnis motus acediæ est peccatum,immo frequenter in viris sanctis inueniuntur aliqui imperfecti motus acediæ. Motus enim acediæ quandoque est in sola sensualitate propter repugnantiam carnis ad spiritum,& tunc est solum peccatum veniale. Quandoque verò pertingit vsque ad rationem quæ consentit in fugam & horrorem,& detestationem boni diuini, carne omnino contra spiritum præualēte,& tunc acedia est peccatum mortale. Est etiam aduertendum quod vbi in superioribus dictum est acediam esse tristiciam de bono spirituali,non est accipiendum bonum spirituale communiter, quia tunc acedia non haberet rationem specialis vitij, cum omne vitium refugiat spirituale bonum virtutis sibi oppositæ. Similiter etiam in quantum acedia refugit bonum spirituale, prout est laboriosum vel molestum corpori, aut delectationis impeditiuum, non distinguitur ab aliis vitiis carnalibus,quibus aliquis quietem &delectationem corporis quærit. Sed propriè acedia dum vitium speciale ponitur, prout hic est tristitia mentalis de bono spirituali diuino, vel in bonum diuinum ordinato, ea sola ratione qua in bonum diuinum ordinatur, cum consensu rationis in ipsius boni fuga, horrore & detestatione. Nam mentem hominis adeò oportet bono diuino de necessitate inhærere,vt non contristetur,fugiat, horreat seu detestetur ea quæ sibi propter Deum imminet facienda.

De vitio seu peccato auaritiæ. Et quare dicitur idolorum seruitus.

NVnc transeundum est ad declarationem auaritiæ, quæ sic secundum Tullium describitur: Auaritia est immoderatus amor habendi. Secundum verò Bernard. sic describitur. Auaritia est quarumlibet rerum insatiabilis & inhonesta cupido. Auaritia secundum apostolum dicit idolorum seruitus, quia auarus propriè in effectu & opere exhibet creaturæ. s. pecuniæ illud quod deberet creatori, & præcipuè fidem, spem & dilectionem. Nam ibidem tanquam in eo vnde sibi speciale auxilium prouenturum credit,suam principaliter spem constituit,exinde in ardorem dilectionis transit. Et in hoc specialiter reprehenduntur auari,quia rei vilissimæ.s.pecuniæ quę de terra venit &accipitur &propriè terra est,quam natura infimam ordinauit, tantum amorem suum exhibent & impendunt. Et hinc in Ecclesiast. dicitur quod auaro nihil est scelestius. Et hoc propter quatuor causas. Prima, quia vix est scelus seu vitiū

A aliquod perpetrandum auaritia non inducat, vt sunt furta,homicidia,proditiones,periuria,& cętera huiusmodi. Secunda,quia est contra legem naturæ seu humanitatis qua quisque alteri tenetur quod sibi vellet fieri. Tertia,quia est contra legem vniuersalem in omnibus rebus existentem, per quam se dari & communicari volunt, immo quodammodo compellunt. Auari verò eas captiuas detinent ne communicari possint. Quarta, quia est contra legem diuinam scriptam. Vnde Luc.6. Estote misericordes sicut & pater vester

B misericors est.

Vtrum autem liceat cuiquam thesauros condere. Notandum quod dupliciter thesaurizari potest. Vno modo ex affectu auaritiæ absque omni intentione necessitatis propriè vel alienæ, & hoc modo thesaurizare est omnibus prohibitum. Alio modo thesaurizari potest ex prouidentia,& hoc iterum dupliciter. Vno modo vel consideratione necessitatis, & sic conceditur parentibus sæcularibus ob necessitatem filiorum educandorum vel filiarum coniugio tradendarum non ta-

C men ditandarum,sed debito seruato modo iuxta statum personæ. Alio modo ex consideratione publicæ vtilitatis, vt puta regni defendendi, vel cultus Dei ampliandi, & sic concessum est regibus & dominis temporalibus thesaurizare. Personis verò ecclesiasticis particularibus propriè nunquam thesaurizare licet,nec etiam pecuniā tenere intentione seruandi. Vnde Ambro. Aurum habet ecclesia non vt seruet sed vt eroget.

D Ex prædictis patet quod duplex est amor pecuniæ temporalium. Vnus respectu necessitatis. Alius respectu superflui. Contra primum prohibet Dominus prefocantem sollicitudinem. Contra secundum prohibet thesaurizationem.

Auaritiæ autem per Greg.31.li.moralium, septē assignantur filiæ, quæ sunt, proditio, fraus fallacia, periurium, inquietudo, violentia, contra misericordiam obduratio. Quarum numerus siue sufficientia sic sumi potest. Auaritia vt dictum est, est superfluus amor habendi diuitias. Ista ergo superfluitas seu excessus aut est in ipsas diuitias reti-

E nendo,& ex hoc oritur obduratio contra misericordiam, qua scilicet cor hominis misericordia non emollitur vt de diuitiis suis subueniat miseris & indigentibus. Aut iste excessus seu superabundantia est in accipiendo seu in acquirendo pecunias. Quod iterum potest considerari dupliciter. Vel. s. in quantum est in affectu vel in quantum est in opere seu effectu. Si primo modo scilicet quantum est in affectu, sic ex auaritia oritur inquietudo,in quantum scilicet auaritia ingerit homini nimiam sollicitudinem curasq; superfluas.

F Auarus enim, vt dicitur Eccle.5.non impletur pecunia. Si secundo modo. s. in quantum est in opere seu effectu, & hoc item dupliciter contingere potest. Vel enim ista immoderata & indebita acquisitione vtitur quis vi vel dolo. Si vtatur vi,tunc est violentia. Si vtatur dolo,hoc iterum tripliciter fieri potest. Vel enim fit ipse dolus in verbo. Et siquidem verbum sit simplex tunc est fallacia. Si autem ipsi verbo addatur confirmatio iuramenti, tunc est periurium. Si autem committatur ipse dolus in opere, tunc vel erit quantum

ad res, & sic est fraus. Vel erit quantum ad personas & sic est proditio, vt patet de Iuda qui per auaritiam prodidit Christum.

Isidorus autem nouem ponit filias auaritiæ quę sunt mendacium, fraus, furtum, periurium, turpis lucri appetitus, falsum testimonium, violentia, inhumanitas, rapacitas. Et sic apparet quod Isidorus tres ponit filias auaritiæ, quas etiam Grego. ponit, & sex de quibus Grego. nullam facit mentionem. Sed qui debitè considerat, istæ sex filiæ, quas sic assignat Isido. reducuntur & comprehenduntur sub illis quas assignat Grego. Nam mendacium & falsum testimonium quæ propriè non differunt ab inuicem nisi sicut genus & species (etenim falsum testimonium nihil aliud est quam quædam specificationem mendacij) continentur sub fallacia, sicut furtum quod est quædam specificatio fraudis, continetur sub fraude. Appetitus autem turpis lucri pertinet ad inquietudinem, & sub ea comprehenditur. Rapacitas autem cum sit species violentiæ, sub violentia continetur. Inhumanitas verò idem est propriè quod induratio cōtra misericordiam.

Est etiam notandum quod auaritia quę propriè est immoderata cupido circa diuitias & specialiter pecuniæ, ex eo quia per pecuniam omnia alia habentur & recuperantur, iuxta quod dicitur, pecuniæ obediunt omnia, dupliciter potest considerari. Vno modo circa acceptionem & acquisitionem pecuniarum, in quantum scilicet aliquis pecuniam acquirit vltra debitum aliena surripiēdo vel indebitè retinendo. Et hoc modo opponitur auaritia iustitiæ. Alio modo considerari potest prout importat immoderantia circa interiores affectiones diuitiarum, puta cum quis nimis amat vel desiderat diuitias, aut nimis delectatur in eis, etiam si forsan non velit capere aut retinere aliena. Et hoc modo auaritia opponitur liberalitati quæ huiusmodi affectiones moderatur. Et licet vterque istorum modorum hic accipitur, magis propriè tamen auaritia secundo modo hic accipitur.

Est etiam notādum quod philosophus in Ethi. multa ponit genera hominum vitiosorum vitiis ad auaritiam spectantibus, quæ sub filiabus supra enumeratis non videtur comprehendi, videlicet parcos, tenaces, kimibiles, illiberales operationes operantes, de meretricio pastos, vsurarios, aleatores, mortuorū spoliatores, latrones. Sed circa hoc tam pro iam dictis quam pro dicendis est aduertendum, quod licet in communi vsu loquendi idem reputetur aliquod peccatum esse filiam alicuius alterius vitij seu peccati esse eius speciem, est tamen magna differentia, ita quod aliud est peccatum habere filias, & aliud peccatum habere species. Species enim alicuius peccati seu vitij capitalis oportet semper ad idem genus vitij pertinere, filias verò non, immo ad finem alicuius vitij possunt etiam peccata alterius generis ordinari & ex eo oriri. Illa autem peccata quæ sic ex alio oriuntur & ad ipsum ordinantur secundum appetitum finis, propriè dicuntur eius filiæ, sicut gratia exempli in materia præsenti. Proditio & fallacia ponuntur & debitò filiæ auaritiæ, quia ex ipsa oriuntur, præcipuè secundum appetitum finis: vt quando scilicet fit proditio vel fallacia ad pecunias & diuitias acquirendas. Et tamen proditio & fallacia per se considerată non sunt propriè species auaritię nec propriè ad genus auaritię pertinent. Ad propositum igitur reuertendo illa quæ (vt tactum est) ponit philosophus sūt magis species auaritiæ quam illiberalitatem vocat, quid sint eius filiæ, licet tamē aliqui eorum possint ad filias supra enumeratas reduci, vt sub ipsis effectualiter comprehendantur, vt puta latrocinium sub fraude, parcitas & tenacitas sub obduratione contra misericordiam, etiam sic ad auaritiam pertinere videntur. Potest enim aliquis illiberalis seu auarus dici ex eo quod deficit in dando. Et siquidem quia parum dat, vocatur parcus, si autem quia nihil dat, tunc dicitur tenax, si autem quia cum magna difficultate dat, tunc vocatur kimibilis quasi kimi venditori, quia scilicet de paruis magnam vim facit. Quandoque etiam dicitur illiberalis vel auarus, quia excedit in accipiendo. Et hoc iterum dupliciter. Vno modo quia turpiter lucratur, vel scilicet vilia & seruilia opera per illiberales operationes exercendo. Vel quia de aliquibus vitiosis actib⁹ lucratur, sicut de meretricio vel aliquo huiusmodi. Vel quia lucratur de eo quod grauis deberet concedere, sicut vsurarij. Vel quia lucratur parum cū multo labore. Alio modo quia iniustè lucratur, vel de viuis vim inferendo, sicut latrones, vel mortuos spoliando, vel, an amicis per deceptionem auferendo, sicut aleatores. Et intellige hæc omnia iuxta supra tacta, quando scilicet ex immoderato amore lucri fiunt seu procedunt. Et sic patet concordantia eorum quę ponit philosophus cum illis quæ ponit Gregorius.

De vitio seu peccato gulæ.

Nunc dicendum est de vitio gulæ. Quæ sic secundum August. describitur. Gula est immoderata cibi auiditas. Vel sic. Gula est vorax edacitas, naturæ finibus non contenta. Et est aduertendum quod gula non dicit seu denominat quemlibet appetitum edendi vel bibendi, sed solum inordinatum. Quia ex eo inordinatus dicitur quod recedit à debito ordine rationis. Nec vitiū gulæ in substantia seu quantitate cibi propriè cōsistit, sed in concupiscentia non regulata ratione. Et ideo aliquis excedat in quantitate cibi, nō propter concupiscentiam, sed quia illud sibi necessarium esse existimat, hoc non pertinet ad vitium gulæ, sed ad aliquam imperitiam. Sed tunc pertinet ad gulam quando aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis scienter excedit mensuram edendo. Et sic accipitur cibus etiam pro potu.

Notandum insuper quod Grego. 30. lib. moral. quinque esse species gulæ assignat sub his verbis: Sciendum est, quia quinque nos modis vitium gulæ tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora præuenit. Aliquando ordinem temporis sequitur, sed cibos lautiores quærit. Aliquando etiam quælibet sumenda præparari accuratius expetit. Aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit. Nonnunquam verò & abiectius est quod desiderat, & tamen ipso æstu immensi desiderij deterius peccat. Et continentur in hoc versu.

Præproperè

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Quarum specierum numerus & sufficientia sic sumi potest. Gula vt dictum est importat inordinatam cōcupiscentiam edendi. In esu autem duo considerātur. s. vel ipse cibus qui sumitur vel ipsa eius sumptio. Respectu primi scilicet ipsius cibi qui sumitur, triplex potest concupiscentiæ inordinatio contingere, scilicet vel quantum ad substantiam cibi, vel quantum ad qualitatem cibi, vel quantum ad quantitatem cibi. Quantum ad primum cōtingit cōcupiscentiæ inordinatio quādo scilicet quæruntur cibi lauti.i.pretiosi. Et tunc est secunda species supra posita, denotata per illud verbum versus supra positi, lautè. Quantum ad secundum contingit concupiscentiæ deordinatio, quādo scilicet cibi nimis accuratè & delitiosè præparantur. Et tunc est tertia species supra assignata, denotata per illud verbum studiosè versus prænominati. Quantum ad tertium contingit concupiscentiæ deordinatio quando exceditur in nimis comedendo. Et tunc est quarta species supra assignata, denotata per hoc verbum, nimis. Respectu secundi membri principalis scilicet ipsius sumptionis cibi potest dupliciter concupiscentiæ inordinatio contingere, scilicet vel quantum ad tempus ipsius sumptionis, vel quantum ad modum. Quantum ad primum contingit cōcupiscentiæ inordinatio quando præuenitur debitum tempus seu debita hora comedendi. Et tūc est prima species supra assignata, denotata per hoc verbum præproperè. Quantum ad secundum cōtingit concupiscentiæ inordinatio, scilicet quādo non seruatur debitus modus in edendo. Et tunc est quinta species supra assignata, denotata per hoc verbum, ardenter.

Notandum insuper quod Grego.31.lib. moral. quinque assignat gulæ filias, quæ sunt, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam. Quarum numerus seu sufficientia sic sumi potest. Gula vt supra tactum est, propriè consistit circa immoderatam concupiscentiam quæ est in cibis & potibus. Et ideo illa vitia quæ ex immoderata concupiscentia cibi & potus consequuntur seu oriuntur computantur inter filias gulæ. Ipsa autem vitia quæ ex immoderata concupiscentia cibi & potus insurgunt seu oriuntur, considerantur dupliciter. Vel insurgunt ex parte vel insurgunt ex parte corporis. Si insurgunt ex parte animæ, hoc potest contingere quadrupliciter scilicet vel primò quātum ad rationem, cuius acies ex cibi & potus immoderantia hebetatur, propter scilicet ciborum & vini fumositates caput hominis perturbantes. Et hinc ponitur filia gulæ hebetudo sensus seu mentis circa intelligentiam, sicut & è contrario abstinētia confert ad sapientiæ perceptionem. Vel secundò quantum ad vim appetitiuam, qui sopito gubernaculo rationis per ipsam cibi & potus immoderantiam multipliciter deordinatur, & in varias transit dissolutiones. Et hinc ponitur inepta lætitia filia gulæ, ex eo quod omnes inordinatæ passiones ad lætitiam & tristitiam inordinantur, vt dicit philosophus. Vel tertiò quantum ad inordinationem discretionis circa debitum modū proferendi verba, qui frequentissimè ex immoderantia cibi & potus contingit. Et hinc multiloquium assignatur filia gulæ. Iuxta quod dicit Gre. in pastorali. Nisi gulę deditos immoderata loquacitas comitaretur, diues ille qui epulatus quotidie splendidè dicitur in lingua grauius non arderet. Vel quartò quantum ad inordinationem discretionis circa gestus & actus exteriores. Nam sicut ex immoderata cibi & potus prouenit ipsa discretione defectus & inordinatio circa debitam & moderatam prolationem verborum, ita similiter prouenit in ipsa discretione deordinatio circa exteriores gestus. Et hinc ponitur scurrilitas filia gulæ, quæ est quædam vana iocularitas quærens homines ad risum & complacentiam commouere, ex defectu discretionis seu debitæ prouisionis proueniens. Quantum autem respectu secundi membri principalis, de vitiis scilicet quæ ex parte corporis insurgunt, certum est quod ex ipsa inordinata & immoderata cibi & potus concupiscentia & sumptione frequentissimè sequuntur emissiones inhonestæ superfluitatū. Et hinc est quod immunditia ponitur filia gulæ.

Est tamen aduertendum quod si ex ipsa superfluitate cibi & potus contingat emissio superfluitatum per modum seminis naturalis, tunc immūditia licet etiam ad gulam pertinere videatur, in quantum scilicet materiam ministrat, magis propriè tamen pertinet ad peccatum libidinis, seu luxuriæ. Si contingat emissio aliarum superfluitatum, vt vomitus & vacuationum fœtidarum & huiusmodi, tunc immunditia propriè ad vitium gulæ pertinet.

Est etiam aduertendum quod hebetudo quantum ad eligibilia non est propriè filia gulæ, immo communiter in omni peccato inuenitur. Sed hebetudo sēsus circa speculabilia, maximè etiam ex gula prouenit propter rationem iam tactam, scilicet propter fumositates caput perturbātes, & tūc propriè est filia gulæ. Similiter lætitia quæ est de actu peccati, iuxta illud. Prouer.2.c. Lætātur cum malefecerint, & quæ propriè ex habitu peccandi procedit, non est filia gulæ, immo ad omne peccatum consequi potest. Sed illa lætitia quæ est vaga, dissoluta & incomposita, quod importat hoc verbum inepta, maximè oritur ex inordinata sūptione cibi & potus, & isto modo assignatur filia gulæ. Similiter est quædam scurrilitas quæ ex voluntate, seu appetitu luxuriæ, & quædam ex appetitu inordinato lucri seu pecuniæ procedit, dum scilicet quæritur persona per quandam vanam iocularitatem ad risum seu complacentiam promoueri, vel ad ipsam facilius ad actum venereum promouendum, vel ad aliquid commodi ab ea consequendum, & istis modis magis pertinet ad illa vitia, scilicet luxuriæ & auaritiæ. Sed illa scurrilitas quæ ex immoderata concupiscentia & sūptione cibi & potus procedit iuxta modum satis supra declaratum, est propriè filia gulæ.

De vitio seu peccato luxuriæ.

SEquitur de luxuria, quæ sic describitur. Luxuria est ex immundis desideriis veniens lubrica mentis & carnis prostitutio. Secundum alios sic describitur. Luxuria est libidinosæ voluptatis appetitus. Et intelligas hūc libidinosum appetitum quando est ex consensu rationis, sic scilicet quod

ipsa ratio cũ cohibere posset, non tamen cohibet; quia tunc talis libidinosus appetitus est peccatum mortale. Adhuc secundum alios sic describitur. Luxuria est corporis incontinentia; ex pruritu carnis originem contrahens.

Notandum quod sicut sæpe supra dictum est, magna differentia est ponere aliquod peccatum filiam alterius vitij & illud ponere eius speciem. Quod manifestè apparet in isto vitio seu peccato luxuriæ. Nam vt clarè videbitur, istud vitium aliqua habet peccata tanquam filias, ea scilicet quæ ex eo oriuntur, præcipuè secundum appetitum finis, licet tamen secundum proprium esse ad ipsum vitium non pertineant. Habet etiam species quæ propriè ipsum luxuriæ vitium pertinent.

Octo igitur secundum Gregor. 31. li. moral. assignantur filiæ luxuriæ, scilicet cæcitas mentis, inconsideratio, inconstãtia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror seu desperatio futuri.

Quarum numerus seu sufficientia sic sumi potest. Certum est quod secundum doctrinam philosophorum quando inferiores animæ vires seu potentiæ ad sua vehementer obiecta afficiuntur & se applicant, consequens est quod superiores animæ vires in suis actibus impediantur seu deordinentur. Maximè autem per vitium luxuriæ appetitus concupiscibilis quæ est vna de inferioribus potentiis animæ vehementer afficitur, & intendit suo obiecto scilicet delectabili venereo, propter suam. s. vehementiam delectationis. Ex quo consequens est & communiter contingit quod maximè per concupiscentiam luxurię ratio & voluntas quæ sunt superiores animæ vires, impediuntur seu dedominantur.

Rationis autem quatuor sunt actus in agendis. Primus quidem actus est simplex intelligentia, quo ipsa ratio aliquem finem apprehendit vt bonum. Et hic actus per concupiscentiam luxuriæ impeditur. Iuxta illud Dan. 13. Species decepit te. Et illud, Concupiscentia conuertit cor tuum. Et quantum ad hoc ponitur filia luxuriæ cæcitas mẽtis. Secundus actus rationis est consilium de his quæ sunt agẽda propter finem, & hic etiam actus per concupiscentiam luxuriæ impeditur. Et quãtum ad hoc ponitur filia luxuriæ pręcipitatio, quę prout hic sumitur, importat subtractionem consilii, quando. s. homo ex luxuriæ vehementia per impetum voluptatis seu passionis, non adhibito consilio ad aliquid agẽdum subitò & inordinatè fertur. Tertius actus rationis est rectum iudicium de agendis. Et hic etiam actus per concupiscentiã luxuriæ impeditur. Vt de senibus luxuriosis dicitur Dan. 13. Auerterunt sensum suum vt non recordarentur iudiciorum iustorum. Et quantum ad hoc ponitur filia luxuriæ inconsideratio, quæ prout hic sumitur importat defectum recti iudicij, quando scilicet homo & luxuriæ vehementia in rectè iudicando deficit, quia scilicet contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum iudicium procedit. Quartus autem rationis actus est præceptum quod ipsa ratio facit de aliquid agendo. Et iste etiam actus per concupiscentiam luxuriæ impeditur, in quantum scilicet homo ex impetu ipsius concupiscentiæ impeditur ne exequatur illud quod ratio decernit esse faciendum.

Et secundũ hoc ponitur filia luxuriæ incõstantia; A quę prout hic sumitur, importãt recessum à bono proposito & cœpto propter aliquid quod inordinatè placet, quod maximè causat vehementia luxuriæ, per quam homo trahitur ad repudiandum quod rectè prius acceptauerat, quod ex sui defectu venit; quia cum posset illi impulsui luxurię resistere, non resistit; eò scilicet quod non tenet firmiter & constanter se in bono cœpto. Ita quod cæcitas mentis est defectus circa actum simplicis intelligentiæ. Præcipitatio est defectus circa actũ consilij. Inconsideratio est defectus circa actum B iudicij. Inconstantia est defectus circa actum pręcepti. Qui sunt quatuor principales actus rationis circa agibilia; qui maximè per delectationem quę in actibus venereis est quæ totam animam absorbet; impediuntur, vt tactum est.

Ex parte autem voluntatis duplex est actus quem per concupiscentiam luxuriæ deordinari contingit. Vnus est appetitus finis. Et quantum ad huius actus deordinationem ponitur filia luxuriæ, amor sui, in quantum scilicet homo pro venerea delectatione quam inordinatè appetit & C & concupiscit, seipsum inordinatè diligit, & ea quæ ad dictam delectationem seu complacẽtiam conferunt; sibi procurat & quærit. Et per oppositum respectu ipsiusmet actus voluntatis ponitur alia filia luxuriæ, odium Dei. Quod importat quãdam Dei ac suorum mandatorum in animo displicentiam & contemptum, in quantum scilicet ipsam delectationem veneream sic concupitam non prohibet. Alius actus voluntatis est appetitus eorum quæ sunt ad finem. Et quantũ ad huius D actus deordinationem ponitur filia luxuriæ affectus præsentis sæculi, in quantum scilicet homo pro amplius & diutius venerea delectatione ad sui libitum fruendo, præsens sæculum & ea quæ in eo sunt, inordinatè diligit & in eis complacet. Et per oppositum respectu istiusmet actus ponitur alia filia luxuriæ, desperatio futuri sæculi, quia dum homo vt præfertur nimis delectationibus cardinalibus detinetur, nõ curat ad delectationes spirituales quæ propriè ad gaudia futuri sæculi E pertinent & disponunt peruenire, immo eas fastidit & quodammodo desperat.

Est tamen aduertendum quod Isido. quatuor ponit ex ipsa luxuria orientia, quæ sub prædictis filiabus comprehendi non videtur scilicet turpiloquia, verba scurrilia, verba ludicra, stultiloquia. Sed qui bene considerat, prædicta quatuor sub præcedentibus continentur. Nam ipsa quatuor quæ sic ponit Isido. non sunt nisi quidam inordinati actus exteriores & adhuc præcipuè ad locutionem pertinentes, quæ ex ipsa vi cõcupiscentiæ F luxuriæ oriuntur. In qua locutione potest ex vi ipsius luxuriæ aliquid inordinatum esse quadrupliciter vel propter materiam vel ex parte causæ, vel quãtum ad finem, vel quantum ad sententiã. Si quantum ad materiam, tunc sunt turpiloquia. Cũ enim ex abundantia cordis os loquitur; luxuriosus cuius cor turpibus cõcupiscẽtiis est plenũ, de facili in turpia verba prorumpit, quod propriè pertinet ad inconsiderationem. Ex parte verò causæ. Cum (vt dictum est) concupiscentia luxuriæ maximè inconsiderationem & præcipitationem causet, consequens est quod prorumpere faciat

tiat in verba leuiter & inconsiderate dicta, quæ scurrilia dicuntur. Quantum verò ad finem. Cum luxuriosus ex vi suæ concupiscentiæ delectationem quærat, consequens est vt verba sua ad immoderatam delectationẽ ordinet, & sic in verba ludicra prorumpat, quæ propriè iocularia dicuntur ad luxuriam maximè pertinentia, quod propriè ad amorem sui pertinere videtur. Quantum verò ad sententiam seu grauitatem verborum, cum concupiscentia luxuriæ inconsiderationem mentis quandam causet, consequens est quod rectum iudicium debitáque grauitatem in verbis impediat, ex quo fit vt luxuriosus in stultiloquia prorumpat, vt potè verbis suis delectationes quas appetit, quibuscunque aliis rebus præferens seu præponens. Est etiam aduertendum quod amor sui non capitur hic sub quadam sui generalitate quantum. f. se extendit ad quæcunque bona quæ aliquis sibiipsi appetit, quia isto respectu amor sui non est filia luxuriæ, immo commune omnium peccatorum principium. Sed capitur hic quadam speciali acceptione seu consideratione, in quantum scilicet aliquis propter suam complacentiam & delectationem inordinatè appetit & concupiscit delectabilia carnis venerea, & tunc est propriè filia luxuriæ. Similiter inconstantia in quantum opponitur constantiæ, prout ipsa constantia est pars fortitudinis & circa ardua & terribilia versatur, non est filia luxuriæ. Sed hic ponitur filia luxuriæ in quantum opponitur constantiæ, quæ habetur in abstinendo à delectionibus venereis, quę propriè pertinet ad continentiam, quæ ponitur pars temperantiæ. Et isto modo inconstantia ponitur propriè filia luxurię, in quantum scilicet ex ipsius luxuriæ cõcupiscentia oritur & causatur, & per eam emollitur cor hominis & effeminatum redditur. Et ita de aliis supra tactis suo modo. Quia vt supra tactum est, non refert aliqua vitia ex vno vitio oriri secundum appetitum finis, & eadem vitia ad genera aliorum vitiorũ pertinere.

Species verò luxuriæ communiter assignantur septem, scilicet simplex fornicatio, stuprum adulterium, sacrilegium, incestus, raptus, peccatum cõtra naturam. Quarum specierũ numerus seu sufficientia sic sumi potest. Peccatum luxuriæ in hoc propriè consistit quod aliquis delectatione venerea vtitur non secundum rectam rationem & debitum modum. Quod quidem contingere potest dupliciter. Vno modo respectu materiæ in qua huiusmodi delectatio quęritur, seu sumitur prout in ea est deordinatio. Alio modo respectu ipsius materiæ, quæ licet debita existat, non seruantur tamen circa eam debitę circunstantię. Et quia circunstantia de se in quantum scilicet circunstãtia nomen dat seu imponit speciẽ actui morali, ideo eius species non communiter à circunstantiis, immo sumitur ab obiecto quod est materia actus, ideo oportuit species luxuriæ assignari à parte materiæ seu obiecti, in habendo scilicet respectum ad ipsam materiam vel obiectum. Circa ipsam autem materiam in qua exercetur actus venereus, potest aliquid non conuenire rectè rationi dupliciter. Primo modo respectu proprij esse ipsius materiæ scilicet recipientis quæ propriè in actu venereo pro materia reputatur & recipitur, in quantum scilicet ipsa materia repugnantiã habet ad finem debitum, propter quem actus venereus exerceri debet, eò scilicet quod per eam impeditur generatio prolis, & tunc est vna specierum luxuriæ scilicet peccatum cõtra naturam, quod hic accipitur seu sumitur pro omni actu venereo, ex quo non potest generatio humana sequi. Vel in quantum ipsa materia repugnãtiam habet ad debitam educationem, directionem & promotionem prolis iam natæ in quantum scilicet per eam impeditur debitus ordo educationis, directionis & promotionis ipsius prolis susceptæ, & tunc est alia species luxuriæ scilicet simplex fornicatio. Secundo modo in quantum ipsa materia in qua exercetur actus venereus, potest esse non conueniẽs rectę rationi, non quidem ex esse sui seu de directo, sed per quendam indirectum respectum eorum quæ circa ipsam materiam fiũt tam in se quã in comparatione ad alios homines. Et hoc iterum potest contingere dupliciter, quia aut pro dicto actu venereo committendo & exercendo infertur violentia, & tunc est alia species luxuriæ scilicet raptus. Aut pro dicto actu venereo committendo & exercendo non infertur violentia. Et hoc iterum contingere potest dupliciter. Primo quidem modo ex parte ipsius materiæ scilicet fœminæ cui aliquis commiscetur, quia scilicet non seruatur ei debitus & congruus honor, & tunc est alia species luxuriæ scilicet incestus, qui est cõcubitus cum consanguinea vel affine, in quo ipsius fœminæ tam respectu sui suæque famæ ac nominis quã in respectu suæ progeniei honorificentia quamplurimum læditur. Ex quo apparet quod grauius sit peccatum incestus quam peccatum simplicis fornicationis. Alio modo ex parte illius in cuius potestate est ipsa fœmina. Et hoc iterum tripliciter. Vel respectu fœminæ quæ est in potestate viri, & tunc est alia species luxuriæ. s. adulterium, quod committitur cum violatione matrimonij. Aut respectu fœminæ quæ est in potestate patris, & tunc est stuprum, quod committitur in deflorando & corrumpendo virginem quę communiter in potestate patris consistit. Aut respectu fœminæ in speciali (vt ita dicatur) Dei potestate existentis, tanquam scilicet suo cultui & seruitio specialiter deputatæ & dedicatæ, & tunc est alia species luxuriæ scilicet sacrilegium, quod committitur cum persona religiosa & Deo sacrata.

Et aduertatur hic pro intellectu promissorum quod species supradictæ luxuriæ magis ex parte fœminæ diuersificari ponuntur, quam ex parte viri, quia in actu venereo fœmina se habet quasi patiens & per modum materię, vir autem per modum agentis. Et vt supra tactum est species luxurię non possunt conuenienter nisi secundum differentiam seu diuersitatem materię assignari, quia diuersitas materiæ habet annexam diuersitatem formalem obiecti, quę accipitur secundum diuersos modos repugnantiæ ad rectam rationem debitumque ordinem & modum qui in actibus venereis committuntur. Est etiam aduertendum quod licet in suprascripta specierum luxuriæ assignatione meretricium non transiens in grauiorẽ speciem, intelligitur sub simplici fornicatione comprehensum, aliqui tamen inter ipsa duo realẽ differentiam assignant, dicentes fornicationem simplicem esse soluti cum soluta, quodammodo

sibi inuicem determinatè associatis & appropriatus. Meretricium verò dupliciter fieri dicunt. Vno modo per vagam libidinem hinc inde cum diuersis, nunc cum ista, nunc cum alia peccando. Alio modo cum publicè venali cócubendo. Est etiam aduertendum quod aliqui non ponunt sacrilegiú de per se propriam speciem luxuriæ, quia vt dicút non propriè de per se pertinet ad luxuriam, secúdum seipsum, sed solum posset poni eius species inquantum ordinaretur ad finem ipsius. Sed nec adhuc ponunt tunc ipsum sacrilegium speciem determinatam luxuriæ, quia vt dicunt potest concurrere cum diuersis aliarum specierum luxuriæ supra tactarum, vt gratia exempli. Si quis abutatur persona sibi secundum spiritualem cognationem coniunctam, committit sacrilegium per modum incestus seu quendam spiritualem incestum. Si autem abutatur Deo sacrata, tunc eo respectu quod est sponsa Christi committit sacrilegium per modum adulterij, seu quoddam spirituale adulterium. Eo verò respectu quod est sub spiritualis patris cura & potestate, committit sacrilegium per modum stupri seu quoddam spirituale stuprum. Et si violentia inferatur, committitur sacrilegium per modum raptus seu quidam spiritualis raptus, qui grauissimè etiam in solo conatu per leges ciuiles punitur. Communior tamē visus & opinio habet quod sacrilegium ponitur determinata species luxuriæ & committitur vt supra declaratum est.

Est etiam aduertendum quod peccati contra naturam quatuor communiter species seu modi assignantur. Primus est quando absq; omni concubitu causa delectationis venereæ pollutio procuratur, & vocatur propriè mollicies, pertinetq; ad peccatum immunditiæ venereæ seu lubricose.

Secundus modus est si fiat per concubitum ad rem non eiusdem speciei, & vocatur propriè bestialitas. Tertius modus est, si fiat concubitus ad rem eiusdem speciei, sed non ad debitum sexú, vt puta masculi ad masculum vel fœminæ ad fœminam. Et vocatur propriè peccatum sodomiticum. Quartus modus est, si fiat concubitus ad rem eiusdem speciei & debiti sexus, sed non fiat in debito instrumento, vel alias fit mēstruosa quædam deordinatio & vilitas in modis concubendi.

Est etiam aduertendum quod concubitus coniugalis secundum aliquas circunstantias potest fieri cum peccato vel mortali vel veniali. Et communiter dicit concubitus assignatur triplex modus scilicet licitus, fragilis, impetuosus. Licitus iterum fit tripliciter, vel scilicet causa prolis suscipiēdæ ad honorem Dei & cultum. Vel causa reddendi debitum dum exigitur. Vel causa fornicationis vitandæ, non quidem in se sed in coniuge. Primus est pietatis, secundus est iustitiæ, tertius est cautelæ, & in his nullú dicitur esse peccatum. Fragilis est quando fit causa delectationis. Et tunc distinguitur, quia si amor illius delectationis sit ita feruēs & præponatur Deo, tunc est peccatum mortale. Si verò non præponatur Deo, tunc est peccatum veniale. Quinque modis fit concubitus impetuosus.

Impetuosus est qui ex sola libidine proueniens, metas rationis & honestatis transcendit, quod fit quinque modis.

A Primo modo per quasdam meretricias blanditias ad magis exaturandam libidinem.

Secundo modo quando fit contra naturalem modum.

Tertio modo quando fit tempore prohibito, vt magnarum solemnitatum ecclesiæ & vigiliarum.

Quarto modo quando fit in loco prohibito, vt puta ecclesia vel cœmiterio.

Quinto modo cum ad prægnantem partui vicinam, vel ad eam quæ menstruosa est, acceditur.

B *Quomodo ex speciebus & filiabus septem vitiorum capitalium alia etiam peccata oriantur.*

Generaliter autem circa prædictas tam filiarú quam specierum omnium supradictorum septem vitiorum seu peccatorum capitalium assignationes & declarationes notandum est quod licet cuilibet prędictorum vitiorum non sint assignatæ nisi filiæ & species supradictæ declaratæ, quod non aliter fieri debuit, quia vt sæpe supra tactum est, nulli vitio capitali debent peccata alia C quæcunque pro filiabus aut speciebus assignari, nisi illa quæ secundum præcipuè appetitum finis cuiuslibet vitij primariæ & magis principaliter ex eo oriuntur & descendunt, vel quæ ad ipsius vitij genus & naturam magis immediatè pertinent. Sunt tamen alia peccata ex ipsis septem vitiis capitalibus orientia, & ad genus seu naturam eorum pertinentia, quæ tamen nec tanquam filiæ, nec tāquam species eorum assignant, ex eo quia non primariè & principaliter ex eis oriuntur & descēdunt, nec ita immediatè ad ea pertinent, immo D magis propriè ex ipsis filiabus vel speciebus suis oriuntur & descēdunt, ita quod propriè loquēdo possunt magis dici ramusculi orientes ex principalibus ramis ipsorum septem vitiorum capitaliú, ex quibus iterum ramusculis qui debitè exquirere voluerit, reperiret virgulas alias seu folia iterum nascentia secundum qualitates personarum circunstantiasque modorum faciendi, necnon temporum ac locorum, vt gratia exempli. Ex inobedientia quæ ponitur prima filia inanis gloriæ, na- E scitur seu procedit rebellio, ex iactantia quæ ponitur alia ipsius inanis gloriæ filia, nascitur seu procedit rebellio, ex iactantia quæ ponitur alia ipsius inanis gloriæ filia, nascitur seu procedit fastus & pompositas tam gestuum quam vestium quam huiusmodi plurium. Ex discordia quæ ponitur alia filia inanis gloriæ, nascitur seu procedit scisma & bellum, iterum ex bello homicidia, mutilationes, incarcerationes, & huiusmodi. Ex contumelia quę ponitur filia iræ, nascitur seu procedit subsannatio, derisio, maledictio, & sic de pluribus a- F lius quæ promptum est reperire, quæ omnia cognoscere non est inutile, immo expediens permaximè curam animarum habentibus ac aliis viris literatis, vt magis perpendere & attendere possint proprias radices & origines singulorum peccatorum, & sic facilius & melius tam in respectu sui quam respectu eorum quos in confessionibus audiunt possint tentationibus resistere, radicesq; earum principales ac fomenta euellere & dissipare. Et ista hic ad longum declarare non patitur intenta huius tractaculi compendiosa breuitas. Qui verò ampliora ac magis particularia videre

viderit,

viderit, recurrat (vt iam supra tactum est) ad secunda secundæ beati Tho. necnon ad illam summam notabilem de vitiis quæ à nonnullis summa regis nuncupantur.

Quod non semper vitia seu peccata capitalia, eorumque filiæ & species peccata mortalia existunt.

EST tamen circa supradictam septem peccatorum seu vitiorum capitalium declarationem aduertendum, quod licet ipsa septem vitia capitalia cum suis filiabus & speciebus supra etiã specificatus pro peccatis mortalibus assignentur, & frequentius in naturam & actum peccati mortalis transeant. Non tamen semper peccata mortalia existunt, immo nonnunquam secundum aliquas circunstantias & qualitates committi possunt, quod non nisi peccata venialia sunt. Et licet per nonnullos istud amplè declaratum sit, & specialiter bene diffusè & elegãter per beatum Thomam secunda secundæ suæ summæ, ex qua multa in hoc octauo tractatulo dictorum sumpta sunt, ac etiam bene & succinctè in quodam solemni tractatu qui compendium theologiæ nuncupatur cuius initium veritatis theologiæ sublimitas ad quos attenta breuitate huius dicti tractatuli rationabiliter veniebat facienda remissio. Tamen quia non omnes libros habent, interdumq; non facile ab aliquibus reperiuntur, ne omnino istud quod poterit conscientias plurimorum à multiplicibus scrupulis releuare, hic indeterminatum præteriretur, expediens visum est ac congruum hic aliquo modo explicare & pro maiori parte dicendorum iuxta effectum eorum quæ circa hoc in supradicto compendio theologiæ ponuntur. Et qui simili (vt supra dictum est) ampliora & specialiora videre voluerit ad alios doctores specialiter ad ipsam secundam. 2. beati Thom. recurrat.

QVANDO SVPERBIA SIT PECCATVM MORTALE.

PROCEDENDO igitur iuxta ordinem cœptum huius tractatuli secundum quem insequẽdo beatum Gregorium fit distinctio inter superbiam & vanam gloriam, est sciendum quod superbia prout accipitur hic & ponitur regina & mater omnium vitiorum cum suis quatuor speciebus, quas etiam vt supra tactum est, ponit Gregor. est de suo genere peccatum mortale, quia est inordinatus & peruersus appetitus propriæ excellentiæ, sibi indebitæ attribuens quæ non habet, vel alio modo & intentione quam habeat. Quæ omnia tamen intelligentia sunt, quando ex deliberato iudicio seu consensu rationis procedunt.

Quando vana gloria sit peccatum mortale.

VAna gloria ex suo genere est veniale peccatum, quia genus operis scilicet mortale sumitur ex obiecto. Vanum autem secundum se non est obiectum mortalis peccati sed venialis. Vnde cum vana laus sit huius peccati obiectum, patet, quod non semper vana gloria est mortale

A peccatum, sed aliis respectibus est vana gloria mortale peccatum. Quod dupliciter contingere potest. Vno modo ratione finis propter quem laus ipsa appetitur, opus namque tale est quale est illud propter quod appetitur. Alio modo ratione operis in se in quo ipsa laus quæritur.

Circa primum modum aduertẽdum est quod quadruplici fine laus appeti potest. Primò ad vitandum malum infamiæ, quod potest homo per suspicionem vel detractionem aliorum aut alias incurrere, sicut Samuel se laudauit. 1. Reg. 12.

B Secundò propter vtilitatem aliquam spiritualem, vt esset gloria Dei vel ædificatio proximorum sicut Paulus se commendauit. Tertiò propter lucrum auaritiæ, vel aliquem alium finem seu actum peccati mortalis sicut Pharisæi qui deuorabant domos viduarum, simulantes longam orationem, vt habetur Math. 24. Quartò propter aliquem finem seu actum venialis peccati, sicut quando quis laudari appetit, eò quod vane in laude delectatur. Primum est prouidentiæ, se-

C cundum est charitatis, tertium est mortale peccatum. Et idem intelligendum est de omni opere & actu cuius finis qui principaliter intenditur, est mortale peccatum, quartum est veniale; si illa delectatio qui in laude habetur, sit venialis.

Circa secundum modum ratione scilicet operis propter quod ipsa laus quæritur, est aduertendum, quia tria sunt genera operum per quæ laus ipsa quæri potest. Vel enim sunt opera illicita, vel sunt opera virtuosa, vel sunt opera indifferen-

D tia. Si per prima opera scilicet illicita quæritur laus, tunc vana gloria est tale peccatum quale est illud opus illicitum per quod quæritur. Nam si illud opus illicitum sit mortale, tunc vana gloria erit mortalis. Si sit veniale, tunc vana erit venialis. Si quæratur laus per secunda opera scilicet virtuosa, hoc iterum potest contingere dupliciter. Quia vel appetitus laudis adiungitur seu superuenit operi virtuoso tanquam incidens & & non principaliter intentus, sicut sæpe in cantu & aliquando immo frequenter in prædicatione

E aliisque sanctis operibus, & tunc vana gloria non est nisi peccatum veniale. Vel ipsa laus est finis principaliter intentus in opere virtuoso, ipsique actui virtuoso præstitus, ita quod illud opus virtuosum operans ibi constituit finem vltimum sui operis, & sic est vana gloria peccatum mortale, quia tunc inhæret ei vt fini vltimo.

Circa quod adhuc aduertendum est quod maius est peccatum gloriari de bonis spiritualibus, quam de bonis temporalibus: quia bona spiritualia minus habent motiuum vanitatis & vanæ de-

F lectationis, eò quod minus apparent ab extra quam temporalia. Si quæratur laus per tertia opera scilicet indifferentia, vt est habere diuitias vel vestes pretiosas, tunc si illa opera vlterius non pregrediantur in deterius nisi in solam laudem habendam, vana gloria non erit nisi veniale peccatum. Si autem talia opera vltra in deterius progrediantur, de seque ordinata vt sint occasio mortalis peccati, vtputa quando mulier ornatu meretricio ad alliciendos homines animásque capiendas se præparat, vel sint illa opera de se indifferentia ex prohibitione

ſuperioris effecta illicita, vt torneamenta & huiuſmodi, & tunc vana gloria eſt peccatum mortale.

Quando inuidia ſit peccatum mortale, & quando non.

INuidia ex ſuo genere eſt peccatum mortale. Cum enim inuidia (prout in ſuperioribus dictum eſt) ſit dolor de fœlicitate ſeu bono alterius, gaudiumque de malo alieno, clarum eſt quod directè contrariatur charitati, vt 1. Cor. 13. Charitati autem nihil eſt contrarium quod non ſit peccatum mortale.

Eſt tamen aduertendum quod interdum illud peccatum quod ex ſuo genere eſt mortale, poteſt ſecundum aliquas ſui qualitates ſolum eſſe veniale, vtputa quando in ſolo primo motu conſiſtit. Vel propter aliquam aliam intentionem extra ſuam rationem trahitur. Pro quo ſciendum eſt quod quadrupliciter poteſt dolor de alieno bono homini accidere.

Primo modo prout eſt primo primus motus ex tura proueniens, qui interdum etiam ex ipſius naturæ corruptione in aliquibus plus & frequentius prouenit. Sunt enim aliqui ex corruptione inordinatæ naturæ magis proni ad motus inuidiæ, quam alij, vt in ſimili eſt videre inter diuerſos canes. Et iſte dolor ſeu motus inuidiæ nullo modo eſt peccatum, quia tales motus primò primi, non ſunt in poteſtate noſtra. Et ita intelligendum eſt reſpectu quoruncumque aliorum vitiorum ſeu peccatorum de omnibus primò primis motibus naturalibus vbi tamen delectatio ſeu conſenſus non ſe adiunxerit, quia tunc poſſet in peccatum vel veniale vel mortale tranſire.

Secundo modo poteſt ille dolor triſtitia de bono alieno eſſe ſecundò primus motus, quando ſcilicet ſit in ſenſualitate, ſine tamen completa deliberatione etiam ſi tali dolore ſeu paſſione afficitur, quod propriè contingit quando ille ſecundò primus motus non ita citò ab initio remouetur ſicut poſſet, remouetur tamen ante plenum conſenſum, immo quodammodo diſplicere incipit, & tunc inuidia non eſt niſi veniale peccatum. Et ita (quod bene aduertatur) intelligendum eſt etiam generaliter in omnibus aliis vitiis ſeu peccatis. Qui autem dicantur primò primi motus, & ſecūdò primi motus, declarabitur aliqualiter infra, vbi de peccato veniali agetur.

Tertio poteſt ille dolor ſeu illa paſſio in animo accidere, quod nihilominus propter aliquam aliam intentionem trahitur extra ſuam propriam rationem, ſuamque propriam naturam, vtputa quando dolor ille ſeu triſtitia de alieno bono conſurgit alicui ex bona ratione ſeu cauſa, ſicut quando aliquis de bono ſeu proſperitate alterius dolet, vt quia efficitur potens, vel aliàs, quia illud videt in alterius detrimentum & præiudicium redundare, vel ſcilicet animæ propriemet illius qui illud bonum habet vel reipublicæ, vel aliquarum bonarum perſonarum quæ affligi non merentur. Et talis dolor ſeu motus bonus eſt nec peccatum eſt, cum maius bonum magis ſit appetendum.

Quartò modo poteſt ille dolor ſeu triſtitia de bono alterius accidere, & haberi ex certa ſcientia conſenſuque deliberato voluntatis & ſine i[illegible] ac rationabili cauſa, & iſto modo inuidia eſt ſemper peccatum mortale.

Et per iſta poteſt etiam clarè videri quando detractio eſt peccatum mortale vel veniale. Nam ſi malum de aliquo dicatur ad bonum finem, pro impediendo ſcilicet quod malum alteri faciat vel pro ſua correctione vel ratione officij quod incumbit, vel perhibendo teſtimonium veritati, vel huiuſmodi, & tunc detractio non eſt peccatum, dum tamen peruerſa voluntas ex deliberato propoſito non ſe adiungit. Si verò dicatur malum de alio ex quadam ſolum leuitate loquēdi ſicut ſæpe contingit, & malum quod dicitur, non vergat in magnum damnum ſeu præiudicium illius de quo dicitur aut ſuæ famæ, & tunc detractio eſt peccatum veniale. Poſſet tamen illud damnum ſeu præiudicium tam graue eſſe quod illa leuitas loquendi non excuſaret, quia vnuſquiſque maximè in talibus grauibus & reſpectu aliorum debet ponere cuſtodiam ori ſuo.

Quando ira ſit peccatum mortale & quando non.

IRa ex ſuo genere eſt peccatum mortale. Quia iuxta ſuperius vbi de ira actum eſt, ira eſt immoderatus animi motus concitans ad pœnā prouocanti inferendam. Hic autem motus contrariatur charitati quæ vt habetur 1. ad Corinth. 13. Non irritatur: non cogitat malum.

Ira tamen vt etiam ſupra aliqualiter tactum eſt, multipliciter conſiderari poteſt. Vno modo prout importat ſeu denominatur per zelum quo quis contra vitia mouetur & ipſa deteſtatur. Et hæc ira non eſt peccatum ſed magis eſt perfectionis, immo per iſtum modum poteſt etiam ſibimet quis iraſci. Quid enim (vt dicit glo. ſuper illud pſal. Iraſcimini & nolite peccare) eſt homo pœnitens niſi ſibiipſi iraſcens. Alio modo poteſt ira conſiderari prout dicit & importat quandam erga proximum affectus remiſſionem, per quam ſcilicet homo nec de malo proximi dolet, nec de eius bono gaudet, licet etiam non doleat de bono nec gaudeat de malo eius, ſed eſt ei & erga eum indifferens. Et hæc ſpecies iræ non eſt mortale peccatum, ſed eſt imperfectio quædam charitatis, niſi tamen vbi proximus eſſet in extrema neceſſitate, quia tunc ſub pœna peccati mortalis tenetur homo ſi ſuccurrere ſi poteſt.

Alio modo poteſt ira conſiderari prout dicit & importat quandam impatientiam actualem, abſque tamen reali appetitu vindictæ. Et talis motus etiam deliberatiuus eſt ſolum peccatum veniale. Quia ſicut patet ex ſupradictis iræ deſcriptionibus, non habet completam rationem iræ. Alio modo poteſt ira conſiderari prout dicit & importat actualem impatientiam etiam cum appetitu vindictæ. Et hoc tripliciter contingere poteſt.

Quandoque enim hoc à naturali complexione ſeu diſpoſitione procedit, ſicut eſt in melancholicis & ſenibus. In quibus ſecundum philoſophum, continuè mouetur natura, propter quod

quod semper turbulenti existunt. Et talis ira nullū est peccatum cum sit motus naturalis. Quandoq; etiam est hoc & procedit ex appetitu subito & non perfectè deliberato, & talis ira non est nisi veniale peccatum, sicut alij primi motus. Quandoque autem est hoc & procedit ex voluntate deliberata consensuque perfecto, & talis ira est semper peccatum mortale.

Quando acedia sit peccatum mortale, & quando non.

ACedia ex suo genere est veniale peccatum. Quia secundum superius tacta, acedia in effectu non est nisi tædium de bono spirituali laborioso. Hoc autem de se non opponitur charitati, sed solum dicit quandam feruoris charitatis diminutionem, in qua feruoris charitatis diminutione consistit omne peccatum veniale.

Multipliciter potest tædium de bono spirituali contingere. Vno modo prout est solus motus naturalis laborem abhorrens, & talis motus nullum est peccatum, quia talis motus non est in nostra potestate. Alio modo prout est motus appetitus de opere spirituali laborioso contristati, & talis motus etiam si appetit ille sit deliberatiuus, non est nisi peccatum veniale, quia consensus in illud quod de sui natura non est nisi veniale peccatum non est nisi veniale. Alio modo potest istud tædiū de bono spirituali laborioso tale esse, taliterque vltra motum naturalem motumque appetitus transire, quod per illud homo illa adimplere dimittit quæ suæ saluti vel ex vi præcepti, vel aliàs necessaria sunt, & tunc est peccatum mortale. Potest adhuc istud tædium in grauius transire, & tantum esse quod ex omissione ipsius boni spiritualis laboriosi difficultateq; ipsum aggrediēdi homo in quandam suæ vitæ displicentiam inducitur, & exinde in desperationem cadit, & tale tædium est peccatum mortale, acceditque ad peccatum in spiritum sanctum. Et adhuc grauius, immo grauissimum si illud tædium illaque displicētia vitæ in tantum crescat & procedat, quod quis sibiipsi manus iniiciat ac se occidat. Nam tunc talis similis erit Iudæ qui se per desperationem laqueo se suspendit.

Quando auaritia sit peccatum mortale.

CIrca auaritiam autem quæ iuxta superius dicta est immoderatus amor habendi, est considerandum, quod iste immoderatus amor consistere potest vel appetendo vel in acquirendo vel in retinendo. Si appetendo, hoc iterum quinque modis contingere potest. Vel enim appetuntur aliena appetitu completo & deliberato ac absoluto, qui etiam in actum & opus si adesset facultas, transiret & procederet, & tunc est mortale. Vel appetuntur appetitu simpliciter completo deliberato & absoluto illicita, vt puta homo se indignum beneficio aliquo ecclesiastico vel officio sentiens & cognoscens, vel sentire & cognoscere debens, illud beneficium ecclesiasticum vel illud officium scienter appetituque deliberato & absoluto appetit, & tunc etiam est peccatum mortale. Vel appetuntur prædicta scili-

A cet aliena vel illicita etiam completo & deliberato, sed non tamen puro & absoluto sed conditionato, vtputa si talia sine Dei offensa ac iniuria proximi haberi possent, & tunc vel nullum est peccatum, vel est veniale, siue talis conditio actualiter expresè addatur siue habitualiter intendatur. Quod tamen intelligendum est dummodo scilicet per tales appetitus seu desideria homo non se vanè pascat ac perdat seu intermittat facere illud bonum ad quod aliunde tenetur. Vel non generet in corde suo aliquos malos motus seu habitus quos quando voluerit remouere non

B possit, quia tūc posset esse mortale peccatum. Vel appetuntur nō necessaria & superflua, etiā quamuis non aliena nec de sui natura illicita appetitu nimis ardenti, & tali quod mēs ex hoc quodammodo suffocata impeditur omnino à consideratione diuinorum ac eorum quæ ad suam salutem spectant. Et hæc est illa perniciosa cura seu sollicitudo quæ in euangelio prohibetur & est peccatum mortale. Vel appetuntur seu desiderantur non necessaria & superflua nimio appetitu,

C sed tamen tali qui est infra Dei amorem & timorem, quia talia sic appetens, nec propterea Deo displicere vellet, nec etiam impeditur à cōsideratione eorum quæ ad suam salutem pertinēt, & hoc est nisi veniale peccatum. Quinimmo possit talis amor seu appetitus ita moderatus esse quod non esset peccatum, immo talem principaliter finem & intentionem habere quod esset meritorius.

Si verò respectu secundi membri principalis

D ille moderatus amor habendi non solum constat in appetitu, sed vltra transeat scilicet in acquirendo, & hoc iterum potest contingere tripliciter. Vel enim acquiruntur res iniustę & indebitę indifferenter à quocunque & quocunque modo fieri potest, vt per furta, rapinas, iniustitias, extorsiones, aliasque fraudes & vias illicitas, & tunc est peccatum mortale. Vel acquiruntur res respectu acquirentis & illius à quo acquiritur de suo esse non illicitè, nisi quia per artem seu officium aut aliud opus illicitum

E acquiruntur, quod de per se etiam sine acquisitione & lucro esset peccatum mortale, vt est in meretricibus, in falsas mercantias scienter vendentibus, & vsurariis, & huiusmodi, & tunc est peccatum mortale. Vel acquiruntur per artem aut officium seu opus, quod licet de se sit illicitū, non est tamen de per se nisi peccatum veniale, vt est in istis ioculatoribus qui pro complacentia principum vel populi ad lucrum habendum osa, iocosa & interdū mendosa (salua tamē aliqua honestate dicunt, vel diuersas corporum gesticu-

F lationes faciunt, & tunc non est nisi veniale peccatum. Nisi tamen propter solam talis dissolutionis delectationem homo se ex toto talibus daret, tunc enim esset peccatum mortale. Et notanter dicitur, propter solam talis dissolutionis delectationem, quia si quis propter necessitatem se etiam ex toto talibus daret & applicaret, suam per talia sustentationem quærens, cum aliam artem seu alium modum lucrandi nesciret vel non haberet, non esset talis in statu damnandorum reputandus.

Si verò respectu tertij membri principalis amor

ille habendi immoderatus consistat in retinẽdo, hoc iterum potest quinque modis contingere. Vel enim scienter & animo retinendi retinentur ea quæ quis restituere tenetur, vtputa quia contra voluntatem eius ad quem spectat, detinere se scit vel credit, & tunc est peccatum mortale. Et intelligitur quis animum retinendi habere quando non habet propositum & voluntatem restituendi vel concordandi tempore & loco, licet facultas sibi suppetat vel quando sibi suppetet. Vel retinentur illa quæ ad necessitatem alicuius & suorum, siue præcisam, siue secundum sui status vel dignitatis vel facti quod iustè manutenet congruentiam & condecentiam faciunt spectant & tunc nullum est peccatum. Vel retinentur superflua siue sit respectu necessitatis præcisè retinentis, siue necessitatis congruentiæ sui status & dignitatis &c. vt supra tactum est. Et hoc tempore extremę necessitatis alicuius, de qua notitia habetur, & cui de prædictis superfluis succurri potest & non succurritur, & tunc etiam est peccatum mortale, quia homini in tali necessitate constituto tenetur homo succurrere non solum de sibi superfluis, verumetiam de sibi necessariis respectu quidem manutentiæ sui status vel dignitatis &c. Sed non de his quæ simpliciter & præcisè pro sua vita necessaria sunt, quia in tali casu homo magis tenetur propriè suæ vitæ succurrere quam alienæ. Vel retinentur superflua modo statim declarato supra, declarato etiam extra vel citra extremam necessitatem alterius cuiuscunque. Sed hoc fit ex quadam insatiabili cupiditate & ardore habendi. Cuius insatiabilitatis seu ardoris signum euidens est quod quis res potius penes se putrescerę & deperire dimittit quam quod vtiliter aliis liberaliter distribuit & dispensat, & tunc etiam est peccatum mortale. Vel retinentur superflua ex immoderato seu inordinato amore habendi. Non tamen ita insatiabili & ardenti sicut statim supra tactum est, sed solum quadam immoderantia seu inordinatione quæ modicum non tamen in totum à medio virtutis scilicet largitatis deficit & declinat, & tunc est peccatum veniale, nisi vt supra statim dictum est, appareat homo in extrema necessitate constitutus, cui succurri posset & deberet.

Ex præmissis apparet quod auaritia ex suo genere est peccatum mortale. Etiam vt in superioribus tactum est ab apostolo, idololatriæ comparatur. Non quia sit de specie illius peccati, cum non habeat aliquem actum eius, sed quia aliquid idolatriæ simile facit scilicet creaturæ seruiendo potius quam creatori, vt latius supra vbi de auaritia agitur, declaratum est.

Quando gula est peccatum mortale, & quando non.

GVla ex suo genere est peccatũ veniale, quia appetitus comedendi vel bibendi ex sua ratione non subiacet dominio voluntatis. Circa tamen istud gulæ peccatum quod iuxta in superioribus dicta, est immoderatus edendi appetitus seu immoderata cibi auiditas.

Est aduertendum quod quinque modis potest iste immoderatus appetitus contingere seu considerari. Vno modo prout est solummodo naturalis sicut naturaliter homo comedere & bibere appetit, dum famescit & sitit. Et hic appetitus non est peccatum, immo nec etiam delectatio naturalis quæ ipsum appetitum in ipsa cibi sumptione consequitur seu committitur, est peccatum, & hoc in quantum ordinatur super defectum naturæ contrarium, quia hęc naturalia sunt, nec in potestate nostra consistunt. Et ideo nec in talibus est meritum vel demeritum.

Vel illi appetitui seu desiderio naturali qui quodammodo necessitatis est, superadiungitur quidam appetitus delectationis & voluptatis in cibo, & tunc est solum peccatum veniale.

Et hoc verum est nisi ille appetitus edendi vltra progrederetur, sic. s. quod propter illam delectationem seu voluptatem quæ sic sibi superadiungitur, fieret sine quacunque necessitate transgressio præcepti ecclesiæ vel superioris, vtputa quod solueretur ieiunium per ecclesiam indictum, vel religiosus contra prohibitionem in suo ordine sub præcepto factam, comederet carnes vel huiusmodi, nam tunc esset peccatum mortale. Et notanter dicitur, sine necessitate, quia si huiusmodi transgressiones ex necessitate fierent, vtputa nimiæ senectutis vel nimiæ iuuentutis, vel infirmitatis vel laboris necessarij & huiusmodi, tunc non esset peccatum, immo posset illa necessitas talis esse quod quis huiusmodi præcepta obseruando peccaret. In talibus tamen obseruantiis ad quas homo ex ecclesiæ præcepto, vel voto, vel iniunctione pœnitentiæ tenetur, & propter necessitatem aliquam eas adimplere non potest, bonum est petere licentiam à suo prælato vel à suo curato vel à suo confessore.

Vel nisi ille appetitus edendi esset cum tanta libidine & ardore, quod homo nimio & finali affectu illi delectationi cibi inhæreret, ita vt præponeret amori & timori Dei, & tunc est peccatum mortale.

Vel nisi quãdo ille appetitus vel illa delectatio in talem consuetudinem ducitur, quod facit totam vitam hominis talibus delectationibus occupari & deputari. Et hic posset esse peccatum mortale. Immo sunt talia ita peccato mortali vicina, quod ebrietas ab apostolo inter mortalia peccata computatur.

Ebrietas tamen quandoque est peccatum veniale, vt quando vltra necessitatem quis accipit, sed hoc est secundum mensuram imperceptibilem. Quando verò egreditur quis à mensura perceptibili quæ scilicet secundum rationem bene ordinatam discerni potest, & hoc in tali mensura ex qua euertitur status mentis, hocque effrenata quadam libidine fit, vt scilicet quando hoc Dei amori & timori præponitur, tunc ebrietas est peccatum mortale. Si quis autem alium inebriat, ita scilicet eum ad potum inuitans, vt intendat statum mentis eius euertere, & hoc facit in eius nocumentum, peccat mortaliter, quia tunc magis sibi aufert, quam si auferret aliquod temporale, quia vsum rationis ei tollit.

Quando

Quando luxuria sit peccatum mortale & quando non.

LVxuria ex suo genere est peccatum mortale, quia est contra illud præceptum decalogi, Non mœchaberis. Circa tamen istud peccatum luxuriæ (quę iuxta in superioribus tacta, est libidinosa quædam circa actus venereos voluptatis cõcupiscentia) est aduertendum quod concupiscentia ipsa luxuriæ dupliciter contingere seu cõsiderari potest. Vno modo prout est solum in corde, alio modo prout etiam ab extra consistit in opere. Quantum ad primum modum potest hoc iterum contingere tripliciter. Primo modo prout ipsa concupiscentia in solo primo motu consistit, & tunc non est nisi veniale peccatum. Pro quo iterum sciendum est, quod differentia est inter primos motus virtutis generatiuæ, & primos motus virtutis nutritiuæ. Nam primus motus in virtute generatiuâ est semper peccatum, non autem sic est in virtute nutritiua, quoniam potentia cõcupiscibilis non tantum corrupta est in virtute nutritiua sicut in virtute generatiua. Secundo modo potest ipsa cõcupiscentia cõsiderari prout ipsum motum naturalem sequitur consensus in delectationem, licet non in opus & sic est peccatũ mortale. Et intelligitur hoc siue ille consensus in delectatione sit respectu suiipsiusmet, siue sit respectu aliorum, vtputa quando homo cogitãdo (vt interdum contingere potest) ad delectationẽ quam aliqui alij in actu venereo habent delectãtur in se, & in illa delectatione habenda ex deliberatione consentit, etiam si forsan ex se non vellet illum actum venereum exercere. Et notanter dicitur consensus in delectationem, quia si delectatio vt quandoque fit insurgeret, & in illam delectationem homo ex deliberatione non consentiret, non esset tunc nisi veniale peccatum. Tertio modo ipsa cõcupiscentia cõsiderari potest prout etiam ex deliberatione consentitur in opus, & tũc est mortale peccatum, etiam si pro tunc non transeat in actum ab extra. Respectu verò secundi mẽbri principalis scilicet prout cõcupiscentia luxuriæ consistit ab extra in opere, hoc iterum contingere potest dupliciter. Vno modo prout ipsa cõcupiscentia transit & progreditur in actum venereum completum & consummatum, & tunc cõstat esse peccatum mortale. Alio modo prout ipsa concupiscentia transit & progreditur in aliquos actus disponentes ad ipsum actum venereum vel ipsum circunstantes seu concomitantes. Et hoc iterum cõtingere potest tripliciter, vel enim hoc fit per visum vel per linguam vel per tactum. Si primo vt scilicet quando ipsa concupiscentia ab extra visu pascitur, vt quando quis animo & fine concupiscendi mulierem, in ipsam prospicit & intẽdit, & tunc est peccatum mortale. Nam illud (vt dicit August.) non est titillari, sed plenè libidini consentire, iuxta illud Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Et notanter dicit, ad concupiscendum eam, quoniam si aliquis mulierem inspiceret vt rem pulchram, & non in deterius procederet, tunc paruum vel nullum esset peccatum, vel solum esset peccatum curiositatis. Si verò secundo istorum trium vltimorum modorum fieret, vt quando quis mulierem

A propter libidinem prouocaretur, vel colloquia familiaria secum habet, vel per verba adulatoria & deceptiua attrahere conatur, & tunc est peccatum mortale. Si verò tertiò istorum trium modorum vltimorum fieret, quod fit per oscula, amplexus, huiusmodique mulierum contrectationes, & tunc etiam est peccatum mortale, & tanto grauius quanto magis per talia libido acceditur propter nimiam approximationem ad ignem. Et vocatur ab apostolo turpitudo. Quod tamen ita accipi debet, si præmissa ex libidine seu

B propter libidinẽ fiant. Nam tangere mulierem, immo & osculari non libidinis intentione, sed ex necessitate, seu quadam honestate, vt interdum fit non esset peccatum, dummodo nihil sit in intentione corruptum.

Præmissa etiam omnia intellige nisi per sacramentum matrimonij cum debita moderatione debitisque circunstantiis supra vbi de peccato luxuriæ actum est, aliqualiter declaratis, excusarentur.

C

DE PECCATO IN SPIRITVM SANCTVM ET DIVERSIS *ipsius peccati acceptionibus.*

EXPEDITA igitur iuxta ordinem in hoc tractaculo exponendorum declaratione quartæ diuisionis peccati mortalis, quæ (vt supra tactum est)

D per septem vitia capitalia sumitur, ipsorumque septem vitiorum capitalium explicata natura, venit nunc aliqualiter circa vnam particulam tertiæ diuisionis peccati mortalis supra etiam positæ tangendum scilicet in spiritum sanctum.

Circa quod sciendum est quod licet omnia essentialia omnibus tribus personis sanctissimæ Trinitatis æqualiter conueniant, communiter tamen attribuitur seu appropriatur personæ patris potẽtia, personæ filij sapientia, & personæ spiritus sancti bonitas. Et ex hinc insurgit quod illi qui pec-

E cant ex infirmitate quæ propriè contrariatur sapientiæ, dicuntur peccare in patrem. i. contra patrem. Qui enim peccant ex ignorantia, quæ propriè contrariatur sapientiæ, dicuntur peccare in filium. Qui enim peccant ex propria malitia, quæ propriè opponitur bonitati, dicuntur peccare in spiritum sanctum. Et est propriè peccare ex propria malitia quando voluntas scit & potest alicui malo resistere, & tamen ex sola malitia illud eligit. Ex quo clarè apparet peccatum in spiritum sanctum grauius esse aliis peccatis quæ in patrem &

F filium committuntur, cum maius sit & grauius peccare ex propria malitia quam ex infirmitate vel ignorantia. De qua ipsius peccati in spiritum sanctum grauitate latior fiet infra declaratio. Et quia generaliter omnia peccata tam in superioribus declarata quam alia, vel ex infirmitate vel ex ignorantia vel ex propria malitia committuntur, non fuit necesse specialem de ipsis qualitatibus peccatorum tractatum facere nisi solum de illo peccato in spiritum sanctum, quod vltra alia peccata quandam specialitatem quandamque grauitatem importat.

Circa quod peccatum pro clariori naturæ eius declaratione & intellectu, & eo permaximè quia multi frequēter de ipso loquuntur, qui propriam eius naturam non intelligunt, est aduertendum, quod triplex de isto peccato in spiritum sanctum reperitur positio seu acceptio. Aliqui enim vt Hilarius, Ambro. Hieronym. & Chrysost. ponunt & dicunt peccatum in spiritum sanctum esse quādo ad literam aliqua blasphemia contra spiritum sanctum dicitur, siue spiritus sanctus accipiatur secūdum quod est nomen essentiale toti Trinitati cōueniens, quælibet enim persona spiritus est & sanctus, siue prout est nomen speciale vnius in Trinitate personæ. Et secundum hanc acceptionem distinguitur in euangilio Matth. 12. Blasphemia in spiritum sanctum contra blasphemiam in filium hominis, vbi exemplum de ista blasphemia habetur de Iudæis, qui in illa quæ Christus in virtute spiritus sancti operabatur, attribuebant principi dæmoniorum, & ideo dicuntur in spiritum sanctum blasphemasse. Aug. & aliqui eum sequentes dicunt & ponunt peccatum in spiritum sanctum esse finalem impœnitentiam, quando scilicet aliquis in peccato mortali vsque ad mortem inclusiuè perseuerat, quia vt dicunt, talis in spiritum sanctum blasphemare videtur, quod quidam dicunt non solum verbo oris fieri posse, sed etiam verbo cordis & verbo operis, nec vno solum, immo multis & multotiens. Et dicūt quod verbum sic acceptum dicitur esse blasphemia contra spiritum sanctum, quia est contra remissionem peccatorum, quæ fit per spiritum sanctum qui est charitas patris & filij. Alij & tertij ponunt & dicunt peccatum in spiritum sanctum esse, quando ex certa malitia. i. ex ipsa deliberata electione mali peccatur, quod ex improba voluntate liberi arbitrij procedit, quia vt tactum est, peccatur tunc cōtra bonitatem quæ attribuitur & appropriatur spiritui sancto. Et in proposito præsenti secundum communem vsum loquendi & ponendi accipitur isto tertio modo seu secundum istam tertiam acceptionem. Quia capiendo iuxta primam acceptionem seu primum modum ponendi, magis propriè est peccatum speciale ad infidelitatem pertinens quæ opponitur confessioni fidei, iuxta verò secundam acceptionem seu secundum modum ponendi potest ad omnia vitia pertinere & in omni genere peccati contingere, etiam in peccatis à principio ex infirmitate vel ignorantia cōmissis, immo potest contingere hominem in peccato mortali mori vel ex incuria vel ex negligentia pœnitēdi, vel subitò vel ex improuiso. Et ideo iuxta hanc tertiam acceptionem seu ipsum tertiū modum ponendi fiet hic declaratio de ipso peccato in spiritum sanctum. Circa quod iterum pro veraciori intellectu est aduertendum, quod non omne peccatum quod ex certa malitia committitur, dicitur esse peccatum in spiritum sanctum, prout hic & communiter accipitur. Dupliciter enim contingere potest aliquem ex certa malitia. i. ex ipsa electione mali peccare. Vno modo ex inclinatione habitus vitiosi seu assuefactione, immo secundum aliquam circunstātiam ex propria scientia & deliberatione quod tamen non peccaretur in spiritum sanctum, immo illud (vt tactum est) in quolibet genere peccati contingere potest.

A Alio modo potest quis ex propria malitia peccare, ex eo scilicet quod ipse scienter & per contēptum abiicit & remouet à se illud quod in eo poterat electionem seu continuationem peccati impedire. Et cum omnia quæ peccati electionem seu continuationē impedire possunt & impediūt, sint propriè effectus spiritus sancti in homine, ideo ille qui (vt tactum est) ipsa sic peccati electionem seu continuationem impedientia à se scienter & per contemptū abijcit & remouet, dicitur ex propria malitia & in spiritum sanctum peccare. Et ita propriè accipitur in hoc proposito etiam secundum communem acceptionem ex propria malitia peccare, prout adhuc inferius latius declarabitur.

B Huius autem peccati in spiritum sanctum secundum August. & communem acceptionem ponuntur esse sex species scilicet desperatio, præsumptio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, inuidentia fraternæ gratiæ. Quarum numerus seu sufficientia sic sumitur. Peccatū in spiritum sāctum (prout iuxta supra tacta hic & communiter accipitur) fit & committitur per remotionem seu contemptum eorum per quæ homo ab electione peccati seu continuatione quod idem est in effectu, potest impediri. Illa autē quæ sic hominē ab electione peccati impedire seu trahere possunt, procedunt seu oriuntur vel ex parte diuini iudicij, vel ex parte donorum Dei, vel ex parte ipsius peccati mei. In iudicio autem diuino duo insūt scilicet iustitia & misericordia. R espectu misericordiæ, ex qua consurgere habet species ex consideratione scilicet diuinæ misericordiæ peccata remittentis & bona præmiantis. Quia hanc spem quæ hominē ab electione peccati retrahere & impedire habet, à se per contemptum remouet & abiicit, non sperans scilicet Deum peccata debitæ pœnitenti remittere velle, peccat per primam speciem peccati in spiritum sanctum, quæ est desperatio. Respectu verò iustitiæ ex qua consurgere debet timor ex consideratione scilicet diuinæ iustitiæ rectè & rigidè peccata puniētis. Qui hunc timorem qui meritò hominē ab electione & continuatione peccati impedire retrahere habet à se per contemptū remouet & abiicit, & sperans scilicet seu præsumens gloriam sempiternam sine meritis, vel etiam sine pœnitentia adipisci, peccat per secundam speciem peccati in spiritum sanctum quæ est præsumptio. Et intelligātur hæc sanè iuxta declarationē statim tactam. Nam peccatum desperationis & præsumptionis prout hic sumitur non consistit in hoc quod quis Dei misericordiam vel iustitiam non credat, quia tunc non pertinet ad peccatum in spiritum sanctum, prout hic sumitur, sed potius pertineret ad peccatum infidelitatis. Sed consistit in hoc quod in ipsa Dei misericordia vel iustitia contemnitur seu vilipenditur.

Respectu autem secundi membri principalis scilicet donorum Dei quibus homo à peccato retrahitur, ipsa duo principaliter sunt.

Primum est agnitio veritatis fidei quæ maximè hominem habet ab electione peccati retrahere seu impedire, quam qui à se scienter & per contemptum abiicit, veritatem scilicet agnitam impugnando vt licentius peccare valeat, peccat per quintam speciē peccati in spiritum sanctum,

quæ

quæ est impugnatio veritatis agnitæ. Aliud bonum Dei ab electione peccati impediens seu retrahens est auxiliũ interioris gratiæ diuinitus collatæ, contra quam ponitur sexta species peccati in spiritum sanctum scilicet inuidentia fraternæ gratiæ dum scilicet aliquis non solum personæ fratris seu proximi inuidet, quin immo inuidet etiã gratiæ Dei crescenti & apparenti in mundo.

Respectu vero tertij membri principalis. i. peccati in se duo sunt principaliter quæ hominem à peccando impedire seu retrahere possunt & debent. Primũ est inordinatio, turpitudo ac vilitas actus peccati in se. Cuius debita consideratio solet in homine pœnitentiam inducere de peccato cõmisso. Et cõtra hoc homo peccat per tertiam speciem peccat, in spiritumsanctum. s. per impœnitẽtiam. Secundum est prauitas & breuitas boni seu delectationis quã aliquis in peccato quærit & inuenit. Cuius cõsideratio inducere solet hominem ad hoc quod eius voluntas in peccato non firmetur. Et contra hoc peccat homo per quartam speciem peccati in spiritum sanctũ. s. per obstinationem. Et intelligantur ista duo sane. Non enim hic sumitur impœnitẽtia prout dicit perseuerantiam in peccato mortali vsq; ad mortem inclusiuè, quia iam non esset speciale peccatum, sed quædã peccati circunstantia quæ esset & cõtingere posset in quolibet peccato vt aliqualiter supra in secũda acceptione peccati in spiritũsanctum tactũ est. Sed accipitur hic impœnitentia secundum quod importat propositum non pœnitendi, & est propriè respectu prçteritorum. Similiter obstinatio nõ capitur hic pro perseuerantia seu continuatione in peccato, sed quãdo homo suum propositũ in hoc firmat quod vult peccato inhærere, & est propriè respectu futurorum. Iuxta illud Hier. 8. Nullus est qui agat pœnitẽtia. i. agere velit super peccato suo dicens, quid feci, quantum ad primũ. Omnes cõuersi sunt ad cursum quasi equus impetu vadẽs ad prçlium, quantum ad secundum. Est etiam aduertendum quod Ber. in li. de præce. & dispẽsatione ponit quod nolle obedire est resistere spiritui sancto. Glo. etiam ordinaria. Leu. 7. dicit quod simulata pœnitentia est blasphemia spiritus sancti. Scisma etiam rectè contra spiritumsanctum committi videtur, namq; per eũ ecclesia vnitur. Quæ tria non videntur sub sex speciebus peccati in spiritũsanctum supra declaratis comprehendi. Sed qui bene considerat, prædicta tria sub ipsis speciebus effectualiter cõtinentur & comprehenduntur, & ad ipsa reduci possunt: Vt puta nolle obedire pertinet, & reducitur ad obstinationem. Simulatio pœnitentiæ pertinet & reducitur ad impœnitentiam, & sub ea continetur. Scisma pertinet & reducitur ad inuidentiam fraternæ gratiç, per quam gratiam membra ecclesiæ vniuntur.

Quare irremißibile.

Est etiam notandum quod peccatum in spiritũsanctum dicitur cõmuniter irremissibile. Iuxta illud verbum Christi. Qui peccauerit in spiritumsanctum, non remittetur ei in hoc seculo neq; in futuro. Quod sic potest intelligi, & secundũ omnes tres acceptionet peccati in spiritumsanctum supra positas. Iuxta enim secundam acceptionem quæ Augustino clarum est quod finalis impœnitentia quam ponit peccatum in spiritum-sanctum, realiter est irremissibilis, quia nullo modo remittitur. Quomodo enim remitteretur peccatum mortale in quo vsq; ad mortem perseuerat? Non enim hic in hac vita, cum de eo nulla pœnitentia habita & facta sit, nec etiam in vita futura, vbi nullus locus est misericordiæ, sed puræ iustitiæ, vbi etiam quis meritoriè pœnitere nõ potest. Secundum autem alias duas acceptiones scilicet primam & tertiam dicitur etiam peccatum in spiritumsanctum irremissibile. Non quia nullo modo remittitur, sed quantum est de se & sui natura, habet meritum non remissionis, mereturq; quod non remittatur. Et hoc dupliciter. Vno modo, quantum ad pœnam, alio quantum ad culpam. quantum enim ad pœnam, certum est quod qui ex ignorantia vel infirmitate peccat, minorem pœnam meretur, maioremq; quodammodo excusationem habet, vnde eius pœna minui debeat quam qui ex certa malitia peccat. Vt gratia exempli, ad propositum verbi Christi supra iuxta primam acceptionem peccati in spiritumsanctum allegati, Iudęi qui blasphemabant in Christum tanquam in filium hominis, vocando eum voracem, vini potatorem & publicanorum amatorẽ, maiorem excusationem habere poterant propter infirmitatem carnis quam in ipso Christo aspiciebant, & sic minorem circa hoc pœnam merebãtur, ideo dicti sunt à Christo blasphemasse in filiũ, quod remissibile est. Sed quãdo ipsam diuinitatem quæ etiam erat in Christo, blasphemabãt, curationem. s. infirmitatum, eiectiones dæmoniorum, illuminationes cæcorum, & aliorum operum & miraculorum, quæ sunt propriè opera diuinitatis, & nõ nisi per spiritũsanctum fieri poterãt attribuendo diabolo, nullam excusationem habebant vnde pœna eorum minui mereretur. Et ideo tunc dicti sunt à Christo blasphemasse in spiritumsanctum. Quod peccatum non fuit ad literam eis remissum, neq; in hoc seculo neq, in futuro, immo secundum expositionẽ Chrys. pro illo peccato pœnã passi sunt, & in prçsenti vita per Romanos, & in futura vita apud inferos. Quantum autem ad culpam dicitur peccatũ in spiritumsanctum irremissibile ex ipsa dispositione remittendi. Sicut enim aliquis morbus corporalis secundum sui naturam incurabilis dicitur quando in se habet illud per quod tolluntur ea ex quibus morbus curari potest, vt puta quia tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi & medicinæ, licet Deus sua gratia & miraculo possit illum morbum curare, ita suo modo iste morbus spiritualis qui peccatum in spiritum-sanctum dicitur, secũdum suam naturam incurabilis & irremissibilis dicitur, ex eo. s. quod de sui natura excludit & abijcit ab homine illa per quæ fit peccatorum remissio. Non tamen propter hoc intelligenda est omnino præclusa via sanationis & remissionis secundum omnipotentiam & misericordiam Dei, per quam aliquando tales quasi miraculosè spiritualiter sanantur, licet rarò & difficulter. De nullo etenim quamdiu durat hęc vita, desperandum est, considerata. s. omnipotentia & misericordia Dei. Sed cõsiderata natura & conditione peccati, aliqui filij diffidẽtię dicuntur, vt habetur per apostolum ad Eph. 5. Sunt alij alio modo istam irremissibilitatem peccati in spiritum sanctum exponẽtes, sed effectualiter iuxta ea quæ su-

prà notata sunt. Notat enim quod hoc nomen irremissibile tripliciter sumi potest. Vno modo negatiuè. s. quod nullo modo remitti potest. Et isto modo peccatum angeli & damnatorũ irremissibile dicunt. Alio modo priuatiuè, quod. s. ex se cõgruentiam non habet quod remitti debeat; licet ex congruentia diuinæ bonitatis remitti possit; & hoc modo omne peccatum mortale irremissibile dicunt. Tertio modo contrariè, quod. sc. ex se importat & includit dispositionem cõtrariam ad remissionem. Et hoc modo peccatum in spiritum sanctum irremissibile dicũt, quia importat ex se & includit dispositionem contrarientem gratiæ remittenti peccatum, per desperationem. s. vel præsumptionem, aut alias eius species. Et iuxta istum modum ponendi capiunt etiam numerũ seu sufficientiã sex specierum peccati in spiritum sanctũ supra enumeratarum, hoc sc. modo. In remissione enim (vt dicunt) tria concurrere habent, videlicet ipse remittens, ille cui remittitur, & dispositio remittendi in eo cui remittitur. In ipso remittente duo sunt. s. misericordia & iustitia. Contra primũ quorum peccatur per desperationem; contra secũdum per præsumptionem. In eo cui remittitur, duo esse cõuenit. s. dolorem de commisso, & propositum vlterius de non cõmittendo. Contra primum quorum peccatur per obstinationem, cõtra secundum per finalem impœnitẽtiam. Dispositio verò remittendi in eo cui remittitur, duplex est. s. cognitio veri & amor boni. Cõtra primum quorum peccatur per impugnationem veritatis agnitæ, contra secundum per inuidentiã fraternæ gratiæ. Et accipitur hic finalis impœnitentia, prout in superioribus declaratũ est, non quidem prout importat continuationem in peccato vsq; in finem, nam in quolibet peccato mortali contingere potest sed negatiuè, prout. s. dicit seu importat propositum non pœnitendi. Et isto modo species peccati in spiritum sanctum.

Breuiter vt iam tactum est, iste vltimus modus ponendi in effectu, reincidit in ea quæ superius dicta & declarata sunt. Sed ideo hic inseri placuit, vt legentes capere possint, quod eis magis sedebit & placebit.

DE PECCATO ACTVALI VENIALI, ET CIRCA IPSVM *in generali occurrentibus.*

EXPEDITA igitur iuxta inceptum huius octaui tractatus præsentis libelli ordinem, declaratione duorũ principalium membrorum primæ diuisionis peccati supra tactæ & positæ scilicet peccati originalis & peccati actualis mortalis. Nunc de alio tertio mẽbro principali eiusdem diuisionis scilicet de peccato actuali veniali aliqua dicenda veniunt, & primò quid sit & vnde dicatur. Secundò de diuersis eius nominibus seu appellationibus. Tertiò de aliquibus ipsius peccati effectibus.

Quid sit peccatum veniale & vnde dicatur.

PEccatum veniale secundum August. est quod licet pœnam mereatur, nõ tamen hominem

A vsque ad reatum perpetuæ mortis grauat seu obligat, sed facile indulgetur. Pro quo ad maiorem declarationem sciendũ est quod licet definitio Augu. in superioribus peccato mortali attributa, scilicet quod est dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei seu legem æternam, peccato actuali in generali seu tãquam generi ab aliquibus attribuatur, & sic secundum eos posset etiam peccato veniali (secundum tamen maius & minus) competere seu conuenire, secũdũ tamen B. Th. 1. 2. suæ sũmæ, illa definitio sic supra peccato mortali attributa magis propriè ipsi peccato mortali

B cõuenit. Nam in eo est perfecta ratio peccati quã proprie dicta definitio importat. Nam vt dicit idem doctor: quod peccatum veniale dicatur peccatum, hoc solum est secundum imperfectam rationem peccati immo in ordine ac respectu ad peccatum mortale potest eo modo peccatum veniale dici peccatũ, sicut accidens in ordine ac respectu ad substantiam dicitur ens id est secũdum imperfectam rationem entis. Peccatum enim veniale ex se non fit seu committitur contra legem.

C Nam homo in quantum venialiter peccans non facit quod lex prohibet, nec prætermittit illud ad quod lex ex præcepto obligat, quia iam non peccaret venialiter, sed mortaliter. Sed facit præter legem, quia. s. non obseruat modum rationis, quem lex intendit, & ideo vt dicit idem B. Tho. Diuisio peccati in mortale & veniale, non est diuisio generis in species, quæ æqualiter rationem ipsius generis participent, sed solum est diuisio analogi in species scilicet rationem generis secundum prius & posterius participantes.

D Pro quo adhuc notandum, quod duplex est regula humanæ voluntatis. Vna propinqua; quæ est ipsa humana ratio. Alia est prima regula scili. lex æterna, quæ est quasi ratio Dei. Et per cõparationem ad istas regulas sumitur & attenditur rectitudo voluntatis, & omnis commensuratio cuiuscunq; actus, quæ talis debet esse vt voluntas non declinet à suis extremis scil. à Deo principio & à Deo fine, vt videlicet omnia à Deo se habere cognoscat, & in Deum omnia referat. A qua rectitudine & commensuratione si diuertat, incom-

E mensurata & deordinata erit. Et ex hoc habet actus humanus quod sit bonus vel malus, ex eo sci quod debitam habet commensurationem vel ea caret. Et quanto plus recedit ille actus à debita cõmensuratione, tanto efficitur peior & deterior. Et hinc (vt tactum est) sumitur ratio peccati mortalis & peccati venialis, secundum sci. diuersitatem inordinationis quæ complet rationem peccati. Duplex enim est inordinatio. Vna per subtractio-

F nem principij & finis ordinis. s. Dei, & hæc inordinatio facit peccatum mortale, quando sc. anima per peccatum deordinatur vsq; ad auersionem ab vltimo fine, qui etiam principium ordinis est, & cui per charitatem vniri debemus. Alia inordinatio est qua saluato ipso principio & fine ordinis fit inordinatio solum circa ea quæ sunt circa ipsum principium & finem. Et hæc inordinatio facit solum peccatum veniale, quia tunc anima non deordinatur per peccatum vsque ad auersionem ab vltimo fine, qui (vt iam dictum est) etiam ipsum principium ipsius ordinis est. Et dat ipse B. Th. exemplum de inordinatione complexionis,

quę

quæ contingit in aliquo animali. Nam si illa inordinatio procedat vsq; ad destructioné vitalis principij, tunc sequitur mors. Si verò saluo principio vitali sit solum quædam inordinatio humorum, tunc solum quædam est ægritudo.

Dicitur autem peccatum veniale à venia, ex quo insurgit quod aliqui rationem huius imponentes dicunt triplici cōsideratione seu respectu aliquod peccatum dici veniale. s. ex euentu, ex causa, ex genere. Ex euentu quidem, quia realiter veniā consecutum est. Et hinc est quod dicit Ambro. quod omne peccatum (intelligendo etiam de mortali) per pœnitentiam fit veniale. Sed ista consideratio seu acceptio peccati venialis larga est, nec propositio cœpto bene conueniens. Ex causa verò, quia illud peccatum licet forsan ex suo esse mortale existat, habet tamen in se seu importat aliquid vnde veniam cōsequi possit, non quidem ex se simpliciter, sed ex quadam causa indirecta, quia scilicet habet in se seu importat aliquid suam culpam diminuens, vt sunt peccata quæ in infirmitate vel ignorantia committuntur respectu eorum quæ committuntur ex propria malitia. Et ista adhuc cōsideratio seu acceptio nō congruit nostro proposito. Ex genere autem, quia illud peccatū de se non tollit ordinem ad vltimum finem, & sic non meretur pœnam æternam: sed quia aliquam inordinationem & obliquitaté à recta regula importat, meretur pœnā sed temporalem, vt iam satis supra expositum est. Et secundum istam acceptioné intelliguntur ea quæ iā hic de peccato veniali tractata sunt & tractabuntur. Nam secundum ipsam cōsiderationem seu acceptionem distinguitur & diuiditur peccatum veniale cōtra peccatum mortale, dum communiter dicitur quod peccatorū actualiū aliud est mortale, aliud veniale. Quæ differentia seu distinctio inter peccatū mortale & veniale sumitur ex obiecto seu ex parte obiecti. Cū enim (vt iam supra aliqualiter tactum est) volūtas peccantis fertur in aliquod secūdum se repugnat charitati quæ est principiū vitæ spiritualis, & per quam homo ordinatur ad vltimum finem. s. Deū, tunc illud peccatum ex suo obiecto seu ratione sui obiecti habet quod sit mortale ex genere, siue sit contra Deum directè, vtputa contra eius propriam dilectionem & honorem, vt sunt infidelitas, hæresis, blasphemia, & huiusmodi, siue sit contra Deum indirectè, vtputa contra dilectionem proximi quam vult & præcepit, sicut homicidiū, adulterium, & similia. Cum verò volūtas peccantis fertur in id quod in se continet quandam inordinationem, quæ tamen non contrariatur dilectioni Dei & proximi, sicut sunt verbum ociosum, risus superfluus, & alia huiusmodi, tunc illud peccatum ex suo obiecto seu ratione sui obiecti non habet quod sit mortale ex genere sed solum veniale, & hoc est idem in effectu cum illo quod communiter dicitur quod peccatum mortale est libido seu voluptas in creatura supra Deum id est plus quam Deo vel æquè vt Deo, & veniale est complacentia seu voluptas in creatura infra, vel citra Deum id est quod non plus quam Deo, nec æquè sicut Deo, quia. s. non vellet quis illi finaliter adhærere, vel propter illud Deo displicere, aut scienter contra eius præcepta & mandata quicquam facere.

A Pro ampliori insuper tam dicendorum quam etiam iam dictorum & specialiter supra vbi tactū est, quando vitia capitalia mortalia & quando venialia existant, declaratione est sciendum, quod quia actus morales non solum recipiunt rationē boni & mali ex obiecto seu ratione obiecti, sed etiam ex aliqua dispositione seu intentione agentis, quandoque contingit quod ille actus qui aliàs ex suo genere. s. ratione sui obiecti esset peccatum veniale, ex parte dispositionis ipsius agentis efficitur mortale. Vel quia ipse agens in illo cōstituit finem suum vltimum. Vel quia illud ad aliquid

B aliud ordinat, quod ex genere suo peccatum mortale existit. Vt puta gratia exempli. Si iuxta supra tacta aliquis de dilectatione alicuius boni cōmutabilis quā citra Deum haberet, in tantum transiret quod illi tali bono commutabili, tanquam ibi suum vltimum finem constituens adhæreret, iam illud quod aliàs ex suo genere nō esset nisi veniale peccatum, ex ipsius agentis dispositione seu intentione fieret mortale. Vel in alio exemplo met superius posito, vbi quis verbū ociosum quod de

C suo genere non est nisi veniale, ordinaret ad adulterium cōmittendum, tūc verbum ociosum esset peccatum mortale. Et secundum hoc propriè habent intelligi illi quatuor modi quibus peccatum veniale dicitur effici mortale, supra vbi de peccato mortali actum est, specificati. Similiter etiā ex opposito contingere potest quod ille actus qui aliàs ex suo genere scilicet ratione sui obiecti esset peccatum mortale, ex parte seu dispositione agentis fit veniale, propter hoc scilicet quod actus est imperfectus. i. non perfectè à ratione quæ est pri-

D mum actuum moralium directiuum seu regulatiuum principium deliberatus, sicut de subitis seu primis motibus infidelitatis vel blasphemiæ & alijs exemplificari posset. Vel etiam iuxta in superioribus tacta de inuidia, quæ ex suo genere rationéque sui obiecti est peccatum mortale, cum sit dolor & displicentia de bono alterius quæ rectè contrariatur charitati. Si tamen in motu imperfecto & non plenè à ratione deliberato consistat, manet solum veniale peccatum. Et sic de

E pluribus exemplificari posset, de quibus magis in loco iam allegato, vbi quando vitia capitalia mortalia vel venialia existant, actum est.

Quod autem tam in superioribus quam in sequentibus vbi de peccato mortali & de peccato veniali agitur; additur hoc nomen actuale, cum tamen plura sunt peccata tam mortalia quam venialia quæ in non faciendo seu omittendo cōsistunt, quæ communiter peccata omissionis appellantur, ratio principalis fuit ad clarius denotandam differentiam inter peccatum originale &

F peccatum non originale, quod communiter per actuale, ab originali distinguitur, quia non nisi actu ab extra vel ab actu quodam interiori voluntatis committitur, quod non sic est in peccato originali, vt satis in superioribus declaratum est.

Circa quæ peccata omissionis quantum ad præsentem materiam spectat, est aduertendum quod omissio eorum. s. ad quæ homo tenetur, quia aliàs propriè non esset omissio, aliquando contingere potest ex sola inaduertētia seu obliuione. Vtputa gratia exempli. Cum aliquis hora debita qua tenetur ire ad ecclesiam obliuiscitur ire. Et talis omis-

sio nullum vel modicum est peccatum, quia iam extra actum voluntatis est. Adhuc si illa obliuio ex aliqua alia causa vel occasione siue propinqua siue remota præcedente, circa quam homo prouidere poterat & debebat contingeret, esset maius peccatum circa illa quam circa ipsam omissionem in se. Aliquando verò contingere potest omissio ex aliquibus alijs causis seu occasionibus, quæ tamen non sunt in potestate hominis, vtputa in exemplo iam cœpto. Si aliquis propter grauem infirmitatem vel aliàs contra suam voluntatem detentus seu impeditus, nõ iret ad ecclesiam hora qua tenetur, & tunc ipsa omissio non habet rationem peccati, immo nec propriè in isto casu debet dici omissio. Aliquando autem contingere potest omissio ex causis vel occasionibus quę subiacent voluntati hominis: & tunc omissio habet rationem peccati, quia tunc semper oportet quod illa causa seu occasio in quantum est voluntaria, habeat aliquem ad minus interiorem actum voluntatis, quod potest contingere seu considerari dupliciter. Vno modo quando ille actus interior voluntatis directè fertur in ipsam omissionem, vt puta in exẽplo iam tacto, aliquis hora debita qua tenetur, omittit ire ad ecclesiam, solum quia vult non ire vitans laborem vel huiusmodi, & tunc talis actus voluntatis propriè & de se pertinet ad omissionem. Voluntas etenim cuiuslibet peccati propriè & de per se ad illud peccatum pertinet, eò quod voluntarium est de ratione peccati; in tantum vt dicat Aug. peccatum adeò voluntariũ esse quod si non sit voluntarium, peccatum non est. Alio modo contingere seu cõsiderari potest, quãdo. s. ille actus voluntatis non fertur directè in ipsam omissionem, sed fertur in aliquod aliud, per quod contingit omissio illius ad quod quis tenetur. Et iste vocatur actus exterior & de per accidens. Quod iterum dupliciter considerari potest. Quia vel illud in quod sic fertur ipsa voluntas, est ipsi omissioni coniunctum, vt puta continuando exemplum iam cœptum, aliquis omittit ire ad ecclesiam hora debita qua tenetur, quia tunc vult ludere vel bibere, & ludit vel bibit, certum est quod ille actus ludendi vel bibendi illa hora est actus coniunctus illi omissioni. Vel illud in quod voluntas fertur, non est ipsi omissioni coniunctum, sed est præcedens & remotum, vtputa aliquis vult diu vigilare de sero & vigilat, ex quo contingit quod omittit ire ad ecclesiam hora matutinarum, certum est quod ipse actus vigilandi de sero non est coniunctus ipsi omissioni. Ex quibus patet quod licet ipsa peccata omissionis de per se & simpliciter possint esse absque aliquo actu ab extra, respectu tamen actuum tam interiorum ipsius voluntatis & de per se, quam exteriorum & de per accidens non sunt sine aliquo actu. Et exinde actualia dici possunt. Per iam hic tacta potest quisq; apud se perpendere, quãdo peccata omissionis sunt mortalia vel venialia, vel grauia vel leuia, consideratis sc. obligatione qua quis ad faciendum aliquid tenetur, & necessitate vel vtilitate illius ad quod sic tenetur, & causis seu occasionibus ex quibus omissio contingit.

De natura primorum motuũ, & quãdo peccata existant.

QVia verò omne peccatũ actuale siue mortale siue veniale cõmuniter à primis motibus ortũ habet, immo ipsi primi motus inter peccata venialia computantur. In omni enim tentatione est communiter iste successus; quod primò insurgit primus motus quem sequitur delectatio, & exinde consensus. Ordo enim tentationis hic cõmuniter est, quod per tria successiuè in peccatum inducimur, sc. suggestione, delectatione, consensu, ita quod per suggestionem quę siue ab extra vt à diabolo & mundo, cuiusmodi tẽtatio, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis, siue ab intra, vt à fomite qui nobis inest procedat, excitatur primus motus, & ibi tentatio inchoatur, per delectationem progreditur, & per consensum cõsummatur, quæ tamen consummatio intelligatur de consensu in actum, nam aliquem est reperire consensum in delectationem, in quo licet consistat peccatum, non tamen ibi propriè dicitur tentatio cõsummari, vt latius infra declarabitur. Ideo pro clariori intellectu tam iam dictorum quam etiam dicendorũ venit aliquid de ipsis primis motibus, delectatione & consensu in generali tangendum.

Pro quo sciendum quod anima sensibilis duplicem habet potentiam. Vnam apprehensiuam, aliam motiuam. Apprehẽsiua iterum diuiditur in apprehensiuam deforis & in apprehensiuã deintus, seu ab intra. Vires apprehensiuæ deforis seu ab extra sunt quinque sensus particulares siue exteriores sc. visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Et sunt vires apprehensiuæ passiuæ, quia sensatio fit in ipsis sensibus, ab intra suscipiendo & non ab extra mittendo. Et sunt isti sensus solum perceptibiles rerum singularium & non vniuersalium. Et habent omnes vnam originem à sensu communi, à quo veluti lineæ à centro exeunt. Et ad causandum in eis debitam sensificationẽ quatuor oportet concurrere sc. obiectum præsens, medium deferens, & dispositum organum conueniens & sanum & actualem animæ intentionem. Et in multis conueniunt & differunt ad inuicem, quæ pro materia præsenti non est necessarium exprimere. Vires autem apprehensiuæ ab intus sunt quinque potẽtiæ interiores animæ sensibilis, quæ sunt sensus communis, imaginatio, æstimatio, phãtasia & memoria. Et sunt etiam omnes istæ quinque potentiæ passiuæ, quia ab intus suscipiendo apprehendunt & patiũtur à formis rerum singularium. Et sunt etiam circa particularia tantum. Et est sensus communis potentia quæ omnium sensuũ particularium obiecta apprehendit. Nam alij sensus similitudines suorum sensatorum ad sensum cõmunem reducunt, quo mediante de singulorum proprietatibus iudicant & discernunt, quia secũdum iudicium sensus communis apprehendimus nos videre quando videmus, & audire quãdo audiuimus, & sic de aliis. Virtus autem imaginatiua est potentia apprehensiua, in qua imaginationes rerum sensibilium reseruantur. Ista virtus plus abstrahit quam sensus, quoniam sensus non accipit formam rei nisi ipsa re præsente. Imaginatio verò formam rei reseruat, re etiam ipsa absente, & in hoc differt à sensu communi, quia sensus communis indiget præsentia rei exterioris, sicut sensus particularis, imaginatio verò non. Ista virtus vocatur thesaurus formarum, quoniam sicut dictum est, formæ rerum à particularibus sensibus rece-

ptæ

ptæ in ea retinétur & seruátur. Et de istis duabus potentiis sufficiant quæ dicta sunt summatim pro intellectu dicendorum tetigisse. Qui ampliora & etiam de aliis tribus potentiis quæsierit, ad philosophum recurrat.

De vi sensibili motiua spiritualiter.

VIs sensibilis motiua quandoq; mouet spiritualiter, quandoq; corporaliter. Quando mouet spiritualiter dicitur appetitiua, quæ etiam dupliciter mouet. s. aut diligendo aut obediendo. Iuxta quæ diuiditur in concupiscibilem in irascibilem, per quas anima appetit bonum vel insurgit contra malum. Et exinde oriuntur quatuor affectiones sc. gaudium, spes, dolor, timor.

De Sensualitate.

Sensualitas etiam est vis animæ sensibilis motiua, & ad idem mouet ad quod vis concupiscibilis & irascibilis, sed ab eis differt. Primò, quia semper appetit quæ delectabilia sunt corpori, & quæ ei nociua sunt refugit. Cōcupiscibilis verò & irascibilis bene versantur & mouentur etiā circa bonum vel malum non delectabile nec nociuū corpori. Secundò, quia sensualitas magis corpori cōiungitur, estque magis ad carnem depressa. Et sicut in brutis, ita in homine suo proprio motu mouetur nec aliqua lege stringitur, quādo semper in appetitu rerum ad corpus pertinentium moueatur. Nobilius tamen est in homine, quam in brutis, quia in homine ei conuenit aliqualiter subiectam esse & obedientem voluntati & rationi. Sed concupiscibilis & irascibilis coniungitur rationi, & prout sunt in homine ratione frenantur ac reguntur virtutibus quæ in in ipsis fundantur, vt tēperantia quæ est in concupiscibili, & fortitudine quæ est in irascibili. Vis sensibilis motiua mouens corporaliter, diuiditur in virtutem naturalem, in vitalem, in animalem. Prima sc. naturalis motiua est humorum mediantibus arterijs quæ radicantur in hæpate, & hoc per spiritum naturalem. Secunda sc. vitalis est motiua pulsuum mediantibus arteriis, quæ radicantur in corde, & hoc per spiritum vitalem. Tertia sc. animalis est motiua membrorum mediantibus neruis qui radicantur in capite, & hoc per spiritum animalem. Et secundum istorum diuersitatem (vt videtur) dicitur spiritus naturalis, vitalis & animalis: qui tamen vnus & idem est in substantia: licet secundum comparationem dictorū motuū diuersificetur in ratione.

De aliquibus potentiis animæ rationalis.

EST insuper sciendum, quod quantum ad prę sentem materiam spectat & sufficit: potentiæ animæ rationalis secundum philosophum principaliter seu primaria diuisione diuidūtur in cognitiuam, quam theologi intellectū vocāt, & in motiuam, quam theologi affectum nominant. Tunc enim potentia animæ intellectus dicitur, quando est apprehensiua, & voluntas dicitur quando est motiua. Item sciendum quod anima quasdā vires habet separatas à corpore, & secundum quas nō innititur corpori, licet eis vtatur vtente corpore, vt sunt velle & intelligere. Quasdam verò habet inseparabiles à corpore, maximè respectu hominis quantum ad operationem, quia. s. anima extra corpus earum operationem exercere non potest, vt sunt vires sensibiles, de quibus supra. Habet etiam aliquas quoad se duntaxat, vt sunt ratio, voluntas, liberū arbitrium. Aliquas verò habet quibus corpori permiscetur, vt sunt vis naturalis, vitalis & animalis, de quibus supra tactum est.

A

Vis motiua animæ rationalis diuiditur.

EST insuper sciēdum quod vis motiua animæ rationalis diuiditur per imperatiuam, in consiliatricem, in affectiuam, & in consiliatricem & affectiuam simul. Prima est liberum arbitrium & synderesis, secunda est ratio, tertia est voluntas, quarta dicitur ipse intellectus practicus. De tribus primis solum exigit materia præsens facere mentionem.

B

De libero arbitrio.

LIberum arbitrium secundum Aug. dicitur facultas rationis & voluntatis, qua eligitur bonum gratia existente & malum gratia desistente. In qua definitione ponitur ratio vt cōsiliarius, & voluntas vt imperans. Ratio enim dicit aliquid esse bonum vel malum, & voluntas facere vel non facere imperat. Ex qua etiā definitione ac etiā ipsa liberi arbitrij denominatione, clarum est quod liberum arbitrium rationem & voluntatem cōprehendit. Arbitriū est ipsius rationis, libertas autem est ipsius voluntatis. Est tamen circa hoc aduertendum quod liberū arbitrium dupliciter cōsiderari potest. Vno modo simpliciter secundum se & suam essentiam, & tunc liberum arbitriū nihil addit supra rationem & voluntaté, & isto modo considerando nō propriè sibi competeret definitio supra posita, nec propriè tunc deberet dici vis animæ rationalis imperatiua. Alio modo potest considerari secundum quid & secūdum quādam relationem, & tunc aliquo modo addit vltra rationem & voluntatem, nō quidem quod in ratione & voluntate ponat aliquam nouam qualitatem esse, sed solum quandam liberam & naturalem aptitudinem & facultatem concurrentiæ rationis & voluntatis ad aliquem actum, & tunc propriè sibi competit definitio prædicta, quod sc. est facultas siue consensus voluntatis & rationis, & importat seu dicit illa facultas quoddam dominium ad aliquid disponendum & faciendū quod non est rationis tantum, nec voluntatis tantum, nisi alia concomitante & cōtradicente. Sicut per quoddam exemplum ex concursu virtutis manus & virtutis oculi resultat potestas scribendi, ad quod tamen altera ipsarum virtutum per se non sufficeret. Sic ex concursu rationis & voluntatis resultat quædam libertas siue quoddam dominium ad aliquid disponendum & faciendum, ad quod altera ipsarum per se non sufficeret. Et istud propriè dicitur liberum arbitrium, & tunc propriè dicitur vis motiua animæ rationalis imperatiua.

C

D

E

F

De synderesi quid est.

SYnderesis est vis motiua seu potentia naturalis animæ rationalis, quæ semper nata est figi in superioribus, naturaliter mouens & stimulans ad bonum & abhorrens malum, & in istis nunquam est errans, nec secundum synderesim est peccare. Et dicunt aliqui synderesim esse conscientiam vel conscientiæ iudicium. Et dicitur etiam vis imperatiua, quia semper de se imperat & inclinat ad bonum.

De ratione quid est.

RATIO dicitur ipsa vis motiua animæ rationalis, consiliatrix, & discernit conferendo inter bonum & malum, & inter bonũ & melius, comparando scilicet vnum ad alterum, & dicitur simul cognitiua & motiua. Cum enim iudicat aliquid esse bonum vel malum, & ibi sistit, tunc dicitur cognitiua. Si verò alterius procedat iudicando aliquid bonum, vt scilicet fiat, vel malum euitetur, tunc dicitur esse motiua. Si verò adhuc amplius procedat, & non solum iudicat aliquid esse bonum vt fiat, sed cum hoc etiam illud fieri appetat, tunc iam transit in liberum arbitrium, quod comprehendit rationem & voluntatem, vt supra dictum est. Hæc vis animæ scilicet ratio diuiditur in partem superiorem & in partem inferiorem. Pars superior cõmuniter ratio superior nominatur, & pars inferior ratio inferior. Et licet istæ duæ partes idem sint in re & essentia, diuersificãtur tamen secundum rationem suarum operationũ seu officiorum ac etiam suarum dispositionum, sicut diceretur de eodẽ oculo nunc sursum nunc deorsum aspiciẽte. Superior enim pars rationis seu superior ratio diuinis & æternis intẽdit. Inferior verò de trãsitoriis iudicat & ea disponit. Item superior pars rationis innititur & ratiocinatur per leges seu per rationes diuinas & æternas, vt puta hoc est faciendum vel non faciendum, quia Deus præcipit vel prohibet. Nec habet motum circa res transitorias & temporales, nisi in quantum ad eas per modum consilij rationes æternas & diuinas deducit. Inferior verò pars innititur & ratiocinatur per leges & rationes humanas, vtputa tale quid faciendum est vel non faciendum, quia honestum vel inhonestum est, vel quia reipublicæ expedit vel non expedit. Item superior pars regit, & hinc vocatur superior, inferior verò regitur & hinc vocatur inferior. Superior pars comparatur homini Adæ, & sibi communiter attribuitur cõsensus, quia dum ratio ad superiora conuertitur, purgatur & illuminatur, dumq; rationes æternas conspicit, in bono fortificatur & vigoratur. Inferior verò pars comparatur mulieri Euæ, quia dum ratio ad hæc inferiora cõuertitur, & circa res corporales versatur, iam per sensualitatem cui coniuncta est molliri incipit, & sæpe ab eis allicitur & trahitur. Videt enim sibi semper pomum porrigi. i. illecebram quæ est carnalis concupiscentia & delectatio, vicinam habet.

De voluntate & quadam eius diuisione.

VOluntas dicitur vis affectiua motiua, immo inter motiuas præcipua, cum sit generalis motrix omnium virium. Cum enim intellectus apprehendit aliquid vt bonum vel vt cõueniens, voluntas viribus affixis ipsis organis sensuum imperat, sicut est visui ad videndum, auditui ad audiendum, & sic de aliis sensibus. Similiter in motu locali voluntas imperat virtuti animali motiuę membrorũ & virtuti quæ est in neruis, & ita mouet ad ambulandum & currendum, & huiusmodi similia. Inter potentias animę nulla est liberior, quia nec obligatur organo, nec cogitur obiecto, propter quod dicit Aug. quod nihil adeò in nostra potestate est sicut volũtas. Et diuiditur in voluntatem naturalem & in deliberatiuam. Prima. s. naturalis dirigitur per synderesim. Secunda verò sc. deliberatiua dirigitur per rationem. Et sunt idẽ in essentia, sed differunt in modo appetendi seu volendi. Naturalis enim semper inclinat & instigat ad bonum honestum, & remurmurat contra malũ, quia cum per synderesim dirigatur, immutabiliter appetitus eius ad beatitudinẽ inclinatur. Deliberatiua verò post rationis deliberationem, aliquãdo adhęret bono, aliquando malo, & prout appetit facere hoc vel illud, dicitur deliberatiua. Et secundum iudicium rationis per quam dirigitur potest ad malum inclinari, quia sępe contingit rationem in deliberando deficere.

An primi motus sint peccata, & quæ.

ISTIS sic præsuppositis videndum nunc occurrit de ipsis primis motibus, an. s. sint peccata & quæ. Quod in effectu est quærere, an in sensualitate possit esse peccatum, cum ipsa sensualitas huiusmodi motuum principium sit & subiectum. Circa quod varij sunt modi dicendi. Sed quãtum ad hunc tractatum sufficit, tangetur communior. Pro cuius declaratione est adhuc vltra superius notata sciendum, quod sensualitas in hoc proposito dupliciter considerari potest. Vno modo in se & simpliciter, & isto modo sensualitas in furiosis & infantibus sicut & in alijs hominibus dicitur, immo isto modo considerando in ea (vt dicit Aug. vtiq; supra tactum est) cum brutis communicamus. Et isto modo accipiendo in sensualitate nullo modo potest esse peccatũ. Alio modo potest sensualitas considerari non ita simpliciter, sed quodammodo respectiuè, prout scil. est quodammodo ad rationem ordinabilis & ab ea persuasibilis. Et isto modo considerando quando contingit sensualitatem ad illicitum moueri, & sic quodammodo à regula iustitiæ deordinari, talis eius deordinatio habet rationem peccati, in quantum tamen peccatum dicit & importat quandam rationem vitij, quandamq; deordinationẽ quæ potest esse via ad opus prohibitum & vituperio dignum. Non tamen in quantum peccatum dicit culpam, quia actus vitiosus ea sola ratione dicitur culpa qua est à voluntate. Et iuxta hunc duplicem modum considerandi viuificatur illud quod à nonnullis dicitur, quod est aliquis actus proprius sensualitatis, simpliciter consideratæ qui non est proprius actus sensualitatis inquantum humana.

Est etiam sciendum quod vt ex supra tactis satis elici potest, triplex in anima quantum ad hanc materiam spectat, reperitur esse motus seu appetitus. s. naturalis, sensitiuus, rationalis. Motus autem animæ prout hic accipitur, nihil aliud est quam animæ inclinatio in aliquid, & ideo illis animæ viribus seu potẽtiis quibus inclinatio non cõuenit, non attribuitur propriè motus. Inclinatio autem est in appetitu qui mouet in aliquid agendum vel habendum, & ideo actus appetitiuarum virtutum animæ motus propriè vocantur, non autem actus virtutum apprehensiuarum. Motus seu appetitus naturalis est quem non imaginatio gignit seu causat, sed ipsa qualitatũ naturalium dispositio quibus naturales animę vires suas actio-

nes exercent. Occurrit iste motus repentè & quasi subitò, vt esset dare exemplum in repentino motu seu appetitu cibi vel alterius delectabilis. Hic motus in nullo rationi subiacet nec obedit, sed nec voluntas super eo quodcumque habet dominium, cum naturalis sit & sit extra genus moris seu morale, & ideo nec in eo peccatū esse potest. Et licet effectualiter in sēsualitate sit primo modo considerata, non tamen communiter nominatur motus sensualitatis, sed mot⁹ naturalis, ex eo (quia vt tactum est) ad naturaliū qualitatum actionem cōsequitur. Et vocatur iste motus ab aliquibus primo primus motus. Motus autem seu appetitus sensitiuus est qui ex præcedenti imaginatione, vel ex præcedēti motu naturali consequitur, & vocatur iste motus secundo primus, quia est ille motus qui primò post motum naturalem (de quo statim supra) insurgit seu occurrit. Et attribuitur iste motus sensualitati secundo modo consideratæ inquantum scilicet humana & ad rationem ordinabilis. Et isto modo sumendo sic describitur. Primus motus est motus sensualitatis secundum impulsum fomitis, tendens impetuosè ad fruitionem creaturæ delectabilis. Huiusmodi primi motus sensualitatis quodammodo in nostra potestate sunt, & quodammodo non. Si enim quilibet eorum sigillatim consideretur, sic in nostra potestate sunt: quia quemlibet eorum possumus præuidendo declinare & impedire ne insurgat. Si autem omnes simul considerentur, non sunt in potestate nostra, quia licet impedire possumus ne iste vel ille insurgat, non est tamen in potestate nostra facere quin aliquis insurgat, immo dum vni obuiare nitimur, ex altera parte potest alius motus surripere. Non enim potest esse similis intentio voluntatis retinentis contra diuersa in actu. Vt dari potest exemplum de nauta, qui singula foramina suæ nauis obstruere potest, ne per illa aqua intret, sed non potest omnia simul obstruere vt aqua nusquam intret. Et ratio est, quia huiusmodi primi motus sensualitatis, sicut sunt peccata ita sunt pœna peccati scilicet originalis, & ideo meritò dicuntur venialia, quia hoc ipso venia digna sunt. De tertio motu seu appetitu scilicet rationali, dicetur infra vbi de delectatione & consensu tangetur.

Est insuper notandum quod triplex in respectu ad ipsam voluntatem reperitur differētia actuum, & intellige siue interiorum siue exteriorum, vt etiam motus interiores comprehendantur. Aliqui enim sunt super quibus ipsa voluntas nullum habet dominium neque completum neque incompletum, immo quin etiam eos singillatim considerando, nullo modo sunt in potestate nostra, vt sunt actus quos voluntas non solum non imperat, sed nec impedire aut reprimere potest, vt sunt primi motus naturales, de quibus supra. Et in talibus nullum est peccatum nec veniale nec mortale. Et ratio est, quia nullus actus ponitur in genere moris seu moralis nisi habita consideratione ad volūtatem, quæ est principium omnium actuum moralium. Et hinc est quod ibi dicitur genus moris incipere vbi primum dominium voluntatis inuenitur. Alij sunt actus in quibus voluntas dominium quoddam habet, non quidem completum & perfectum, sed incompletum & imperfectum, vt sunt actus qui non per imperium

A ipsius rationis procedunt, sed tamen potest eos voluntas si voluerit impedire & reprimere, non quidem ne insurgant sed ne vlterius, vsque scilicet ad delectationem & consensum procedant, quales sunt actus qui præcedunt apprehensionem rationis. Et istorum actuum dicitur voluntas causa, non quidem de per se, quia non imperat, sed de per accidens, quia non impedit cum impedire possit. Et isto modo dicitur voluntas causa primorum motuum. Et in talibus si deordinatio contingat, rationem peccati habet, non quidem

B peccati perfecti & completi, vt est peccatum mortale, sed tantum incompleti & imperfecti, quale est peccatum veniale. Alij sunt actus in quibus voluntas completum & plenum habet dominium, vt sunt actus qui ex eius imperio procedunt, & qui non solum apprehensionem, sed etiam deliberationem rationis sequuntur. Et in istis consistunt actus virtutis vel peccati mortalis, nisi ex electione procedat. Electio autem non nisi ex imperio voluntatis progreditur. Et ideo non

C potest esse virtus vel peccatum mortale nisi in illis actibus qui ex imperio voluntatis procedunt. Et eiusmodi actuum dicitur voluntas esse causa de per se & simpliciter, quia vt tactum est ipsos imperat. Et de istis actibus latior in sequentibus venit faciendus sermo. Et secundum hanc distinctionem intelligi & accipi debet, dum scriptum reperitur quod omne peccatum est in voluntate non enim est intelligendum quod sit in voluntate tanquam in subiecto, sed tanquam in causa,

D vt tactum est de per se & simpliciter, vel de per accidens.

Ex præcedentibus clarè liquere potest quando primi motus seu motus sensualitatis peccata sunt, & quæ. Motus enim seu appetitus naturalis qui dicitur primo primus, nullo modo est peccatum, quia vt satis supra declaratum est, voluntas nullum super eum dominium habet, neque completum neque incompletum, nec est in potestate nostra. Motus seu appetitus sensitiuus qui secundo primus dicitur, & propriè sensualitati attribuitur,

E cum talis motus (vt tactum est) ipsa sensualitas sit principium & subiectum, peccatum est, sed veniale. Peccatum quidem, tum propter quandam inordinationem, quandámque delectationem annexam quæ in eo est, tum quia quodammodo voluntarius est, non quidem secūdum se, sed quia à voluntate quæ super eo dominium licet incompletum habet, & quæ semper secundum iudicium rationis moueri debet, ipsum dum præsentit, non statim reprimit, vel scilicet in quantum potest im-

F pediendo, vel non consentire deliberando, vel cogitationē in aliud diuertendo. Veniale quidem quia illud dominium quod sic super huiusmodi primum sensualitatis motum ipsa voluntas habet, non est dominium completum nec est in eius plenaria potestate illud ad quod sic ille motus seu appetitus sensualitatis inclinat à se statim abijcere, & ideo in eo nulla potest esse ratio peccati mortalis, sed solum venialis. Aliam rationem quare in sensualitate modo quo supra considerata potest esse peccatum sed non mortale, assignant alij, quæ licet in effectu in idem cum supra tacta redire videatur, ad maiorem tamen decla-

rationem, & quia frequenter diuersi intellectus diuersis rationibus mouentur, visa est non debere omitti. Et est ista, quia aliter vitiat & deordinat mortale peccatum, & aliter veniale. Mortale enim vitiat & deordinat de ordinatione perfecta & cõsummata respectu finis vltimi, quæ deordinatio consistit in auersione ab ipso vltimo fine qui est Deus, ac eius contemptu cum deliberato consensu, quæ omnia solius sunt rationis, cum (vt sæpe in superioribus dictum est) eius sit actus humanos regulare, & in finem vltimum dirigere. Deordinatio verò peccati venialis, non est deordinatio perfecta & consummata, sed solum inchoata, non enim habet peccati deordinatio in potentia inferiori consummari sed solum inchoari, & in potentia superiori fit consummatio. Et hic est quod in ratione quæ est potentia superior, consistit peccatum mortale. In sensualitate verò quæ est potentia inferior, non consistit nisi veniale. Et intelligantur prædicta etiã de primis motibus actuum prohibitorum quorum scilicet delectatio & consensus, & à fortiori actus exterior, de suo genere sunt, aut esse possunt peccata mortalia. Nam de alijs quorum delectatio, consensus & actus de suo genere non sunt nec esse possunt nisi peccata venialia ridiculum esset quærere, & non benè sanum dicere & ponere eorum primos motus quæ in sensualitate sunt, peccata mortalia esse.

Ex quibus omnibus liquet, quod licet ipse primus motus sensualitatis non habeat rationẽ mortalis peccati, potest tamen peccatum mortale concurrere, immo vix sine eo potest peccatũ mortale committi. Licet aliqui aliter dicere ausi sint, distinguentes circa hoc duo genera peccatorum scilicet spiritualia, quorum aliqua cõtingere dicunt circa obiectum apprehensum à sensualitate, & à talibus rationem inferiorem sine sensualitate nõ peccare, vt exẽplificant in odio fœlicitatis alienæ in se. Aliqua verò contingere dicunt non circa obiectum à sensualitate apprehensum, & in talibus rationem inferiorem sine sensualitate peccare posse, vt indebita curiositate scientię. Carnalia autem semper dicunt circa obiectum sensualitatis contingere, & ideo in his rationem inferiorem nunquam sine sensualitate peccare, sed qui bene radicem & originem cuiuslibet peccati inuestigare voluerit, reperiet nullum esse peccatum in quo ipsius sensualitatis motus non cõcurrat, immo quin in eo propinquè vel remotè inchoetur.

Octo autem communiter assignantur rationes seu causæ, quare homo pronior est & procliuior ad malum, quã ad bonum. Prima causa est, quia vt dicit sapiens. Corpus quod corrũpitur aggrauat animam, eam scilicet trahens ad malum, & non sic erigens ad bonũ. Secunda causa est, quia vt dicit August. plus valet malum inolitum quam bonum insolitum. Quod sic exponi potest. Plus valet, id est, fortius est ad mouendum scilicet & attrahendum malum inolitũ, id est, naturale & innatum, quam bonum insolitum, id est, non consuetum. Tertia causa est, quia naturaliter facilius est descendere quam ascendere, immo magis trahit vnum deorsum quam decem sursum. Quarta causa est, quia communiter ea quæ nos ad malum incitãt & inducunt, nobis præsentia sunt, finis verò & præmium virtutis nobis absens est. Quinta causa est, quia plures circunstantiæ ad bonum actum requiruntur quam ad malum, immo bonum fit nisi ex concursu omnium circunstantiarum ad illud debitarum, malum verò contingit ex defectu vnius. Sexta causa est, quia continuè ad nostrum principium, scilicet ad nihilum tendimus. Septima causa est, quia fomes qui nos ad malum mouet & pronos facit, semper intra nos est, gloria verò quã quærimus, extra nos. Octaua causa est, quia vires animæ ad diligendum temporalia sunt actiuæ, ad ea verò quæ sunt gratiæ & gloriæ, sunt quodammodo materiales & passiuæ. Virtutes etenim per modum acquisitionis haberi non possunt, sed solum per modum receptionis, quia malum ex nobisipsis & per nos facere possumus, bonum verò facere non nisi gratia Dei adiutrice valemus.

De natura delectationis, & an sit peccatum, & quod.

EXPEDITIS his quæ circa primos motus sensualitatis dicenda occurrebant, venit aliquid de delectatione tangendum, an scilicet sit peccatum, & quod. Pro quo intelligendo, expediens est aliquas ex multis & varijs delectationum diuisionibus & speciebus, quæ per nonnullos assignari solent, quantum ad præsentem materiam sufficit declarare.

Vna igitur inter cæteras diuisio ponitur, quod delectationũ aliquæ sunt corporales & sensitiuæ, aliæ sunt spirituales seu intellectuales. Delectationes corporales & sensitiuæ dicuntur, quæ in appetitu sensitiuo, & de bono sensibili, seu bono secundum sensum fiunt. Spirituales verò seu intellectuales sunt, quæ in appetitu intellectiuo & de bono intelligibili, seu bono secundum intellectum consistunt. Certum est enim delectationem frequenter apprehensionem rationis sequi, apprehendẽtis scilicet aliquid tanquam bonum & conueniens, ad quam rationis apprehensionem non solum contingit commoueri appetitum sensitiuum per applicationem ad aliquam rem particularem, verumetiam appetitum intellectiuum, qui propriè nihil aliud est quam voluntas per applicationem ad aliquid intelligibile, & secundum hoc in appetitu intellectiuo est delectatio, sicut & esse potest in appetitu sensitiuo. Sed inter huiusmodi istorum appetituum delectationes multum interest. Nam delectatio appetitus sensitiui semper est cum aliqua transmutatione corporali, & isto respectu propriè debet accipi & intelligi, dum communiter dicitur delectatio quædam passio esse, quamuis etiam & de delectationibus intellectualibus ita intelligi possit, sed non ita propriè. Quod tamen in vtrisque delectationibus intelligendum est capiendo passionem non propriè & strictè, prout scilicet conuenit passionibus corruptiuis & in malum tendentibus, & ægritudines, timor, tristitia & huiusmodi. Sed largè & quodam modo impropriè, prout scilicet dicit quandam corporalem alterationem, seu animæ affectionem. Delectatio verò appetitus intellectiui de se semper est sine transmutatione corporali, quia propriè nihil aliud est quam simplex motus voluntatis se ad aliquid complacẽter applicantis. Et hinc dicit August. quod cupiditas & lætitia nihil

nihil aliud est quam voluntas in eis consentiens quæ volumus.

Primæ delectationes scilicet corporales & sensitiuę, licet à corpore & sensu denominentur, sunt tamen delectationes totius compositi. Nam in eis est tam corporis quam animæ delectatio. Corporis quidem propter apprehensionem sensus qui est virtus in organo corporeo, & qui non nisi mediante organo corporis apprehendere potest, ex qua apprehensione dum (vt tactum est) fit de bono & conuenienti secundum sensum, sequitur quædam virtutis appetitiuæ quies in eo quod amat seu optat, & hinc creatur illa delectatio corporalis. Animæ verò tam ex eo quod omnes huiusmodi vires appetitiuæ & apprehensiuæ in ea consistunt, quam etiam propter apprehensionem ipsius rationis, quæ similiter illud idem quod per sensum tanquam sibi bonum & conueniens apprehensum est, etiam tanquam bonum & conueniens toti corpori apprehendit. Si enim ratio nihil apprehenderet, tunc propriè non esset, delectatio vt esset dare exemplum in infantibus & in insensatis, quorum licet sensus suũ obiectum tanquam sibi bonum & conueniens apprehendere possit, & ex hinc vt tactum est, sequi quędam virtutis appetitiuæ in eo quod amat & desiderat quies, quia tamen in eis ratio nihil apprehendit nec dijudicat, & sic nec se delectari intelligunt aut cognoscunt, ideo propriè delectari non dicuntur. Et hoc est in effectu quod per aliquos dicitur, quod ad propriam delectationem tria habent concurrere, scilicet duo quorum est coniunctio seu applicatio delectabilis, vt puta appetentis & illius quod appetitur, & tertium est huiusmodi coniũctionis seu applicationis cognitio. Ex quo insurgit quod cõmuniter dicitur delectationem propriè non sine cognitione fieri, nec propriè delectationẽ esse, vt iam exemplificatum est. Nec mirum se in huiusmodi delectationibus totius compositi seu totius hominis, dicantur sensus & ratio, quamuis diuersæ sint eorum operationes circa idem delectari. Nam certum est quod sicut idem potest per sensum & per rationem apprehendi, ita contingere potest illud idem secundum sensum & rationem considerari, & exhinc prouenire quod sensus & ratio circa illud idem delectabuntur, sed non fit eodem modo. Nam sensus in eo in quo delectatur, solum delectatur in quantum illud apprehendit tanquam bonum & conueniens, & sic delectabile in sensu, ratio verò in illo eodem delectatur, sed solum in quantum illud apprehendit in ratione boni vel conuenientis ad regimen & sustentationem totius corporis. Et intelligãtur prædicta de inferiori parte rationis seu de inferiori ratione, quia superiori rationi delectatio non attribuitur, sed solum consensus in actum qui deliberationem sequitur, vel latius infra tangetur.

Secundæ verò delectationes scilicet spirituales & intellectuales sunt delectationes solius animæ, quia in eis nulla est necessaria apprehensio seu operatio sensus, vt facile est considerare.

De alia diuisione delectationis.

Alia diuisio reperitur quod delectationum aliquæ sunt spirituales, aliæ carnales. Nec hic accipitur spiritualitas & carnalitas prout statim supra, in quantum scilicet solum animæ vel corporis delectationem importet, sed vt capit Apostolus, distinctionem faciens inter hominem spiritualem & carnalem 1. ad Corinthios 3. & in pluribus alijs locis.

A

De delectatione spirituali.

Delectatio spiritualis prout hic accipitur est quæ est in Deo crreatore vel propter Deum. In creatore quidem, quando scilicet homo in eo directè delectatur, considerando scilicet & contemplando suam immensitatem, maiestatem & virtutem & bonitatem, & huiusmodi. Iuxta illud Psalm. Memor fui & delectatus sum. Et illud. Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Propter Deum vero, quando scilicet aliquis in aliquo bono alio à Deo, siue sit intellectuale siue corporale, debitè delectatur, non tamen illic sistendo, sed delectationem illam purè in Deum reflectendo, vt si quis exempli gratia, in scientia sibi data delectaretur, in quantum se per eam in Deum, ad laudémque suam & sui nominis exaltationem proficere posse speraret, vel in aliqua re magna, pulchra vel admirabili, manuducendo per illud intellectum suum in admirationem & delectationem infinitæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis Dei. Iuxta illud Psalm. Delectasti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Et de huiusmodi delectationibus non est hic longior protrahendus sermo, tum quia materiam præsentẽ propriè non concernũt, nisi in quantum speciem diuersam à carnalibus constituunt, de quibus hic tractandum venit tum quia huiusmodi delectationes spirituales non solum peccata non sunt sed meritoriæ, immo tantæ esse possent quod ad magnam perfectionem hominem ducerent.

B

C

D

De carnali.

Carnalis verò delectatio quæ prout hic sumitur & à spirituali, de qua statim tactum est distinguitur, potest iuxta supra tacta tam de bono intelligibili quam de bono sensibili esse, duplex iterum quantum ad hunc tractatum sufficit reperitur. Vna naturalis, alia voluntaria. Naturalis prout à voluntaria distinguitur & strictè capiendo (nam largè sumendo, delectatio etiam voluntaria naturalis dici potest) est cum vnaquæque vis animæ in suo obiecto, quod tanquam sibi bonum & conueniens apprehendit delectatur, vt puta ratio in cognitione veri, visus in coloribus maximè medijs, auditus in sonis mediocribus, & sic de alijs. Et licet talis delectatio vix vnquam haberi possit, quin in ea sit aliquis concursus rationis & voluntatis, immo vt supra tactum est, non propriè aliàs delectatio dici deberet, tamen vt in simili superius de primo motu in sensualitate dictum est, in se considerata nullam importat seu respicit rationis vel voluntatis operationem, immo propriè nihil aliud est quàm quædam naturalis virtutis appetitiuæ quies, in aliquo bono sibi conuenienti amato seu desiderato, vt possit poni exemplum de delectatione quæ habetur in calefactione post magnum frigus, vel potu post vehementem sitim. Et huiusmodi delectatio sic considerata, de se nec laudabilis nec vituperabilis est. Quia vt frequenter supra tactum est, quod actus dicuntur virtuosi vel defectiui, hoc habent à ratione & voluntate, in

E

F

quantum ſcilicet ab eis imperantur vel conſentiuntur.

Voluntaria verò delectatio eſt propriè quæ apprehenſionem rationis conſequitur. Cum enim ratio aliquid tanquam bonum conueniens apprehendit, cauſatur in ea quidam motus ſeu appetitus ad illud ſic apprehenſum quem conſequitur delectatio, quæ propriè nihil aliud eſt niſi quædã voluntatis complacentia in eo quod ſic ipſa ratio apprehendit. Et hic motus ſeu appetitus rationis, eſt ille motus ſeu appetitus qui rationalis nominatur, de quo ſupra vbi de primis motibus ſenſualitatis actum eſt, fiebat à motu ſeu appetitu naturali & à motu ſeu appetitu ſenſitiuo diſtinctio. Et licet huiuſmodi delectatio voluntaria vt ſtatim ſupra tactum eſt, poſſit etiam largè ſumendo naturalis dici, hic tamen ſolummodo conſideratur in quantum à ratione quæ voluntatem regulare habet (iuxta quod infra latius declarabitur) imperatur aut conſentitur, & in quantum ipſa voluntas in cuius libertate erat apprehenſionem & motum rationis ſequi vel non ſequi, propter quod huiuſmodi delectatio voluntaria appellatur, ad ipſam etiam mouetur & inclinatur, quia ſub iſta conſideratione & non aliàs venit hic de huiuſmodi delectatione, an ſcilicet peccatum ſit & quod inueſtigandum.

Nunc igitur ad propoſiti cœpti declarationem accedendo, huiuſmodi rationis apprehenſio & exinde delectatio voluntaria conſequens, aut eſt debitè regulata, debitéque menſurata, vt ſcilicet ſit in rem licitam & quantum debet & quomodo debet, vt exemplificari poſſet de delectatione etiam in ſe bonarum operationum, immo etiam ad magis materiam declarandam in actu venereo, in legitimo tamen matrimonio, & cum debitis circunſtantijs vel delectatione cibi & potus, & huiuſmodi, etiam poſt apprehẽſionem rationis contingentibus, & talis delectatio non eſt peccatum. Nec enim poſſibile eſſet aliquem humanitùs ſine aliqua ſenſibili & corporali delectatione viuere. Aut huiuſmodi delectatio voluntaria ſic rationis apprehenſionem conſequens non eſt debitè regulata & moderata, immo defectiua & inordinata, vt puta quia eſt in rem illicitam, vel quia debitam menſuram aut debitum modum excedit, quod ex vitio fomitem mouente procedit, propter quod & vitioſa dicitur. Et hoc iterum contingere poteſt dupliciter. Aut enim illa rationis apprehenſio, & exhinc delectatio voluntaria ex ipſa conſequens eſt, & fertur circa aliquid quod ex ſuo genere ſolum eſt peccatum veniale, & tunc ſiue ratio ſuperior verè vel interpretatiuè (iuxta quod infra latius declarabitur) conſentiat ſiue non, huiuſmodi delectatio de ſe non eſt niſi veniale peccatum, vt eſſet in verbo otioſo vel riſu ſuperfluo, & huiuſmodi. Notãter dicitur de ſe, quia ex circunſtantijs poſſet effici mortale, vt puta propter nimiam libidinem aut contemptum, aut quia cum intentione in aliquod aliud quod de ſuo genere eſſet peccatum mortale, prout ſupra in pluribus locis, maximè vbi mẽtio facta eſt quomodo peccatum veniale poſſit mortale effici, ſatis declaratum eſt. Aut illa rationis apprehenſio, & ex hinc ipſam conſequens delectatio eſt, & fertur circa id quod de ſuo genere eſt mortale peccatum. Et hinc magis aduertẽdum venit. Tum quia

A de huiuſmodi delectatione maior eſt difficultas quomodo & quod peccatum ſit. Tum quia circa eam maior eſt diuerſitas poſitionum doctorum, qui tamen licet in ſuis modis ponendi diuerſi videantur, effectualiter coincidunt. Eſt igitur circa hoc diſtinctio aliquorum bene communis. Quia ſi huiuſmodi delectatio non eſt moroſa, tunc non eſt niſi veniale peccatum. Si verò moroſa fuerit, eſt peccatum mortale. Intelligentes (vt dicunt) de mora conſenſus in delectationem & non de mora

B temporis. Notanter dicitur in delectationẽ, quia de conſenſu in actum nullum eſſet dubium.

Sed iſtud latiori indiget declaratione. Tum quia iſte modus ponendi innuere videtur aliquam eſſe delectationem moroſam mora temporis, quæ non eſt moroſa mora conſenſus. De qua tamen an ſit peccatum & quod, non ſatis videtur exprimere. Tum quia ſic ſimpliciter dicere conſenſum in delectationem eſſe peccatum mortale, non eſt vſquequaque verum etenim (vt infra videbitur) eſt conſenſum in delectationem ſub aliqua quali-

C tate reperire quod non erit niſi peccatum veniale. Et ideo pro ipſa declaratione quantum ad præſentem tractatum ſufficit faciendã eſt aduertendum, quod iuxta poſitionis ſupradictæ effectum, poſitionémque communiorem huiuſmodi delectatio quæ ſic circa id quod de ſuo genere peccatũ mortale exiſtit, eſt & fertur, in triplici differentia reperitur. Vna quidem non moroſa, nec mora temporis nec mora cõſenſus. Alia moroſa mora temporis, ſed non mora conſenſus. Et alia moroſa

D mora conſenſus, quod tamen intelligẽdum venit de conſenſu deliberato.

Eſt inſuper aduertendum, quod cõmuniter per omnes doctores peccatũ delectationis præcipuè moroſæ, rationi attribuitur, & in ea dicitur eſſe. Cum enim vt ſæpe ſupra dictũ eſt, ratio directiua humanorum actuum, & non ſolum exteriorũ, ſed etiam interiorum paſſionum, quotienſcunq; ratio illarum interiorum paſſionum directione deficit, meritò dicitur peccatũ in ipſa ratione in quantum earum directiua eſſet, ſicut etiã quando deficit in

E directione exteriorũ actuum. Cum igitur (vt etiam ſupra tactũ eſt) delectatio ſit quædam animæ paſſio, & per conſequẽs eius directio & regulatio ad eius rationem pertineat, & ſic circa ipſam delectationem, non poſſet propriè indirectio cõtingere, quin ex defectu rationis procedat, clarum eſt omnem indirectionẽ quæ circa delectationẽ contingit, rationi debere, imputari. Et hinc dicitur peccatum delectationis in ratione eſſe, immo amplius cum delectatio licet ſit in vi appetitiua tanquam

F in primo & proximo principio, ſit nihilominus etiam in ratione tanquã in principio motiuo, habeátq; ipſa ratio (vt iam in effectu tactum eſt) non ſolum directionem circa ſeipſam, ſed etiam circa omnia obiecta inferiorum animæ virium quæ per eam dirigi poſſunt, conſequens eſt indirectionem & irregulationem quæ circa delectationem contingit, cum non niſi rationis conſenſu vel defectu contingere poſſit, debere ipſi rationi imputari, ſicque peccatum delectationis in ea eſſe.

Eſt inſuper ad maiorẽ ſuper propoſiti cœpti declarationẽ aduertẽdũ, quod licet propriè loquendo peccatũ delectationis præcipuè moroſæ, quæ iuxta

iuxta supra tacta dicitur ipse consensus in delectatione, posset etiam ad rationem superiorem dici pertinere. Tum primò, quia vt in superioribus satis tactum est) licet ipsa ratio superior & inferior secundum rationem suarũ operationum & officiorum diuersificetur, sunt tamen idem in re & essentia, & sic vix possibile sic rationẽ ipsam inferiorem circa aliquid & gratia materiæ, de qua sermo, circa delectationes concurrere, quinetiam ipsa ratio superior effectu aliter cõcurrat. Tum secundò, quia ipsa ratio superior quę regulis legis diuinę & ęternæ quæ superior est innititur, regulare, habet ipsã rationẽ inferiorẽ, quæ solũ regulis legis humanæ q̃ inferior est intẽdit. Et ideo vix est possibile ipsam rationem inferiorem circa indirectionem delectationis deficere, quin verè scilicet imperando vel interpretatiuè scilicet reprimere, negligendo ipsa ratio superior consentire dicatur. Tum tertiò, quia nihil est de quo ratio inferior, quæ (vt tactũ est) regulis legis interioris intẽdit, iudicare possit, de quo non est etiam ipsa ratio superior quæ regulis legis superioris, & ad quam leges aliæ reduci habent innititur, iudicare etiam valeat. Quicquid enim (vt communiter dicitur) iudicio rationis inferioris subijcitur, subditur etiam iudicio superioris, & non è contra. Et hinc (vt iam tactum est) ipse consensus in delectationem, si facta inquisitione circa ipsum per leges diuinas & æternas, homo in eo perseuerauerit, ad ipsam rationem superiorem dici possit pertinere. Tamen propriè delectatio ipsa in ipsamque delectationem consensus, solum rationi inferiori attribuuntur. Consensus verò in actum seu actus executionem, ipsi superiori rationi. Et ratio est quia rationi superiori (vt magis infra declarabitur) propter supremitatem legis cui innititur, reseruatur iudicium finale & supremum de eo quod in actibus humanis vltimum occurrit, quale est ipse actus seu ipsius actus executio. Nam vltra actum seu actus complementum, non est vlterior progressus. Ipsi verò rationi inferiori quæ non intendit nisi circa legem inferiorem, conuenit etiam iudicium sed non finale, immo solum quoddam præambulum respectu aliquorum quæ ad actum seu ipsius actus executionem ordinantur, quales sunt ipsa delectatio & in ipsam delectationem consensus. Et ideo ipsi rationi inferiori attribuũtur & non superiori. Etiam propriè delectatio & consensus in delectationem, non sunt diuersi secundum genus, qui diuersitatem potentię exigant, sed differunt solũ per deliberatũ & non deliberatum, sicque non est inconueniens vtrumque rationi inferiori attribui.

Est insuper aduertendum, quod magna respectu terrenorũ seu humanorum actuum, est inter motus superioris rationis & motus inferioris rationis & exhinc voluntatis varietas. Apprehensio namque inferioris rationis, quæ vt sæpe dictum est, de se & per se ipsis actibus & negotijs humanis disponendis & regulandis intendit, dupliciter se habere potest, & secundum hoc etiam dupliciter potest eam motus voluntatis sequi. Vno modo simpliciter & absolutè, cum scilicet ipsa ratio subitò aliquid apprehendit, & exinde statim sine aliqua discussione illud sic per eam apprehensum tanquam bonum vel malum, conueniens vel nociuum, delectabile vel non delectabile, & huiusmodi dijudicat. Si igitur talem subitam rationis apprehensionem indiscussamque dijudicationem voluntas in vnum vel aliud se inclinando sequatur, tunc dicitur voluntas non deliberata & motus seu appetitus non deliberatus. Alio modo inquisitiuè, cum scilicet ipsa ratio postquam aliquid sic vt præfertur apprehendit de illo sic per eum apprehenso, an vt tactum est, bonum vel malum, conueniens vel nociuum, delectabile vel non delectabile existat, ratiocinando inuestigat, tunc si talem inuestigationem voluntas sequatur, dicitur voluntas deliberata & motus seu appetitus deliberatus. Rationem verò superiorem, quia vt etiam supra dictum est, actibus ipsis & negotijs terrenis & humanis de se & per se non intendit, & nunquam in obiecta inferiorum animæ virium, quæ per ipsam etiam dirigi habent fertur, nisi solum in quantum de ipsis rationes diuinas & æternas consulit, quod clarum est fieri non posse nisi per modum inuestigationis & deliberationis, nunquam respectu ipsorum actuum & negotiorum terrenorum & humanorum sequitur motus aliquis nisi deliberatus. Et notanter dicitur hic, dum de ipsa ratione superiori fit mentio respectu obiectorum inferiorum animæ virium, ac negotiorum terrenorum & humanorum. Nam respectu sui proprij obiecti aliquando benè habet subitum & inordinatum motum, quod non est præsentis speculationis declarare.

Quia etiam sæpe quod in superioribus dictum est, in subsequentibus forsan repeti continget rationem ipsam ad aliquid moueri & se applicare vel consentire, quod tamen proprium videtur esse voluntatis, est aduertendum quod cum ipsa ratio (vt supra tactum est) sit virtus non solum cognitiua, & sic deliberatiua, verumetiam motiua, imperare est eius actus, non tamen absolutè sed præsupposito actu ipsius voluntatis per modum cuiusdam motionis. Nec enim cum iuxta superius tacta, diuiditur ratio in superiorem portionem & inferiorem, accipitur ratio prout distinguitur contra voluntatem, sed pro toto parte animæ intellectiuæ, quæ intellectum & voluntatem comprehendit. Immo amplius isti duo actus scilicet rationis & voluntatis (quod bene notandum est) se inuicem præuenire, ac super se inuicem ferri possunt, frequentérque præueniunt & feruntur. Aliquando etenim ipsa ratio de volendo ratiocinatur & deliberat, & ipsa etiam voluntas aliquando de ratiocinando volitionem habet, seu ratiocinari vult. Aliquando etiam contingit motum voluntatis à motu rationis præueniri & moueri, & tunc motus ille voluntatis dicitur motus rationalis, & è conuerso etiam motum rationis à motu voluntatis præueniri & moueri, & tunc motus ille rationis dicitur motus voluntarius. Ideóque autem sic in istis casibus dicuntur seu appellantur isti motus, quia semper virtus prioris actus seu motus, remanet in actu seu motu sequenti. Et secundum hoc in ratione inuenitur peccatum, vel prout eius defectus est voluntarius, vel prout actus eius & principium actus voluntatis. Imperare tamen est essentialiter actus ipsius rationis, iuxta quod supra tactum est. Dupliciter autem huiusmodi imperandi actum ipsa ratio exercere potest & solet. Vno modo absolutè per modum cuiusdam intimationis seu denunciationis &

quasi per verbum indicatiui modi, vt puta tale quid faciendum est vel non faciendum, bonum est tale quid facere vel non facere, & huiusmodi. Alio modo per modum cuiusdam motionis seu incitationis & quasi per verbum impetratiui modi, vt puta fac hoc vel non fac hoc. Et licet vt iam in superioribus aliqualiter tactum est, ipsa ratio in ipsis actibus humanis seu passionibus interioribus per huiusmodi modum directionis intimationis vel incitationis sit imperans & primum mouens, ipsa tamen voluntas quoad exercitium & executionum actus est primum mouens in viribus animæ.

Ex sic prænotatorum seu præsuppositorū effectu colligi potest quod circa huiusmodi delectationum de quibus hic agitur (quæ scilicet circa illud sunt quod ex suo genere peccatum mortale existit) directionem ipsa ratio interdum superior, interdum inferior, & consecutiuè ad eam ipsa voluntas seu voluntatis motus, sex modis seu sub sex qualitatibus habere potest. Vno modo vt abijciens seu recusans. Alio modo vt præceps vel subita. Alio modo vt reprimens. Alio modo vt inaduertens, alio modo vt negligens. Et alio modo vt expresse consentiens. Qui sex modi seu sex qualitates applicari possunt, immo effectualiter correspondent tam principali distinctioni trimembri superius ad hoc propositum positæ, quam etiam aliquibus positionibus & distinctionibus bene communibus nonnullorum doctorum in hac materia loquentium. Ex quorum omnium ad inuicem applicatione & declaratione sufficiens quantum ad præsentem tractatum spectat, resultabit ipsius materiæ declaratio & intellectus.

Nunc igitur ad propositum, cum sensualitas illicebrâ, id est, carnali & voluptuosa delectatione rationem inferiorem tangere & pulsare incipit, seu (quod idem est) illecebra in appetitu sensitiuo, vel prout interdum (iuxta quod in superioribus monstratum est) contingere potest, in appetitu intellectiuo insurgere incipit.

Vt abijciens seu recusans.

Aut ratio ipsa inferior statim quod huiusmodi sic insurgentem illecebram seu carnalem & voluptuosam delectationem percipit, & agnoscit eam ex consideratione & applicatione ad legem seu regulam humanam, vt puta quod est contra virtutem moralem, & sic vitiosa vel inhonesta, vel huiusmodi omnino à se abijcit & repellit, vel forsan vtraque ratio concurrenter, scilicet inferior ex ipsa (vt statim tactum est) consideratione & applicatione ad legem seu regulam humanam, & ratio superior ex consideratione & applicatione ad legem & regulam diuinam & æternam, quod concurrenter fieri potest, omnino abijciunt & repellunt. Et tunc in vtroque istorum duorum casuum dicitur ratio primò sex modorū supra tactorum, seu sub prima qualitate se habere, scilicet vt abijciens seu recusans. Qui modus seu qualitas se habendi communis ipsi rationi inferiori attribuitur, quia istud communis ipsa ratio inferior ex seipsa facit. Et tunc nullum est in ratione peccatum. Immo nec tunc propriè dici debet delectatio, sed potius quędam delectationis oblatio, & quędam passio seu pœna peccati originalis. Et si peccatum aliquod existat, hoc solum est in primo motu sensualitatis, de quo satis in superioribus actum & declaratum est.

A

Vt præceps vel subita.

Aut huiusmodi sic insurgentis illecebræ, seu carnalis & voluptuosæ delectationis apprehensionem sequitur quidā præceps & subitus & ante quamcumque præhabitam deliberationem ipsius rationis inferioris in ipsam illecebram seu carnalem delectationem consensus ex ipsius rationis propter vitium fomitis corruptione proueniens, quo casu propriè surreptio fieri dicitur & appellatur. Et tunc ratio dicitur secundò sex modorum supra tactorum, seu sub secunda qualitate se habere, scilicet vt præceps vel subita, qui modus seu qualitas se habendi (vt clarum est) soli rationi inferiori attribuendus est. Correspondétque iste modus seu ista qualitas primo membro principalis distinctionis trimembris superius ad hoc propositum positæ. Nam talis illecebra seu carnalis delectatio, sic in se & secundum se considerata non est morosa, nec mora temporis, nec mora consensus. Estque tunc peccatum solum veniale.

B

Quod autem primò talis illecebra seu carnalis delectatio sit non morosa mora temporis, apparet propter subitam, & præcipitem, & sic minimam prædicti consensus ipsius rationis inferioris durationem in eam. Nam si circa eam ratio ipsa inferior vltra prædictum suum subitum & præcipitem consensum, vel ipsa forsan ratio superior aliter se haberet, vt puta vel magis immorando, vel expressius consentiendo, iam tunc ex isto modo seu ista secunda qualitate recederetur, & ad aliquem aliorum quatuor modorum seu aliarum quatuor qualitatum transiretur, vt statim infra declarabitur. Et ideo hic notantur additum est, sic in se & secundum se considerata.

C

D

Quod etiam talis illecebra seu carnalis delectatio sit non morosa mora consensus (capiendo tamen consensum prout iuxta duas distinctiones superius in hac materia positas, & maximè iuxta primam capitur & capi debet, cum dicitur consensus in delectationem peccatum mortale esse, scilicet pro consensu deliberato) apparet respectu etiam vtriusque rationis.

E

Et primò respectu inferioris propter talis sui consensus subtilitatem & præcipitationem, quibus ipsa ratio inferior à recurrendo ad proprium suum actum, qui est deliberare & ratiocinari, & sic à debite in se circa talem sic insurgentem illecebram seu carnalem delectationem deliberando, legésque & regulas humanas quibus innititur, consulendo impeditur. Et sic propriè consentire, saltem deliberatè, consentire dici non debet. Immo quod talis subitus motus seu talis qualitas se habendi, ipsius rationis inferioris consensus dicatur & appelletur, hoc est valde impropriè & imperfectè, & valde largé. Sed ideo ita dicatur, quia cum ipsa ratio (vt sæpe tactum est) sit virtus cognitiua, & sit deliberatiua, vix est possibile ipsam rationem inferiorem sic circa talem illecebram seu carnalé delectationem quātumcumque subitò & præcipitanter commoueri & se applicare, quin aliqualiter (vt adhuc magis infra declarabitur) dijudicet propter ipsā dijudicationem quodammodo consentire dicatur, licet impropriè & imperfectè, vt supra declaratum est.

F

Et

Et propter istud, dum, vt præfertur in superioribus, de consensu in delectationem, prout hic intelligitur, peccatum mortale esse, notâter & expressè, ad differentiam istius subiti & præcipitis rationis inferioris consensus, additum est illud verbum deliberato. Quod etiam secundo talis illecebra seu carnalis delectatio non morosa sit mora consensus respectu ipsius rationis superioris, patet, quia cum ipsa ratio inferior per ea quæ iam dicta sunt, dicatur à recurrendo ad suum proprium actum, qui est deliberare & ratiocinari, & sit à debitè in se circa talem sic insurgentem illecebram seu carnalem delectationem deliberando legésque & regulas humanas quibus innititur consulendo per talem sui dicti consensus subtilitatem & præcipitationem impedita, à fortiori & per amplius à recurrendo ad iudicium rationis superioris impedita dici & reputari debet, & ex consequenti etiam ipsa ratio superior, quæ ab inferiori ratione consulta non fuit, similiter debitè circa talem sic insurgentem illecebram seu carnalem delectationē deliberandi, ad legésque & regulas æternas quibus innititur, & quæ altiores sunt, recurrendi tēpus & occasionem seu motiuum non habuisse dici & reputari debet. Et sic ipsa ratio superior nullo modo, nec verè nec interpretatiuè consentiēs dici & reputari debet.

Vt reprimens.

Aut huiusmodi illecebram seu carnalem & voluptuosam delectationem sic insurgentem, ipsámque rationem inferiorem pulsare, & iam forsan attrahere incipientem, ratio superior se ex consideratione legis seu regulæ æternæ, vt puta præcepti diuini vel offensæ Dei: statim reprimit, & tunc dicitur ratio tertio sex modorum supra tactorum, seu sub tertia qualitate se habere, scilicet vt reprimens, qui modus seu qualitas se habendi, ipsi soli rationi superiori attribuendus est. Correspondétque etiam iste modus seu ista qualitas primo membro ipsius principalis distinctionis trimembris superius ad hoc propositum positæ. Nam tunc talis illecebra seu carnalis delectatio non est morosa, nec mora temporis, nec mora consensus. Est etiam solum peccatum veniale. Quod autem talis illecebra seu carnalis delectatio non sit morosa mora temporis, patet de se ex dictis, quia statim à ratione superiore reprimitur. Quod autem nō sit morosa mora consensus, capiendo tamen consensum prout statim supra tactum est, pro cōsensu scilicet deliberato & qui in hac materia mortale peccatum dicitur, patet, quia licet ratio ipsa inferior à tali sic insurgente illecebra seu carnali delectatione pulsata fuerit, & forsan vt cōtingere potest, eam quodammodo acceptauerit & retinuerit, nec resistere de se se disposuerit, & propterea quidam imperfectus & indeliberatus eius consensus interuenisse dici potest, propter quod peccatum est veniale, attamē quia regulationi superioris rationis sic (vt tactum est) talem insurgentem illecebram seu carnalem delectationem statim reprimentis illico obedit, séque ab ea regulari permittit, non dicitur propriè & deliberatè consentire. Etenim ratio inferior interdum statim & immediatè non recurrendo, scilicet pro tunc ad leges & regulas humanas quibus innititur, potest à legibus seu regulis diuinis & æternis regulari & conuerti. Quia & si eis principaliter & vt regulás non intendat, per directum tamen & vt secundū eas regulata intendere potest & sæpe intendit.

Vt expressè consentiens.

Aut huiusmodi sic insurgentem illecebram seu carnalem & voluptuosam delectationem post ipsius rationis apprehensionem, ipsa ratio superior non solum non reprimit, immò in eam expressè consentit, & tunc dicitur ratio vltimo sex modorum supra tactorum seu sub vltima qualitate se habere, scilicet vt expressè consentiens. Qui modus seu qualitas se habendi vtrique rationi, diuersis tamen respectibus (vt ex statim sequentibus apparebit) attribuendus est. In quantum etenim exinde causatur peccatum mortale, imputari & attribui debet rationi superiori. In quantum verò iuxta materiam præsentem consensus in delectationem, debet rationi inferiori attribui. Correspondétque iste modus seu ista qualitas tertio membro ipsius principalis distinctionis trimembris superius ad hoc propositum positæ. Nam tunc talis illecebra seu carnalis delectatio quantumcunque modicum teneatur, sicque forsan non morosa sit mora temporis, est morosa mora consensus. Estque tunc peccatum mortale, etiam si desit plena voluntas perficiendi actum, immo vbi forsan expressa voluntas non perficiendi adesset, maximè si feratur ille consensus in ipsam illecebram seu carnalem delectationem tanquam in rem aut operationem seu actum, super quo vel circa quem illa illecebra seu carnalis delectatio sic insurgit & versatur, & qui talis illecebræ seu carnalis delectationis esset principale obiectum, iuxta quod modicū infra magis declarabitur. Nam tunc primò est verus & expressus rationis superioris in ipsam illecebram seu carnalem delectationem consensus, qui semper in talibus delectationibus, quæ circa ea sunt, quæ ex suo genere mortalia existunt, iuxta tamen modificationem statim tactam, est peccatum mortale. Nam semper in talibus & circa talia delectatio morosa mora talis consensus, tale peccatū est qualis esset ipse realis actus. Quia tunc ratio superior sit expressè in talem illecebram seu carnalem delectationem, quæ est in creatura, consentiēdo, se à vera delectatione quæ est in Deo, circa quā solum intendere debet, scienter auertit, quod sine contemptu facere non potest, cum nunquam expressè (vt in superioribus monstratum est) in aliquid circa tales res carnales & terrenas consentire possit, consentiréque dicatur nisi deliberata. Deliberata autem facere non potest, quin leges & regulas diuinas & æternas quibus innititur, consuleret vel consulere omiserit & neglexerit, & sic verè vel interpretatiuè contempserit. Et etiam tunc in talem illecebram seu carnalem delectationem ipsius rationis inferioris consensus expressus, quia in talibus carnalibus & terrenis per ipsam rationē inferiorem apprehensis, & circa quæ se applicauit, nunquam ratio superior (quæ vt supra dictum est, de se & ex se circa talia non intendit) propriè consentire dicitur, nec consentire potest, nisi ipsa etiam ratione inferiori realiter deliberata & consentiente, sed bene è contra contingere potest. Immò propriè loquendo talis expressus ipsius rationis superioris in talem illecebram seu carnalem delectationem consensus, ni-

hil aliud est quam quod ipsa ratio superior dictam rationem inferiorem in huiusmodi illecebram seu carnalem delectationem delectari, ac ipsam ab ea non reprimere seu retrahere, ac cum ea in tali delectatione concurrere verè & expresse deliberata consentiatur. Et hinc est quod licet interdum (prout iam in superioribus tactum est) ipsa ratio superior in illecebram seu carnalem delectationem verè & expressè seu interpretatiuè cōsentiat, túncque talis illecebræ seu carnalis delectationis quæ tunc verè mora consensus morosa est, morosáque dicitur, peccatum possit ad ipsam rationem superiorem dici pertinere, quia tamen ipsa superior non propriè ex se, nec ad se hoc facit, illudque etiam non nisi ipsa similiter ratione inferiori deliberata & consentiente propriè facere possit, hinc est quod peccatum morosæ delectationis communiter & propriè dicitur ad rationem inferiorem pertinere, prout amplè in superioribus declaratum est. Et hic est talis proprius & deliberatus consensus, de quali tam iuxta sæpè dictas duas distinctiones in superioribus positas, quod etiam communiter intelligitur dum dicitur consensus in delectationem peccatū mortale esse.

Vt negligens.

Aut huiusmodi sic insurgentem illecebram seu carnalem & voluptuosam delectationem post ipsius rationis apprehensionem ipsa ratio superior non reprimit, sed non etiam expressè in eam consentit. Et respectu istius casus potest se ratio duplici modo seu sub duplici qualitate habere. Vno modo seu sub vna qualitate, quā talem illecebram seu carnalem delectationem, quam sic ratio superior nec reprimit, nec etiam in eam expressè consentit, ratio inferior post sufficientem deliberationem debitámque animaduersionem periculi & peccati quod exinde imminet & incumbit retinet, & circa eam immoratur, nec eam ipsa ratio superior ex diuinæ & æternæ legis & regulæ consideratione est diligens reprimere. Et tunc dicitur ratio quinto sex modorum supra tactorum seu sub quinta qualitate se habere scilicet, vt negligens. Qui modus seu qualitas se habendi, licet quamplurimum & principalius (vt ex statim sequentibus apparebit) rationis inferioris in eo consensus occurrat & operetur, attribuendus est superiori rationi, quia per istum modum seu per istam qualitatem se habendi rationis superioris causatur peccatum mortale, quod alias non esset. Correspondétque etiam iste modus seu ista qualitas tertio membro principalis distinctionis trimembris superius ad hoc propositum positæ. Nam tunc talis illecebra seu carnalis delectatio quantumcunque modicum forsan (vt in simili supra dictum est) teneatur, sicque non morosa sit mora temporis, est morosa mora consensus. Estque tunc (vt iam dictum est) peccatum mortale, etiam si desit plena volūtas perficiendi actū, immò prout supra in simili dictum est, vbi forsan expressa voluntas non perficiendi adesset, maximè si (vt ibi etiam dictum est) talis retentio ipsius illecebræ seu carnalis delectationis in ipsa ratione inferiori, & negligentia reprimendi in ipsa ratione superiori esset tanquam in rem aut operationem seu actum, super quo vel circa quem ipsa

A illecebra seu carnalis delectatio insurgit & versatur, & talis illecebræ seu carnalis delectationis esset principale obiectum, iuxta quod modicum infra magis declarabitur. Tunc enim est vtriusque rationis in talem illecebrā seu carnalem delectationem consensus scilicet expressus ipsius rationis inferioris, quod patet de se ex dictis, ipsius etiam rationis superioris, licet non verus & expressus, interpretatiuus tamen & æquiualens, attenta tali deliberatione, periculíque & peccati aduertentia seu animaduersione, quia qui auisatus & deliberatus prohibere potest & non prohibet, consentire

B videtur. Qui quidem consensus interpretatiuus & æquiualens ipsius rationis superioris quando est circa ea vel super eis quæ de suo genere peccata mortalia existunt, est semper peccatum mortale, quia licet tunc non sit expressus Dei contēptus, factiu⁹ seu actiuus & positiuus, est tamē interpretatiuus, permissiuus & æquiualens, permittens. s. post talem sufficientem deliberationē, talémque aduertētiam seu animaduersionē periculi & peccati, &c. teneri à ratione inferiori, illa quæ statim

C respui aut reprimi debuerant. Etenim ratio superior quotiés non dirigit seu cohibet aliquem actū vel aliquam passionem interiorē alicuius peccati mortalis, & hoc post sufficientē deliberationē & aduertentiam talis periculi talisque peccati quod sic imminet & incumbit, siue tunc de lege seu regula diuina & æterna actu cogitet, siue non, dicitur consentire & contēnere, sed diuersimodè. Nā cum de ipsa lege seu regula diuina & æterna actu cogitet, tunc verè & realiter contemnere dicitur,

D veréque & realiter contēnit. Cum verò de ipsa lege seu regula diuina & æterna actu non cogitat, quia hoc non nisi ex sua negligentia & omissione prouenire potest, cum de ea in tali casu cogitare deberet, per omissionem & negligentiam contemnere, cum talis omissio & negligentia in ipsa ratione superiori post sufficientem deliberationem, nullo modo sine vero & effectuali contemptu licet interpretatiuo esse & contingere possit, vt hic etiam effectiuè & interpretatiuè, est talis consensus, de quali tam iuxta sæpè dictas duas di-

E stinctiones in superioribus positas, quam etiā cōmuniter intelligitur, dum dicitur consensus in delectationem, peccatum mortale esse.

Vt inaduertens.

Alio modo sub alia qualitate respectu istiusmet casus statim tacti potest se ratio habere, quod scilicet huiusmodi sic insurgentem illecebram seu carnalem delectationē quam sic post ipsius rationis apprehensionē ipsa ratio superior nec reprimit, nec etiam in eam expressè consentit, ipsa ra-

F tio inferior retineat & circa eam immoretur, sed hoc fit ante sufficientem deliberationem, debitāque aduertentiam seu animaduersionē periculi & peccati, quod exinde imminet & incumbit, immò quod sic dictam illecebram seu carnalem delectationem ipsa ratio inferior retineat, & circa eam immoretur, facit quasi suspensa & non bene aduertens, nec debitè ad suum proprium actum qui est deliberare & ratiocinari, recurrens, séque eleuando leges seu regulas humanas quibus innititur consulens, vel si forsan ad dictum suum proprium actum recurrerit, séque leuando leges seu regulas humanas consulerint, non tamen plenè naturam

naturam & grauedinem ipsius periculi & peccati ex se cognoscit & aduertit. Etenim (quod pro istius materiæ intellectu bene cõsiderandum est) ratio ipsa inferior bene potest circa talem illecebram seu carnalem delectationem, sicut & circa alias interiores animæ passiones, quandoque versari & immorari, considerando & ratiocinando in se quod tale quid accommodum est vel conueniens corpori vel huiusmodi. Quod ipsa respectu talis illecebræ seu carnalis delectationis aut alterius interioris animæ passionis non recurret ad suum proprium actum qui est deliberare & ratiocinari. Nec se eleuabit considerando & attendendo circa periculum & peccatum, quod in sic illecebræ seu carnaliter delectando, ac circa talem illecebram seu carnalem delectationem vel aliquam aliam interiorem animæ passionem immorando, imminet & incumbit. Vel si forsan ad dictum suum proprium actum recurrat, séque circa dictum periculum seu peccatum considerando & attendendo eleuet non tamen ex se naturam & grauedinem ipsius periculi & peccati plenè cognoscet & aduertet. Et tunc in isto scilicet casu dicitur ratio quarto sex modorum supra tactorum seu sub quarta qualitate se habere scilicet vt inaduertens. Qui modus seu qualitas se habendi ipsi soli rationi inferiori, vt ex statim subsequentibus apparere poterit, attribuendus est. Correspondétque iste modus seu ista qualitas secundo membro principalis distinctionis trimembris super hoc ad propositum positæ. Nam tunc talis illecebra seu carnalis delectatio dicitur morosa mora temporis & non morosa mora consensus. Estque tunc solum veniale peccatum.

Quod enim morosa sit mora temporis patet de se ex dictis & ex natura casus qui ponitur, scilicet propter immorationem ipsius rationis inferioris circa eam. Nam si ipsa ratio inferior circa ipsam non immoraretur, sed eam ex se sola aut concurrenter cum ratione superiori, statim à se abijceret, iam ipsa ratio se non isto quarto modo seu sub ista quarta qualitate, sed primo modo seu sub prima qualitate supra posita, (vt satis ibi declaratum est) se haberet. Vel si à ratione superiori sola, talis illecebra vel carnalis delectatio statim reprimeretur, iam ipsa ratio se non isto modo seu sub ista qualitate, sed tertio modo seu sub ista tertia qualitate supra iam positis (vt etiam ibi satis declaratum est) se haberet. Sed quod talis illecebra seu carnalis delectatio sit non morosa mora consensus, capiendo tamen consensum prout sæpè supra tactum est in hac materia capi, dum scilicet ponitur consensus in delectationem peccatum mortale esse. Hoc satis etiam respectu vtriusque rationis patet ex iam statim dictis, & etiam per aliqua eorum quæ in superioribus in declaratione secundi modi seu secundæ qualitatis se habendi ipsius rationis, tacta sunt. Nam primò respectu ipsius inferioris rationis, licet per talem eiusdem in dictam illecebram seu carnalem delectationem immorationem videatur, & dici possit quidam eius improprius & imperfectus in ipsam illecebram & cætera interuenire consensus, propter quem est peccatum veniale, non tamen debet talis consensus proprius, perfectus ac deliberatus dici aut reputari, quia (vt ex iam dictis appareat) ante sufficientem deliberationem debitámque periculi & peccati aduertentiam seu animaduersionem, & sic antequam vt iam dictum est, ipsa ratio inferior ad suum proprium actum qui est deliberare & ratiocinari, debitè recurreret, legésque seu regulas humanas quibus innititur, cõsuleret, vel forsan antequam naturam & grauedinem ipsius periculi & peccati plenè cognosceret & aduerteret, talis eius immoratio, talisque improprius & imperfectus consensus contingit, quæ omnia tamen dictam ipsius rationis inferioris immorationem, dictúmque improprium & imperfectum præcedere debuissent, & omnino necessaria sunt antequam talis eius immoratio talisque consensus dici possit, dicíque debeat verus & perfectus esse, exinde peccatum mortale contingere possit.

Nec etiam in isto casu respectu ipsius superioris rationis debet talis illecebra seu delectatio morosa mora consensus reputari. Quia (vt sæpe in simili supra tactum est) ex quo ipsa ratio inferior, quod sic circa talem illecebrã seu carnalem delectationem immoretur, facit quasi suspensa & non bene aduertens, nec debitè ante talem immorationem ad suum proprium actum qui est deliberare, ratiocinari, recurrens, séque periculum seu peccatum quod imminebat & incumbebat cõsiderando & attẽdendo, legésque seu regulas humanas quibus innitur, consulendo eleuans à minori, debet dici ad iudicium superioris rationis, quæ altior & sublimior est, eam scilicet consulendo recurrisse & se eleuasse. Et sic non mirum si ipsa ratio superior quæ de se & per se circa tales actus carnales & terrenos non intendit, nec se semper ex seipsa circa eas leges seu regulas diuinas & æternas consulendo applicat quasi suspensa & non bene aduertẽs, & sic indeliberata, & per consequens nec verè nec interpretatiuè consentiens, debet in hoc casu dici & reputari. Etiam (vt iam tactum est) natura istius quarti modi seu istius quartæ qualitatis se habendi rationis, vt videre clarum est, hoc de se habet & importat, cum expresè importet rationem inferiorem circa talem illecebram seu carnalem delectationem ante sufficientem deliberationem, debitámque aduertẽtiam seu animaduersionem periculi & peccati quod exinde imminet & incumbit, immoratam esse. Nam si poneretur ipsa ratio inferior sic post sufficiẽtem deliberationem debitámque aduertẽtiam periculi & peccati immorata fuisse, iam vt in simili statim tactum est, non iste quartus modus seu ista quarta qualitas se habendi ipsius rationis esset, sed vnus duorũ modorum seu qualitatum immediatè explicatorum, scilicet vel sextus vel quintus.

Et intelligantur hæc omnia hic statim supra prædictorum sex modorum seu sex qualitatum se circa delectationem habendi ipsius rationis tractata principaliter de consensu in delectatione cogitationis, id est, quæ habetur cogitando. Nam talis consensus, vt sæpè supra tactum est, principaliter ad rationem inferiorem pertinet sicut ad ipsam pertinet cogitare, id est actus ipse cogitationis, & etiam ad ipsam quod est cogitare vel non cogitare, in quantum accipitur vt ad illam actionem ordinatur. Quod notanter dicitur, nam est quendam alium consensum in delecta-

tionem actus seu operis maximè dum ille actus seu illud opus est in fieri: qui consensus in talem delectationem sicut & ipse consensus in illum actum seu opus ad solam rationem superiorem spectat, & non ad inferiorem.

Vtrum consensus in delectationem sit semper peccatum, & quod.

QVIA in superius tractatis & specialiter modicum supra in declaratione sex modorum seu sex qualitatum se circa delectationem habendi ipsius rationis sæpè de consensu in delectationem facta est mentio interdúmque tactum quomodo consensus etiam verus & deliberatus, & etiam ipsius rationis superioris in delectationem nō semper est peccatum mortale. Pro huius nec non aliquorum ex præcedentibus maiori declaratione quinque rememoranda & aduertenda veniunt.

1 Primum quod omnis delectatio habet aliquod proprium & principale obiectum circa quod fertur & versatur. Nec enim aliter vt clarum est, possit delectatio causari & haberi, si non circa aliquid principaliter ferretur & versaretur.

2 Secundum quod etiam iuxta dictum philosophi, omnis delectatio siue sit in appetitu sensitiuo, siue in appetitu intellectiuo, siue vt modicū supra tactum est, sit in cogitatione solum, siue in actu seu executione actus, aliquam operationem consequitur. Etenim vt in superioribus declaratum est, omnis delectatio ex trium concursu causari habet & causatur, scilicet ex boni & conuenientiæ per viam appetitiuam adeptione, & ad eam applicatione prout scilicet talem bonum & conueniens sentitur vel qualitercunq; percipitur, quę duo sunt scilicet ipsum bonum & conueniens ꝙ sic sentitur & percipitur, & ipsa vis appetitiua quę sic illud sentit & appetit, & tertij scilicet cognitionis talis adeptionis & applicationis. Nūc igitur ad propositum clarum est istud fieri nō posse, quin primò vt iam tactum est ibi sit aliquod proprium & principale obiectum, scilicet illud bonū & conueniens quod sic adipiscitur & applicatur, quinetiam secundò ibi sit aliqua operatio, scilicet tam illa ipsius boni & cōuenientis adeptio & applicatio, quæ sine aliqua operatione fieri non potest, quam etiam ipsius actualis talis adeptionis & applicationis cognitio, quæ etiam quædam operatio est, immo ipsa propria operatio etiam de se quoddam bonum & conueniens est. Exēpli gratia. Delectatur aliquis in visione alicuius rei pulchræ, vel in gustu alicuius rei sapidæ seu saporosę, vel in rememoratione alicuius magni honoris habiti, vel aliqua simili cogitatione, clarum est in tali delectatione tria cōcurrere. s. Primò ipsam quę sic delectabiliter videtur, vel gustatur vel rememoratur, vel cogitatur, & illa est illius delectationis proprium & principale obiectum. Secundò, ipsam vim appetitiuam, quæ per quandam operationem vt puta talem visionem, gustationē, rememorationem vel cogitationem illam rem tanquā suum obiectum complacenter adipiscitur, & sibi applicatum habet & in eo quietatur. Et tertiò cognitionem illius adeptionis, & applicationis, quę si non interueniret, nulla propriè esset delectatio, vt satis in superioribus exemplificatum est de infantibus & insensatis. Ex quibus iterum videri potest quomodo delectatio quælibet potest ad duo comparari seu referri, vel scilicet ad illud propriū & principale obiectum circa quod vel in quo sic versatur, vel ad illam operationem quam sic consequitur. Tertiū aduertendum, quod etiā ipse cōsensus in delectationem, qui multū amplius quam ipsa sola delectatio ponit & importat, quique (vt in superioribus pluries tactum est) ipsi rationi sēper attribuitur, consequitur etiam, si interueniat, quandam aliā ipsius rationis operationem, scilicet quandam dijudicationem seu ratiocinationem. Nec enim (vt clarum est) ratio ipsa in delectationem aliquam consentire possit, nisi prius eius apprehensionem de ea quodammodo dijudicaret seu ratiocinaretur. Ista autem dijudicatio seu ratiocinatio non est aliud nisi quidam ipsius rationis actus interior & in mente existens, qui propriè fieri non potest nisi per modum cuiusdam cogitationis seu meditationis, quæ in hoc proposito pro eodem accipiūtur & reputantur. Et hinc est quod talis ipsius rationis dijudicatio seu ratiocinatio valde frequenter & quasi communiter cogitatio dicitur & appellatur, immò vt modicum supra tactum est, quando consensus in delectationē principaliter rationi inferiori attribuitur, intelligendū est de delectatione quæ est in cogitatione, & non de illa quæ est in actu seu actus executione.

Quartum aduertendum quod quandoque cōtingere potest, quod aliqua operatio erit metipsū proprium & principale delectationis obiectum sicut posset esse aliqua alia res ab extra, quia forsan illa operatio (vt iam tactum est) accipietur à ratione, vt bonum & finis in quo aliquis delectando requiescat. Iuxta exemplum iam positum, cogitabit aliquis de aliqua magna complacentia quā alias habuerit, vel in visione alicuius rei pulchræ vel in gustatione alicuius rei sapidę vel huiusmodi & in ista cogitatione seu rememoratione delectabitur, certum & clarū est quod ista delectatio habet pro suo proprio & principali obiecto illam operationem quæ sic cogitatur & rememoratur. s. illam visionem vel illā gustationē, vel huiusmodi.

Quintum aduertendum quod amplius cōtingere potest scilicet quod illamet propria operatio quam de facto ipsa delectatio consequitur, erit propriū & principale illiusmet delectationis obiectum. s. vis animæ appetitiua, cuius est propriè delectari in illam operationē sicut in quoddā sibi bonum & conueniens complacendo reflectetur. Vt gratia exempli iuxta casum iam supra tactum. Cogitabit aliquis rememorando de aliqua magna complacentia quā alias in aliqua re vel in aliqua operatione habuerit, & in ista cogitatione seu rememoratione delectabitur, nō quidem quod illā delectationem quā sic habebat, reflectat in illam rem seu in illam operationē de qua sic cogitabat, sed in ipsam propriam met cogitationem quā sic habebit, vt puta quia delectabitur ex eo solum ꝙ sic cogitat, vel quod sic rememoratur, certum & clarum est quod in isto casu ista delectatio habet pro suo proprio & principali obiecto ipsam met cogitationem circa quam versatur.

Nunc igitur prædicta ad propositum applicādo, triplex reperitur cuiuslibet delectationis proprium

prium & principale obiectum. Aut enim delectatio sic aliquam (vt semper fieri iam tactum est) A operationem sequens. Et vt sermo per aliquod particulare exemplum & quod iuxta supra tacta cōmunius cōtingit, clarius procedat, ponatur iuxta casum iam pluries superius tactū quod aliquam cogitationem consequatur. Aut igitur talis delectatio habet pro suo proprio & principali obiecto aliquam rem ab extra quæ tunc forsan cogitatur. Aut habet pro suo proprio & principali obiecto aliquam aliam operationem quasi rem quæ cogitatur. Aut habet pro suo proprio & principali obiecto ipsammet cogitationem circa quam actualiter versatur.

Si primò modo scilicet quod delectatio illa sic cogitationem aliquam consequens pro suo proprio & principali obiecto habeat rem aliquam ab extraque cogitatur, sic scilicet quod licet talis delectatio circa illam cognitionem versetur, non tamen ex principali ipsius cogitationis intuitu, nec in sola reflexione ad eam, sed principali intuitu, principalíque reflexione in ipsam rem quæ sic cogitatur? Et tunc quando talis delectatio & etiam consensus in actum, peccatum sit & quale, satis ex eis quæ modicum supra circa naturam ipsius delectationis tractata sunt, perpendi potest, considerando scilicet (vt ibi tactum est) an talis delectatio sit naturalis, an voluntaria, & an sit circa rem licitam aut illicitam, & an sit moderata aut immoderata, & an talis consensus sit verus & expressus, aut interpretatiuus & æquiualens, & an sit ipsius rationis superioris vel solum inferioris, & huiusmodi quæ ibi diffusè explicata sunt.

Si verò secundo modo, quod scilicet illa delectatio pro suo proprio & principali obiecto habeat aliquàm aliam operationem quæ cogitatur, sic scilicet quod quamuis vt iam statim tactum est, talis delectatio circa talē cogitationē versetur, nō tamē ex principali ipsius cogitationis intuitu, nec in sola reflexione ad eam sed principali intuitu, principalíque reflexione in ipsam aliam operationem quæ sic cogitatur. Et tunc si talis operatio sic cogitata quæ est proprium & principale obiectū illius delectationis, sit de se peccatum veniale, tūc consensus etiam verus & deliberatus in talem delectationem quæ sic circa talem delectationē versatur, non erit nisi veniale peccatum. Si autem illa operatio sic cogitata quæ est proprium & principale obiectum illius delectationis, sit peccatum mortale, tunc etiam consensus verus & deliberatus in delectationem quæ sic circa talem cogitationem versatur, etiam si tunc iuxta quod modicū supra declaratum est, non adsit voluntas deliberata perficiendi actum si facultas adesset erit peccatum mortale, quia quod homo in cogitatione talis operationis principali eius intuitu, principalíque reflexione in eam delectetur, non contingit nisi ex eo quod eius affectus seu appetitus est in illam operationem sic cogitatā inclinatus. Et ideo etiam quod in talem delectationem cōsentiat, nihil aliud est quam quod ipse ex deliberatione eligat seu in hoc consentiat quod affectus suus seu appetitus in illam operationem sic cogitatam inclinatus permaneat & persistat. Nullus enim delectatur nisi in eo quod suo affectui seu appetitui est conforme. Quod autem aliquis ex deliberatione eligat seu consentiat quod affectus suus seu appetitus his quæ peccata mortalia sunt conformetur, est peccatum mortale. Et ideo talis consensus in talem delectationem quæ circa cogitationem operationis peccati mortalis tali respectu versatur, est peccatum mortale.

Si verò tertio modo, quod scilicet illa delectatio pro suo proprio & principali obiecto, habeat ipsammet cogitationem circa quā actualiter versatur, sic scilicet quod ipsa delectatio circa talem cogitationem feratur in se, principalíque ipsius B cogitationis intuitu, principalíque reflectione in eam, vt puta iuxta supra tacta, quod quis in talem cogitationem ex eo solum quod sic cogitat delectetur. Et tunc quia talis cogitatio etiam si versetur circa rem aut operationem quæ de se peccatum mortale existat, non est tamen de se peccatum mortale, immò vel veniale tantum, vtputa cum aliquis (vt interdum cōtingit) vanè & inutiliter cogitat, vel omnino sine peccato, vt puta cum aliquis vtiliter sicut pro prædicando vel disputando de tali re vel operatione cogitatur, ideò C consensus etiam verus & deliberatus in talem delectationem, non est peccatum mortale, sed solum iuxta quod iam tactum est, vel veniale tantum vel nullum. Quia quod homo etiam ex deliberatione suum affectum seu appetitum in his quæ de se peccata non sunt, vel non nisi venialia, eligat vel consentiat esse inclinatum, non potest esse peccatum mortale de se, nisi aliæ circunstantiæ concurrerent, quia cogitatio quæcunque sit in seipsam solum reflexa, nisi alia vt iam tactū D est, concurrerent, nunquam de se & secundùm se est peccatum mortale. Et quia istud nonnullis posset aliqualiter intricatum seu obscurum videri, ad clariorem intelligentiam exemplificant doctores respectu duorum vltimorum membrorum istius distinctionis hic immediatè supra positæ de cogitatione fornicationis. Etenim vt dicūt, cogitans de operatione seu actu fornicationis, sic cogitando duobus principaliter respectibus delectari potest. Aut enim sic cogitando, in ipsa sua cogitatione delectabitur in respectu & reflexione E ad ipsum actum seu ipsam operationem fornicationis quam sic cogitat, sic scilicet quod principali intuitu talis operationis fornicationis, principalíque reflexione in eam in tali cogitatione delectatur. Aut sic cogitando in ipsa cogitatione delectatur solo respectu, soláque reflexione in ipsa suam cogitationem met, ex eo solum. s. delectatus quod sic cogitat. Si primo modo, tunc consensus deliberatus in talem delectationem quæ sic super tali cogitatione fornicationis versatur, etiā si desit F voluntas deliberata perficiendi actum, est peccatum mortale, quia talis consensus iuxta quod statim supra declaratum est, nihil aliud est quā quod ex deliberatione quis eligat seu consentiat quod affectus suus seu appetitus permaneat & persistat inclinatus in fornicatione, quod est peccatū mortale, cum fornicatio de se peccatū mortale existat. Ex deliberatione etenim, vt sæpe supra tactum est, eligere seu cōsentire quod affectus suus seu appetitus permaneat & persistat inclinatus in aliquid, seu conformetur alicui quod de se peccatū mortale existit, est peccatum mortale. Si secundo modo delectetur, cū talis cogitatio de se & secundū

se non sit peccatum mortale, immò vt supra tactũ est, possit vtiliter vt pro prædicando vel disputãdo de fornicatione haberi, sic nec etiam consensus deliberatus in talem delectationem, erit peccatũ mortale, vel veniale tantũ, vel forsan nullũ, quia vt etiã sępe supra tactum est, ex deliberatione eligere seu consentire affectum suum seu appetitũ esse inclinatum in aliquod, seu conforme alicui quod de se & secundũ se peccatum mortale non existat, non est etiam mortale peccatum. Et propter ista in declaratione vltimi sex modorum seu sex qualitatum se circa delectationem habendi ipsius rationis supra positorum, notanter addita est illa clausula, maximè si feratur ille consensus in ipsam illecebram seu carnalem delectationem, tãquam in rem aut operationem seu actum supra quo vel circa quem ipsa illecebra seu carnalis delectatio sic insurgit & versatur, & qui talis illecebræ seu carnalis delectationis esset principale obiectum, vt est ibi videre. Et intelligantur semper in omnibus præmissis, iuxta quod latè in modicũ supra tactis declaratum est, consensus verus & deliberatus esse, quando scilicet ratio superior in huiusmodi delectationibus expresè consentiẽdo concurrit vel eas post sufficientẽ deliberationem debitámque aduertentiam seu animaduersionem periculi & peccati quod inde imminet & incumbit, reprimere negligit.

Et hæc quoad ea quæ circa materiã delectationis & consensus in eam, an scilicet & quando & qualia peccata existant, ex dictis doctorum quantum ad hunc tractatũ spectare & sufficere visum est, recolligi & elici potuerunt.

De consensu in actum an sit peccatum, & quod.

QVIA verò prout in superioribus, vbi de hac præsenti materiã, scilicet de natura primorũ motuum delectationis & consensus in actũ peccati, tractari incœpit, actum est, licet iam proximè monstratum est, possit circa consensum deliberatum in delectationem peccatum mortale formaliter insurgere & contingere, immò communius iuxta tamen modificationes modicum supra positas, insurgat & contingat, non propterea tamen in tali consensu in delectationem adeò est completa tentatio, quin vlterius progredi possit, scilicet vsque ad ipsum consensum in actum exteriorem, immò in ipso solo consensu in actum exteriorem dicatur tentatio suppleri, vltraq; progredi non posse, cum non videatur quid vltra cõsensum in actum exteriorem ipsa tentatio operari posset, propter istud & etiam seruando ordinem prædispositum, post expositionem & declarationem naturæ & qualitatis ipsorum primorum motuum ipsiusque delectationis, venit aliqualiter de natura & qualitate ipsius consensus in actum tractandum & declarandum.

Circa quod primò rememorandũ venit, quod iam modicum supra scilicet de ipsa delectatione & de consensu in eam cui parti rationis attribuantur, tractatum est, aliqualiter tangi incepit, scilicet quod sensus in actum seu actus executionẽ, semper rationi superiori attribuitur, secundum tamẽ quod in ipsa ratione voluntas includitur, propter quod iuxta superius tacta, consensus ille voluntarius dicitur. Et causa est, quia iam ibi etiam
A aliqualiter aperiri incepit. Cum enim consensus in aliquid de se importet vel præsupponat quoddam iudicium de eo in quod sic consentitur, nec enim aliter consensus propriè in aliquid fieri posset, nisi per prius de illo in quo sic consentitur, eiusque qualitate & natura quodammodo iudicatum esset, & in omni iudicio quod bene considerandum venit, vltima sententia ad supremum adiutorium seu iudicatorium spectet & pertineat, cum insuper vt etiam sæpè supra tactum est,
B omnium negotiorum seu operationum humanarum iudicium, ad rationem siue superiorem siue inferiorem spectet, secundum tamen respectũ ad duplicem regulam secundum quam omnes operationes humanæ (vt sæpissimè etiam dictum est) regulari habent scilicet vel regulam legis humanæ, quæ sumitur ex rebus creatis quas naturaliter homo cognoscit, cui regulæ ratio inferior innititur, vel regulam legis diuinæ, quæ sumitur ex rebus æternis & increatis, ad quas homo spiritualiter inclinatur cui regulæ ratio superior innititur, & ita sit quod ipsa regula legis diuinæ sit superior, immò suprema: & per consequens supremum auditorium & iudicatorium, vltimáque sententia ad illam partem rationis pertineat, quæ sic ipsi regulæ legis diuinæ (quæ suprema est) innititur, quæ est pars superior seu ratio superior. Cum præterea de pluribus se inuicem consequentibus occurrit iudicandum, finale iudiciũ, finalisque sententia sit de illo quod in tali consecutione seu concursu est vltimum vltimóque
D occurrit, & in negotijs humanis vltimum quod sequitur & occurrit, sit ipse realis actus, seu ipsius actus executio, & per consequens iudicium de ipso actu seu actus ipsius executione sit iudicium finale) sententiáque finalis, & sic ad supremum auditorium, seu iudicatorium pertinens, sequitur manifestè quod ad ipsam rationem superiorem ad quam sic (vt tactum est) iudicium supremum, finalisque sententia negociorum seu operationum humanarum spectant, iudicium de ipso actu seu ipsius actus executione
E spectat & pertinet, & per consequens etiam cõsensus in ipsum actum, seu ipsius actus executionem quando interuenit, cum non nisi vt tactum est, post iudicium supremum ac finale, de ipso actu habitum interuenire possit. Ex quo iterum sequitur quod (vt etiam in superioribus sæpe est tactum) quotiescunque talis ipsius rationis superioris consensus siue verus & expressus, siue æquiualens & interpretatiuus in actum aliquem qui ex suo genere vel aliqua circunstan-
F tia peccatum mortale existit, interuenit, talis cõsensus est peccatum mortale. Quia semper talis ipsius rationis superioris in talem actum peccati consensus, etiam si ipse realis actus, iuxta tamen modificationem modicum infra tãgendam non procederet seu subsequeretur, est tale peccatum quale esset ipse realis actus. Et ratio iam quodammodo in superioribus tacta est, ex præmissisque sumi potest.

Et primò respectu consensus veri & expressi ipsius rationis. Nam ipsa ratio superior, ad quam (vt sic statim tactum est) talis cõsensus in huiusmodi actum, qui de se ex suóque genere, vel ex aliqua circun-

circunstantia peccatum mortale est, pertinet, nullo modo in dictum verum expressum consensum inclinari posset, quin prius de ipso actu eiusque natura & qualitate deliberauerit & iudicauerit, aliàs vt supra tactum est, non esset verus & expressus consensus. Deliberare autem & iudicare maximè circa tales actus humanos nō potest, nisi regulam iuris diuinæ & æternæ cui sic innititur, consultat. Consulta autem regula legis diuinæ & æternæ, in talem actum qui sic de se ex suoque genere vel ex circunstantia aliqua peccatum mortale existit, cōsentire non potest, quin ipsam regulam & legem diuinam & æternam, actu & realiter contemnat & spernat, seque ab ea totaliter & secundum habitum auertat. Actu autem & realiter regulam legis diuinæ & eternæ contemnere & spernere, seque ab ea totaliter & secundum habitum auertere nō potest, quin peccatum mortale existat. Sequitur ergo prædicta simul adaptando & applicando, quod ipsa ratio superior in talem actum peccati mortalis verè & expressè consentire non potest, quin peccatum mortale existat. Respectu verò consensus ipsius rationis superioris æquiualentis & interpretatiui hoc idē patet quia talis actus qui sic de se ex suoque genere vel aliqua actus vel aliqua circunstantia peccatum mortale existit, cum de ipso supremum & finale iudicium (vt sæpe supra tactum est) ad ipsam rationē superiorem spectet & pertineat, committi non potest, nec in realem executionem deduci, quin ipsa ratio superior negligens fuerit ipsū impedire, voluntatéque respectu illius regulare & reprimere, & per consequens quinetiam regulam legis diuinæ & æternæ actu & realiter si tunc de ea actu cogitabat, vel per modum cuiusdam inexcusabilis obmissionis & negligentię, si tunc de ea nō cogitabat, cum in tali actu cogitare debuisset, contempserit & spreuerit, ac si ab ea totaliter & secundum habitum auerterit. Et exhinc dicit beatus Tho. prima secundæ suæ summæ quod ratio superior in ipsum actum peccati consentire dicitur, non solum quia secundum rationes æternas semper moueat ad agendum, sed etiam quia secundum rationes æternas non dissentit. Ad propositum etiam istorum dicit Augustinus de Trinitate. Non potest peccatum efficaciter perpetrandum mente discerni, nisi illa mentis intentio, penes quam summa potestas & membra in opus mouendi vel ab opere cohibendi (loquens de ratione superiori, prout etiam voluntatem iuxta quod iam dictum est, includit) malæ actioni cedat vel seruiat. Prout hæc latius modicum supra, & specialiter in declaratione quinti sex modorum seu sex qualitatum se circa delectationem habendi ipsius rationis declarata sunt. Quæ ibi tacta possunt ad hoc propositum respectu consensus ipsius rationis superioris in ipsū actum applicari. Et adhuc peramplius & efficacius, cum non tanta culpa ipsi rationi superiori imputari habeat, nec faciliter tam graue peccatum insurgat, dum ipsa verè & expressè, aut ęquiualenter & interpretatiuè in delectationem quæ in sola cogitatione consistit & versatur consentit, sicut quando verè & expressè aut æquiualenter & interpretatiuè in ipsum actum peccati consentit, ipsiusque actus executionem.

Notanter in præmissis vbi respectu consensus ipsius rationis superioris in id quod de se ex suoque genere vel aliqua circunstantia est peccatum mortale, de auersione à regula legis diuinæ & æternæ facta est mentio, addita sunt ista verba totaliter & secundum habitum. Etenim auerti à regula legis diuinæ & æternæ (prout iam in superioribus vbi prçcipuè de hac præsenti materia naturæ peccati venialis tractari incepit, aliqualiter declaratum est) dupliciter contingere potest.

Vel scilicet totaliter. i. secundum habitum, qui propriè in hoc proposito nihil aliud est quam quædam inordinatio mentis & intentionis dispositio, ponens seu constituens alterum finem. Quod fit & contingit in omni actu qui de se suoque genere aut aliqua circunstantia habet & importat quod peccatum mortale existat, licet forsan pro tunc talis inordinata mentis ac intentionis dispositio non attenderetur neque occurreret.

Et exhinc etiam (vt iam satis declaratum est) consensus rationis superioris in talem actum, est mortale peccatum, quia sine tali auersione non potest in talem actum interuenire. Vel contingit talis auersio non totaliter. i. non secundum habitum, sed in actu solum. i. pro illo actu qui fit seu exercetur respectu cuius est bene aliqualis à regula ipsius diuinæ & æternæ legis inordinatio, sed non tanta nec talis mentis & intentionis indispositio, quod alium finem ponat seu constituat. Et sic est & contingit in omni actu qui de se ex suoque genere seu aliqua circunstantia non habet seu importat quod peccatum mortale existat, sed solum veniale. Nam si illud vsque adeò procederet quod illa auersio (iuxta quod expositum est) esset totalis & secundum habitum aliumque finem ponens & constituens, statim à natura peccati venialis excederet, & in naturam peccati mortalis transiret, vt ibi satis expositum est & exemplificatum. Et exhinc similiter consensus rationis superioris in talem actum, qui sic de se ex suoque genere aut aliqua circunstantia non habet quod sit peccatum mortale, sed solum veniale, non erit etiam nisi peccatum veniale, quia sine illa totali & secundum habitum auersione, & cum sola quadam inordinatione potest in talem actum interuenire, vt satis ex dictis concipere est. Et intelligantur præmissa, quod. s. consensus rationis superioris in actum qui de se ex suoque genere aut aliqua circunstantia peccatum mortale existit, est peccatum mortale. Etiamsi (vt iam supra tactum est) actus ille in quem sic ipsa ratio superior consentit realiter ab extra, non subsequeretur seu adimpleretur.

Si tamen hoc non ex parte ipsius rationis superioris ipsiusque voluntatis, vt pote se post dictum consensum iam sic in illum actum seu illius actus executionem præstitum amplius auisantis & immutantis, sed propter defectum possibilitatis, facultatis vel alicuius alterius opportunitatis aut circunstantiæ contingeret. Nam licet tunc realiter & effectu talis actus non subsequeretur & adimpleretur, proposito tamen & effectu quantum ad incursum peccati mortalis, subsecutus dicitur & adimpletus. Et hinc cōmuniter dicitur, quod volūtas pro facto reputatur. Iuxtaque istud propriè

intelligendum venit illud dictum Christi Mat. 5. Omnis qui viderit mulierem ad concupiscēdum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.

Ex omnibus sic superius circa hanc presentem materiam naturæ & qualitatis primorum motuū delectationis & cōsensus in actum peccati tractatis, ea quodammodo epilogando habetur quomodo primus motus primo primus ipsius sensualitatis qui naturalis dicitur, nullum peccatum est. Secundo vero primus motus eiusdem qui ex fomite procedit, peccatum veniale existit. Delectatio autem siue morosa siue non morosa mora temporis, dum tamen non sit morosa mora consensus, per rationem.s. superiorem verè & realiter, aut interpretatiuè & effectualiter deliberati, quod contingit in secundo, tertio & quarto sex modorum seu sex qualitatum se circa delectationem habendi ipsius rationis superioris superius declaratis, etiam si dicta delectatio sit & feratur circa ea quæ de se ex suoque genere vel ex aliqua circunstantia peccata mortalia existunt, est solum peccatum veniale. Delectatio verò morosa mora consensus per rationem.s. superiorem verè & expressè aut interpretatiuè & effectualiter deliberati, quod contingit in quinto & vltimo prædictorum sex modorum seu sex qualitatum se habendi ipsius rationis, &c. Nec non etiam consensus in actum, quando tamen (vt sæpe supra tactum) sunt & ferūtur super his quæ de se ex suoque genere; aut ex aliqua circunstantia peccata mortalia existunt, sunt etiā peccata mortalia. Et ad istud propositum per modum exempli applicant doctores, licet diuersimodè, tentationem quæ fuit in primis parentibus, ex quorum dictis potest sensualitas ipsa serpēti comparari, ratio verò inferior, vt iam in superioribus tactum est, mulieri Euæ, & ratio superior viro Adæ. Cum igitur in ipsa primo motu, secundo tamē primo ipsius sensualitatis illecebra insurgit, quod non nisi ex fomitis corruptione prouenit, & quasi cum serpens comestionem pomi Euæ suggessit, ideoque tūc peccatum solum veniale est & leuissimum. In delectatione vero non morosa consensus, qui.s. consensus fit per rationem superiorem verè & expressè, aut interpretatiue & effectu aliter deliberatus, quantumcumque ista dicta delectatio sit forsan morosa mora temporis, quantuncunque etiam ipsa ratio inferior iuxta prædictos secundum, tertium & quartum sex modorū, seu sex qualitatum se habendi &c. vel circa talem delectationem non bene aduertat, vel subitò aut impropriè etiam in eam consentiat, tunc mulier sine viro ipsoque ignorante comedere dicitur. Ideoque tunc solum peccatum veniale est, quia quod in delectatione peccatum mortale interueniat, à consensu viri.s. rationis superioris vero & expresso, aut interpretatiuo & effectuali & non alias procedit. In delectatione vero morosa mora consensus interpretatiui & effectualis, quando.s. ratio ipsa superior iuxta quintum sex modorum prædictorum seu sex qualitatum se habendi ipsius rationis &c. talem delectationem reprimere negligit, tunc mulier sola, sed tamen viro sciente comedit, & tunc licet vir non comedat, propter illū tamen eius consensum interpretatiuum & effectualem peccatum mortale efficitur, etiam si (vt sæpe dictum est) desit voluntas perficiendi actum

A &c. Quia mulier bene potest sine viro comedere mortaliter autem siue viri consensu vero & expresso, aut interpretatiuo & effectuali non potest peccare. In delectatione vero morosa mora consensus veri & expressi, quando scilicet ratio ipsa superior iuxta vltimum sex modorum prædictorum seu sex qualitatum se habendi ipsius rationis, &c. verè & expressè consentit, tunc vir non solum consentit, sed sicut & mulier comedit, & etiā si desit voluntas perficiendi actum &c. est peccatum & grauius quam in casu præcedenti. Grauius

B etenim est in talem illicitam delectationem verè & expressè consentire, quam non reprimere interpretatiuè & effectualiter consensum præbere. In consensu vero in actum peccati seu ipsius actus executionem, qui (vt talē supra declaratum est) soli rationi superiori attribuitur, est ac si vir non solum sicut & mulier comederet, sed quodāmodo acsi iuberet & præciperet, & tunc etiam si iuxta superius tacta, talis actus realiter ab extra non procederet & sequeretur, est peccatum mortale.

C Et adhuc grauius quam in casibus præcedentibus in quantum scilicet (vt etiam supra monstratū est) grauius est in actum peccati seu ipsius actus executionem, quam in solam eius delectationem cōsentire. Vel aliter dici posset, quod.s. in delectatione morosa mora consensus veri & expressi ipsius rationis superioris (de qua statim supra) vir non comedit sicut mulier, sed solum comestioni mulieris consentit (sicut supra dictum est) fieri in delectatione morosa mora consensus inter-

D pretatiui & effectualis eiusdem rationis superioris. Estque propter huiusmodi consensum verum & expressum peccatum mortale, sed grauius vt iam tactum est quam in tali consensu interpretatiuo & effectuali, in quantum.s. grauius est verè & expressè in aliquid malum consentire quam interpretatiuè & effectualiter. Sed in consensu ipsius rationis superioris in actum peccati seu in ipsius actus executionem, etiam si vt statim dictum est talis actus realiter ab extra non procederet & sequeretur vir non solum consentit, sed sicut &

E mulier comedit, & tunc est tentatio de se consūmata & perfecta. Et intelligantur hæ exemplificationes iuxta superius declarata, quando.s. huiusmodi delectationes consensusque in actum sunt & feruntur super his quæ de se ex suoque genere, aut ex aliqua circunstantia peccata mortalia existunt. Et hæc quoad talem materiam naturæ primorum motuum delectationis & consensus in actum, ordinisque & progressus tentationis, in quantum de eis ad propositum huius octaui tra-

F ctatus istius libelli tractandum occurrebat, dicta sufficiant. Qui latiora videre voluerit, habet (vt in superioribus in simili tactum est) doctores plurimos, tam magistrum in.2. senten. quam alios super dicto passu tractantes, quam etiam beatum Tho. prima & secunda secundæ partis suæ summæ.

DE TRIBVS AD GRAVITATEM PECCATI CONFERENTIBVS.

QVIA



QVIA verò iam recenter & etiam in superioribus, maximè in declaratione naturæ & qualitatis peccati mortalis dictum & monstratum est, quomodo nonnunquam actus aliquis qui de sui forsan natura ex suoque genere peccatum non esset, vel forsan veniale solum, ex intentionis corruptione, vel ratione remorsus conscientiæ, seu aliqua alia circunstantia potest peccatum mortale effici. Ea propter & etiam ad clariorem semper cognitonē distinctionis seu naturæ peccati venialis à peccato mortali, circa cuius declarationem præsens principaliter materia versatur, visum est expediens de his tribus hic summatim aliqua perstringere. De intētione ac fine actionis seu operationis. De esse seu natura & qualitate conscientiæ. De natura, qualitate, ac numero circunstantiarum.

De intentione, ac fine actionis seu operationis.

CIRCA primum est aduertendum quod intētio in generali prout hic & in materia morali scilicet virtutis & peccati sumitur, sic describitur. Intentio est actus voluntatis in aliquem finē tendentis, per aliquid vel aliqua ad illum finem ordinata. Dicitur enim intentio quasi in illud tentio. Nam intentio semper respicit aliquid vt finem secundum .s. quod illud est terminus voluntatis. Ex quo clarè apparet quod intētio de se importat & denotat quandam distantiam illius quod sic indenditur. Et ideo quando voluntas fertur & intendit immediate in aliquid, etiam si illud sit finis vltimus quem tunc sibi constituit, terminusque ipsius voluntatis quæ protunc habetur, non dicitur tamen propriè esse intentio, sed quando affectus seu voluntas in aliquid tanquam finem vltimum quem sibi tunc contistiuit, vel tanquam ad illum finem ordinatum fertur & intendit, non immediatè, sed mediantibus alijs perquæ in illud in quod sic fertur & intendit, nititur peruenire, tunc propriè est intentio. Vt gratia alicuius exēpli, fertur & tendit principaliter affectus alicuius seu voluntas in suam finalem salutem, & propter ipsam facilius assequendam intendit corpus suum domare, & spiritui subijcere, & vt hoc cōgruētius & cum saniori consilio & auxilio facere possit, intendit religionem aliquam intrare, & pro hoc faciendo ad aliquem locum talis religionis ire. Iste talis respectu salutis suæ qui est vltimus finis, quē tunc sibi constituit, respectu etiam domationis sui corporis ac ingressus religionis qui sunt fines medij ad illum .s. finem vltimum ordinati, dicitur propriè habere intētionem. Respectu verò additionis talis loci illius religionis, licet sit quædā voluntatis dispositio, nō tamē propriè dicitur esse intentio.

Ex præcedenti intētionis in generali descriptione clarè & faciliter elici potest descriptio intentionis rectæ, per additionem .s. istorum verborū, debitum & debito modo & etiā intentionis peruersę seu corruptę per additionē oppositorū seu contrariorum verborū .s. indebitum & indebito modo, sic tamen quod in descriptione intentionis rectę illa duo verba .s. debitū & debito modo coniunctiū accipiantur, cum ipsa duo ad hoc quod intentio sit recta, necessariò habeant concurrere. In descriptione verò intentionis peruersę seu corruptæ illa duo verba opposita .s. indebitum & indebito modo accipiantur diuisim, cum alterum eorum ad hoc quod intentio peruersa vel corrupta existat, per se sufficiat. Etenim (vt sæpo dictum est) plura necesse est ad virtutem cōcurrere quam ad vitium, immo per defectum vnius eorū quæ necessariò ad virtutem requiruntur transitur in vitium.

Super quibus quantum ad intelligentiam naturę & effectus intentionis respectu eorum quæ iam in hoc octauo tractatulo huius libelli circa materiam peccati mortalis & peccati venialis tractata sunt & tractabuntur, spectare & sufficere videtur, subijciuntur hic aliquæ regulæ notabiles.

Prima regula est. Ex fine principaliter intento idest respectu finis vltimi, qui principaliter in aliquo actu intenditur, actus ille attendi, considerari & iudicari habet, ad hoc .s. quod dicatur & iudicetur bonus vel malus, meritorius vel demeritorius. Iuxta quod intelligi & applicari potest dictum Christi Matt. 6. Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Vbi Augu. per oculum significatur intentio. Et intelligitur hæc regula de his maxime actibus qui alius ex se ipsis sunt indifferentes .i. qui de suo proprio esse propriaque natura, sine concursu alterius causæ seu alterius circunstantiæ non habent quod sint boni vel mali. Vt gratia exempli, leuare festucam de terra vel mouere manum. Nam si tales actus de proprio suo esse propriaque natura haberent quod essent boni vel mali, aliter esset dicendum, vt clarè per regulas sequentes videri poterit.

Secunda regula est. Actus de seipso malus, ex fine bono principaliter intēto non efficitur bonus. Vt gratia exempli. Furari vel deprædari qui sunt actus de se mali etiam si ea principaliter intentione ad huncque principaliter finem fiant, vt exinde in Dei honore fiat elemosyna, non propter hoc boni efficiuntur.

Tertia regula est & opposita. Actus de ipso bonus ex fine malo principaliter intento, efficitur malus. Vt gratia exempli. De eleemosyna vel oratione vel prædicatione quæ principaliter propter vanam gloriam mundanam, vel propter lucrum temporale habendum & adipiscendum, vel huiusmodi fieret. Et ratio diuersitatis istarum duarum regularum ex descriptione intentionis rectæ & intentionis peruersæ seu corruptæ supra positis, alijsque etiam ibidem dictis clarè apparet. Quia ad intentionem rectam Duo requiruntur .s. quod tendentia voluntatis sit in finem debitum & quod sit per media ad illum finem debito modo ordinata. Ad intentionem vero peruersam seu corruptam sufficit defectus vel malitia in vno istorum .s. vel quod finis principaliter intentus sit de se malus, vt ponit tertia regula, vel quod media per quæ ad illum finem tenditur, sint de se mala, vt ponit secunda regula.

Quarta regula est ista, vna & eadem principalis intentio finalis .i. in aliquem finem principaliter tendens, plures actus seinuicem consequentes etiam diuersimodè & distanter ab inuicem

factos potest in bonum & ad meritum vel in malum & demeritum informare. Vt gratia exempli. A Respectu intentionis rectæ intēdit aliquis vnum solidū pro Deo in eleemosynā per duodecim sibiinuicem succedentes dies elargiri & dare, sic. s. quod qualibet die dabit vnum denarium. Si à casu contingat istum hominem dationem aliquorum istorum denariorum pro aliquibus istorum duodecim dierum obliuisci & intermittere & in alios dies reparare & facere, donatio ista nihilominus sic in alijs diebus facta, propter primā principalem intentionem erit meritoria, de intentione verò peruersa facilius est dare exemplum, cum B facilius contingere possit.

Quinta regula est ista. Finem sub fine seu intentionem sub intentione potest quis ad meritum vel demeritum, seu meritoriè aut demeritoriè (quod idem est) ponere, consentire & habere, dictosque fines seu intentiones sic sibiinuicem subordinatos potest vna & eadem principalis & finalis intētio in bonum vel malum, meritum vel demeritum informare. Vt gratia exempli. Respectu principalis & finalis intentionis rectæ intendit C aliquis ire ad forum ad hunc finem quod ibi emat medicinas, ipsas autem medicinas ad hunc finem emit vt ab aliqua infirmitate curetur, ad hunc verò finem ab illa infirmitate curari desiderat vt aptius & melius Deo seruiat. Clarum & certum est quod in isto casu omnes istæ præcedentes volūtates & intentiones, quæ sic circa istos diuersos fines feruntur & tendunt per illam principalem & finalem intentionem aptius & melius Deo seruiendi in bonum & ad meritum informantur, & propter eam bonæ & meritoriæ existunt, immo in tali D casu quando. s. voluntas in aliquos fines seu intentiones sic sibi inuicem ad aliquem principalē & vltimū finem subordinatos principaliter propter ipsum principalem & vltimum finem fertur & tendit, licet illi fines seu intētiones plures sint & diuersi, non tamen propriè debet dici nec propriè est nisi vnus & idem ipsius volūtatis motus. Et intelliguntur hæc in ista regula dicta, etiam si tēpore realis executionis seu adimpletionis illorum actuum super quibus sic dictæ præcedentes volūtates seu intentiones feruntur & tēdunt illa principalis & finalis intentio non realiter & de facto in mente haberetur. Vt puta quia pro tunc vel nō occurreret vel nō attēderetur, sufficit enim quod præcesserit & in habitu habeatur. Vt verbi gratia in exemplo statim posito detur, quod ille talis qui sic ab aliqua infirmitate curari desiderat, vt aptius & melius Deo seruiat, tempore quo emit medicinas ad hoc vt à dicta sua infirmitate curari possit, & tempore quo prædictis medicinis ad dictam suam curationem emendis ad forum vadit, & illā principalem & finalem intentionem aptius & melius Deo seruiendi non realiter & de facto in mēte habeat quia tunc forsan vt dictum est vel nō sibi occurrit, vel non attendit, nihilominus tamen cū per prius eam habuerit & adhuc in habitu (vt præsupponatur) habeat, illa principalis & finalis intētio aptius & melius Deo seruiendi istos actus emēdi medicinas & eundi ad forum, seu voluntates & intētiones quę super ipsis feruntur informabit & bonos & meritorios efficiet, ac si tunc illam principalem & finalem intensius aptius & melius Deo seruiendi in mente rationaliter & de facto habuisset: Respectu verò principalis & finalis intentionis peruersæ seu corruptę facilius (vt statim in regula precedenti tactum est) dari potest exemplum.

Intelligantur etiam prædicta respectu tamen principalis & finalis intentionis rectæ actuumquę bonorum & meritoriorū, dū tamen inter dictos actus seu fines sic sibi ad vltimum finem, principaliter intentum subordinatos, & super quibus huiusmodi pręcedētes voluntates seu intentiones sic feruntur & tendunt, non interueniat seu intendatur aliquis actus seu finis ex seipso suaque propria natura illi fini sic principaliter intēto quoad meritum deformis & oppositus, & qui voluntatem seu intentionem quæ super ipsum fertur & tendit posset peruertere seu corrūpere. Pro quo apertius declarando ponitur sexta regula.

Sexta regula est ista: Quotiensque inter plures actus seu fines sibiinuicem ad aliquem finem vltimum alius ex seipso bonum & meritorium principaliter intentum subordinatos, interuenit seu intenditur aliquis actus seu finis illi fini sic principaliter intēto ex seipso suáque propria natura quo ad meritum deformis & oppositus ad voluntatē seu intentionem quæ super ipsum fertur & tendit peruertens & corrūpens, talis actus seu finis medius sic interueniens non informatur ad meritum per illam principalem intentionem illius finis vltimi sic de seipso meritorij, quin potius ipsam principalem & finalem intentionem omnesque alios fines seu intentiones pręcedentes etiam alias ex seipsis bonos & meritorios deformat & quodāmodo deprauat. Verbi gratia. Intendit aliquis ire ad aliquam domum, & ad hunc finem in illam domum vult ire, vt ibidem luxurietur, ad hunc autē finem luxuriari vult vt sanior inde efficiatur, ad hunc verò finem vult sanior effici, vt aptius & melius Deo seruiat. Iste finis vltimus principaliter intentus aptius & melius Deo seruiendi, qui alius ex seipso bonus est & meritorius, illam voluntatem seu intentionem quæ sic super illum actum luxuriandi fertur & tendit, & à minori illum actum si à casu committeretur, cum ex seipso suaque natura sit illi vltimo fini sic principaliter intento quoad meritum deformis & oppositus, ad prædictam voluntatem seu intentionem quæ sic super eum fertur & tendit, peruertens & corrumpens nullo modo ad meritum reformare potest, quin potius illa peruersa & corrupta voluntas & intentio ipsam vltimam & principalem intētionem, ac omnes alios fines & intētiones præcedentes deformat, & quodammodo deprauat, peramplius que ac grauius faceret actus si à casu committeretur. Et ratio horum est, quia vna voluntas seu intentio ex seipsa peruersa seu corrupta, plures voluntates seu intentiones alias ex seipsis bonas deprauare potest, sed non è cōtra. Vna etenim bona voluntas seu intentio non potest plures ex seipsis malas bonas efficere, immo nec plures bonæ etiam seinuicem consequentes vnam ex seipsa malam bonam efficere possunt, quia vt in superioribus sæpe dictum est, ad bonitatem & rectitudinem alicuius voluntatis seu intentionis plura necesse habent concurrere, quam ad eius malitiam seu corruptionem

ptionem, immo ad eius malitiam seu corruptionem sufficit de factus vnius eorũ quæ ad bonitatẽ & rectitudinem constituendam necessariò requiruntur. Intelligantur etiam ea quæ sic statim supra tam de actuum interiorum ipsius voluntatis, quam etiam actuum exteriorum exinde consequentium per principalem & finalem intentionẽ quoad meritum vel demeritum, informatione dicta sunt, quando huiusmodi principalis & finalis intentio tales actus interiores voluntatis, & à fortiori ipsos actus exteriores si exinde consequãtur, præcedit vel concomitatur. Nã si huiusmodi principalis & finalis intẽtio tales actus subsequeretur, aliter veniret dicendum. Et enim vt iam statim innui visum est, triplici quantum ad hanc materiam concerni potest, ipsa intentio siue de recta, siue de peruersa & corrupta accipi velit respectu supra dictorum actuum, tam. s. interiorum ipsius voluntatis, quam exteriorum inde consequentium, cõsideratione comprehendi. Vno modo vt eos præcedens, alio modo vt eos concomitans alio modo vt eos subsequens. De intentione autem prædictos actus præcedente, quomodo & quando eos quoad meritum & demeritum informare habeat & informet, satis in superioribus tractatum & declaratum est. De intentione vero huiusmodi actus concomitante, hoc idem. s. quomodo est quando eos informare habeat & informet, ex superius etiã tractatis clarè elici & concipi potest. Etenim si intentio tales actus præcedẽs ipsos quoad meritũ & demeritum, iuxta tamen modificationes & declarationes supra etiam tactas informare potest & quandoque informet, hoc idem non dubiũ iuxta easdem tamẽ modificationes facere poterit & valebit intentio ipsos actus realiter & de facto concomitans. Quo vero ad intentionẽ, tales interiores voluntatis actus, ac etiã exteriores exinde prouenientes subsequentem seu superaccedentem, aduertenda sunt quæ sequuntur. Et primo quantum ipsos actus interiores voluntatis in se & absolute consideratos concernit, quod intentio huiusmodi interioris actus voluntatis subsequens seu superaccedẽs nullo modo ex seipsa potest eos quo ad meritum vel demeritum informare i. meritorios vel demeritorios efficere, nisi quatenus illi actus interiores voluntatis, cum illa subsequenti seu superaccedenti intentione reiterentur. Vt gratia alicuius exempli ad clariorem semper intellectũ vt aliquis vult & in mente disponit ire de Roma in Hierusalem, & pro hoc sibi equum & alia necessaria pręparat, non quidem pro tunc, nec per prius relatione seu reflexione quacunque habita in Deum, sed forsan (vt interdum contingit) sola causa societatis vel alia vult postmodum iste dictã suam voluntatẽ seu propositum quod sic habuit in Deum referre, vt illud scilicet propositum & voluntatem quam sic de eũdo in Hierusalem simpliciter habuit, habuerit intentionem Deo seruiendi & complacendi. Ista intentio sic sibi superueniens, nullo modo potest ex seipsa illum actum interiorem voluntatis, seu illud propositum quod sic per prius de eũdo in Hierusalem habuit informare, sic scilicet quod eius bonitas seu meritum ex ista subsequenti & superaccedenti intentione dependere possit, nisi iterum illum interiorem actum voluntatis seu propositum cum ista intentione subsequenti ille homo reiteraret, sic scilicet quod illam voluntatem & propositum quod sic de eundo in Hierusalẽ simpliciter habuit, rehaberet intentione Deo seruiendi & cõplacendi, quod si faceret, & à casu in dicto suo proposito sine sua culpa impeditur, iste actus voluntatis sic cum ista intentione subsequente reiteratus, meritorius esset, vbi prior & præcedens non fuisset. Et ratio clara est, quia iam ille interior actus voluntatis seu illud propositum, sic istam intẽtionem subsequẽtem præcedens tempore quo ista intentio accedit, est quasi in factum esse & quodammodo in præterito & non esse, quare nisi reiteretur, nullo modo videtur per subsequentem intentionem informari posse.

Quod vero ad ipsos actus exteriores, ex ipsis scilicet interioribus actibus voluntatis prouenientes, huiusmodi actus sub duplici specie duplicique qualitate quãtum ad hanc materiam pertinet, cõsiderationi occurrunt. Sunt etenim aliqui respectu primæ speciei simplices in se. i. qui de sua natura, etiam si quendam successum habeant, non tamen ex pluribus & diuersis alijs actibus de se completis vel longo tractu temporis subsistere seu cõstare habent. Vt gratia exempli: Dare vnam eleemosynam, celebrare vnam missam, & huiusmodi. Alij verò sunt & secundæ speciei compositi in se. i. qui de sui natura ex pluribus & diuersis alijs actibus de se completis, vel ex longo & in diuersa tempora tractu subsistere & constare habent. Vt gratia exempli: Diu in religione viuere, in longam peregrinationem ire, & huiusmodi. Rursus possũt prædictarum duarum specierũ actus sub duabus diuersis qualitatibus (vt tactum est) considerari. Vel scilicet prout sunt in factum esse idest perfecti & completi. Vel prout sunt adhuc in fieri. i. iam incepti & nondum perfecti seu completi. De quibus magis per exempla subincerta liquere poterit.

Præmissa igitur ad propositum applicando dici potest quod actus primæ qualitatis scilicet qui sunt in factum esse. i. perfecti & completi, cuiuscunque prædictarum specierum existant, siue scilicet simplices siue compositi, intentio subsequẽs seu superaccedens nullo modo potest ex seipsa quoad meritum vel demeritum informare, nec talium actuum bonitas seu malicia ex dicta subsequenti seu superaccedenti intentione dependere. Ratio clara est, quia tales actus cum perfecti & completi, & sic transacti sunt, non sunt amplius in esse, nõn existit, non potest amplius per aliquòd subsequens informari, nec ab eo quo modo dependere. Nec etiam iuxta modicum superius tacta, posset actus interior voluntatis, respectu talium actuum exteriorum sic transactorum, cum illa subsequenti seu post accedenti intentione reiterari.

Vt gratia exempli, & primò de actu simplici: Dedit aliquis cuidam indigenti vnum florenum, nihil tunc nec per ante respectu istius dationis de Deo cogitans, sed quia forsan ille indigens vicinus suus erat, vel alius sibi gratus. Si superaccedat isti vel subsequatur intentio, quod illum florenum voluerit dedisse ob Dei reuerentiam & honorem, ista intentio sic subsequens seu superaccedens, nullomodo quoad meritum potest, ex seipsa

illum actum scilicet illam dationem illius floreni informare, quod scilicet eam meritoriam faciat, quia iam illa datio ante accessum istius superuenientis intentionis transijt. Nec est amplius in esse, sicut nec potest informari. Nec etiam respectu eius posset actus interior voluntatis cum ista subsequenti & superuenienti intẽtione reiterari. De actu verò composito similiter exemplificari potest de illo qui de Deo nihil tunc nec per antea respectu huius cogitans, nec tunc quicquam in Deũ deflectens seu referens, iuerit de Roma in Hierusalem. Si enim talis completo dicto suo viagio, velit illud in Deum referre, intentioneque Dei honoris fecisse, ista intentio superueniens nullomodo potest illum actum sic completum .s. illud viagium quoad meritum informare. Nec etiam posset actus interior ipsius voluntatis respectu eius cum illa subsequenti & superaccedenti intentione reiterari, iuxta quod satis declaratũ est. Actus verò secundæ qualitatis, qui scilicet sunt adhuc in fieri .i. iam incepti & nondum completi, quod sic notanter dicitur. Etenim si nondum incepti essẽt intentio tunc superueniens non posset respectu eorum dici subsequens seu post accedens, si etiam completi essent, iam supra declaratum est quid talis intentio operaretur. Huiusmodi igitur actus prout in seipsis in suoque esse totali considerãtur, intentio subsequens seu superaccedens potest ex seipsa quoad meritum vel demeritum secundũ quid informare, & secundum quid etiam non informabit. Secundum quid enim non informabit, quia scilicet pars illius actus, si sit actus de se simplex, omnes etiam alij singulares actus ex quibus vna cum alijs ille totalis actus subsistit & cõstat, si sit actus compositus, qui dictam intentionem sic subsequentem & superaccedentem præcesserint, nullomodo quoad meritum vel demeritum poterunt ab ea informari. Secundum quid autẽ informare poterit, quia illum totalem actum in se, necnon partem de eo restantem, si sit actus simplex ac omnes etiam alios singulares actus, ex quibus ille totalis actus subsistit & constat, si sit actus compositus, illam superaccedentem & superuenientem intentionem, subsequentes meritorios vel demeritorios efficeret. Vt gratia exempli, & primò de actibus simplicibus. Vult aliquis & disponit celebrare missam, tunc nec per antea respectu huius celebrationis considerationem seu relationem in Deum habens sed vel forsan pro pudore vitando vel alia causa. Celebrat iste vsque ad epistolam, post modum vanitatem suam considerans compungitur, & intentionem suam respectu huius celebrationis in Deum referre incipit, sic scilicet quod intentione honoris & reuerẽtiæ, Dei celebrare vult. Ista intentio superueniens & superaccedens istum actum simplicem qui est adhuc in fieri, secundũ quid informabit, quia scilicet ipsum in se necnon partem quæ de eo post illam intentionem superuenientem agenda restabat, ac etiam omnes alios singulares actus, ex quibus ipse totalis actus subsistit & constat, meritorios efficiet, & maximè quia etiam respectu eorum actus interior voluntatis cum illa superaccedenti intentione reiteratus est, secundum quid etiã ista intentio istum celebrationis missæ actu nõ informabit, quia partem quæ de eo ante accessum dictę superuenientis intẽtionis acta erat scilicet omnia

A ante epistolam dicta nullomodo informabit, nec meritoria efficiet, quod iam nõ sunt in se, nec etiã respectu eorũ potest actus interior ipsius volũtatis cum illa superuenienti & accedenti intentione reiterari. De actibus verò compositis potest similiter exemplificari, & primò de actu composito, quod ad longum & ad diuersa tempora tractum seu successum, iuxta exemplũ iam superius positũ de illo qui causa societatis vel alia vadit de Roma in Hierusalem peractaque quarta & quinta parte itineris, mutat intentionem & propositum, & in

B Deum reflectit, ista intentio sic superaccedens & superueniens istum totalem actum quoad quid informabit scilicet quoad totalem actum in se, & quoad omnia quæ de eo post accessum dictæ intẽtionis agenda restabant, vtputa reliquum itineris, labores, pericula & expensas quas ammodo sustinebit & faciet quos meritorios efficiet. Quoad quid etiam informabit, quia scilicet illam partem itineris ante facti, laboresque & pericula & expẽsas per prius habitos & factos, nullomodo potest

C ex se meritorios efficere, vt iam statim de celebrãte missam declaratum est. Potest etiam semper ad maiorem declarationẽ de actu ex diuersis singularibus actibus composito, similiter exemplificari de paupere qui sola causa victus lautioris habendi vel alia non de se meritoria, intrat in religionem, & ibi sub tali intentione aliquandiu, vt puta quatuor aut quinque annis viuit, pluresque actus ad regulam pertinentes non mutata prima eam seu primo proposito sui ingressus facit & exequitur.

D Cognoscit iste defectum suum, compunctusque propositum & intentionem suam mutat, omniaque in Deum referre incipit, & intentione Deo seruiendi & ad regulam suã ammodo in dicta religione vult viuere. Ista subsequens superaccedensque intentio, istum actum viuendi, in religione secũdum quid informabit, quia scilicet quoad ipsum actum in se, ac etiam omnes alios singulares actus qui post illam superaccedentem intentionẽ fient, quia eos meritorios, & istum verè religiosum qui prius non erat, efficiet. Quoad quid etiam nõ

E informabit, quia omnes alios singulares actus prę cedentes, meritorios efficere non potest. Nec etiã respectu eorum, cum transacti sint, potest actus interior voluntatis cum ista superaccedenti intẽtione reiterari. Et ad istud propositum respectu .s. istorum actuum qui sic in fieri existũt & intentionis superaccedẽtis satis pertinere videtur illud beati Grego. in homil. Restat vt quisque ille est qui ad supernam patriam tendit, nequaquam se à vitijs pro mundi huius honestate contineat. Qui & si

F quædam aliquando bona pro honestate inchoat, in eius intentione non debet permanere, nec pro bono opere præsenti huius mundi gloriam quærere, sed totam spem in redemptoris sui aduentu constituat &c. Ecce mentio de bonis inchoatis, & de mutatione intentionis, &c. Et prout in superioribus exemplificatum est de informatione ipsorum actuum qui ad meritũ, simili modo exẽplificari facile est de eorum informatione quo ad demeritum, cum eadem quoad hoc ratio existat. Resolutio finalis est ista, quod intentio actus tam interiores ipsius voluntatis, quam exteriores ex ipsis procedentes, qui realiter & transacti sunt, subsequens

subsequens seu superaccedens nullo modo potest ex se ipsa eos quoad meritum vel demeritum informare. Quod verò dicatur actus interior volūtatis cum intentione subsequenti seu superaccedenti reiterari &c. iam propriè loquendo illa reiteratio esset nouus & voluntatis actus, & sic respectu eius posset & deberet dici intentio concomitans & non subsequens. Sed ista pro mediocribus & simplicibus, & quo magis consciētiarum scrupuli cognosci & quietari valeant, vt sæpe tactum est, ita latè specificari & per exempla declarari libuit. Notandum insuper & potest poni vt septima regula.

Septima regula est, quod actio corporalis potest etiam meritoriè ad aliquem finem temporalē referri, dummodo finis ille temporalis in Deum finaliter referatur. Actio verò spiritualis, vt prædicatio, oratio, & huiusmodi, nullo modo potest meritoriè ad finem temporalem referri, etiam si illud temporale finaliter in Deum referatur. Et hoc est in effectu quod dicit Aug. Debemus manducare vt euangelizemus non autem euangelizare vt manducemus. Aduertendum præterea, quod etiā per modum cuiusdam regulæ & hęc pro octaua poni potest.

Octaua regula est ista, quod si in aliquibus actibus seu actionibus ad diuersos fines sibiinuicem subordinatos tendentibus, primus vel medius finis seu propinquior intentus ponatur seu cōstituatur aliquid temporale, ordo talis est peruersus actusque huiusmodi sic ad istos fines ordinati demeritorij. Bene tamen etiam meritoriè licitum est duos fines in aliquo actu constituere & intendere, vnū. s. temporalem, & alium æternum, dummodo illud quod est æternum, sit principalis & vltimus finis intentus, & nō è contra. Vt gratia exempli de istis duobus mēbris. Optabit aliquis sufficiens & idoneus, sed indigens beneficium ecclesiasticum vt. s. habeat vnde vitam suam sustentaret, & vt etiam maiorem habeat occasionem & facultatem Deo debitè seruiendi, hic sunt Duo fines licitè intenti, vnus temporalis, alius æternus. Si igitur iuxta primum membrum huius notabilis seu regulæ finis primus seu proprior sit ipsum Dei seruitium debitè facere, & finis vltimus & principalis sit sustentationem vitæ habere, tunc ordo est peruersus, & actus ad hos fines ordinati de se quoad salutem æternam acquirendam demeritorij. Si verò cōtrario modo procedat intentio. sic. s. quod finis primus seu propinquior sit sustentationem vitæ habere, & finis vltimus ac principalis sit ipsum Dei seruitium facere, tunc ordo est rectus & bonus, actusque ad hoc fines debitè ordinati quo ad salutem æternam acquirendam meritorij. Et hæc quo ad materiam intentionis ac finis actionis & operationis, quantum huic tractatui congruere visum est, dicta sufficiant.

De esse naturæ & qualitate conscientiæ.

QVo verò ad esse seu naturam ac qualitatem conscientiæ est primò sciendum quod sciētia (prout proprietas vocabuli de se satis cōnotat) Duo dicit & importat. Primò dicit & importat scientiam, & secundum hoc conscientia dici potest quidam habitus naturalis, non solum cognitiuus, sed etiam motiuus. Mouet enim & inclinat animam ad bonum prosequendum & malum fugiendum. Et isto modo in quantum. s. scientiam dicit & importat, habet se vt superius, coniūgiturque ipsi primo habitui naturali, superiorique lumini rationis quod synderesis dicitur, ita quod propter hoc aliqui, vt Hieron. & alij, ipsam synderesim (prout in superioribus tactum est) conscientiam seu cōscientiæ iudicium dicere voluerint. Et tunc cōscientia de se semper recta est, nā tunc circa vniuersalia agibilium sicut ipsa synderesis versatur. Secundo vero dicit & importat conscientia & magis proprie quandam acceptionem seu acceptationem ex parte rationis.

Etenim conscientia propriè loquendo nihil aliud est quā applicatio quædam seu ordinatio scientiæ ad aliquem actum. Scientia autem in ratione est, quod satis denotat hæc præpositio cum, dicitur enim conscientia quasi cum alio scientia. Et tunc conscientia propriè loquendo magis est actus quam habitus seu potentia. Istóque modo se habet vt inferius magisque coniungitur rationi simplici, immo tunc dicitur quoddam dictamen rationis. Et hoc modo non semper de se est recta, immo frequenter errorē recipit, quia tunc cū. s. sic ipsi rationi simplici coniungitur, habet circa particularia & per modum cuiusdam cognitionis seu inquisitionis versari, in quibus frequēter error errare contingit. Quæ clarius per exemplum nōnullorum doctorum concipi possunt. Formant enim quandam quasi conscientiæ syllogismum. Cuius synderesis maiorē proponit quasi generalē & vniuersalem sic: Nullum malum est faciendum. Cui cōscientia se iuxta primā sui importationē seu cōnotationem ipsi synderesi cōiungens sine quacūque difficultate assentit nec tunc erat, quia circa huiusmodi maiorem nō est error. Format deinde ratio sub ista maiore vnā minorē ad aliquem casū seu factū particulare cōdescendēdo sic: Et hoc est malum. Cui minori si conscientia se iuxta secundā sui importationem seu connotationem ipsi rationi coniungens assentiat, potest errare & potest nō errare. Infert demum conscientia ex istis duabus præmissis conclusionem sic, ergo hoc non est faciendum. Quæ conclusio similiter erit falsa vel vera prout scilicet ipsa ratio & cōscientia se illi cōiungēs in illa minore errauerit. Quod etiā cōscientia prout magis propriè & magis communiter sumitur scilicet dum magis rationi simplici coniungitur, dicat quandam applicationem seu ordinationem scientiæ ad aliquid, sicque magis actum quēdam quam habitum seu potentiam importet, patet ex his quæ ipsi conscientiæ attribuuntur; scilicet testificari, accusare, remordere, reprehendere, excusare, instigare, stimulare, remurmurare, incitare, ligare, retrahere. Quæ omnia (vt clarum est) consequuntur quandam actualem applicationem alicuius cognitionis seu scientiæ ad ea quæ aguntur. Quæ quidem applicatio tripliciter habet fieri secundum diuersitatem trium temporum, videlicet præteriti, pręsentis & futuri. Vno etenim modo & respectu præteriti temporis habet dicta applicatio fieri, dum scilicet recognoscitur aliquid factū vel non factum esse. Et secundum hoc conscientia de hoc quod sibi vel in malo commisso vel in bono omisso, aut è conuerso conscientia est, contra mentem testificatur, eamque vel accusat, remordet & reprehēdit vel etiam excusat. Alio-

modo respectu præsentis temporis habet dicta applicatio fieri, dum scilicet aliquid faciendum imminet vel occurrit. Et secundum hoc conscientia prout de illo in bonum vel malum secundum iudicium rationis per applicationē scientiæ seu cognitionis ad illud iudicātis sibi cōsciētia est mentē ipsam facere vel non facere instigat & stimulat & recalcitrat. Alio modo & respectu futuri temporis habet dicta applicatio fieri, dum scilicet conscientia ad aliqua in futurum facienda vel non faciēda, prout sibi de eis secundum iudicium rationis per applicationem scientiæ seu cognitionis ad illam iudicantis conscia est, mentem ipsam excitat, incitat & ligat vel retrahit. Plures à diuersis doctoribus assignantur conscientiæ descriptiones. Vna à Ioanne Damasceno, quod conscientia est lex intellectus nostri. Alia à Basilio, quod cōscientia est rationale iudicatorium. Alia quod est cognitio sui ipsius. Alia quod conscientia est habitus mentis boni & mali discretiuus. Alia quod cōscientia est credulitas intentionis ad aliquid faciendum vel non faciendum, animi deliberatione firmata. Ex istis conscientiæ definitionibus seu distinctionib. quæ in effectu bene resoluendo in idem coincidunt, colligi potest quod conscientia respicit & concernit tam facta quam facienda, immo omnia tempora respicit vt satis declaratum est.

De conscientia indiscreta.

Notare solent aliqui conscientiam nimis largam & etiam nimis strictam cauendum fore, aliquas rationes assignantes. Vnam .s. quia conscientia nimis larga generat præsumptionē. Nimis verò stricta desperationem. Aliam, quia conscientia nimis larga frequenter illud quod est malum, dicit bonum. Nimis verò stricta è contrario sæpe damnat saluandum. Quod non prout verba iacet de se sic simpliciter accipiendum est, sed per quandam denotationem, & maximè in indifferentibus, quæ .s. vt sæpe tactum est, non habent ex se suoque genere quod sint bona vel mala, meritoria vel demeritoria. Etenim conscientia larga communiter & de pluribus quæ frequentissimē occurrunt, nullū remorsum habet. & sic plura sæpe facit quæ sic faciendo non peccat. In quibus tamen si remorsum haberet, peccaret. Exinde plura peccata euitat, quę alius incurreret & cōmitteret. Conscientia verò nimis stricta è cōtrario cōmunius & quasi de omnibus & frequentissimè sine causa remorsum habet & dubitat. Et cum plurima necessariò facere habeat, plurima facit, quę sic cum remorsu faciendo peccat, in quibus tamen si remorsum non haberet non peccaret. Exinde quam plura peccata incurreret, nec cōmitteret. Circa quod ac etiā circa plurima tam iam dictorū quā dicendorum bene notandum & aduertendum venit, quod aliud est conscientia, aliud timor conscientiæ. Quod in effectu est dicere quod magna est differentia inter habere de aliquo, seu facere conscientiā, & intelligatur formatam, & honore solum timorem cōscientiæ, quem aliqui & bene, cōmuniter scrupulum conscientiæ vocant. Conscientia etenim prout iam dictum est .s. formata est quando finaliter .i. post discussionem & deliberationē ex definitiua sententia rationis iudicatur & firmatur aliquid esse faciendum aut prosequendum, vel non faciēdum aut vitandum. Et contra talem conscientiam formatā facere etiam si erronea sit, sic scilicet quod ratio in sic discutiēdo, deliberando ac definiendo errauerit, est peccatum. Timor verò cōsciētiæ seu scrupulus est, quando non sic finaliter .i. post discussionem & deliberationem ex definitiua sentētia iudicatur & firmatur aliquid esse faciendum aut prosequendum, vel non faciendum aut vitandum, sed mens inter dubia vacillat, nesciens quid sit melius, nec ad quid potius teneatur. Nō tamē quoquo modo vellet omittere quicquid sciret esse placitum diuinæ voluntati. Et contra istum timorem seu scrupulū conscientiæ facere, non semper est peccatum, licet periculosus valde sit, & quantum fieri potest abijciendus & extinguēdus Causæ istorum inferius subiūgentur. Pro quo sciēdum, quod inter cætera quæ super præsenti materia conscientiæ per doctores tractantur, duæ solēt licet diuersimodè formari & determinari quæstiones. Ex quarum determinatione tam statim dicta, quam adhuc inferius in hac eadem materia dicenda, quam etiam plura alia quæ in hoc tractatu circa materiam peccatorum mortalis & venialis tractata sunt, & adhuc forsan tractabūtur, clarius intelligi poterunt. Prima igitur quæstio sic tractari solita est. Vtrum conscientia errans obliget. Secunda, vtrum conscientia errans excuset. Circa primam istarū duarum quæstionum. Vtrum .s. cōscientia errans obliget, quod vt ponit beatus Tho. prima secūdæ suæ summæ, est idē in effectu quod quærere, vtrum voluntas à ratione errante discordans, sit mala & peccet. Conformiter ad aliqua supra tactorum, triplicem distinxerunt nonnulli actuum qualitatum, vocem quod aliqui sunt de se ex suoque genere seu natura boni. Alij sunt de se ex suoque genere seu natura mali. Alij sunt indifferētes .s. qui de se ex suoque genere seu natura non habent quod sint boni vel mali, vel leuare festucā de terra vel mouere manum. Dicunt ergo in effectu, quod respectu actuum duarum primarum qualitatum, si ratio vel conscientia de ipsis iudicet & dictet secundum verò eorum esse suamque propriam naturam, vt puta quia aliquid quod de se ex suoque genere seu natura bonum est, ratio iudicet vt bonum, & exinde conscientia dictat hominem teneri ad illud faciendum, vel aliquid quod de se ex suoque genere seu natura malum est, ratio iudicat vt malum, & exinde conscientia illud dictat esse prohibitum, & sic non faciendum, nullus est ibi error, immo rectum iudicium. Eadem etenim ratione præcipiuntur bona, & prohibentur mala. Sed si ratio vel cōscientia de prædictis actibus iudicet & dictet contra verum eorum esse, suamque propriam naturam, vtputa quia aliquod de se ex suoque genere seu natura bonum est, ratio iudicat vt malū, & exinde cōscientia illud dictat esse prohibitum & sic fugiendum, vel aliquid de se ex suoque genere seu natura malum, ratio iudicat vt bonum, & exinde conscientia dictat hominem teneri ad illud faciendū, tunc ibi est manifestus error, talisque ratio & conscientia dicitur errans. Et eodem modo respectu actuum tertiæ qualitatis, si ratio vel conscientia de eis dictet & iudicet cōtra verum eorum esse, suamque propriam nuturā, vt puta quia aliquid de se ex suoque genere seu natura est indifferens, ratio iudicet bonum vel malum, & exinde conscientia dicet hominem teneri

ad

ad illud faciendum vel prohibitum & ſic non faciendum, eſt etiam ibi error, ſed non tantus, eritq; talis ratio ſeu conſcientia errans, ſed non tamen ſicut in caſu præcedenti. Iuxta quæ dicunt inſuper prædicti quod ratio vel cõſcientia circa actus tertiæ qualitatis errans. ſ. qui de ſe ex ſuoque genere ſeu natura sũt indifferẽtes, ſiue ſit in præcipiendo ſiue in prohibendo, obligat, ita quod volũtas à tali ratione, taliq; conſcientia ſic errãte diſcordãs, i. cõtrariũ illius quod ſic iudicat & dictat faciens, eſt mala & peccat. Sed ratio vel conſcientia circa actus duarũ primarũ qualitatum errãs, iudicãdo. ſ. & dictãdo ea quæ de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bona ſunt vel neceſſaria ad ſalutem, mala eſſe & ſic prohibita & fugienda, vel ea quæ de ſe ex ſuoque genere ſeu natura mala ſunt, bona eſſe, & ſic ex debito facienda nõ obligat. Vnde in talibus volũtas à tali ratione talique conſcientia ſic errãte diſcordans, contrariumque illius quod ſic iudicat & dictat faciens, non eſt mala nec peccat. Et ratio poteſt eſſe, quia nullo modo videri poteſt quod aliquis ad id quod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura malum eſt, poſſit & maximè ad hoc per errorem rationis & conſcientiæ teneri ſeu obligari, cum illud potius ex ſeipſo prohibitũ videatur. Ergo cum ad tale quid quis obligatus nõ exiſtat, immo è cõtrario videatur ab illo prohibitus, videtur quod illud non faciendo nulla ratione peccare poſſet, immo potius mereatur. Similiter nec ab eo quod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bonum eſt, poſſet quis & maximè adhuc per errorẽ rationis & conſcientiæ (vt tactum eſt) prohiberi, cũ potius ex ſeipſo faciendum videatur. Ergo cum à tali prohibitus non exiſtat, immo potius ad illud videatur obligatus, videtur quod illud faciendo nulla ratione peccare poſſit, immo potius mereatur. Non ſic autem eſt in indifferentibus quæ de ſe ex ſuoq; genere ſeu natura nec bona nec mala exiſtunt. Et ideo facilius ex aliqua occaſione ſeu circunſtantia vt puta ex iudicio rationis & dictamine conſcientiæ poſſunt bona vel mala effici, & exinde ad talia quis teneri & obligari vel ab eis prohiberi, vt ſatis declaratum eſt. Sed iſtam poſitionẽ iſtumq; modũ dicendi partim approbat & partim impugnat B. Tho. li. ſupra notato. In quantum enim ponit quod ratio vel conſcientia circa actus de ſe ſuoq; genere ſeu natura indifferens errans obligat, voluntateſque à tali ratione talique conſcientia ſic errante diſcordans mala eſt & peccat eam approbat. Sed in quantũ vero ponit, quod ratio vel cõſcientia circa actus de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bonos vel malos errans non obligat, nec voluntas à tali ratione talique conſcientia ſic errante diſcordãs, mala eſt & peccat, ipsã impugnat, monſtrans quod idem eſt dicendũ de ratione vel conſcientia circa actus de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bonos vel malos errante. ſ. quod obligat & quod volũtas à tali ratione taliq; cõſcientia ſic errante diſcordans, mala eſt & peccat. Sicut dicitur de illa quæ circa actus de ſe ex ſuoque genere ſeu natura indifferentes errat. Et cauſam huius ex ſequentibus effectualiter aſſignat. Certum eſt enim quod proprium obiectum voluntati & à quo ac ſecundum quod ipſius voluntatis bonitas & malicia dependet & accipi debet eſt illud quod ſibi à ratione obijcitur ſeu ſupponitur. Non quidem ſecundum

A quod illud ex ſe ipſo, de ſuiq; natura eſt, ſed ſecundum illam qualitatem in bonitate vel malitia, ſecundum quám ab ipſa ratione apprehẽditur: & ipſi volũtati obijcitur ſeu proponitur. Etenim (vt frequentius ſupra dictũ eſt) ratio voluntatem mouere habet & mouet ſecundum ſui obiecti apprehenſionem, & ſecundũ illud quod apprehendit. Certum eſt inſuper (vt iam modicũ ſupra ſatis declaratũ eſt) quod ratio, etiam (quod bene notandum eſt) credẽdo forſan ſe debitè voluntati diuinæ conformare, licet tamen tũc erret, poteſt quandoque aliquod obiectum apprehen-

B dere & voluntati obijcere ſeu proponere ſecũdũ aliam qualitatem, quam illud quod de ſe ex ſuoq; genere ſeu natura non habet, ſic quod non ſolum contingere poteſt in actibus de ſe ex ſuoque genere ſeu natura indifferentibus, ſed etiam & eodem modo in caſibus qui de ſe ex ſuoque genere & natura ſunt boni & mali. Clarum eſt enim quod eodem modo poteſt ratio aliquid quod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura bonum eſt apprehendere, ac voluntati obijcere ſeu proponere vt malum, &

C è contra ſicut illud quod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura indifferens eſt, poteſt vt bonũ vel malum apprehendere, ac vt tale voluntati obijcere ſeu proponere. Cum ergo prædicta magis ad propoſitum applicando, & gratia alicuius exempli ratio aliquid quod de ſe ex ſuoq; genere ſeu natura bonũ eſt, apprehendit vt malũ, & ſicut malum, & per conſequens dictante conſcientia fugiendum ipſi voluntati obijcit ſeu proponit, iã illud efficitur & eſt proprium obiectũ ipſius voluntatis. Nõ qui-

D dem ſub ratione boni & tanquã bonũ, quãuis de ſe ex ſuique natura bonum exiſtat, quia non eſt vt tale ab ipſa ratione apprehensũ, & vt tale ipſi voluntati obiectũ ſeu propoſitũ, ſed ſub ratione mali & tanquã malũ de per accidens, & ſic fugiendũ, quia vt tale eſt ab ipſa ratione apprehensũ, & vt tale dictãte etiã conſcientia, ipſi volũtati obiectũ ſeu propoſitũ. Sic ergo vt videtur in iſto caſu propriũ obiectũ voluntatis eſt malũ & fugiendũ quãuis vt tactum eſt, in illud vt tale apprehendendo, ac vt tale ipſi voluntati obijciendo ſeu proponẽ-

E do, ipſa ratio ipſiuſq; conſcientiæ dictamen erra-uerit. Si nũc ergo ipſa voluntas tali rationi, talique conſcientiæ dictamini, quamuis erranti contradicendo in tale ſuum obiectũ feratur & ſe applicet, certũ eſt quod fertur & ſe applicat in obiectũ malum, & dictante conſcientia fugiendũ, & per conſequens eſt mala & peccat, cum volũtariè ferri & ſe applicari in malum & fugiendũ ſit peccatũ. Nec inſpicitur quod (vt ſæpe dictũ eſt) illud in quod ſic ipſa voluntas fertur, ſit de ſe ex ſuoque genere ſeu

F natura bonũ. Quia vt in tale ipſa volũtas non fertur nec ferri poteſt in ipſum, quia vt tale nõ eſt ſuũ propriũ obiectũ, & per conſequens etiam nec ab eo vt à tali, poteſt aut debet ipſius voluntatis bonitas dependere & attendi, cũ iuxta ſupra tacta ipſius voluntatis bonitas vel malitia ſui proprij obiecti non quidem vera eſſentia ſeu natura ſed qualitate, ſub qua à ratione ſiue recta ſiue errante apprehenditur, ipſique voluntati obijcitur ſeu proponitur, dependere habeat & attendi. Et ſimiliter hic eadẽ ratione dici poteſt de illo quod de ſe ex ſuoque genere ſeu natura malum eſt, ſi ratio illud vt bonum apprehendat & vt bonum, & per con-

sequens ipsa dictante conscientia debitum & faciendum ipsi voluntati obijciat seu proponat. Nam illud proprium ipsius voluntatis obiectum non quidem sub ratione mali & tanquam malum, quãuis de se suique natura malum existat quia non est vt tale ab ipsa ratione apprehensum, nec vt tale ipsi voluntati obiectum seu propositũ. Sed sub ratione boni & tanquam bonũ de per accidens, & per consequens debitum & faciẽdum, quia vt tale est ab ipsa ratione apprehensum, & vt tale dictante etiam conscientia, ipsi voluntati obiectum seu propositum. Et ideo si voluntas tali rationi, talique conscientiæ dictamini contradicendo, tale suum obiectum facere & adimplere recuset, clarum est quod bonum & dictante conscientia debitum & faciendum recusat, quia vt tale est suum proprium obiectum, & sic est mala & peccat, quia voluntarie quod debitum & faciendum est, recusare peccatum est. Et si in casibus prædictis opponendo diceretur, quod volũtas sic tali rationi talique cõsciẽtiæ dictamini erranti contradicẽdo bene mouetur, quia fertur & se applicat in bonum & aufugit malum, & sic non est mala, nec peccat, immo bona est & bene facit, patet clarè responsio ex statim dictis. Non enim sequitur, si voluntas in illud quod de se ex suoque genere seu natura bonũ est, feratur & se applicet, vel illud quod de se ex suoq; genere seu natura malum est, aufugiat, quod propterea bene faciat & bona sit, nisi illud faciat sub debita qualitate ac debito modo, sic scilicet quod si in illud quod bonum est, feratur & se applicet, hoc faciat sub ratione boni & tanquam in bonum vel si illud quod malũ est, aufugiat, hoc faciet sub ratione mali & tanquã malum, non enim quoad Deum, seu quoad meritum vel demeritum inspicitur tantum illud quod fit, sed sub qua qualitate & quo modo seu animo illud fit. Nunc ad propositum in casibus supra dictis, licet enim (vt ibi satis deductum est) voluntas quoad primum casum feratur, & se applicet in illud quod de se ex suoque genere seu natura bonum est, non tamen hoc facit ratione boni & tanquam in bonũ, quia vt tale nõ est suum proprium obiectum, nec sibi vt tale à ratione propositum, sed fertur & se applicat in illud sub ratione mali & tanquam malum Quia vt tale est suum proprium obiectum, sibique vt tale à ratione propositum &c. Et sic licet in bonum feratur & se applicet, nõ tamẽ facit sub illa bona qualitate, nec bono modo seu animo, sed sub mala qualitate & malo modo maloque animo, & ideo talis volũtas non est bona, nec bene facit, sed est mala, & malè facit & peccat. Et idem de secundo casu respectu illius quod de se ex suoque genere seu natura malum est, sed à ratione errante apprehenditur, ipsique voluntati obijcitur seu proponitur vt bonum. Nam licet tunc voluntas aufugiat illud quod de se ex suoque genere seu natura malum est, non tamen illud facit sub ratione mali & tanquam malum, quia vt tale non est suum proprium obiectum, nec sibi vt tale à ratione propositum, sed illud aufugit sub ratione boni & tanquã bonum, quia vt tale est suum proprium obiectum sibique vt tale ab ipsa ratione propositum, &c. vt satis ibi deductum est. Et ideo talis voluntas nõ est bona, nec bene facit, sed mala, & male facit & peccat. Ad propositum prædictorum duorum casuũ pro clariori eorum intellectu, possunt iuxta effectũ dictorum ipsius beati Tho. poni duo exẽpla. Primum exemplum respectu primi casus, credere in Christum est per se bonum & necessarium ad salutem, sed voluntas in hoc bonum non fertur, nisi secundum quod sibi à ratione obijcitur & proponitur. Si ergo ipsi voluntati à ratione errãte proponatur vt malum, & sic dictante conscientia nõ faciendum, & nihilominus ipsa volũtas tali rationi talique conscientiæ dictamini contradicendo in illud feratur & se applicet, clarum est quod in illud feretur & se applicabit sub ratione mali & tãquam malum & non faciendum. Non quia de se suique natura malum sit &c. sed est malum &c. de per accidens ex tali scilicet apprehensione rationis quæ vt malum &c. illud apprehẽdit, & vt malum ipsi voluntati proponit. Et sic talis voluntas de se erit mala & peccabit, quia voluntariè in malũ &c. ferri & se applicare, malum est & peccatum. Et ad hoc propositum dicit philosophus vij. ethi. quod per se loquendo ille incontinens est qui nõ sequitur rationem rectam, sed de per accidens ille etiã incontinens est, qui non sequitur ratione falsam .i. erroneam. Secundum exemplum respectu secũdi casus, fornicari de se ex suoque genere seu natura est quoddam malum, sed voluntas in istud malum non fertur, nisi secundum quod sibi à ratione obijcitur & proponitur. Si ergo à casu ipsi voluntati à ratione errãte proponatur vt bonum & necessarium ad salutem, & sic dictante conscientia vt debitum & necessariò faciendum, & nihilominus ipsa voluntas tali rationi talique conscientiæ dictamini contradicendo illud aufugiat, facereq; recusat, clarum est quod illud aufugiet & facere recusabit sub ratione boni & necessarij ad salutem &c. & tanquam bonum & necessarium ad salutẽ non quia de se suiq; natura bonum sit & necessarium &c. sed est bonum & necessarium &c. de per accidens, ex tali .s. apprehensione rationis, quæ vt bonum & necessarium &c. ipsi voluntati proponit, & sic talis voluntas de se erit mala & peccabit, quia voluntariè bonum & necessarium ad salutẽ aufugere & recusare, facere malũ & peccatum est. Non tamẽ (vt omnia sanè intelligãtur) innui credatur per prædicta, quod volũtas in casu istius vltimi exempli, tali rationi talique rationis dictamini sic erranti se conformando bene faceret, sed solum quod etiam cõtradicendo malè facit & peccat, quod quomodo fieri possit, inferius latius declarabitur. Cõcludit igitur finaliter & simpliciter ipse B. Tho. post multa hincinde per eum allegata, quod omnis voluntas à ratione siue recta siue errante discordans, siue sit in illis seu circa illa quæ de se ex suoque genere seu natura indifferentia sunt, siue in his & circa ea quæ de se ex suoque genere seu natura bona vel mala existunt, semper mala est & peccat. Ex quibus & per quæ satis effectualiter ad primam duarum principalium quæstionum supra formatarum per affirmatiuam respondere videtur, quod scilicet conscientia errans obligat. Quod tamen respectu voluntatis à ratione & conscientia errante seu erronea discordantis sic intelligendum est, quod licet talis voluntas sẽper de se sit mala & peccet, non propterea tamen (vt statim aliqualiter tactum est) sequitur quod quotienscunque tali rationi & conscientiæ sic erranti concordat ipsa voluntas, bona sit & benefaciat. Est etenim dare casum, in quo voluntas ratio

ni & conscientiæ erranti seu erroneæ discordando & contra id quod dictarent faciedo esset male & peccaret, & nihilominus etiam cum eis concordando & faciendo quod dictarent mala esset & peccatum committeret. Vtputa quando ratio & conscientia vt est in vltimo exemplo statim supra posito, errando dictarent aliquid quod esset contra Deum eiusque legem & præcepta, discordãdo vero facit contra dictamen rationis & conscientię, in quo est semper, saltem interpretatiuè Dei contemptus. Et hic est propriè casus in quo cadit perplexitas, & exinde etiam dum ad dictam primã quæstionem supra positam respondendo dicitur, quod conscientia etiam errans semper obligat, nõ est intelligendum, quod semper simpliciter obliget ad faciendum & subsequendũ illud quod ipsa dictat, sed sub disiunctione ad faciendum. s. & sequendum illud quod ipsa dictat, vel ad se deponẽdum, vt clarius inferius ex dicendis patere poterit. Pro quo clarius intelligendo & quia materia ista frequenter occurrit, nec clare ab omnibus prout bene expediret intelligitur, vtile visum est positionem circa hoc Domini Bonauen. quam ad dictã primam quęstionem effectualiter, licet sub alijs terminis respondendo ponit, hic applicare. Format enim quæstionem sic. Vtrũ teneamur ad omne id quod conscientia dictat esse necessarium ad salutem. Et sub prædicto titulo quæstionis format etiamtres alias quæstiones quasi subalternas, quas per idem quasi medium soluit. Et sunt hæ in effectu. Vtrum omnis conscientia liget, & vtrum liget ad omne quod dictat. Vtrum homo sit perplexus quando conscientia sibi vnum dictat, & lex diuina dictat contrarium. Cui sit magis obtemperãdum, vel conscientiæ dictamini vel præcepto prælati, cum sibijnuicem obuiant & contrariantur.

Circa quarum quatuor quæstionum dissolutionem ponit dictamen conscientiæ triplici respectu ad tria genera actuum considerari posse, satis ad propositũ distinctionis suprapositę licet sub alijs verbis & intelligatur vt ponit de dictamine conscientiæ per modum præceptionis vel prohibitionis, non per modum consilij siuę persuasionis quod propriè est dicere quod intelligendum est de conscientia formata, & non de solo timore seu scrupulo conscientiæ quorũ satis supra notata est differentia. Aliquando etenim cõscientia dictat ea quæ sunt secundum legem Dei, aliquãdo dictat ea quæ sunt cõtra legem Dei, aliquãdo dictat ea quę sunt præter legem Dei. Quando autem conscientia dictat ea quæ sunt secundum legem Dei, ipsa simpliciter ligat ad faciendum illum quod ipsa dictat, immo cum in isto casu homo iam ad ea quæ sic conscientia dictat, sit per legem diuinam ligatus & obligatus, conscientia quæ sic legi concordat, non solum ligat, immo & ligatum ostendit, ita quod in effectu duo ligamina concurrunt. Et talis conscientia nullo modo est deponẽda seu abijcienda, immo toto effectu sequenda. Quando vero conscientia dictat ea quæ sunt contra legem Dei, ipsa etiam conscientia simpliciter ligat & obligat, non quidem ad faciẽdum quod ipsa dictat, sed ad deponendũ. Quia cum talis conscientia erronea errore repugnante legi diuinæ, quandiu ipsa manet, ponit, & tenet hominem extra statum salutis, & ideo necesse est eam deponere, quia siue tunc homo faciat quod ipsa consciẽtia dictat, siue

A eius oppositum, peccat mortaliter. Faciendo etenim in isto casu quod ipsa conscientia dictat, facit contra legem Dei, quod clarum est peccatũ mortale esse. Faciendo vero oppositum illius quod ipsa conscientia dictat, adhuc peccat mortaliter, nõ ratione quidẽ operis quod tunc facit, sed quia malo modo facit. Facit enim in contemptũ Dei, quia licet illud quod tunc facit, de se nõ displiceat Deo facit tamen ac si displiceret. Deo, cum faciat illud quod sua conscientia sibi Deo displicere dictat. Sic ergo facit quod Deo displicere credit Deum contẽnit, quia Deus non tantum attendit quid homo faciat, sed quo animo faciat, &

B sic mortaliter peccat. Et bene circa tã hic quam in superioribus dicta & tractata aduertatur quod quotienscunque fit mẽtio quod voluntas à ratione proponente & dictante ea quæ sunt contra legem seu præceptũ Dei discordãs, mala est & peccat, intelligatur prout intelligendũ est, quando nõ clarè & euidenter cognoscitur vtrum illa quæ sic ipsa ratio proponit & dictat, sint contra legem seu præceptũ Dei, immo intelligi debet vbi talia quæ

C sic ipsa ratio proponit & dictat, creduntur esse secundum legem & præceptum Dei. Nam si clarè cognosceretur quod ratio humana proponeret & dictaret aliquid contra legem seu præceptum Dei talem rationem nullus teneretur sequi, nec tũc ratio esset totaliter errans, sed potius quasi malitiose agens & corrupta. Sed quãdo ratio errans aliquid quod est contra legẽ & præceptũ Dei, proponit & dictat vt Dei, præceptũ ac suæ legi cõforme, tũc est verè errans. Et tũc dictamẽ talis rationis cõtẽnere, est idẽ quod Dei præceptũ contẽnere, saltẽ inter-

D pretatiuè, vt satis supra declaratum est. Item dum in superioribus fit frequenter mentio de eis quæ de se ex suoque genere seu natura bona vel mala sunt, & de eis quæ sub ratione boni & mali apprehenduntur, intelligatur semper de bonis vel malis secundum legẽ & præceptum Dei, vt puta quia de se vel ex aliqua circunstantia talia sunt, vel vt talia apprehenduntur. Quia alias nec virtutes nec peccata, & per consequẽs nec merita essent. Et sic non propriè ad materiam præsentem iactarent &

E congruerẽt. Quãdo autẽ consciẽtia dictat ea quæ sunt præter legẽ Dei, ipsa conscientia ligat & obligat, sed non impliciter, immo secundum quid & sub quadã disiunctione seu alternatiua. Secũdum quid enim ligat & obligat, quãdiu manet sub disiunctione seu quadã alternatiua, ligat & obligat, quia ligat & obligat ad faciendũ quod ipsa dictat, vel ad se deponendum, ita quod homo in isto casu tenetur talem conscientiã deponere vel adimplere quod ipsa dictat, vtpote si conscientia dictat

F quod necessarium est ad salutem leuare festucam de terra, vel nõ portare capitium in ecclesia, oportet vel istã conscientiã deponere, vel quandiu manet, festucã de terra leuare, aut capitium in ecclesia non portare. Et ratio huius est, quia cum talia sint præter legẽ Dei, nullus ad ea facienda vel non facienda de eorum natura obligatur, sed cũ circa ea accedit dictamen conscientiæ, iam homo ex tali dictamine obligatur ad ea facienda vel non faciẽda, cum prius non obligaretur, quia contra dictamen conscientiæ facere est peccatum. Cum igitur quãdiu manet tale conscientiæ dictamen, maneat talis obligatio, oportet eã necessariò adimplere, alias esset peccatum. Quando verò tale consciẽtiæ dicta-

men depositũ est, tũc sublata est illa obligatio, quę ad talia faciendum vel non faciendum obligabat. Et tunc illa talia sunt vt prius de sui natura erant, scilicet indifferentia, & tunc ea facere vel non facere similiter indifferens est, & sic non est aliquod peccatum. Nunc ergo iuxta effectum dictorũ ipsius Domini Bonauen. prædicta ad solutionẽ ipsarum quatuor quæstionum per modũ cuiusdã epilogi applicando, respectu primæ & principalis quæstionis, peccatũ ex prædictis, quod non semper tenemur ad omne id quod conscientia dictat esse necessarium ad salutem, & tamen quãdiu manet peccamus, si non facimus illud quod consciẽtia dictat. Ergo non tenemur facere illud quod ipsa dictat. Quia (vt ex præmissis patet) illam obligationem alio modo euadere seu tollere possumus s. talem conscientiam deponẽdo. Respectu vero secundæ quæstionis peccato ex prædicti quod omnis conscientia ligat, sed non semper ligat ad omne quod dicat. In eis enim quæ dictat secundum legem vel præter legem ipsa (vt iam dictum est) ligat ad id quod dictat, in primis quidem simpliciter in secundis verò sub disiunctione. s. ad id quod dictat, vel ad se deponendum. In eis verò quæ dictat contra legem Dei, ipsa ligat, sed nullo modo ad ea quæ dictat, sed simpliciter ad deponendũ. Respectu autẽ tertiæ quæstionis patet ex præmissis, quod licet homo in casu dictæ quæstionis possit dici perplexus ad tempus quandiu scilicet talis conscientia sibi manet, simpliciter tamen loquendo non est nec debet dici perplexus, quia potest, immo tenetur talẽ conscientiam deponere per aliquẽ modorum infra tactorum.

Respectu verò quartæ quæstionis patet ex præmissis quod quando prælatus præcipit ea quę sunt secundum legem Dei vel præter legem Dei, magis est sibi obediendum quam dictamini consciẽtiæ, immo in his casibus talis conscientia quæ tali præcepto prælati contrariatur, simpliciter est deponenda, quia iam in his casibus contra præceptũ prælati facere esset contra legem Dei facere. De primis non est dubium, cum tunc secundum legẽ Dei præcipiat. De secundis verò quæ. s. sunt præter legem Dei, hoc idem patet, quia præceptum prælati iam ea quæ sic præter legem Dei erant, facit secundum legem Dei esse. Quando vero prælatus præcipit ea quæ sunt contra legem Dei magis est obediendum dictamini conscientiæ quam prælato, quia in hoc casu manifestũ est, quod contrarium illius quod prælatus præcipit. s. illud quod tunc conscientia dictat, est secundum legẽ Dei. Et sic iuxta supra tacta ad illud faciendũ sũt quasi duo ligamina. s. ligamẽ legis Dei, & ligamẽ cõscientiæ. Ex parte verò præcepti prælati nullũ est in hoc casu ligamen, quia simpliciter nõ obligat, quia cõtra legem Dei præcipit. Et intelligatur hoc iuxta modicum supra tacta. de dictamine conscientiæ formatæ, quæ scilicet clarẽ & euidẽter cognoscit, vel finaliter in animo iudicat & firmat tale præceptum prælati esse cõtra legẽ Dei, quia si solũ esset timor vel scrupulus cõscientiæ, necesse esset aliter & magis per prius cõsulere & discutere antequam tale præceptum prælati contemneret.

Triplex autem modus conscientiã deponendi reperitur. Primus est ex seipso per fortem scilicet & feruentẽ meditationem & dicussionem casus incũbentis ac rationum circa ipsum occurrentiũ, diligensque studium opinionũ ac sententiarum A doctorum. Et hoc quando homo notitiam legis diuinæ lumenque scientiæ ex seipso habet. Secundus modus est per discretã & diligentem inquisitionem & inuestigationem à literatis & peritis ipsius legis diuinæ, & maximè eis quos quis peritiores & magis probatæ vitæ, iudicio suo commodè reperire poterit, & interdum iuxta grauedinem casus, vehementiamque motus seu dictaminis ipsius cõscientiæ pluries ac frequenter, & hoc quando homo de se nescit de dicta sua conscientia casuque sibi incumbente iudicare, vt puta quia B notitiam legis diuinæ non habet. In his duobus modis necessaria omnino est humiliatio spiritus, ac quædã sui intellectus captiuatio, vt scilicet pie velit credere & cõsentire obedireque eis quæ per se legit, vel ab alijs audit. Iuxta dictũ apostoli. Captiuantes omnem intellectum in obsequiũ Christi. Hoc est dicere, quod quilibet in credendis plus debet consentire fidei quam sibi, & in agendis plus credere alijs quam sibi. Tertius modus est per conuersionem mentis & reuersum ad Deum eiusC que consilium per humilem & deuotam ac frequentem orationem, vbi & quando deest consilium humanum. Iuxta illud sacræ scripturæ: Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te, quamuis & hic modus nõ debeat ab alijs duobus præcedentibus deesse immo cum eis concurrere. Qui autem alio modo vt frequenter apud plures contingit, conscientiam suam deponit, magna pericula & plus quam plures forsan credãt incurrit. Tunc non est propriæ conscientiæ depositio, sed D contemptus grauis & superba pręsumptio. Beatus enim homo qui semper est pauidus, in eis scilicet quæ ad salutem pertinent. Ex istis tribus modis cũ nonnullis superius tractatorũ possunt notari octo ex quibus causari & prouenire solet ipsius consciẽtię error. Primum est ignorantia, quando scilicet quis nescit quid sibi eligendum vel declinandum sit. Secundũ est negligentia, cũ quis scilicet negligit cõscientiã suã discutere, vel si post discussionẽ se expedire nesciat, negligit tunc ab alijs quærere. E Tertium est superbia, quando scilicet quis nõ humiliat intellectum suum, vt melioribus & sapientioribus se credere velit. Quartum est singularitas quando scilicet homo suum proprium sensum sequens, non vult se alijs conformare, nec sequi vias communes bonorum contra quod li. numerorum scribitur: Extrema castrorum consumpsit ignis. Quintum est affectio inordinata, quæ sæpe inclinat conscientiam ad id quod homo tunc appetit, & sic facit eã à sua rectitudine deuiare. Iuxta dictum Senecæ: Perit omne iudiciũ, cum res tranF sierit in affectum. Sextum est pusilanimitas, propter quam scilicet quis frequenter timet ea quæ secundum rectum iudicium rationis timenda nõ sunt. Septimum est perplexitas, quãdo scilicet homo se inter duo peccata positum esse credit, & vtrumque declinare, quin scilicet in vnum incidat, iudicat impossibile: Sed ad verum (vt ex supra tactis satis patet) perplexitas propriè loquendo nihil est simpliciter, sed secundum quid tamen potest esse aliquis perplexus secundũ scilicet conscientiã erroneã, sed statim (vt etiã supra tactũ est) eam deponendo potest liberari. Octauum est humilitas, cordisque puritas. Vnde Grego. Bonorũ mẽtium est

eſt ibi culpas agnoſcere, vbi culpa non eſt. Septem prima ſunt mala & reprehenſibilia, & error ex eis proueniens valde periculoſus. Octauum verò laudabile eſt, errorque ex eo proueniens, pius & meritorius, immo nec error propriè dici debet, ſed quædam humilis ſuorum defectuum ſuæque fragilitatis recognitio, dum tamen nõ ſit nimius.

Reſpectu ſecũdæ duarum quæſtionum principalium, qua ſcilicet quæritur. Vtrum conſcientia errãs ſeu erronea excuſet, quod iuxta eundem B. Tho. vt de prima quæſtione principali in ſimili dictum eſt, eſt idem in effectu quod quærere, vtrum voluntas rationi erranti ſeu erroneæ concordans ſit bona, veniunt iuxta intentionem ipſius B. Tho. conſideranda quæ ſequuntur.

Primò (vt frequenter in ſuperioribus dictum eſt) bonum & malum in moralibus, & magis clarè ad propoſitum cœptum loquẽdo quoad meritum & demeritum conſiſtit in actu in quantũ eſt voluntarius, ita quod bonitas vel malitia alicuius actus ab ipſa voluntate ſeu voluntatis imperio depẽdet, quia ſi actus eſſet inuoluntarius, nec meritorius nec demeritorius eſſet. Et hinc eſt illud ſæpe allegatum B. Augu. quod omne peccatum voluntarium eſt, adeò quod ſi voluntarium non eſſet, peccatum non eſſet.

Aduertendum eſt inſuper, quod quoad propoſitũ præſens ignorantia ſub duplici qualitate inuenitur. Vna eſt quę cauſat inuoluntariũ. i. quæ dum contingit ſeu occurrit, reddit ſeu efficit actum inuoluntarium, & hoc propriè indirectè, quia. ſ. priuat hominẽ à cognitione quæ præexigitur ad hoc quod aliquid voluntarium exiſtat. Alia eſt ignorãtia quæ non cauſat inuoluntarium. i. quæ dum cõtingit ſeu occurrit, nõ propterea actum inuoluntariũ reddit ſeu efficit, quæ inferius magis declarabũtur. Ex quibus duobus clarè ſequitur, quod illa ignorantia quæ dum contingit ſeu occurrit, reddit ſeu efficit actum inuolũtarium tollit à tali actu omnem rationẽ boni & mali moralis, meritiq; & demeriti. Illa verò quę dũ occurrit, non reddit ſeu efficit actum inuoluntariũ, dictã rationẽ boni & mali, meritiq; & demeriti non tollit. Patet ex prædictis quod (vt iã ſtatim dictũ eſt) talis ratio boni & mali, meritiq; & demeriti à volũtate depẽdet.

Eſt præterea pro prędictorũ & aliquorũ ſubſequẽtiũ intellectu notandũ, quod ignorãtia triplici modo ſeu ſub triplici reſpectu ſe poteſt ad actũ voluntatis habere. Vno modo antecedenter, alio modo cõcomitãter, & alio modo cõſequẽter. Antecedenter autẽ ſe habet ignorantia ad actũ volũtatis quãdo nõ eſt volita, ſeu vt ita dicatur, voluntaria; & tamen eſt cauſa volẽdi aliquid quod alias homo nõ vellet. ſ. ſi talis ignorãtia nõ eſſet, vtputa quãdo homo ignorat aliquã circũſtãtiã actus, quã ſcire nõ tenebatur, & ex hoc aliquid agit quod nõ faceret ſi illã circũſtãtiã sciret, vt ponit B. Th. exẽplũ de illo qui diligẽtia de hinc inde circũſpiciendo adhibita, ignorãs aliquẽ trãſire per viã, proiicit ſagittã, qua tranſeuntẽ interficit. In iſto enim caſu iſta ignorãtia iſtius circunſtantiæ, ſ. tranſitus iſtius hominis non eſt volita nec voluntaria, quia iſte proiiciens ſagittam bene voluiſſet trãſitum illius hominis ſcire, & tamen eſt cauſa volendi, quia aliàs iſte homo non voluiſſet. ſ. proiiciendi illã ſagittam, quam aliàs non proieciſſet, ſi ſcilicet illam circunſtantiam tranſitus illius hominis ſciuiſſet.

A Et ita de multis aliis quæ frequentiſſimè occurrunt. Et hæc ignorantia ſic antecedens ſimpliciter cauſat inuoluntarium id eſt dum contingit & occurrit, actum inuoluntarium reddit ſeu efficit. Concomitanter autem ſe habet ignorantia ad actum voluntatis, quando eſt de eo met quod agitur, quod ſi etiam ſciretur, nihilominus ageretur, ita quod ipſa ignorantia non inducit ad volendum vt illud fiat, ſed ſolum cum tali facto concurrit, ita quod ſimul contingit illud eſſe factum, eſſe ignoratum. Vt iuxta exemplum beati Thom.

B de illo qui quærit hoſtem occidere, & animo ſuo occidere firmauit, contingit quod caſu vel in nemore vel aliàs iſtum hoſtem ſagitta vel lancea occidit, ſed dum eum occidit, credit occidere ceruum. In iſto enim caſu iſta ignorantia quod tunc hoſtis ille ibi eſſet, & quod tunc occidat, cõcurrit cum ipſo facto ſc. cum ipſa occiſione, ita quod ſimul contingit illum hoſtẽ occidi: & occidi ignorari: nec ipſa ignorantia quod ſc. ille hoſtis tunc ibi eſſet, induxit iſtum occiſorem ad eum occi-

C dendum, quia ita bene eum occidiſſet, ſi ibi tunc eum eſſe ſciuiſſet ſicut occidit quando ignorabat. Et talis ignorantia dum contingit ſeu occurrit, non reddit ſeu efficit actum inuoluntarium, quia non cauſat aliquid quod ſit repugnans voluntati id eſt per quod voluntas ſi ſciret impediretur facere quod tunc facit, vt ſatis eſt conſiderare in exemplo ſtatim poſito. Sed talis ignorantia ſi bene aduertatur, bene cauſat ſeu efficit actum pro illo inſtanti quo fit non voluntarium ſic ſci-

D licet quod pro illo inſtanti quo ſic voluntas non habeat actualiter volitionem illum actum faciendi, vt etiam patet in dicto exemplo ſtatim poſito. Clarum eſt enim quod ille occiſor pro illa hora qua illum hoſtem ſic à caſu occidit, non habeat actualiter voluntatem eum occidendi, quia tunc ibi eum eſſe ignorabat immo ceruum ibi eſſe: & ceruum occidere credebat. Nec ſequitur quod ſi talis ignorantia reddat ſeu efficiat actum non voluntarium, quod propterea eum reddat inuoluntariũ. Magna etenim inter iſta duo eſt differentia.

E Reddere enim ſeu efficere actũ non voluntariũ, eſt facere quod volũtas pro inſtanti quo ille actus fit, non habeat actualem volitionẽ eum faciendi. Reddere verò ſeu efficere actum inuoluntarium, eſt facere quod voluntas actualẽ ſeu habitualẽ volitionem habeat illum actum non perficiendi, quæ valde inter ſe differunt. Magna differentia eſt inter non velle facere & velle non facere. Primum prædictorum, vt iam tactum eſt, bene cauſat ſeu efficit ignorantia concomitans, de qua nũc

F agitur. Sed ſecundum non cauſat nec efficit. Et ratio eſt, quia idem non poteſt eodem inſtãti eſſe actualiter volitum & ignoratum, ſcilicet bene poteſt eodem inſtanti eſſe habitualiter ſeu diſpoſitiuè volitum & ignoratum. Cõſequenter autem ſe habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipſa ignorantia eſt volita ſeu voluntaria. Quod duobus modis contingere poteſt. Vno modo directè, alio modo indirectè. Directè, quando actus volũtatis fertur in ipſam ignorantiã, ſicut cum aliquis vult ignorare vt excuſationẽ peccati habeat, vel vt à peccando non retrahatur. Iuxta illud Iob 21. Scientiam viarum tuarũ nolumus. Et hæc dicitur

ignorantia affectata. Indirectè verò iterum dupliciter contingere potest. Vno modo, cum aliquis actu non considerat quod considerare debet & potest. Et hæc dicitur ignorantia malę electionis, vel ex passione aliqua, vel ex malo habitu proueniens. Alio modo cum aliquis notitiam quam de aliquibus deberet habere, non curat acquirere, & secundum hunc modum ignorãtia vniuersalium iuris quæ quis scire tenetur, volũtaria dicitur quasi per negligentiam proueniens, cũ enim non nisi propter negligentiam habeatur, voluntariè haberi videtur.

Nunc igitur prędicta ad propositum solutionis prædictæ secundæ quæstionis principalis iuxta intentionem eiusdem B. Tho. applicando. Si ratio vel conscientia erret errore voluntario, qui scilicet non causat inuoluntarium, vt puta quia prouenit ex ignorantia vel concomitante, quæ scilicet cum actu concurrit, nec ad ipsum perficiendũ inducit, vel consequentẽ quæ sc. volita seu voluntariè est vel directè propter negligentiam, vtputa quia est error seu ignorantia circa id quod quis scire tenetur vel considerare debet & potest, tunc talis error rationis vel conscientiæ non excusat, quin voluntas tali rationi vel conscientiæ sic erranti concordans sit mala. Si autem sit error qui causat inuoluntarium, vtputa ex ignorantia antecedente quæ ex ignorantia alicuius circunstantiæ absque omni negligentia causatur, proueniens, tunc talis error rationis vel conscientiæ voluntatem tali rationi vel conscientiæ sic erranti cõcordantẽ excusat, vt non sit mala, vtputa gratia alicuius exempli. Iuxta eundem beatum Thom. si ratio & conscientia alicuius adeò errent, quod sibi dictent quod possit ad vxorem alicuius accedere voluntas tali rationi & cõscientiæ sic erranti concordans mala est, nec excusatur, eò quod error ille prouenit ex ignorantia legis Dei, quã scire tenetur vel inquirere. Si autem ratio & conscientia prædicti hominis in hoc errent, quod aliquam mulierem quam loco suę vxoris de nocte submissam ignorat, credat esse vxorem suam, & illa muliere debitum reposcente velit eam cognoscere, excusatur voluntas eius vt non sit mala. Quia error iste ex ignorantia alicuius circunstantiæ prouenit, quæ inuoluntariè causat, & sic excusat.

Possunt alia multa exempla concipi, & ad propositum applicari, immo frequenter occurrunt casus diuersi in hac materia.

Pro ampliori adhuc tam prædictorum quam materiæ in se declaratione expediens visum est determinatione trium quæstionum, quas super 2. sententiarum tractat Dominus Petrus de Tharantasia ordinis prædicatorum, olim Innocentius Papa 5. hic iuxta effectum dictorum suorum breuiter subnectere. Prima quæstio est. Vtrum ignorantia sit peccatum? Vtrum ignorantia excuset peccatum? Quę ignorantia excuset peccatum?

Circa primam quæstionem notandum primò secundum eum venit, quod cum culpa sit defectus voluntarius eius rei quæ debet inesse, ipsa ignorantia in quantum caret voluntario, caret culpa, sed in quantum habet de voluntario, habet de culpa. Cum insuper (vt etiam dicit) priuationes per habitus cognosci habeant, vt puta iuxta propositum cœptum loquendo, ignorantia per scientiam, aduertẽdum venit quod triplex quãtum ad materiam præsentem spectare videtur, reperitur scientia. Vna est impertinentium ad salutem. Alia vtiliũ ad salutem. Alia necessariorum ad salutem. Impertinentiũ ad salutem, vt scire geometriam vel arithmeticam vel huiusmodi. Vtilium ad salutem: vt scire epistolas Pauli. Actus apostolorum: & huiusmodi. Necessariorum ad salutem, vt scire duodecim articulos fidei, decem præcepta legis, septem peccata mortalia, & huiusmodi. Et intelligantur hæc secundum status & gradus personarum, quia aliquid est necessarium ad salutem scire respectu vnius, quod solum esset vtile respectu alterius. Aliquid etiam est necessarium vni ad salutẽ scire explicitè, quod sufficeret alteri scire implicitè, & similiter de pluribus.

Respectu quorum per oppositum triplex etiam reperitur ignorantia, sc. impertinentium ad salutem, vtilium ad salutem & necessariorum ad salutem. Prima siue sit voluntaria siue inuoluntaria: non est peccatum. Secunda siue etiam voluntaria fuerit siue inuoluntaria, non est de se peccatum, licet homo eam contemnendo peccare non posset. Tertia verò ignorantia, scilicet necessariorum ad salutem, iterum triplex reperitur. Vna scilicet omnino inuoluntaria. Alia omnino voluntaria. Et alia partim voluntaria, partim inuoluntaria. Prima est in eis qui scire non possunt, vt sunt infantes, pueri, & huiusmodi, & hæc non est in culpa, & per consequens nec peccatum, sed solum est quædam pœna, in quantum scilicet ignorantia scientiæ carentiam: & sic quandam imperfectionem dicit. Secũda est in eis qui scire possunt, sed nolunt, & sic ignorantiam velle habere videtur & affectare. Et hæc propriè non dicitur pœna, cum sit volita, sed est culpa & peccatum, non ratione quidem ignorantię in se, ignorare etenim de se nullum est peccatum, sed ratione peruersæ voluntatis ignorandi ea quę quis scire tenetur, & quę sibi necessaria sunt ad salutem. Nec enim malum actum culpæ velle solummodo peccatum est, sed etiam velle malum pœnæ ordinantis ad culpam, qualis est ignorantia eorum quæ sciri debent: est peccatum. Tertia ignorantia est in eis qui scire possunt & bene vellent, sed scire negligunt. Et hæc partim pœna, partim culpa & peccatum. Pœna quidem, in quantum scilicet talis ignorantia quę (vt tactum est) quandam imperfectionem dicit, non est propriè volita, immo quodammodo displicens. Culpa verò & peccatum in quantum ex defectu hominis, sua scilicet negligentia venit quod ipse sciẽtiam eorum quę scire tenetur, & quę sibi necessaria sunt ad salutem, non habet cum habere posset, & sic quodãmodo voluntarie hanc ignorantiam habere videtur non quidem voluntate efficiente, vt in pręcedenti, sed voluntate omittente, quæ licet non propriè & verè, effectualiter tamen & interpretatiuè voluntas est. Et ex his patet solutio prædictæ primæ quæstionis.

Secunda vero prædictarum trium quæstionum eisdem quasi mediis secundum præfatum doctorem dissoluitur. Præsupponit enim primò illud iam sæpe supra tactum, quod sc. omne peccatum in quãtum est voluntariũ, in tantũ est peccatum. Ex quo infert quod illud quod diminuit de volũtario

tario, diminuit de peccato. Deinde illam triplicem differentiam ignorantiæ in determinatione A quæſtionis præcedentis poſitam, effectualiter reſumit dicendo quod prima ignorantia omnino inuoluntaria quam dicitur inuincibilis, quia vinci non poteſt, vt quæ eſt in pueris & natura inſenſatis, à toto, id eſt totaliter excuſat peccatum.

Secunda vero ignorantia, ſcilicet omnino volũtaria, quę dicitur ignorãtia affectata, nullo modo excuſat peccatum quia vt per magiſtrum ſententiarum dicitur. Et ſi talis ignorantia excuſat in quantum ignorantialem, aggrauat tamen in quãtum eſt affectata, vnde tamẽ aggrauat quantũ ex- B cuſat. Et circa hanc ignorantiam (quia de ipſa frequenter verbum occurrit) aduertatur, quia nulla ignorantia de ſe eſt ſimpliciter affectata, etenim omnes homines (iuxta philoſophum) naturaliter ſcire deſiderant, ſed eſt bene aliqua ignorantia de per accidens affectata, in quantum ſcil. ſcientia ei oppoſita creditur debere hominem mouere ſeu inducere ad aliquid quod ipſe non vult, & quod ſibi diſplicet.

Tertia vero ignorantia, ſcilicet partim volunta- C ria, & partim inuoluntaria, quia ſcil. vt ſatis ſupra tactum eſt, à voluntate omittente, non autem à voluntate efficiente ſeu approbante procedit, excuſat à tanto, ſed non à toto, id eſt non totaliter excuſat peccatum, ſed benè grauitatem peccati diminuit, ita quod peccatum per talem ignorantiam commiſſum, non eſt de ſe ita graue ſicut eſſet ſi talis ignorantia non haberetur. Et intelligatur hoc de ignorantia, quæ per aliquem modum dat cauſam ipſi peccato, ſic ſcili- D cet quod ſi ipſa non eſſet, peccatum illud non committeretur, vel non eodem modo committeretur. Nam eſt alia quædam ſpecies ignorantiæ, omne generaliter peccatum concomitans, de qua nihil ad præſens propoſitum.

Circa vero tertiam & vltimam prædictarum trium quæſtionum ſic diſtinguendo dicit præfatus doctor, quod duplex eſt ignorantia. Quædam eſt facti, quædam eſt iuris. Ignorantia facti dupliciter contingere poteſt. Aut ſcilicet adhibita diligentia, & hæc excuſat à toto, quod exponatur vt E ſupra. Et exemplificat de concubitu Iacob cum Lya primogenita filia Laban, quem concubitum talis ignorantia excuſauit. Aut talis ignorantia facti contingit non adhibita debita diligentia, & hæc excuſat à tanto, ſed non à toto, quod etiam vt ſupra exponatur, & exemplificat de facto Lamech dum occidit Cain, cum tamen feram putaret occidere. Quod factum talis ignorantia non excuſauit à toto, ſed benè à tanto.

Ignorantia autem iuris (vt iam aliqualiter in ſu- F perioribus declaratum eſt) ſub duplici qualitate reperitur, vna vincibilis, alia inuincibilis. Vincibilis quam ſcilicet vt etiam ſupra expoſitum eſt, quis vincere poteſt, iterum duplex reperitur. Vna affectata, quando ſcil. iuxta etiam ſuperius notata, aliquis ea quæ iuris ſunt quæ ſcire tenetur & ſcire poteſt, ſcire non vult, immo illam eorum ignorantiam quodammodo ne à peccato retrahatur, ſe habere complacet. Et hæc ignorantia in nullo ſe excuſat, nec ſc. à toto nec à tanto. Alia dicitur ſimplex, cum ſc. iuxta etiam ſuperius notata, aliquis ea quæ iuris ſunt quæ ſcire tenetur bene ſcire vellet, ſed cum ſcire poſſit, negligit. Et hæc ignorantia excuſat à tanto, ſed non à toto.

Ignorantia verò inuincibilis ſub duplici etiam qualitate reperitur. Vna innata, alia incidens. Innata omnino excuſat & à tanto & à toto, vt in infantibus & à natura inſenſatis. Incidens verò iterum duplex eſt, ſecundum ſcilicet quod dupliciter contingere poteſt. Vna namque incidit ſine culpa. Alia verò incidit ex culpa. Prima ſcilicet quæ ſine culpa incidit, vt quando gratia exempli, homo dando operam rei licitæ efficitur furioſus, & hæc quando totaliter ligat ſeu impedit rationem ſeu vſum rationis, excuſat à toto, aliàs non. De ſecunda verò incidenti ſcilicet ex culpa, vt quando homo præſtitit cauſam ſuæ ignorantiæ duplex eſt opinio. Vna eſt quæ ponit, quod ſi talis ignorantia rationem ſeu vſum rationis omnino ligat ſeu impedit, tunc peccatum quod ſequitur excuſat. Vt gratia exempli. Cum furioſus qui per ſuam culpam incidit in furiam, ex vi illius furiæ occidit hominem, talis enim non peccat, quia vt animal brutum ex ſolo impetu mouetur, & non ratione. Alia eſt opinio quæ ponit, quod talis ignorantia non excuſat à toto ſed benè à tanto. Vnde in caſu præcedenti talis furioſus vt dicit, minus peccat quam ſi furioſus non eſſet, peccat tamen. Prima opinio probabilior videtur. Propter dubium tamen talibus ſi ſanentur, debet ſecundum canones pœnitentia iniungi. Et hæc quantum ad naturam ſeu qualitatem conſcientiæ dicta ſufficiant.

De natura, qualitate & numero circunſtantiarum.

NVnc de natura & qualitate & numero circunſtantiarum aliqua dicenda veniunt. Et enim vt ſuperius tactum eſt, ad cognoſcendendam differentiam naturæ & qualitatis peccatorum tam mortalis quam venialis, non modicè confert huiuſmodi circunſtantias eum naturam cognoſcere, diligenterq; dum caſus occurrunt, conſiderare ac debitè attendere. Et hinc eſt quod communiter per doctores tres aſſignantur cauſæ principales propter quas huiuſmodi circunſtantiarum conſideratio non ſolum ad ſcientiam moralem, ſed valde principaliter ad ſcientiam theologicam pertinet, qualis non dubium eſt ſcientia regiminis, inſtructionis & directionis animarum maximè in foro pœnitentiali, quæ vt dicit Grego. in paſtorali, ars eſt artium, ſcientia ſciẽtiarum. Prima cauſa eſt, quia huiuſmodi ſcientia theologica conſiderare habet actus humanos, ſecũdũ quod per eos homo ad beatitudinem, ſalutẽmq; æternã ordinatur. Omne autem quod ad aliquem finem ordinatur, oportet eſſe illi fini proportionatum. Actus autem humani fini proportionãtur ſecundum quandam cõmenſurationẽ quæ fit per debitas circunſtantias, rationabiliter ergo ad prędictã ſciẽtiã theologicam pertinet ipſarum circunſtantiarum conſideratio. Secunda cauſa eſt, quia ipſa etiam ſcientia theologica cõſiderare habet actus humanos, ſecundum quod inuenitur in eis bonum & malum, melius & peius. Hæc autem in ipſis actibus humanis frequentiſſimè ex circunſtantiis reperiuntur, ſecũdum quod ipſæ circunſtãtię vt infra declarabitur, diuerſificãtur, rationabiliter ergo ipſarũ circunſtãtiarũ conſideratio, ad

huiusmodi theologicam scientiam pertinere dicitur & pertinet. Tertia causa est, quia ipsa etiã scientia theologica considerat actus humanos, secundum quod sunt meritorij, vel demeritorij, quod quidem cõuenit actibus humanis, ad quod requiritur quod sint voluntarij. Actus autem humani frequentissimè iudicari habent voluntarij vel inuoluntarij secundum cognitionem vel ignorantiam circunstantiarum. Rationabiliter igitur circunstantiarum cognitione ad huiusmodi scientiam theologicam pertinere dicitur, & pertinet.

Ad declarationem igitur materiæ particularius descendendo, circunstantia sic describitur, quod est accidens actus humani. Et intelligatur ista descriptio non de accidẽti quod inest rei vt sua qualitas, sicut albũ dicitur accidens rei albæ, sed intelligatur accidens quasi cũ alio simul in eodẽ subiecto cõcurrens & existens, extra tamen substantiã ipsius cum quo sic concurrit & existit. Sic enim circunstantia dicitur accidens actus humani, quia cum actu humano simul in eodem subiecto concurrit & existere potest. Est tamen extra substantiam ipsius actus humani, nec est de eius substantia. Quod satis nomen de se importat & connotat. Dicitur enim circunstantiam, quasi circum aliquid stans.

Circunstantiæ autem secundũ quas vt supra tactum est, actus huiusmodi iudicari habẽt boni vel mali, meliores vel peiores, meritorij vel demeritorij &c. & per cõsequens ad beatitudinem salutemq; æternã ordinati, assignantur à Tullio in sua rethorica septem, quæ continentur in isto versu. Quis, quid vbi, quibus auxiliis, cur quomodo, quã do. Etenim iuxta quod ipse Tullius dixit. In actibus humanis ad eorũ bonitatem seu maliciã debitè dinoscendam, prędicta considerãda veniunt, .s. quis est qui fecerit, quid est quod fecerit, vbi fecerit, quibus auxilijs, instrumẽtis vel mediis fecerit, quare fecerit, quomodo fecerit, quando fecerit. Philosophus autem in 3. eth. addit octauam circũstantiam, .s. circa quid. Sed Tullius eam sub illa circunstantia quid comprehẽdit. Hic tamẽ ipsarum circunstantiarum fiet declaratio secũdum numerum & positionẽ philosophi. Numerus autẽ seu sufficientia istarum circunstantiarum sic sumi potest. Circunstantia enim vt iam dictum est, dicitur quasi extra substantiam actus existens, sed tamen ipsum actum aliquo modo attingens Triplici autem modo seu respectu potest circunstantia acti ipsum humanum attingere. Vno modo in quantũ attingit ipsum actũ in se. Secundo modo in quãtum attingit causam ipsius actus. Tertio modo in quantum attingit effectum ipsius actus. Respectu primi modi dupliciter potest ipsa circunstantia ipsum actum in se attingere, vel per modum .s. cuiusdam mensuræ seu commensurationis, & sic erunt circunstantiæ respicientes seu concernentes locum & tempus, quæ denotantur per hæc duo verba in prædicto versu posita, scil. vbi vel quando, vel per modũ qualitatis ipsius actus, & sic erit circunstantia respiciens seu concernens modum agendi, quo scil. actus ipse factus est quæ denotatur per hoc verbum, quomodo. Respectu verò secundi modi, sc. respectu causæ ipsius actus, cum omnium actuum & effectuum humanorum quatuor sunt causæ principales, scice efficiens, materialis, formalis & finalis, quadruplex circa istas quatuor causas accipitur seu occurrit differentia seu qualitas circunstantiarum. Circa enim causam efficientem alias accipitur seu occurrit circunstãtia ipsius agentis, quæ denotatur per hoc verbum quis. Circa causam materialem accipitur seu occurrit circunstantia circa obiectum, quæ denotatur per hoc verbum quod addit philosophus, scilicet circa quid. Circa causam formalem accipitur seu occurrit circunstantia circa causam coagentem seu cooperantem seu concurrentem, quæ denotatur per hoc verbum, quibus auxiliis. Et intellige vt iam tactum est, vel instrumẽtis &c. vel huiusmodi quæ faciunt ad formam actus. Circa causam finalem accipitur seu occurrit circunstantia circa propositum & intentione agentis, quæ denotatur per hoc verbum, cur, id est propter quid, qua de causa &c. Respectu verò tertij modo scilicet respectu effectus ipsius actus, accipitur seu occurrit circunstantia circa illud, quod ex tali actu contingit & secutum est, quæ denotatur per hoc verbum, quid.

Hæ igitur sunt circunstantiæ, ex quibus (vt pluries tactum est) actus humani quoad bonitatem vel malitiam, meritum vel demeritum &c. iudicari habent, nec plures reperientur, quin ad aliquam præmissarum sint reducibiles.

Et ad maiorem instructionem mediocrium & simplicium quibus vt superius tactum est, nõ tanta scientia vel librorum facultas suppetit, expedit, expediens iudicatum est de prædictis circunstãtiis aliqualiter exemplificari, vt exinde in similia facilius manuduci possint, & seruando ordinẽ versus supra positi. Respectu igitur primi verbi, sc. quis, certum eum quod cæteris aliis paribus grauius peccat sacerdos quam simplex clericus, & grauius clericus quam simplex laicus, & grauius vir quam fœmina. Respectu secundi sc. quid: certum est quod cęteris aliis paribus, homicidium est grauius peccatum quam furtum, & adulterium quam simplex fornicatio. Respectu tertij scil. vbi, certum est quod cęteris aliis paribus furtũ vel percussio vel fornicatio quæ fieret in ecclesia vel alio loco sacro, est grauius peccatum quam fieret extra ecclesiam, & in loco nõ sacro. Respectu quarti, .s. quibus auxiliis, instrumentis vel mediis &c. certũ est quod domum ad prædicãdum intrare per falsam clauẽ, vel seram aperire per instrumenta subtilia, vel per subordinationem famuli aut ancillæ, cæteris aliis paribus, est grauius peccatum quam à casu inuentam apertam, vel per foramen muri nõ obstructum intrare. Respectu quinti scili. cur seu propter quid, certum est quod latitare in nemore vel alio loco suspecto, seu cõ ducere societatem aliquam intentione aliquem vel aliquos occidendi, cæteris aliis paribus est grauius peccatum quam prædicta facere intentione sola deprędandi. Respectu sexti, .s. quomodo, certũ est quod cęteris aliis paribus, grauius est peccatum hominem ex proposito deliberato & per insidias quã subito motu, subitóq; incursu occidere, & grauius cæteris aliis paribus, veneno in conuiuio quam gladio apertè inuadendo occidere. Respectu septimi scilicet quando, certum est quod domum deprædando de nocte intrare cæteris aliis paribus est

est grauius peccatū quam de die intrare, & fornicari die sancto paschæ vel alio soléni, cæteris aliis paribus, grauius est peccatum quam die non solemni. Respectu verò octauæ circunstantiæ per philosophum additæ scilic. circa quid, certum est quod machinamenta & deceptiones tendere & parare ad inducédam mulierem religiosam vel vxoratam in fornicationem, cęteris aliis paribus, est grauius peccatum quam machinari ad inducendā vnam aliam omnino solutam, sic de similibus.

Addunt aliqui vltra omnes prædictas circūstantias vnam aliam. s. Quotiens. Circa quam dupliciter dici potest. Vno modo quod cum iuxta primū trium modorum actum humanum attingendi supra tactorum, ipsa circunstantia quotiés, videatur actum in se attingere per modum cuiusdam cōmensurationis temporis, potest rationabiliter intelligi & comprehendi sub illa circūstantia, quando. Nec enim debitè & sufficienter potest siue in confessione siue aliàs, quantitas seu grauitas peccati per illā circūstantiā quādo, perquiri & haberi, vt puta. s. quo tépore, qua die, qua hora &c. peccatum factū sit. quinetiā effectualiter dicti peccati quantitas & grauitas per dictam circunstantiam quotiés, perquiratur & habeatur, vt gratia exépli. Contingere potest, immo frequenter contingit quod homo pluries idem peccatū vtputa fornicationé vel furtū cōmittet, vna vice tépore quadragesimali & die solemni, & alia vice alio tépore & die non solenni, & sic de similibus valde quotidianis. Si igitur debitè & sufficienter ab isto perquiratur & sciatur, quando tale peccatum cōmiserit, satis etiam scietur quotiens ipse commiserit. Alio modo dicitur quod propriè ista circūstantia quotiens, non est nec dici debet circunstātia, quia propriè nec actū in se nec causam ipsius actus, nec effectum ipsius actus respicit, immo nec peccatū in se quoquo modo aggrauat, sed solū & propriè quādam reiterationem peccati pluralitatem peccatorū dicit, vt clarè apparere potest per exéplum quod de ipsa iuxta similitudinem præcedentium circunstantiarū poni potest. Certū est enim quod cæteris aliis paribus grauius est peccatum ter aut quater mulieré de fornicatione vel adulterio sollicitare, quam semel: & grauius ter aut quater insidias ad aliquem occidendum tendere & parare quam semel. Sed propriè ista non vnum & idem peccatū sunt, immo plura & propriè quædā reiteratio peccatorum. Notāter autem in præmissis exemplificationibus addita sunt illa verba, cæteris aliis paribus. Nam circa casus præmissos & similes possent etiam aliæ circunstantiæ contingere seu occurrere, quæ de se aliter qualitatem & grauedinem peccatorum prædictorū disponerent & causarét. Nam (quod bene aduertédū est) ex concursu plurium circunstantiarum circa aliquem actū, potest maior eius bonitas vel malitia, maiusq; meritum vel demeritum causari. Per prædictas etiam exemplificationes poterit faciliter discretus & intelligens de casibus, qui sibi vel in propria persona vel in personis aliorū, vtputa in confessione aut aliàs contingere possunt dijudicare & discernere. Nam (vt sæpe in superioribus tactū est) pro hocque etiam clarius dando intelligi hic de ipsarū natura & qualitate circunstantiarum principaliter actum est. Ex concursu alicuius aut aliquarum circunstantiarum actus qui aliàs de se ex suóque genere seu natura non esset nisi veniale peccatum, immo forsan actus meritorius, efficitur peccatum mortale, vt pluries exemplificatum est de verbo otioso, occasionéq; seu prouocatione risus, & de datione eleemosynæ, quæ de se ex suóque genere est actus meritorius. Quibus si addatur & concurrat circunstantia illa respectu causæ finalis seu intentionis actus de qua supra super illo verbo Cur, vt puta quod fiant ad prouocandum seu inducendum mulierem in fornicationem, efficiuntur peccata mortalia. Et similiter de aliis iuxta suū genus & naturam. Et hæc quoad naturā: qualitatem & numerum circunstantiarum, quantū huic tractatui cōgruere iudicatum est, dicta sufficiant.

De diuersis nominibus peccati actualis & venialis.

QVo verò ad diuersitatem nominū quæ peccato actuali veniali per nonnullos secundū diuersas eius proprietates, operationes & effectus attribui solent, est aduertendum quod sicut in superioribus vbi de ipso peccato veniali agi incepit, dictum est, definitionem beati Aug. quæ peccato actuali mortali (supra vbi etiam de ipso peccato mortali tractatū est, ex eo quod in ipso est perfecta ratio peccati) attribuitur, solere per aliquos peccato in generali, & tāquam generi attribui, & sic quodammodo secūdo tamen magis & minus posse ipso peccato veniali competere & conuenire, ita de nominibus nominumque diuersitate dici potest, quod scilicet in superioribus peccato mortali in se plura & diuersa nomina attributa sunt, quæ bene communiter peccato in generali, & tanquam generi attribui solent, & sic quodammodo secundum tamen magis & minus possent etiam ipsi peccato veniali attribui & conuenire. Ideo ad clarius semper naturam & qualitaté peccati venialis cognoscendum, recitabuntur hic aliqua nomina ipsi peccato veniali attribui solita. In quorum aliquibus (cum ipso peccatum mortali conuenit) intelligantur per prius & principalius ipsi peccato mortali competere, cum in eo vt tactum est perfecta ratio peccati consistat; & secundario ac minus principaliter, immo per quandam largam acceptionem ipsi peccato veniali, cum secundum beatū Thomam non cōsistat in eo perfecta ratio peccati: immo solum quædā imperfecta.

Potest igitur primo peccatū veniale nominari, & interdum ab aliquibus nominatur macula, & hoc quia maculat animam. Quod quidem iuxta beatum Thomā intelligatur non propriè loquendo, sed solum secundum quid, in quantum scilicet peccatum veniale impedit nitorem qui est ex actibus virtutum, quia non diminuit nitorem habitualem, nec enim habitū charitatis & aliarū virtutū diminuere habet, sicut facit peccatū mortale. Potest etiam nominari reatus, ex eo quod ad pœnam obligat, sed hoc etiam (vt iam statim tactum est) intelligatur largo modo & quasi impropriè, quia ad pœnam æternam præcisè non obligat vt facit peccatum mortale, sed solum sub disiunctione, vel scilicet ad pœnam ęternam vel ad pœnam purgatoriā, vel ad pœnā præsentialiter satisfactoriam. Quod capitulo immediatè sequenti vbi de dicti peccati venialis effectibus agetur, latius declarabitur.

Potest etiam nominari præuaricatio, in quan-

tum scil. mandatum Dei respicit quod transgrediendo præuaricatur. Sed similiter vt prius intelligatur largo modo & quasi impropriè, quoniam peccatum veniale non facit directè contra legem Dei & mandatum sed bene præter, vt latè in superioribus expositum est.

A

Potest etiam nominari peccatum prout & de facto nominatur: in quantum.s.est cōuersio ad bonum commutabile, sed vt etiam tactū est, hoc largo modo & minus principaliter. Quia illa cōuersio ad bonum commutabile, non est cum totali & habituali auersione à bono incommutabili, sicut est in peccato mortali. Nā in isto peccato veniali neq; plus neq; tātum diligitur ipsum bonum cōmutabile ad quod sic fit cōuersio, sicut bonum incommutabile à quo fit auersio, vt bene, amplè & pluries in superioribus declaratum est.

B

Potest etiā nominari nefas, in quantum.s.est illicitum personæ perpetranti. Sed (vt frequenter dictum est) hoc etiam est largo modo sumendo & quodammodo impropriè.

Plura alia possunt ipsi peccato veniali secundum diuersas eius operationes & effectus nomina attribui, interdum etiam per aliquos attribuūtur, sed supra dicta satis sit tetigisse & declarasse. Sunt enim ea quæ magis propriè sibi conuenire videntur & communius assignatur.

C

Peccata venialia intelligi per lignū, fœnum stipulam aliqui volunt, inter quos sæpe præfatus B. Thomas super illo quod 1.ad Cor.3.dicit Apostolus quod aliqui super fundamentum spirituale ædificant aurum, argentum, lapides præciosos. Alij vero superædificant lignum, fœnum & stipulam. Et quod ille qui super fundamētum spirituale sic lignum, fœnum & stipulam ędificat saluus erit, sic tamen quasi per ignem id est patietur pœnam sed non æternam, intelligi per ista tria vltima volunt peccata venialia. Quod tamen secūdum eundem doctorem propriè intelligi habet de ipsis peccatis venialibus quæ admiscent se procurantibus terrena. Nam aliqua interdum peccata venialia se veris spiritualibus admiscent, sed quia leuissima sunt non purgantur per ignem, sed frequentissimè per ipsum feruorem charitatis. Talia igitur peccata venialia se terrena procurantibus admiscentia, ideo per lignum, fœnum & stipulam significantur, quia sicut prædicta tria in domo congregātur, nec tamen ad substantiam ædificij pertinent, immo comburi possunt, ædificio nihilominus integro remanente, ita etiam peccata venialia multiplicari in homine possunt, manente spirituali ędificio. Et tunc pro istis patitur ignem, vel.s. temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorij si ipsis nondum purgatis decedat, sed tamen salutem consequetur æternam. Dicuntur autem huiusmodi peccata venialia superædificari spirituali fundamento, non quasi directè super ipsum, etenim super bonum & spirituale malum propriè ædificari non potest, sed super.i.iuxta, sicut in simili ibi in Ps.dicitur. Super flumina Babylonis &c. iuxta flumina Babylonis. Notanter etiam & bene ad propositum aliquorum infra tangendorum dicuntur venialia peccata, sic per lignum, fœnum & stipulā significata, spirituali ædificio superædificari. Nam nisi spirituali ædificio superędificata essent: homo talia habens non esset saluus sic quasi per ignem.

D

E

F

Vnde cum peccato mortali & veniali simul decedens habet quidem lignum fœnum & stipulam: sed non habet spirituali fundamēto superædificata. Et ideo talis non erit saluus sic quasi per ignem, quia simpliciter saluus non erit. Et important tria prædicta tres modos seu tres gradus adhærētiæ & grauitatis ipsorum peccatorum venialium, tresq; modos seu gradus purgationis eorum, propter quod generaliter omnia peccata venialia cōplectuntur & concernunt, quia nullum est quod nō sit alterius prædictorum trium modorum seu graduum adhærentiæ & grauitatis, & quod non per aliquem dictorum trium modorum seu graduum purgationis etiā purgetur. Lignum etenim quod respectu istorum trium diutius in igne manet, significat maiora. Stipula quæ citissimè cōburitur: minima: Et fœnum quod inter ista duo se quasi mediocriter habet significat mediocria.

De diuersis effectibus peccati actualis venialis.

PLures possent peccati venialis effectus enumerari prout plures existunt, ex quibus tamē per doctores cōmunius assignantur qui sequūtur.

Vnus quidē quia ad pœna obligat. Non autem vt statim supra tactum est quod ad aliquam trium pœnarum pro peccatis infligi solitarum.s.æternæ vel purgatoriæ, vel in præsēti seculo satisfactoriè, præcisè & determinatè obliget, sed bene sub disiunctione ad alteram.s.earum. Nā de peccato veniali.i. in hoc seculo vel satisfactione hic non facta in purgatorio si cum eo peccatum mortale nō existat, vel in inferno si cum eo etiam peccatum mortale existat, satisfieri oportet. Et si hic in foro sc.ecclesiæ præsētis homo satisfaciat, leuiter satisfaciet. Si verò in foro purgatorij satisfacere expectet, grauiter valde punietur & satisfaciet. Si verò in foro inferni eum satisfacere oporteat, pro ipso etiam veniali grauissimè punietur, quia æternaliter. Si tamen vt tactum est mortale cum ipso veniali existat.i.quod homo cum ambobus decesserit. Et ad propositum istarum trium punitionum seu satisfactionum dari solet exemplum de mensura vini, quæ in vno forsan loco valebit solidum vnum, si progrediatur vlterius reperietur valere solidos duos, si verò adhuc vlterior fiat progressus, reperietur valere solidos tres. Pœna tamen in inferno pro veniali illata, incomparabiliter minor est quam ibidem pro mortali illata. Vnde dici solet quod pœna in inferno pro mortali illata est sicut soliditas. Illata verò ibidem pro veniali est sicut superficies. In purgatorio autem pro veniali illata est sicut linea. In præsenti verò seculo pro veniali illata est sicut punctus. Vnde sicut ista quatuor sunt ad inuicem improportionabilia, ita inter quatuor pœnas supra dictas improportionabilis est differentia.

Secundus effectus peccati venialis est quod animā maculat. Quod sic (iuxta quod statim supra tractauimus) intelligatur, quod sc.nitorem illum animę qui ex actibus charitatis & virtutū nascitur seu procedit, respectu illius in quo incidit impedit. Et sic per indirectum maculam quandam in anima inducit. Prout (iuxta aliquos doctores) potest exemplū poni de imagine picta, quę aliquādo denigrari potest in tantum vt nullo modo videri possit. Aliquando verò sic solum obscuratur vt videri quidem possit, sed non plenè discerni.

Propter

Propter quam similitudinem dicit beatus Gregor. quod peccatum veniale obscurat, mortale verò obtenebrat. Respectu autem istius maculæ dici solet quod in saluandis omne peccatum veniale in præsenti vita à gratia finali. i. quæ in finē habetur (aliàs saluandi non essent) deletur, & hoc secundum aliquos quantum ad culpam, sed non quantum ad pœnam, immo pœna illa in purgatorio soluetur.

Delet autem gratia finalis scilicet quæ in morte habetur, peccatum veniale in ipsa dissolutione animæ & corporis, quamuis etiam forsan non sit ad illud motus contritionis protunc directus, & hoc ex virtute complexionis & sui status. Et secundū hoc intelligitur verbum August. qui dicit quod in purgatorio potest esse absolutio à pœna & non à culpa, quod etiam similiter ab aliquibus doctoribus dici solitum est. Sed modo communiter tenetur, cum peccatum veniale abhinc deferatur à multis, quod etiam quantum ad culpam in purgatorio purgari possit. Vnde exponendo illud quod Dominus de quibusdam peccatis dixit, quod non remittuntur nec hic nec in futuro, dicit Grego. quod venialia dimittentur in futuro. Quod si intelligatur quod remittentur quantum ad pœnam, tunc expositio sua in effectu nulla esset. Nam etiam mortalia quantum ad pœnam quæ pro eis soluta non est, ibidem purgantur. Ideo clarum est quod Gregor. intelligere voluit quod venialia in purgatorio quo etiam ad culpam purgentur.

Tertius effectus peccati venialis est quod feruorem charitatis minuit, sicut videtur de aqua in igne proiecta: quod licet non extinguat, feruorem tamen illius minuit & temperat.

Quartus effectus peccati venialis quod potentias animæ in bonis laxat, sicut per exemplum quando imponitur onus super equum, efficitur & redditur minus promptus & expeditus ad ambulandum.

Quintus effectus peccati venialis est quod retardat à gloria. Nam cum homo decedit, & posset si in eo non essent venialia, statim ad cœlum euolare post mortem, propter ipsa venialia cogetur ad tempus in purgatorio expectare. Nūquam enim facies Dei ab aliquo videbitur donec soluat minimū etiā peccatorum venialium quadrātem. Oportet enim quemlibet ita mundum ante introitum paradisi esse sicut fuit in innocentia baptismali.

Sextus effectus peccati venialis est quod bona gloriæ cœlestis diminuit. Non quidem illa quæ iam debentur & quæ iam homo ibi habet per meritum reposita, sed illa quæ deberentur si venialia non fierent. Nam illo medio tempore quo peccata venialia fiunt, possent aliqua bona fieri, quę cum non fiant, de tanto ipsa gloria censetur effectualiterque est diminuta. Propter etiam illorum venialium perpetrationem oportet opera quædā bona ad solutionem & purgationem huiusmodi venialium facere & conuertere, per quæ valde accrescere potuisset & accrescere debuisset cumulus præmij æterni.

Septimus effectus peccati venialis est, quia venialia sæpe sunt occasio mortalium peccatorum. Et hoc inter alios quatuor modos, qui in superioribus) vbi de septem peccatis mortalibus tractari A incepit) latè expositi sunt, vbi monstratum est quod actus qui de se ex suique natura est solum de genere peccati venialis, potest vel ex consciētiæ remorsu vel ex complacentia vel ex procliuitate, vel ex progressu peccatum mortale effici.

Hoc autem etiam singulariter aduertendum est quod sicut ad remissionem peccati mortalis exigitur desertio actus peccandi cum voluntate, firmoque proposito in posterum abstinendi, sic similiter peccatum veniale in præsenti vita non dimittitur nisi etiam actu & proposito deseratur.

B Et hæc quo ad totalem materiam naturæ, qualitatis & effectus peccati actualis venialis, ac circa eam occurrentium, quantum hanc præsentem istius libelli octauum tractatum concernere iudicatum est, dicta sufficiant.

DE SECVNDA ET VLTIMA DIVISIONE PECCATI IN GENERE *seu tanquam generis, quæ sumitur secundum ipsius peccati causam materialem.*

C EXPEDITIS his quæ respectu primæ diuisionis peccati in genere seu tanquam generis, quæ scilicet secundum quandam peccati qualitatem & quātitatem sumebatur & sumpta est, dicenda occurrebant. Nunc de secunda & quoad hunc tractatum, vltima ipsius peccati etiam in genere seu tanquam generis diuisione, quæ scilicet secūdum ipsius peccati causam materialem sumitur aliqua etiam dicenda veniunt. Nec hic accipienda venit ipsa causa materialis propriè, vt in rebus corporalibus seu materialibus fieri posset, sed solum per quandam similitudinem, vt hic causa materialis dicatur illud in quo fit seu causatur ipsum peccatum. D

Persecutio & declaratio ipsius primæ diuisionis.

DIuisio igitur est ista, quæ peccatorū alia sunt cordis, alia oris, alia operis, vel secundum alios, aliqua sunt cogitationis, aliqua locutionis, aliqua operationis. E

De peccatis cordis seu cogitationis.

PEccata cogitationis seu cordis sunt hæc. Cogitatio, delectatio, consensus, desiderium mali, voluntas peruersa, infidelitas, superstitio, indeuotio, præsumptio, desperatio, timor malè humilians, amor malè accendens, prudentia carnis, suspitio, inuidia, ira, odium, timor seruilis, exultatio F in aduersis proximi, dolor de eius prosperis, contemptus pauperum, contemptus peccatorum, personarum acceptio, perfidia, affectus carnalis parentum, inepta lætitia, sæculi tristitia, impatientia, auaritia, sollicitudo temporalium, superbia, perplexitas, obstinatio, malitia, tædium boni, acidia, inconstantia, pœnitentia pœnitentiæ, dolor quod amplius non est malè faciendum, hypocrisis, amor inordinatus placendi, timor displicendi, verecundia de bono opere, amor priuatus, sensus singularis, ambitio dignitatum, vana gloria de bonis naturæ vel fortunæ vel gratiæ, verecundia

de pauperibus amicis, contemptus admonitionum, immisericordia.

De peccatis oris seu locutionis.

PEccata oris seu locutionis sunt hæc. Crebra iuratio, periurium, blasphemia, nomen Domini irreuerenter assumere, veritatem impugnare, Deum de aura iudicare, contra Deum murmurare, irreuerenter horas dicere, detractio, adulatio, mendacium, vituperium, maledictio, infamatio, contentio, comminatio, impugnatio veritatis agnitæ, impugnatio charitatis fraternæ, seminatio discordię, proditio, falsum testimonium, mala consilia, derisio, contradictio obedientiæ, inuertere facta bona, in ecclesijs placitare, ad iram hominem prouocare, reprehendere in alio quod ipse facit, vaniloquium, multiloquium, stultiloquium, verba otiosa vel superflua vel curiosa proferre, iactantia, verborum politio, peccatorum defensio, clamor, risus, cachinnus, turpiloquium, lenocinium, cantilenas seculares cantare, in cãtu diuino magis studere vocem frangere quam deuotè psallere, murmurare, verba sæcularia proferre, in iniusta causa aduocare, malum commendare.

De peccatis operis seu operationis.

PEccata autem operis seu operationis sunt hęc: Gula, luxuria, ebrietas, sacrilegium, simonia, sortilegia, violatio dierum solemnium indignè communicare, votorum fractio, apostasia, dissolutio in officio diuino scandalizare sub exemplo malo, proximum corrumpere, lædere hominem vel in rebus vel in persona vel in fama, furtum rapina, vsura, deceptio ludus, venditio iustitiæ, exactiones indebitæ ac telonia iniusta, auscultare mala, ioculatoribus dare, necessaria sibi subtrahere, superflua sumere, vltra vires quippiam aggredi, consuetudo peccandi, recidiuatio, simulatio, tenere officium ad quod non sufficit vel quod sine peccato nõ agitur, chorizare, nouitates inuenire, maioribus rebellare, minores opprimere, delinquere visu, auditu, olfactu, tactu, gustu, lucta, osculis, muneribus, nutibus, mandatis, scripturis, circumstantias aggrauantes admittere, quæ sunt tempus, locus, modus, numerus, persona, mora, scientia, ætas, seipsum ad peccandum cogere seu inducere.

De peccatis omissionis.

PPeccata omissionis (quæ etiam vt faciliter debitè cõsideranti apparere potest, ad tria respectu quorum præcedens diuisio sumitur, vel scilicet ad cor seu cogitationem, vel os seu locutionẽ, xel opus seu operationem pertinent) sunt hæc. De Deo non cogitare, ipsum non timere vel non amare, gratias sibi de beneficiis non agere, opera quæ fiunt ad ipsum non referre, de peccatis sicut deberet non dolere, ad gratiam recipiendam non se præparare, gratia accepta non vti nec eam conseruare, ad inspirationem diuinam non se cõuertere, voluntatem suam voluntati diuinæ non cõformare, ad orationes dicendas non attendere, orationes debitas omittere, ad ea quę quis vel voto vel præcepto vel officio tenetur, negligere, com-

A munionem & confessionem semel in anno non expetere, parentes non honorare, seipsum non cognoscere & reprehendere, conscientiam suam negligere, ecclesias & prædicationes fugere, tentationibus non resistere, pœnitentias iniunctas negligenter facere, ea quæ statim facienda sũt differre, bonis proximi non congaudere, & malis eius non condolere, iniurias non remittere, fidem proximo non seruare, & beneficiis eius non correspondere, delinquentes non corripere, litem non sedare, ignorantes non instruere afflictos

B nos consolari, admonitionibus non acquiescere. Pauca & forsan nulla alia reperiri posse creduntur peccata, quæ non sub prædictis effectualiter comprehendantur & includantur, vel ad ea reducibilia sunt.

Quando peccata prædicta mortalia sint vel venialia.

QVãdo autẽ peccata prędicta mortalia vel solũ venialia existant, facile est ex superius tracta-

C tis cognoscere, examinãdo, (scilicet sit apud se sit apud alium) mos ea faciendi & committendi, intentionemque seu finem propter quem sunt, ac remorsum conscientiæ qui de ipsis habetur, cum aliis circunstantiis circa ea occurrentibus, de quibus latè superius actum est.

Et hæc quo ad secundam & vltimam ipsius peccati in genere seu tanquam generis diuisionem dicta sufficiant.

D *Quare multa in hoc compendio, præcipuè in octauo tractatu latè & planè dicta sint & exposita.*

POtuissent nõnulla in hoc libello & præcipuè in octauo & vltimo tractatu, in materia scilicet peccatorum tractata breuius & compẽdiosius dici, sed (vt frequenter in superioribus tactum est) libellus iste non scientificis, librosque faciliter procurare valentibus compositus est, sed mediocribus & communioribus ac eis quibus non faciliter librorum copia suppetit. Quibus expediens

E & forsan necesse fuit ea quę hic dicta sunt, & maximè circa difficiles materias per reiterationes & latas repetitiones, necnon materialia quædam exempla quasi palpando & per quandam manuductionem dare intelligi. Alioquin non facile forsan fuisset pluribus comprehendere. Sicque prædicta apud eos nullum fructum, nullumque profectum afferre potuissent.

Remissio ad doctores.

F QVi tamen ampliora videre voluerit, vel clarius de præmissis materiis informari, habeat frequenter allegatos doctores, beatum Thomam & alios in superioribus notatos, & præcipuè in eorum libris & tractatibus superius etiam designatis.

Compendij theologiæ finis.

EPISTOLA

EPISTOLA DOMINI IOANNIS DE GERSON AD QVENDAM *episcopum super opusculo tripertito plebibus publicando.*

A

REVERENDE, in Christo pater ac Domine metuende, conqueritur Dominus per prophetam Esaiam. Propterea inquit, ductus est populus meus in captiuitatem, quia non habuerunt scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Hæc scientia non alia accipienda est quã cognitio legis Dei & suorum mandatorum ad salutem consequendam necessaria siue proficiẽs, de qua itidem scientia verum est illud apostolicũ. Ignorans ignorabitur, nam cum qualibet alia ignorantia potest stare salus. Et quoniam multi sunt ex simplicibus quibus non prædicatur verbum, aut non taliter prædicatur quod ad præfatam scientiam deueniant, agente hoc vel ignorãtia vel negligentia prædicantium, commodum fore existimaui si velut in tabula quadam tenorẽ nostræ legis & suorum præceptorum rememorationem sententioso compendio depingerem, aut velut in breui speculo cernẽtibus obijcerem, quatenus ipsi haberent curati minus instructi aliquod solidum & aptum quod in toto vel per partes diebus dominicis & festiuis legere posset suis plebibus, vt scirent & intelligerent ad quid & propter quid & à quo factæ sunt, quid insuper credere, quid agere, & quid omittere diuina lege tenentur, & quemadmodum à peccato resurgere. Et forsan simile opus attentatum est iam à peritoribus & salubriori breuitate compositum. Quod si ita est, certè non inuideo. Tantummodo reuerende pater, dignetur animaduertere vestra pastoralis sollicitudo; siue isto modo siue alio fiat quod singulis diebus dominicis & festiuis diuinę legis tenor per vestram diocesim vbilibet publicetur, ne per ignorantiã eius plebs vestra pereat, & ducatur in captiuitatem peccati. Ne prætetea à speculatore qui non denunciauerit interitum vel gladium, sanguis requiratur, sed liberetur denunciatione tali, & rebelles soli suo sanguine depereant.

Mittit autem mea deuotio opusculum præfatũ quod si dignum ad hoc putetur, poterit vestra liberalis charitas cum pauco scriptoram labore & leuibus expensis bene expositis facere illud multiplicari, & correctum ad singulos curatorum vestrorum destinari cum edicto de publicando tactum est, in absentia sermonum & quantum gratia Dei eos adiuuerit exponendo.

Denique si quid addendum aut rescindendum aut corrigendum esse dictauerit, vestra prudens dominatio iure suo id facere fas habebit. Scio tamen quod post multam à me & multis alijs peritioribus examinationem mihi deprehendi quod videatur posse à beneuolo interprete salua fidei & morum puritate sustineri. Et adiici longè ampliora potuerant, sed breuitas modernæ amica desidiæ sectata est.

Bene valete. Scriptum Parisiis.

OPVSCVLVM TRIPERTITVM EIVSDEM, DE PRÆCEPTIS *decalogi, de confessione & de arte moriendi.*

CHRISTIANITATI suus qualiscunque zelator prosperum ad virtutes vitiis depulsis incrementum.

Salubre duxi sequens opusculum tripertitum, de præceptis, de confessione, de sciẽtia mortis breuitate qua potui trãdere, quatuor præsertim Christianorum generibus profuturum. Primo sacerdotibus & curatis illiteratis atq; simplicibus qui confessiones audire debent. Secũdò indoctis quibuscunque personis sæcularibus aut religiosis, quæ ecclesiæ solitis sermonibus aut prædicationibus pro diuinorum præceptorum notitia interesse possunt. Tertiò pueris & iuuenibus qui à rudimentis infantiæ circa fidei nostrę generalem tenorem & principalia puncta primitus debent erudiri. Quartò personis domos Dei vel hospitalia loca frequentantibus & infirmorũ sollicitudinem gerentibus.

Quocirca ad huius doctrinæ publicationem quadruplex personarum status debet vigilare. Primò prælati, quos inferiorum curatorum regimen de propinquo concernit, quibus insuper curatorum ignorantia crassa diuinæ legis & insufficiens eruditio simplicis populi imputabitur in peccatum. Secundò parentes pro filiis apud scholarum rectores instare deberẽt. Tertiò domorum Dei & locorum hospitalium gubernatores & magistri. Illi quartò generaliter qui in verbis aut factis & aliis signis alios ad peccandum induxerunt, quique ex officio alios docere debuerant, & id agere negligunt. Hi namque sumptibus suis & diligentiis, per huius aut similis doctrinæ publicationem debent aliorum correctionem procurare, hoc enim agere pœnitentia quædam, hoc est satisfactio, hoc opus misericordiæ Deo acceptius quam eleemosyna corporalis. Agant igitur prænominati quod doctrina huius libri inscribatur, tabellis affigatur tota vel per partes in locis communibus, vtpote in parochialibus ecclesiis, in scholis, in hospitalibus, in locis religiosis.

Denique expediens videretur, vt super hoc fieret à principantibus edictum, aut quod ecclesiæ prælatis indulgentiæ conferrentur. Auctor verò seipsum exonerat apud te Christianitatem sanctissimam, agat quilibet qui in te & de te gloriatur quod bonum esse cognouerit.

Gloria sit altissimo Deo, in cuius nomine præsens aggredior opus, ad salutem fidelium animarum ordinatum, ad eruditionem præcipuè rudis & idiotæ populi, & eorum quibus consuetis ecclesiæ sermonibus & prædicationibus minus interesse aut informari conceditur. In quo veluti tabella quadam & compendio breui, tenorem fidei Christianæ lucidè poterunt inspicere, & diuina præcepta, prohibitionesque, vt ex his quid agere, quid ve fugere debeant, possint distinctius agnoscere.

Continet autẽ præsens tractatulus capitula 18.

quorum quodlibet in duas vel tres vel quatuor particulas conuenienter subdiuidi posset.

Primum capitulum affirmat mundum à Deo fuisse creatum. Et quod ipse Deus vnus sit & trinus. Cur etiam aut ad quem finem homo creatus sit.

FIrmissimè credendum est & nullatenus dubitandum quod solum vnus est Deus omnipotens, omnia sciens & omnem perfectionem habens in tribus personis distinctis, quæ sunt pater & filius & spiritus sanctus. Qui mundum creauit & creatum regit & gubernat sola sua liberrima voluntate & dignantissima bonitate. Speciali autem prouidentia humanam gubernat & dirigit creaturam, dans viris & muliebribus animas immortales, creans eas temporaliter tunc cum eas corporibus infundit, & ad imaginem & similitudinem suã formãs eas, vt creatus homo suum conditorem Deum cognoscat, dirigatur, veneretur, & eius præceptis in hac mortali vita obediẽs, per opera bona & meritoria, vitam tandem immortalem beatitudinis plenam, in anima & corpore perpetuò consequatur, & ita sit bonis angelis sociatus & in loco malorum angelorum siue dæmonum substitutus. Qui dæmones propter peccatum in has inferiores partes terrę corruerũt, damnationis sententiam sustinentes. Cum quibus etiam iustissimè damnabuntur homines iniqui, diuinis præceptis inobedientes, & more bestiali quasi non haberent animam rationalem suis voluptatibus inseruientes.

Secundum capitulum ostendit humanum genus propter primorum parentum transgressionem & peccatum, multiplicem incurrisse miseriam.

FIdei veritate credendum est primos parentes nostros Adam & Euam qui ad tam nobilem finem consequendi beatitudinis creati fuerant, claudisse paradisi ianuam & beatitudinis introitum toti suæ posteritati generis humani. Quoniã per peccatum inobedientiæ, donum iustitiæ originalis quadam hæreditaria possessione pro se & suis posteris acceptum à Deo, ipsi proditores perdiderunt. Quo dono gratuito originalis iustitiæ conseruato, nos omnes à culpa immunes fuissemus, & ab omni miseria famis & sitis aut infirmitatis absoluti, & ab alia qualibet pœnalitate liberi, adeo quod omnis alia corporalis creatura nobis pacificè subiecta fuisset, & tandem absque mortis pœna in paradisum fuissemus translati. Hoc autẽ dono per peccatum primorum parentum (vt prẹmissum est) perdito, nos moriendi necessitatem, & vniuersam quam patimur pœnam atque miseriam incurrimus, quia nascimur in peccato originali scilicet in prædictæ originali iustitiæ carentia contra quod peccatum tanquam remedium efficax à Christo institutum est baptismi sacramentũ.

Tertium capitulũ declarat qualiter à Deo redempti fuerimus, quis etiã sit generalis tenor Christianæ fidei & credendorum à singulis.

OMnipotens Dominus ac piissimus pater nolens humanum genus tot & tãtis subiectum miseris in æternum perire, & à regno paradisi in A perpetuum exulare, occurrente iustitia simul & misericordia, his remedium decreuit adhibere. Voluit siquidem idem piissimus pater vnigenitũ filium suum absque corruptione carnem sumere & hominem fieri intra intemeratæ virginis Mariæ immaculatum vterum. Tantaque & tam mirabilis vnio facta est duarum naturarum diuinæ & humanæ in vna persona filii Dei, vt vere Deus homo diceretur & homo Deus. Ipse est Iesus Christus saluator noster pariter & redemptor. Qui antea quidem à patriarchis & prophetis de- B nunciatus, nouissimè in fine temporum in hac vltima mundi ætate conceptus & natus, à pastoribus est cognitus, à tribus regibus orientis adoratus, à Symeone sene & aliis quam pluribus prædicatus, & à beato Ioãne baptista digito demonstratus. Item Deus & Dominus noster Iesus Christus circiter annorum trium spacio legem diuinã Christianamque religionem prædicauit & docuit, eã innumerabilibus miraculis confirmando, quam & in scripturis quatuor euangeliorum no- C bis per suos ministros exhibitam, obseruandam reliquit. Ordinauit insuper septem sacramenta ecclesiastica, qui sunt baptismus, confirmatio, ordo, eucharistia, pœnitentia, matrimonium, vnctio extrema. Ipse postremò vt nos redimeret & saluaret, sub Pontio Pilato supplicio crucis acerbissimam sustinuit passionem & mortem, sepultus deinde, & tertia die resurgens, spacio dierum. 40. discipulis suis veritatem suæ resurrectionis declarãs frequenter apparuit, & tandem videntibus apo- D stolis cœlos ascendens, sedet ad patris dexteram in excelsis, venturus est postremò idem Dei filius Iesus Christus in fine mundi, per ignem finiendi & in melius immutandi, iudex generalis hominũ cunctorum in anima & corpore resuscitãdorum, redditurus singulis præmia meritorum, bonis siquidem cœleste regnum perennis beatitudinis, peccatoribus verò pœnale supplicium ignis æterni. Hic est generalis tenor orthodoxæ fidei Christianæ, quam firmiter credere tenetur catholicus quilibet ratione vtens, absque curiositate, purè E atque synceriter sine falsitate & certitudinaliter reiecta dubietate, & nolens plus sapere quam oportet, sed occurrentibus difficultatum dubiis, humiliter se submittat credulitas simpliciũ intemeratæ fidei sacræ sanctæ matris ecclesiæ, sapientium prælatorum & doctorum ac omnium sanctorum & sanctarum, qui in testimonium huius inuiolatæ fidei vsque ad mortem dimicauerunt.

Contra hanc fidem illibatam grauissimè peccant hæretici, scismatici, idololatræ, sortilegi, incantatores & magici, cæterique artibus à lege di- F uina prohibitis vtentes, aut dæmonum inuocatores, & generaliter qui articulos fidei nostræ totaliter aut in parte, palam vel occultè derident. Illi præterea qui non credunt Deum omnia iustissimè regere sua liberrima voluntate, sed potius asserentes omnia naturę vel fortunę, vel fato subiici. Præterea malorum quemadmodum bonorum finalem saluationem affirmantes. Illi denique qui nostrorum actuum imputabilitatem ad meritum vel demeritum negant, qui Dei prædestinationem vel reprobationem dicunt operum nostrorum tollere libertatem. Horum similes

contra

cõtra fidem orthodoxam sunt errores innumeri, procedentes ex intellectu superbo humiliare se Deo recusante aut ex falsa philosophia vel potius melancholia phantastica, aut demum voluptuosa carnalitate, rationis iudicium & affectus pietatem subuertente.

Capitulum quartum manifestat quid Deus nobis obseruandum præcepit, enumerans decem præcepta decalogi.

SI igitur (vt in superioribus habitum est) Deus optimus atque iustissimus nos homines vltra supraque irrationales creaturas adeò excellenter condiderit ad imaginem suam, scilicet dans memoriam, intellectum atque voluntatem, vt cognoscamus eum, seruiamus & amemus, misericordissimè præterea redemerit, passionem pro nobis talem perferendo, qualem nec ipsi pro delictis nostris sufferre vellemus, profectò iustissimum est vt ipsi Deo fideliter seruiamus tanquam subiecti supremo Domino, sicut filij naturales patri legitimo, & velut serui ex dominio peccati, carcere morteque redempti saluatori liberalissimo, attento quod nobis eius præcepta seruantibus gloria inexcogitabilis ab eodem promittitur, transgressoribus verò inæstimabilia tormenta reseruantur. Cognoscens nihilominus ipse piissimus pater nostram fragilitatem & exiguam potentiam, nequaquam requirit à nobis omne seruitium quod secundum iustitiæ rigorem exigere posset, dedit quin potius certum numerum præceptorum, quorum obseruatio sibi sufficiens esset, quæ etiam legis decalogo continentur. Quapropter ad hæc præcepta scienda & intelligenda tenetur quilibet per se vel alium diligentiam apponere pro conseruatione vitæ spiritualis, quantum pro vitæ corporalis sustentatione poneret, & eo maiorem quò immortalis anima est corpore præstantior, sine quorum notitia nullus potest conuenienter peccata vitare aut ab eis resurgere, & quorum ignorantia ex desidia prouueniens non excusat, sed accusat & condemnat. Sunt autem hæc decem præcepta his metris comprehensa:

Unum crede Deum, nec iures vanè per ipsum.
Sabbata sanctifices, & venerare patres.
Non sis occisor, fur, mœchus, testis iniquus.
Vicinique thorum, resque caueto suas.

Capitulum quintum est de explanatione primi præcepti.

PRimum præceptum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mēte tua, & ex tota virtute tua. Hoc est, non voles sciēter rem quamcunq; amare plus quam Deum, propter quod Dei amorem perdas. Hoc autem præceptum conuenienter ab homine seruatur & non aliter, si legem Dei & alia præcepta operibus impleat. Quisquis enim mortaliter peccat, præceptum hoc infringit quia voluntatem suam diuinæ volūtati oppositū prǣcipienti anteponit. Specialiter autem contra hoc præceptum agunt homines ingrati contra diuina iudicia & inordinationes aut regimen erga se vel alias creaturas murmurantes quasi non esset Deus omnino iustus, bonus atque misericors & totus amabilis atque desiderabilis. Illi item qui in foueam desperationis seipsos præcipitant per impatientiam. Illi præterea qui vrgente infirmitate aut necessitate aliqua sortilegos consulunt & diuinatores, vtentes pomis inscriptis aut breuibus chartulis sine scedulis collo suspensis, aut characteribus aut aliis quibuslibet vanis credulitatibus quasi Deus ipse non esset vsquequaque bonus, potens & sapiens ad eis succurrendum quantum sit eorum necessitatibus expediens. Faciat igitur homo in necessitate constitutus quantum potest, procurans remedium naturali industria non tentando Deum quod graue peccatum est, aut noua miracula expectādo desiderandoque. Reliquum verò quod naturæ vires excedit, Deo plena fide committat, & indubitanter Deus qui nouit omnia, quique optimus est, illud quod optimum est cōmodissimumque fuerit homini conferet, sæpe equidem infirmitas, paupertas, aut alia quæuis tribulatio hominibus vtilior quam nimia prosperitas, qua faciliter abutimur. Scit namq; pater quid filio prosit, magister quid discipulo conueniat, & medicus patienti de remedio competenti nouit melius prouidere. Peccant insuper contra præceptum hoc illi qui mundano quidam timore irrisorum aut oblocutorum verba formidantes, diuinis præceptis obedire verentur. Quapropter etiam grauissimè peccant huiusmodi irrisores, personas diuino seruitio deditas in statu religionis, virginitatis aut viduitatis constitutas, aut studio theologiæ deputatas, affectione carnali à bono opere retrahentes. Hoc rursus præcepto nobis præcipitur honor & reuerentia sanctis exhiberi, specialiter virgini Mariȩ, & bono angelo custodi nostro, vt nihil turpe vidente & præsente faciamus quod præsentibus hominibus agere recusaremus, quod denique sanctorum reliquias, loca sancta & beatorum imagines debemus venerari, non pro ipsis, sed quia videndo eas, honorem impendimus rebus repræsentatis per eas, iuxta ritum sanctæ matris ecclesiæ alioquin peccatum idololatriæ committitur, imaginem secundum se adorando, credendo ipsam imaginem pulcham siue turpem, nouam aut veterem plus aliquid habere virtutis, & quicquam numinis includere vel diuinitatis.

Huic præcepto plurimum contrariatur nimius honor dominis temporalibus aut magnatibus, adulatione siue malo aliquo fine exhibitus. Omnis etiam simulatio vel hypocrisis ad inanem hominum gloriam aut fallacem deceptionem ordinata. Immoderatus item amor parentum erga filios, & generaliter auri & argenti aut alicuius creaturæ, sic quod homo ibi sistat, & in eis confidentiam ponat. Non enim hæc omnia ab infernali morte nos poterunt liberare, solus quippe Deus est verus & fidelis amicus, qui in extrema necessitate opem præstare potest, vnde & super omnia confidenter eum cordis synceritate honorari debet, adorari & diligi.

Capitulum sextum est de secundo præcepto.

SEcundum præceptum est, Non iurabis per nomen Dei tui in vanum & sine causa.

Contra præceptum hoc principaliter agunt qui scienter quod falsum est vel falsum esse credunt, iurant, periurium committendo. Valde namque hoc graue peccatum est, cum Deus assumatur tanquam testis falsitatis, & qui artificiosè iurat falsum, artificiosè deferat, quanquam enim pro loco & tempore conuenienter veritas possit subticeri, non tamen dici falsum scienter & periurium committi.

Peccant etiam grauiter contra præceptum hoc qui turpia faciunt iuramenta Deum blasphemantes, & animas suas iurando dæmonibus deuouentes, quique de humanitate Christi & sanctis inhonestè loquuntur. Contra quos omnes sic periuros & blasphemos, statutæ sunt leges punitiuæ, tam à terrenis principibus, quam à prælatis ecclesiasticis, vnde dolendum est quod propter negligentiam ipsorum ad quos pœnas exequi pertinet, non sortitur effectum.

Multum verò diligenterque præmissa deberent attendere hi qui causa lucri de facili iurant, quemadmodum mercatores & mercatrices. Illi etiam qui absorpti passione aut ebrietate in ludis frequenter inhonestis siue prohibitis, vt est taxillorum ludus enormiter iurant, & generaliter quicunque peruersa consuetudine aut inclinatione præuenti iuramentum emittunt. In talibus quippe sæpe periurium committitur, propter quod etiam tales aliqui peiores sunt in hoc Saracenis aut Iudæis, & minus Deum honorantes. Ad hoc autem genus peccati periurij scilicet reducitur votorum fractio, fœderis, & solutio fidei matrimonialis. Et generaliter infidelitas qua in alterius præiudicium secretum illius reuelatur, siue per confessionem ipsius siue alio modo secreto cognitum, lege namque diuina & naturali secretum teneri debet quod in secreto acceptum est nisi alia via fuerit sibi detectum.

Postremò contra præceptum hoc reductiuè peccant qui vouent aut promittunt ea quæ sunt de se illicita, quod si promissa talia opere compleant, grauius inde & damnabilius peccant.

Capitulum septimum de tertio precepto.

Tertium præceptum est: Tu obseruabis dies dominicos & festiuos ab ecclesia seruari præceptos. Hæc obseruatio aut veneratio multipliciter accipienda est.

Primò quidem vt quilibet Christianus illo die Dominico vel festiuo, legitimo impedimento cessante, missam audire teneatur.

Secundò vt quilibet eo die abstinet ab omni labore aut mercatione, aut alio quouis laborioso opere, secundum ritum & consuetudinem patriæ quam inhabitat, quam consuetudinem prælatus spiritualis loci illius cognoscens non prohibet, quod si apud aliquem super tali consuetudine seruanda, aut aliis casibus dubietas occurrat, consulat ille superiores & peritos, ne per amplam nimis aut strictam conscientiam in peccatum cadat.

Tertiò accipienda est hæc obseruatio, vt vnusquisque illo die propriam vitam & conscientiam discutiat, de commissis criminibus veniam à Deo petens. Recognoscere debet tunc Christianus multiplicia beneficia sibi à Deo præstita

A non in aliquo murmurando, aut sibi guerram de bonis suis faciendo, sed gratias referendo. Debet tunc audiri verbum diuinum & spiritualis doctrina pacificè atque reuerenter absque irrisione aut impedimento quocunque. Meditetur præterea quilibet & corā oculis cordis quantum potest constituat mortem sibi de propinquo imminentem, infernum atque paradisum, mortem etiam priorum hominum qui in hac vita præfuerunt, facta etiam memorabilia sanctorum

B & sanctarum. Dicat Pater noster: Aue Maria: Credo. & alias si quas didicerit orationes deuotas. Pœnitentias iniunctas sibi diligẽter perficiat. Requirat insuper diuinum auxiliũ intercessione mediante sanctorum & sanctarum, à quibus velut pauper & mendicus eleemosynam spiritualem postulet, nunc ad vnum, nunc ad alium se conuertens, quousque bonum aliquod spirituale in saccum suæ paupertatis congesserit. Præterea doceat quisque curam aliorum habens, filios aut

C filias & alios seruitores diebus solennibus & festiuis similia facere, horum enim omissio culpabilis est defectus.

Prædictis tamen non obstantibus licitè potest homo diebus dominicis & festiuis aliquam recreationem & spaciamentum vel ludum honestum causa solatij assumere plus quam alio tempore, dummodo per peccatum mortale non offendatur Deus comedendo, bibẽdo, chorizando aut alium ludum exercendo. Quamquam fre-

D quentissimè in talibus ludis grauia peccata committantur, quemadmodum periuria, rixæ, dissensiones, desideria carnalia, opera, verba & carmina luxuriosa, contra Deum & æquitatem iustitiæ, adeò vt sæpius die dominico minus malum esset arare quam talia perpetrare.

Contra præceptum hoc peccant grauiter impedientes prædicationem aut diuinum seruitium verbis aut factis intra ecclesiam aut extra.

Quique circa Eucharistiæ sacramentum irreuerentes sunt, aut erga alia ecclesiastica sacra-

E menta, sicut baptismi & matrimonij celebrationem quidam sunt irridentes, & sacramenta confirmationis & vnctionis extremæ suscipere contemnentes.

Cæterum contra idem præceptum valde grauiter delinquunt hi qui in certis solemnitatibus anni irreuerentias multas & abominabiles perpetrant. Illi etiam qui talia facientibus dant consensum, illi præsertim qui ex officio possent & & deberent talia impedire, nec excusari possunt ludi prætextu. Asserit namque veridicum

F prouerbium: Non patitur ludum, fama, fides, oculus.

Capitulum octauum de quarto precepto.

Honora parentes tuos, est quartum præceptem. Hoc autem accipiendum est non tantum de parentibus carnalibus, sed & de prælatis ecclesiasticis & curatis nostris qui nos in Christo regenerauerunt, & generaliter de alijs præpositis & superioribus, magistris scilicet benefactoribus & terrenis principibus.

Consimi-

Consimiliter etiam de mortuis & defunctis intelligendum est, quo ad hoc quod pro ipsis Deum rogare tenemur. Contra præceptum hoc grauiter peccant hi qui sine causa rationabili suis superioribus quibuscunq; detrahunt aut maledicunt, & eos produnt vel mortẽ eis optant, quemadmodum mali filij parentum mortem frequenter desiderant, vt eorum hæreditatem possideant. Transgrediuntur etiam præceptum hoc qui contẽnunt præcepta sanctæ matris ecclesiæ, veluti excõmunicationis sententiam paruipendentes, & ieiunia indicta ab ecclesia sine causa rationabili soluẽtes, cum tamen ea obseruare possent sine sui corporis notabili grauamine. Sicuti etiam libertatũ ecclesiæ violatores, quæ libertas ecclesiæ concessa est nõ tam fauore ministrorum ecclesiæ quam intuitu diuini honoris, non enim propter malitiã aliquorum ministrorum ecclesiæ debet à quoq; fideli Christiano status prælaticus aut ecclesiasticus diffamari aut lædi, nec perdit virtutem suam baptismus, aut missa celebrata siue aliud sacramẽtum propter malitiam ministrorum.

Tenetur præterea hoc præcepto laicus fidelis (quamquã aliqui ecclesiæ ministri mali sunt) debitum reddere, missam audire, decimas & oblationes & alia iura reddere, ordinata pro sustentatione ecclesiæ ministrorum, qui vacando diuino seruitio toti reipublicæ seruiunt, plurimis aliorũ hominum propter temporales & necessarias occupationes ab hoc ministerio præpeditis, qui sic ecclesiæ debitum reddit, liber & immunis Deo, non hominibus seruit.

Porrò præceptum hoc infringunt qui leuiter nimis & insipienter redarguunt terrenos principes super eorum actibus publicis siue constitutionibus & statutis, non attendentes sæpius eorum onera & sarcinas graues, quas subditus populus nõ potest nec debet cognoscere, quapropter nec eos de facili iudicare debet, multa potius examini diuino reseruantes, coram quo sunt ipsi principes actuum suorum rationem reddituri.

Deniq; soluunt hoc præceptum qui nolunt superiorum suorum aut sapientiorum acquiescere consiliis propriis iudiciis innitentes. Prouenit quippe graue peccatum hoc ex inobedientia & dedignanti superbia, in errorem & deceptionem hominum inducens. Contingit namque sæpius vt aliquis homo taliter deceptus superbia, tantæ se reputet sanctitatis, vt humano consilio non indigere se credat. Fit proinde vt deceptus homo ille propter austeram nimis & indiscretam abstinentiam quam bonam esse credit, capitis furiam aut aliam infirmitatem incurabilem malo fine periturus incurrat.

Capitulum nonum de quinto præcepto.

QVintum præceptum est, Non occides hominem. Et est intelligendum quod non est interficiendus homo auctoritate propria vel particulari, & per viam facti, prætermissa via iustitiæ & æquitatis.

Hoc præcepto districtè prohibetur omne peruersum odium & desiderium vindictę seu mortis alienæ, malum item consilium, & iniquus cõsensus in alterius nocumentum læsionem vel mortem. A Quod si persona læsa ecclesiastica fuerit, aut in statu clericali constituta, grauius est peccatum, & incurrunt eo facto sic agentes & consentientes excommunicationis sententiam. Contra pręceptum hoc grauiter delinquunt hi qui odio vel rancore principaliter moti, aut intuitu vindictæ aut alieni grauaminis potius quam zelo iustitiæ instigati, proximos suos per placitationes & processus aut iudicia publica multipliciter vexant, etiam quod suum est requirentes. Potest nihilominus homo quod suum est, in iudicio publico repetere, B & ordine iuris seruato emendam rationabilem suæ damnificationis requirere, absque hoc quod odiendo proximum mortaliter peccet, quemquam sæpe pro pace propria & tranquillitate, & attenta proximi indigentia eligibilius esset omnem emendam absque lite publica remitti. Vulgo nam dicitur: In denario litis non est obolus amoris. Multum verò is qui lædit alium, debet attendere quod ex alterius mutilatione vel occasione siue læsione quacunque contingit interdum C læsum cum suis hæredibus depauperari, in quo casu lædens quemadmodum fur aut latro, ad omnium bonorum perditorum restitutionem tenetur.

Præterea contra præceptum hoc grauiter peccant qui quoquomodo impediunt ex commixtione viri & mulieris fœtum nasci, aut abortiuum procurant, seu percussione violenta vteri, aut nimia ingluuie, aut propter angustiam vestimentorum ad lasciuiam ordinatam, aut aliam quamcunq; D negligentem fœtus custodiam. Quod si fœtus iam erat animatus, grauius peccatum est, tunc enim verè homicidium perpetratur. Insuper contra præceptum hoc specialiter peccant inuidi, detractores, odio pleni & iracundi, tunc præcipuè cum inter affines & alios guerras aut discordias implacabiles excitant, ex quibus mala plurima oriuntur, adeò vt is qui litem mouit, eam cum vellet non sciret aut valeret sedare vnde & apud Deum damnorum inde prouenientium reus cõstituitur. Occurrit denique contra præceptum E hoc damnabilis & horrenda consuetudo in aliquibus obseruata prouinciis, qua pro vnius delicto tota ipsius progenies in mortem & persecutionem perquiritur. Hoc tandem pręcepto interdicitur omne duellum mortale aut torneamentum quibus mortis verisimiliter imminet periculum.

Capitulum decimum de sexto præcepto.

SExtum præceptum est: Non furtum facies. Et est furtum vel latrocinium, rẽ alienam rapere siue retinere alio cuius est ignorante, sic F quod ipsi hoc cognoscenti displiceret. Hoc præcepto districtè prohibetur omnis iniusta mercatio, cultura qualibet terræ, aut labor infidelis & fallax quodlibet aut mendosum artificium, fictus etiam dietæ labor. Et rerum venalium inutilium quomodolibet pro vtilibus venditio siue venditor earum eas emendo deceptus fuerit siue non. Non enim quia deceptus sum, licitè possum alium decipere.

Prohibetur item hoc pręcepto omnis vsura, falsa aduocatio aut patrocinatio, placitatio vel lis nõ

ritè assumpta, fraudulenta procuratio aut iniustũ iudicium. Et generaliter omnis deceptio manifesta, aut falso colore velata, qua quis alteri damnum facit quod sibi nollet fieri. Aggrauatur autẽ peccatum hoc furti vel latrocinij ex circunstãtijs loci & temporis personæ & similibus, quemadmodum si rem sacram in loco sacro, aut tempore orationi deputato quis auferat, si etiam persona damnificata pauper fuerit, & in se vel in suo statu aut in suis hæredibus ex hoc graue detrimentum patiatur. Requiritur autem ad personæ sic alium damnificantis absolutionem, vt ablata & damna ex integro damnificato restituat secundum iudicium boni viri, quemadmodum citius & cõmodius poterit. Quod si facultas non sit omnia reddere, saltem quod poterit restituat, & si damnificatus ignoretur, ablata nihilominus in pios vsus & eleemosynas distribuat secundum iudicium superioris.

Hoc etiam præcepto prohibetur omnis simonia quæ est sacrorum venalitas. Pluralitas item beneficiorum absq; rationabili causa. Et formatio vel vsus falsæ monetæ. Item rem aliquã ad certos terminos ad credentiam plus iusto vendere, & omnis contractus illicitus. Præterea prohibetur hoc præcepto omnis detractio & diffamatio, qua alterius fama bona omni argento præstantior alteri iniustè tollitur. Debet equidem sic diffamans alteri famam ablatam restituere quantum potest, publicè quandoque veritatem confitendo, & se malè fecisse asserendo. Et multo magis si communitatem aut totum aliquem statum iniustè diffamauerit. Insuper hoc præceptum infringunt qui à subditis suis vltra iuris æquitatem & reipublicæ necessitatem temporalia bona violenter diripiũt, qui etiam iniustas leges aut præcepta condunt cõtra Deum & ecclesiam, qui in eo facto excõmunicationem incurrunt. Amplius hoc transgrediũtur præceptum adulteræ mulieres, illegitimos filios ad legitimorum hęreditatem succedere faciẽtes, queq; virorum suorum bona eis ignorantibus sumptuosè nimis consumunt. Consimiliter delinquunt filij parẽtum bona eis nescientibus inutiliter exponendo. Seruitores etiam & dispensatores dominorum suorum aut magistrorum bona infideliter ministrando. Ecclesiastici viri ecclesiæ bona luxuriosè aut pompaticè, aut ea in thesauros cumulando. Illi item qui terminos agrorum dilatant proximos defraudando. Qui tributa iustè instituta soluere renuunt. Et hi quibus commissa est testamentorum executio, eleemosynas & cætera legata in præiudicium defunctorum implere differentes aut soluere recusantes. Plurimi sunt horum modorum similes qui ex præcedentibus immoderatis sumptibus proueniunt, cum quis multipliciter vltra redditus & prouentus proprios sumptuosum gerit statum, sumptuosus namque status, sumptuosas requirit expensas. Postremò contra præceptum hoc grauissimè peccant hi qui pecunia aut prece violenta parentes, propinquos aut seruitores principaliter intuitu seruitij, ecclesiæ bona occupare procurant, cum præsertim ecclesiastica beneficia dignis & sufficientibus debeantur, & purè non simoniacè cõferri debeant. Alioquin in beneficio nullum ius acquirit, nec à crimine liber esse potest quousque beneficium simpliciter resignet simoniacè promotus &c.

Capitulum vndecimum, septimum continet præceptum.

SEptimum præceptum est, Non mœchaberis, nec luxuriosus eris. Hoc præcepto inhibetur sub pœna peccati mortalis omnis societas & carnalis commixtio viri & mulieris, excepta matrimonij lege. Huius namque oppositum asserere est error contra fidem. Prohibetur etiam præcepto hoc tam in matrimonialiter coniunctis quam insolutis omnis luxuriosus attactus membrorum genitalium, quo non seruatur naturalis ordo inditus à natura, vel non ritè copulantur partes ad generationẽ à natura deputatæ. Et tanto peccatum hoc grauius est, quanto à naturali ordine longius recedit, siue inter personas solutas, siue, quod crimen aggrauat, coniunctas matrimonialiter. Siue fuerit huiuscemodi attactus in se vel in alia persona, aut respectu bestiæ in altera specie, per turpissimam & illicitam complacentiam consummatus. Si denique specialiter attactus ipse innaturalis proueniat à fœdissima, vilissimaque delectatione, quæ mollicies vel dicitur pollutio. Si quis autem in his vel aliquibus horum culpabilis est, sufficienter intelligere potest quid isti modi generales loquendi significent, nec enim particularius extra confessionem est abominabilis hæc immunditia explicanda, ne castæ aures, puræ & innocentes horum prius ignotorum notitiam acquirant & scandalizentur.

Sunt etiam casus isti enormium contra naturam peccatorum, prælatis maioribus episcopis scilicet & suis pœnitentiariis ad absoluendum reseruati, quorum aliqui secundum leges ignis pœna plectuntur. Nec potest aliquis quotcunq; bona aut eleemosynas operetur, in æternum saluari, si pudore motus hæc peccata reticeat, vel adeò celet vt non possit confessor peccati speciem distinctius præpendere. Peccati namq; perpetratio debuit maiorem pudorem inferre quam eius reuelatio, præsertim in confessione.

Incidit autem homo in horrendum peccatum hoc variis de causis. Aliquando quidem ex sola malitia alterius impellentes, sicut iuuenes aliqui peruersi alios innocentes frequenter decipiunt. Aliquando ex nimio otio. Frequenter ex sumptione nimia potus aut cibi. Potuum præsertim aut ciborum excessiuè nimis supercalefactiuorum. Sæpe ex inhonestis verbis aut aspectibus radicatis aut fixis. Quandoque ex diuturna cogitatione circa carnalem actum, vel commixtionem viri & mulieris, aut inordinato appetitu carnalis commixtionis cum tali vel tali persona. Interdum etiam ex peruersa doctrina parentum seruitorum aut ancillarũ, siue (quod magnum facinus est) magistrorum cum quibus iuuenis aliquis cõuersatur aut nutritur. Vel postremò ex sola peccatis malitia. Cæterum propter detestandum peccatum hoc olim mundus consumptus est vniuersali diluuio, & quinque ciuitates Sodomæ & Gomorræ igne cœlesti succensæ, vt habitatores earũ viui descenderent in infernum.

Propter idem peccatum hoc quod diuinam exclamat vindictam, veniunt sæpius fames, guerræ, pestes, mortalitates, inundationes aquarum, proditiones regnorum, & aliæ multiplices clades, prout scripturæ testantur. Principale verò & efficax contra peccatum hoc & generaliter aduersus luxuriam remedium est sobrietas victus, malorum vitare consortia & ocium, malas & noxias cogitationes statim repellere, ne figantur in corde, ex toto conatu preces ad Deum, virginem Mariam, sanctos sanctasque dirigere, cogitationes suas aliorsum diuertere, & interdum corporalem pœnam libentér assumere, quemadmodũ quidam peritus linguam propriam mordens & tentationem alloquens spuendo dicebat, phy, phy horrenda immunditia, & tu nequissimè dæmon ausus es mihi hanc illusionem præsentare. Huius denique peccati luxuriæ plurimæ sunt aliæ species secundum varios hominum status, quemadmodum carnalis commixtio affinium, parentum aut aliorum religiosorum. Item personarum, viduarum aut virginum constupratio, & quandoque raptus violentus, ex quibus infinitæ clades oriuntur, vt quod persona aliqua in via perditionis constituitur, aut perpetuam incurrit infamiam, vel seipsam occidet, aut infantem ex stupro natum continuo non baptizatum iugulabit, aut denique totus vnus status aut communitas infamiam, aut ruinam patietur. Sentimus postremò huius peccati in somno phantasias & illusiones, tunc tamen est peccati periculum, cum quis antea vel post in vigilia in nocturna phantasia vel pollutione delectatur.

Capitulum duodecimum de octauo canit præcepto.

OCtauum præceptum est. Non falsum testimonium dices. Hoc præcepto omne mendacium prohibetur, illud quod in alterius perniciem committitur. Quod si iuramentum interuenerit, grauius peccat, quia periurus est. Nunquam enim pro salute etiam hominis corporali vel spirituali debet quis periurium committere, siue coram iudice, siue seorsum. Periurium verò quod quis in iudicio publico committit, est casus episcopo ad soluendum reseruatus. Contra præceptum hoc grauiter peccant qui in confessione mendaciter peccatum celant aut alium iniquè accusant. Insuper contra præceptum hoc agunt qui delectabiliter nimis adinuentis nouitatibus aut aliorum diffamationibus aures credulas præbent, occasionem inde peccati assumẽtes, asserentes nimia lenitate de proximis mala. Zelotypi præterea vel suspitiosi proximos & actus eorum malè & sinistre iudicantes aut interpretantes, adeo vt ex huiusmodi credulitate falsa, iniusta bella vel lites sæpius moueantur.

Capitulum decimumtertium, nonum ambit præceptum.

NOnum præceptum est. Non concupisces vxorem proximi tui & consimiliter nec fœmina virum concupiscat. Hoc præcepto districte prohibetur omnis motus vel gestus exterior malus quo trahitur alius, vel sollicitatur ad peccatum luxuriæ, siue per internuncium, siue promissionem literarum, siue per minas violentas, siue etiam per munera, per promissiones per mendacia aut fictas adulationes, aut insuperfluo vestimentorum ornatu, inordinato aspectu vel incessu, verbis turpibus, aut denique attactu quolibet luxurioso, sicut frequenter contingit in amplexibus & osculis. Sciendum est namque omnis concupiscentia carnalis cõmixtionis præter matrimoniale vinculum etiam solo voluntatis consensu plenariè perpetrata, est mortale peccatum, vbi carnalis copula minimè subsequetur. Equidem vera est hæc regula magistralis: Omnis cõpleta voluntas siue bona siue mala, pro facto reputatur. Mala voluntas pro facto reputatur. In quo peccati genere peccare potest persona matrimonialiter alteri copulata, quemadmodum & soluta, vt si mulier alterius quam viri sui carnalem societatem concupiscat. Omnis etiam consensus plenarius & deliberatus quo quis in turpibus & carnalibus cogitationibus delectatur, vbi etiam deest voluntas actum exteriorem perpetrandi, secundum plures doctores est mortale peccatum. Patet igitur ex præmissis, quod omnes amplexus, oscula & consimiles attactus principaliter ex luxuriosis cogitationibus prius enumeratis procedentes sunt grauia delicta, tantoque grauiora si personæ fuerint affines, aut religiosæ vel eiusdem sexus, & quod enormius est, si in talibus attactibus vel osculis talis non seruetur honestas qualis in publico seruaretur. Quamobrem si quis in præmissis attactibus vellet alteri vim inferre, deberet alius ex aduerso quemadmodum pro vitæ corporalis tuitione viriliter resistere, siue verbis siue factis aut validis clamoribus, aut denique factum tale personis ipsum in hoc iuuare valentibus & ad hoc astrictis reuelando. Alioquin talis quis ille est, non synceriter suam diligit castitatem & honorem.

Capitulum decimum quartum, decimum declarat præceptum.

DEcimum præceptum est, Non concupisces rem proximi tui, hoc est alterius cuiuscunque. Et intelligitur hæc concupiscentia prohiberi quemadmodum supra in sexto præcepto de furto & latrocinio explicatum est. Prohibetur enim hæc concupiscentia & voluntas mala, cum mala voluntas (vt paulò ante dictum est) pro facto reputatur. Tali namque cupiditate cadit frequenter homo in inuidiam & in impatientiam sui status & Dei blasphemiam, apud se non rectè cogitans, bona temporalia se iustius meruisse, quam talis suus vicinus, quod idcirco Deus iniustus est, & sibi non nisi frustra & inaniter seruiendum est, quod si incommodum aliquod aut damnum alteri contigerit, stultus ille lætatur & gaudet, asserens pro suis demeritis & occulta malitia hoc idem accidere. Contra præceptum hoc reductiuè peccant operum misericordiæ tam corporalium quam spiritualium, seu eleemosynarum retentores, veluti pauperibus indigentibus cum facultas adest, & occurrente euidenti necessitate, non subuenientes & specialiter parentes proprios quos pudendum est mendicare, aut deseruientes esurire, aut egere permittentes. Consimiliter peccant qui seruitorum suorum salarium vel lucrum iniustè retinent, qui eleemosinarum prætextu aut fundationis ecclesiarum

occupant inque aliorum bona dicentes proprietarios nimis diuites esse & eisdem abuti, nec propterea restituenda fore. Condemnat eos namque approbata Pauli regula, affirmans non esse facienda mala vt inde bona eueniãt. Nec quoquo modo per peccatum offendendus est Deus, eius trãsgrediendo præceptum qualecũque bonum inde prouenire contigerit.

Capitulum decimumquintum ostendit qualiter in his decem præceptis velut in mundo quodam speculo facies conscientiarum nostrarum debemus inspicere.

HÆc igitur sunt decem legis diuinę pręcepta superius enarrata, in quibus quasi speculo quodam polito, terso & mundo religionis christianæ veritatem perlegere, & totius vitæ nostræ ac animarum conscientiarumque nostrarum pulchritudinem atque fœditatem possumus distincte conspicere. His mediantibus cognoscit homo vitæ suæ decursum qualiter diuina præcepta seruauerit, quantum deuiauerit, quibus modis secundum varias peccatorum species Deum offenderit, qualis denique peccatorum confessio habenda sit. Quia si prædictorum aliqua à quoque non plenè intelligantur: consulat super his sapientes viros, potissimè autem deuotos. Omnis namque persona postquam ad annos discretionis peruenerit, si consensu voluntario, plenario & deliberato horum alicui præceptorum per contemptum inobediens extiterit, dilectioni Dei amorem creaturæ præponendo, extra salutis statum efficitur, & in damnationis periculo statuitur, nec gratum aliquid Deo dignum beatitudine operatur. Quanquam si tentationem grauem aut diuturnam iræ siue luxuriæ, vel alterius peccati quis incidat, si si ipsa tentatio homini displiceat, aut eidem homo resistat vel non plenè & deliberatè consentiat, mortaliter non peccet, immo sępe nullo modo peccat, sed magnum erga Deum præmium meretur tentationi viriliter resistendo.

Hic iam prospicere clarum est quibus viis & modis decem hæc pręcepta infringantur septem mortalibus & capitalibus peccatis, quę sunt superbia, inuidia, ira, auaritia, gula, luxuria & accidia. Quinque item exteriorum sensuum ministerio, qui sunt visus, auditus, olfactus, gustus & tactus. Sicque quisquis in his decem præceptis speculi vitę se diligenter intuetur, rectè se conspicit, verè se cognoscit, seque paruipendit, & his obediens discretè sapit.

Capitulum 16. explicat qualiter triplicem veritatem ore vel corde profitendo à statu peccati mortalis ad statum gratiæ resurgimus.

SCiens nihilominus noster misericordissimus pater Deus & cognoscens nostram fragilitatem per maximam & ad malum pronitatẽ, multiplicibus viis mortali vita durante paratissimus est nobis delicta remittere & gratiam conferre, si duntaxat veraciter & ex corde sibi tres subscriptas veritates porrigamus.

Prima veritas est. Domine sic vel sic contra vestram bonitatem peccaui quod mihi displicet, ratione cuius & pœnitentiam ago, quia vos offendi qui totus estis venerandus & colendus; quodque mandatum vestrum trangressus sum.

A Secunda veritas est: Domine bonum habeo propositum & desiderium vestro iuuamine mediante; mihi in futurum præcauendi ne incidam in peccatum, & occasiones peccatorum iuxta possibilitatem virium euitandi.

Tertia veritas est. Domine bonam habeo voluntatem peccatorum meorum confessionẽ integraliter faciendi pro loco & tempore secundum vestrum & sanctæ matris ecclesiæ mandatum & præceptum.

B Has veritates quisquis qualitcunque loco & sinceriter, non fictè aut mendaciter ex corde pronunciauerit, securus existat se in salutis & gratiæ statu consistere & vitam æternam mereri, quamuis omnia enarrata prius crimina commisisset. Si etiam talis absque alia confessione continuò decederet in absentia sacerdotis dormiendo, aut alio quouis modo morte subita pręuentus, idem finaliter saluaretur acerbissima purgatorij pœna mediante. Ex quo notandum & salubre consi-

C lium elicitur, vt Christianus quilibet singulis diebus bis aut semel, serò & in mane, aut saltem festiuis diebus redeat ad cor suum conscientiam examinans, an tres permissas veritates proferre valeat cum cordis synceritate, sicque intra statum salutis se esse confidat. Quia si eas pura mente fateri non valet, obstante voluntate peccandi qua actualiter delectatur, aut iniquo proposito quo quis occasiones peccatorum vitare renuit, quemadmodum illi qui peccati carnalibus mersi

D resurgere nolunt, aut vsuras suas aut iniustas mercationes & lucra continuant, vel iniustè retinent alienum, quique alterius odio & vindictæ desiderio flagrantes, in nocendi proposito perseuerant: certissime sciant hi & consimiles non episcopum aut papam tales absoluere posse. Quanquam talibus salutare cõsilium detur, vt per seipsos vel alios bona quæ poterint operentur, orando vel eleemosynas dãdo, quo Deus eorum corda illuminet, & ad bonum dirigat & conuertat.

E Nullum est enim bonum adeò exiguum quod non tandem Deus æterna vel temporali mercede remuneret. Multóque melius est temporale bonum & minimum, quam omnino nullum promereri, saluberrimum est etiam laudabilem consuetudinem illęsam seruare, ne eam semel dissoluendo, nunquam in æternum fore resumat.

Capitulum decimumseptimum ostendit quis sit confeßionis modus, & dat circa hoc vnum breue documentum.

F QVotienscunque accedit homo ad confessionem peccatorum explanandam (hoc est de necessitate semel in anno circa solennitatem paschalem, aut cum mortis imminet periculum, aut in sacramentorum susceptione, ad frequentiorem enim confessionem regulariter non tenemur, quanquam sæpius confiteri multum prodest ad augmentum gratiæ, & distinctiorem cognitionem, & explicationem peccatorum) debet præmeditari confessurus quid aut in quo deliquerit, cum examine diligenti conscientiam discutiens, acsi magnum inde temporale bonum repor-

reportaret. Accuſet ſe poſtmodum peccator humiliter, non irriſoriè, veraciter, non fictè, vituperando ſe non laudando, purè, rectè atq; ſynceriter, facta impertinentia dimittendo, diſcretè inſuper, vt non reuelentur hi quos conſortes & ſocios habuit in peccato. De his enim confeſſor inquirens, grauiter etiam peccaret nisi forſan ſodales huiuſmodi cauſa petendi conſilij ad eorum pellendam violentiam confitens detegeret, aut fortaſſis ad explicandam peccati ſpeciem neceſſitas eos manifeſtari poſceret, vt ſi quis cum ſola ſorore carnaliter commixtus fuerit, in quo caſu quærendus & confeſſor perſonam in confeſſione detectam ignorans. Super caſibus autem ad abſoluendum epiſcopo reſeruatis aut ſuperiori, remittat ſacerdos inferior confitentem ad prælatum vel ſuperiorem, eum potentem abſoluere. Niſi forſitan confitenti mortis periculum immineret, aut magnum aliquod ſcandalum ex hoc aboriri, vel peccati reuelationem ſequi coniectura probabili formidetur. Hoc vero pro regula certa & documento ſalubri teneatur, vt nunquam pro peccato ſecreto vel occulto pœnitentia publica pœnitentibus iniungatur, nec pœnitentia imponatur quam nequeant aut nolint ſufferre. Non debet rurſus confitens iniunctam ſibi pœnitentiam faciliter reuelare, quo contingit interdum peccatum ſuum prodi, aut confeſſoris dicta aut interrogata nimia leuitate detegere. Hæc enim omnia ſecretæ confeſſionis integritatem concernunt, niſi (quod abſit) confeſſor pœnitentem ad malum aliquod hortaretur.

Eſt præterea vtile & efficax remedium diligentius retinendum ab his qui peruerſa inclinatione vel conſuetudine incidunt in aliquod enorme peccatum, à quo non de facili retrahuntur, quod ſcilicet ſeipſos ad pœnam aliquam pecuniariam vel aliam vſque ad certum temporis præfixum, cum certo rationis moderamine conſtringant, quotienſcunque in id peccatum incidere contigerit. Dicunt namq; ſæpius inſipientes aliqui ſe à peccato iræ, luxuriæ, periurij, & ſi quod eſt ſimile, abſtinere non poſſe, qui tamen hoc ipſo ſalubri remedio velut mendaces facillimè confutantur, cum vnius albi vel Franci in emenda cuiuſlibet tranſgreſſionis eis inflicta pœna ipſos à perpetratione iniuſti operis retraheret. Vnde manifeſtè conuincitur eos diuini præcepti & propriæ ſalutis intuitu à conſuetis vitiis abſtinere poſſe, niſi fictam & peruerſam haberent voluntatem. Et tales velut fatui veritati non credunt nec obediunt, quouſque ſupplicia luant, & delictorum ſuorum ſeram & infructuoſam pœnitentiam agant. Fitq; iuſto Dei iudicio, vt qui pœnitere de commiſſis cum poſſunt, non volunt, cum velint nequeant.

Cap. 18. concludit non eſſe quemquam ab alio ad peccatum impellendum, ſed ad bonum potius operandum.

POſtremò quicquid agat homo in perſona ſua, ſuprimè caueat alium ad malè agendum ſollicitare, aut verbis aut factis, exemplis vel conſiliis aliquid agere quod de ſe ſit occaſio ruinæ peccati ſpecialiter coram iuuenibus aut perſonis innocentibus.

Hoc enim proprium eſt ſingulareque dæmonum officium, quemadmodum bonorum angelorum intereſt ſpecialiter homines inducere ad bonum.

Compertum eſt etiã frequenter accidere quod homines aliorum ad malum impulſores, vix aut nunquam delicti ſui condignam pœnitẽtiam aſſecurantem perficiant, quia nequeunt eos corrigere ad bonum quos deceperunt, iam forte damnati ſunt vindictam à Deo poſtulantes, æternamq; eis maledictionem iugiter imprecantes. Sicuti ex oppoſito iam ſaluari aliorum doctrinis & factis, aut opera diligenti (qua nullum Deo opus ad ſacrificium acceptius eſſe poteſt, & ad peccata delendum validius) pro ſuis adiutoribus preces indeficienter effundunt. Curet etiam præterea fidelium quis iuxta cognitionis & veritatis à Deo ſibi conceſſarum facultatem monitionibus & exemplis alium ad bene agendum incitare pater filium, doctor diſcipulum, & ſapiens inſtruat ignorantem.

Rogemus tandem pro mutua pace & vnanimi inuicem charitate, quo poſt mortem corporis huius perennis beatitudinis participes ſimus, quam nobis concedat Deus vnus eſſentialiter & perſonaliter trinus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

SECVNDA PARS HVIVS OPVSCVLI, DE CONFESSIONE.



QVISQVIS à morte peccati ad ſalutis & gratiæ ſtatum volet reſurgere, quodque vt actus ſui & intentiones ad vitam æternam vtiles ſint & meritoriæ, neceſſe eſt quod delicta ſua recogitet & cognoſcat dolens de commiſſis, atque proponat auxiliante Deo, à peccato mortali ſibi præcauere & abſtinere in futurum. Firmum præterea ac ſyncerum propoſitum habeat competentibus loco & tempore peccata ſua ſaltem mortalia diſtinctè & integraliter confiteri.

Quod vt commodius fiat, priuſquam confitens crimina ſua reuelaturus accedat, ipſe circa ea matura moroſáque diligentia præmeditari tenetur quaſi magnum aliquod emolimentum temporale inde reportare ſe crederet, vt completè magis ipſa confeſſori ſuo ac lucidius exprimat.

Quia verò plurimi ſimplicium ob neglig ẽtiam aut ignorantiam non excuſantem, ſed potius accuſantem modos & ſpecies neſciunt peccatorum, prçſens confecta eſt tabula, quam inſipientes confeſſuri, cogitatione præuia inſtructi, ſufficienter ad ſalutem poterunt, ſua peccata cognoſcere, memoriterque tenere, & confeſſoribus vtiliter reſerare.

Procedit autem tabula hæc ſecundum numerum & ordinem peccatorum mortalium, quæ ſunt ſuperbia, inuidia, ira, auaritia, acedia, luxuria, gula.

Confeſſurus ergo tuam primitus conſcientiam examinans, interroga te.

Circa peccatum superbiæ.

SI vanam tui laudem & propriam excellẽtiam quæsiuisti aut optasti, propter bona fortuita & caduca, diuitias scilicet aurum & argentum terrenasque possessiones, aut propter naturalia bona scilicet corporis pulchritudinem fortitudinem, iuuentutem & similia, seu etiam ratione gratuitorum donorum, sicut est Dei cognitio, vel affectus deuotio. Si alios contempsisti propter alicuius horum bonorum præcedentium defectum. Si aliqua opera fecisti vt inde mundanam laudem acciperes, vel vt alij te meliorem quam ipse sis reputarent, & multo magis si hoc fecisti prætextu hypocrisis fictæ quã vt aliis esses exemplar in bonum vt eos à malo retraheres. Si nimium pertinaciter innisus es opinioni propriæ vel credulitati, alterius consilium contemnendo, specialiter in materia fidei & Christianę religionis ex hac enim radice pullulant hæreses, sortilegia & falsæ credulitates. Si per iactantiam aut inanem gloriam opera bona recitasti, vel te aliis præsentibus inculpasti, vt ob hoc humilis & deuotus credereris. Si gloriatus es corde aut ore de malo, vt quod alium defraudasti vel ei iniuriam intulisti, quodque per te & tuos complices ad malè agendum potens existis. Si superioribus tuis inobediens extitisti & eos contempsisti, præcipuè carnales parentes & spirituales. Si intra confessionem mentitus es, peccatum tuum aut eius speciem mundano pudore celando, talis enim confessio inutilis est, sed & nouum crimen incurris. Si peccatorum tuorum excusationes quæsiuisti, aut minuisti culpam tuam sociis aut complicibus imponendo. Si te per inobedientiam & contemptum excommunicari permisisti, aut leuiter nimis excommunicatis participasti. Si in iudicio publico vel alibi ob pudorem veritatis reuelandæ periurium commisisti. Si à bonis operibus aut verbis abstinuisti propter obloquentium quorundam fatuorum timorem. Si indignando contempsisti peccatores, pauperes, ignorantes, impotentes, aut infirmos eos præcipuè qui tibi genere propinqui sunt, aut si eosdem irrisisti. Si signis aut verbis contempsisti eos qui student deuotioni. Si præsumptione motus aggressus es ardua, scientiam tuam aut potentiam excidentia, aut tuo statui vel studio indecentia.

Circa peccatum inuidiæ.

SI de alterius incommodo lætatus es, cum ei infortunium aliquod contigerit, aut si diffamationem seu persecutionem incurrerit. Si de bonis alterius doluisti, quia bene famatus, bonus, pulcher, sapiens, eloquens, deuotus, aut religiosus existat. Si malum alteri præoptasti vel bonam famam ipsius minorasti verbis iniquis de eo publicè vel secretè, manifestè aut fraudulenter prolatis, eius verba & opera sinistre iudicãdo, aut in peiorem partem frequenter interpretando.

Circa præceptum iræ.

SI diu cum consensu ira contra proximum tenuisti cum desiderio vindictę vel appetitu nocẽdi per te vel per alium verbis aut factis. Si ira

A vel odio contra quemcunque contumelias protulisti, aut in rebus nocumentum præbuisti vel irrisisti. Si eum percussisti, vulnerasti, occidisti. Et attendatur diligenter an læsus sacerdos aut clericus extiterit. Si à læsis à te vel iniuriam passis veniam petere renuisti, cum præsertim æquales tibi forent, aut in nullo subiecti. Si arma inuasiua ad nocendum tulisti. Si alteri mortem siue lęsionem illicitè minatus es, etiam apposito iuramento. Si secretum alienum reuelasti. Si humiliter à te veniam petentibus indulgentiam denegasti. Si motus ira iurasti nequiter vel periurium commisisti,
B aut si Deum blasphemasti, ludum alearum aut alium exercendo. Si odio vel rancore potius quam iustitiæ zelo, placitationibus vel litibus alium vexasti. Si alteri maledixisti, præsertim parentibus aut propinquis.

Circa peccatum auaritiæ.

SI alio nesciente vel nolẽte retines illud quod est suum. Si furtum rei sacræ aut ecclesiasticæ,
C vel alterius cuiuscunq; intra ecclesiam vel locum sacratum commisisti. Si contra Deum ingratus indignaris quod non tibi sicut & cæteris prouenerint diuitiæ, nec ad votum prosperè succedunt omnia, si ob hoc immemor Dei beneficiorum sibi seruire contemnis. Si communia bona dominorum vel parentum lautè nimis in vsus proprios sumpsisti, aut mercenariorum & seruitorum iustum lucrum non eisdem tribuisti. Si falsas & iniustas mercaturas exercuisti, & modum inquiras.
D Si falso & mendaci artificio vsus es modum quærere. Si simoniam in te vel in alio perpetrasti. Si commutatione vsuraria cum alio contraxisti, aduertatur modus. Si fine lucri periurus fuisti. Si ludis prohibitis, vt est taxillorum ludus, auaritia motus te immiscuisti. Si festiuis diebus spe lucri manualem laborem aut mercationem per te vel alium fieri consensisti. Si commissa tibi in testamento vel aliter legata vel eleemosynas perficere & distribuere neglexisti. Si opera misericordiæ & eleemosynas occurrente necessitate oblationes
E & decimas perficere aut soluere contempsisti. Si ficta adulatione vel intentione pecunias extorquendi alium decepisti aut etiam irrisisti. Si parentum vel mariti bona eis insciis abstulisti. Si proprias & alienas possessiones inutiliter consumpsisti. Si alieni damni causa vel occasio voluntariè & gaudenter extitisti vt lucrum inde & cõmodum reportares, vt exẽpli gratia, si inter duos rixam moues, vt ex eorum mutua lite aut verbere vel occasione emendam iudiciariam aut patrocinij lucrum feras. Si famem aut pestilentiam op-
F tas, vt per eam diteris, aut de parentum morte gaudes, vt suam hæreditatem accipias, aut si periuras, aut alium ad periurandum impellis vendendo & emendo. Si in artificio quocunque inutiles adinuenis nouitates vt ditatus abundes.

Circa peccatum acediæ.

SI missam & horas vel aliud diuinum officiũ, seruitium omisisti celebrare ad quę dicẽda tenebaris. Si in festis specialiter ab ecclesia obseruari pręceptis aut aliàs per tristitiam, negligentiam,

vanitatem

vanitatem aut otium, ecclesiasticum officium, prædicationes & sermones audire contempsisti. Si concessum tempus diebus præsertim festiuis in verbis aut factis ociosis inutiliter consumpsisti, aut ecclesiasticum officium sermonibus garrulis turbasti. Si idem præstitum tempus excessiuè dormiendo in lecto tuo demorando vel aliter malè occupasti. Si per negligentiam aut incuriam sanctas habere meditationes mortis, iudiciorum & beneficiorum Dei erga te prætermisisti. Si pro benefactoribus tuis viuis ac defunctis preces fundere neglexisti. Si commissorum tuo regimini & curæ non rectè sollicitus extitisti. Si negligenter de peccatis contritus es aut confessus, vel ante confessionem circa peccata tua præmeditationem habere noluisti. Si peccatorum tuorum oblitus es, vel iniunctam pœnitentiam minus debitè perfecisti. Si quælibet vota vel promissa infringendo transgressus es & attendatur modus. Si denique præceptorum ecclesiæ fuisti trāsgressor, vt si publicam eucharistiæ sumptionem, vel aliorum sacramentorum susceptionem distulisti. Si non rectè ipsa sacramenta recepisti, vt si non præmissa debita integrali confessione.

Circa peccatum luxuriæ.

SI morosas cogitationes circa carnalem actum cum complacentia & delectatione nociua in corde tenuisti. Si cogitationibus talibus carnalibus vel aspectibus, aut verbis aut signis aliquibus motum carnis excitasti, nec eidem sufficienter restitisti. Si huius peccati occasiones non fugisti, aut quod deterius est, easdem procurasti. Si per tales tentationes vel motus in luxuriosum consensum cecidisti, affectando exterius opus si posses vel auderes perficere. Si attactum aliquem inhonestum vel pruritum in membris pudendis exercuisti, ex quo carnalis delectatio secuta sit, & modus diligenter aduertatur. Si talium peccatorum erga alios causa vel ruinæ occasio fueris verbis, osculis, amplexibus aut aliis signis, vel forte picturis & figurationibus inhonestis. Si dormiendo hanc carnalem delectationem vel pollutionem incurristi. Si cum alia persona carnalem commixtionem incidisti. Et attendatur cuius gradus vel conditionis foret persona, aut vxorata alteri aut virgo, si genere propinqua, & in quo gradu, si sanctimonialis religiosa, aut in sacris ordinibus constituta, si tibi consensit, aut ei violentiam intulisti, si denique eiusdem tecum sexus aut alterius erat, & exprimatur modus. Si luxuriæ peccatum opere consummasti alio ordine quam natura dictauerit. Si matrimonij legitimam honestatem non obseruasti, ratione operis in se vel circunstantiarum, quæ magis in confessione certis sunt interrogationibus cognoscēdæ quam verbis vel scripturis quibuslibet in publico referandæ. Si diebus festiuis minoribus aut minus solennibus talia peccata perpetrasti, aut forsan in sacratis locis. Si abortiuum procurasti, aut fœtum ex vtero nasci impedisti, aut ob stricturam vestimentorum, aut per agitationem corporis immoderatam, vel choreis, vel aliis pluribus inusitatioribus modis. Si dissolutis & inhonestis aspectibus & choreis aut gestibus incompositis, vel innata pulchritudine, aut fuco mendaciter colorata, vel denique vestimentis superfluis alios ad malum allicere voluisti, aut te concupisti ab eisdem affectari. Si tibi matrimonialiter coniunctæ personæ carnalis copulæ debitum infirmitate aut alio legitimo impedimento cessante denegasti.

Circa peccatum gulæ.

SI ieiunia ab ecclesia obseruari mandata transgressus es, cessante infirmitate, impotentia vel alia rationabili causa. Si ex nimia cibi vel potus sumptione ebrietatem, luxuriam, dissensiones, aut corporis infirmitatem incurristi. Si ob eandem causam studium, laborem, mercationem, vel aliud opus ad quod agendum tenebaris omisisti. Si per nimios sumptus in potibus & cibis te vel tuos hæredes indigere aut mendicare coegisti. Si denique nimis auidè aut abundanter cibum sumpsisti, vel delicata fercula curiosè præparasti, aut horam comedendi præuenisti, sic quod ex hoc præceptum aliquod Dei vel ecclesię solueretur, vel grande aliquod corporis incommodum sequeretur.

Per hæc autem omnia quæ de septem peccatis mortalibus iam explicata sunt, potest homo cognoscere quibus modis quinque sensuum exteriorum ministerio cōtra decem legis præcepta, contra misericordiæ opera, & duodecim nostræ fidei articulos deliquerit, vt non sit opus hæc posteriora prioribus addere nisi quis enumeratis prioribus specialiora particulariora adiungere voluerit.

AD plenarium autem præcedentium intellectum, vt agnoscatur qualiter ritè sit faciēda confessio, notanda sunt aliqua.

Primò, quod de communi regula est & de ecclesiæ præcepto tenetur quilibet ad minus semel in anno circa pascha peccata sua confiteri, cum etiam eucharistiam aliud sacramentum suscipere intendit, tunc etiam cum mortis imminet periculum. Cum præterea ipse qui peccatorem absoluere potest, adest, cuius præsentia nūquam in posterum haberi formidatur, quamuis sæpius confiteri prosit, quater videlicet annuatim vel mensibus singulis, aut quolibet solenni festo iuxta personæ facultatem & statum.

Secundò quod confessio in loco patenti vel publico fieri debet, ne occasione secreti loci & prætextu deuotionis impellat diabolus ad malas cogitationes, & iniqua verba vel opera. Nunquam etiam confessor confitentis vultum aspiciat.

Tertiò quod multa sunt crimina à quibus peccatorem sacerdos simplex absoluere non potest, nisi pœnitentiarius fuerit, aut à prælato superiori potestatem acceperit. Quemadmodum sortilegium, quod aliquando per abusum sacrarum rerum committitur, aut ex aliis rebus friuolè causa quæritur, quæ non est causa intenti effectus, quod per res sacras committitur, sacrilegium quod est furtum rei sacræ vel intra locum sacrum, percussio violenta sacerdotis vel clerici, simonia, hæresis

cęteraq; crimina quibus eo facto excommunicationis sententiam incurrunt delinquentes, homicidium, percussio patris aut matris, periurium in iudicio publico commissum, adulterium signáter notorium, mulierum raptus violentus, defloratio virginum, constupratio sanctimonialium, & incestus cum consanguineis intra quartũ gradum, votorum fractio, oppressio paruulorũ infantium ob negligentem custodiam, peccatum item turpissimum & abominabile, quod contra naturam dicitur, siue in propria persona per molliciem perpetratum sit, siue in alio commissum qui eiusdem sexus existit, vel in persona alterius sexus, si fiat in aliis membris quam natura ad generationem deputauerit, vel si deniq; in alia specie admissum sit. Talia namq; crimina grauiora sunt quam sit esus carnium in sacrosancto die veneris. Vnde & de eis tenetur peccatorum expresse confiteri sub pœna æternæ damnationis.

Quartò quod persona confitens debet habere voluntarium propositum omnia peccata sua iuxta vires integraliter explicandi, & ad interrogata veritatem sine mendacio respondere, nec ad sui excusationem quicquid celare. Item celare etiam debet peccatum alterius, nisi fortassis aliter suum peccatum reuelare non possit, vel nisi personam talem ad suum commodum spirituale confessori detegeret absq; præiudicio cuiuscunq;. Quod si prælatus superior vel pœnitentiarius non singula peccata confitentis integraliter, sed solos casus reseruatos audire voluerit, reseruet peccator alia delicta minori sacerdoti potestatem super his habenti confitenda.

Quintò, quod nullus iniunctam pœnitentiam recipere debet nisi quam perficere voluerit, quam & celare tenetur vna cum aliis à confessore prolatis aut interrogatis, nisi forsan (quod absit) idem confessor confitentem verbis aliquibus ad malum inducere vellet.

Sextò quod si grande quid alicui restituendum sit & is ignoretur cui debet restitui, vel etiam si votorum commutatio aut relaxatio facienda sit consulatur prælatus superior vel alius horum potestatem habens, non tantum sacerdos inferior.

Septimò quod super peccatis in generali superius nominatis, si casus speciales occurrant vel numerus delictorum, tenetur hoc confitens explicare, tunc præsertim quando particularitas casus vel numerus specialem haberet annexam malitiã mortalem, vt cum quis decem francos abstulit pauperi vxorem & filios habenti, vel in loco sacro, grauius peccatum est quam furtum pręcisè in generali commisisse. Et pariformiter in aliis casibus particularitas exprimatur, prout confitens meminerit secundum beneplacitum confessoris, omissis circunstantiis aliis ad peccati grauitatem impertinentibus.

Octauò, quod si persona confitens in peccandi proposito perseuerat, vel de nouo peccatum iterare disposuit, aut quod ablatum alteri secundũ facultatem suam non vult dimittere vel restituere, aut quod à carnali peccato luxuriæ recusat abstinere, vel quam nocendi iniquum propositum retinet nullus hanc personam à peccatis confessis potest aut debet absoluere, quamquam tali personæ salubriter consulatur vt bona quæ poterit interim perficiat, quatenus eam Deus in viam rectam dignetur illustrare. A

Nonò notetur quod peccatum quodlibet tanto peius ac deterius est, quanto pluribus intulit nocumẽtum. Propterea si quis fuerit alterius ruinæ causa & occasio vt innocentes, præsertim iuuenes aut puellas suo consilio, hortatu vel alio quouis modo sollicitando ad peccatum, agat huius rei districtam pœnitentiam, & procuret deceptorum à se correctionem aut emẽdationem totis viribus procurando & per se & per alios eos ad viam veritatis & sanam doctrinam reducendo. B In hoc enim consistit portio principalis suæ satisfactionis & pœnitentiæ.

Decimò quod si quis post conscientiæ suę examinationem, diligentem ipse peccatorum quorundam etiam mortalium à se commissorum non reminiscatur, tunc per solam generalem confessionem de ipsis absq; alia speciali saluabitur, si tamen ea prius oblita postmodum ad memoriam redierint, ea specialiter certis tempore & loco confiteri tenetur. Qua in re periculosum est commissorum à se delictorum mortalium per negligentiam atque desidiam immemorem fieri. C

Absolutio.

FOrma absolutionis sufficiens & requisita pro peccato de quibus confessor intendit & potest absoluere confitentem. Ego absoluo te à peccatis tuis in nomine patris & filij & spiritus sancti. Amen. Et si confessio fiat de excommunicatione tantummodo dicatur sic. Ego absoluo te ab D excommunicatione tua in nomine patris & filij & spiritus sancti. Amen. Et si cum hoc fiat absolutio de peccato propter quod lata est excommunicatio, vel de aliis, addatur forma prior. Additiones quædam aliæ conditionales aut inuolutæ tutius dimittuntur.

TERTIA PARS HVIVS OPVSCVLI, DE SCIENTIA MORTIS.

E



SI veraces fidelesque amici cuiuspiam ægroti curam diligentius agant pro ipsius vita corporali, fragili & defectibili conseruanda, exigũt à nobis multo fortius Deus & charitas pro salute sua spirituali sollicitudinem gerere specialem. In hac enim extrema mortis necessitate fidelis probatur amicus. Quippe nullum est opus misericordiæ maius siue commodiosius F quod & tãti apud Deum meriti & amplioris frequenter æstimatur, quemadmodum personæ nostri saluatoris Iesu Christi si in terris nobiscum degeret, impensum seruitiũ corporale. quamobrem cura fuit præsenti scripto componere breuem quendam exhortationis modum habendum circa eos qui sunt in mortis articulo constituti, valentem etiam generaliter omnibus catholicis ad artem & notitiam bene moriendi cõquirendam. Continet autem hoc opusculum breue quatuor particulas sc. exhortationes, interrogationes, orationes & obseruationes.

Prima

Prima pars continet quatuor exhortationes. Prima est.

AMice dilecte aut dilecta, considera nos omnes subiectos esse potenti manui Dei & ipsius voluntati, omnes nos cuiuscumq; conditionis aut status, Reges, Principes, diuites & pauperes, mortis tributum soluere necesse est, venimus in mundum peregrinorum more, vt ex eo transeamus, non vt mansionem in eo stabiliamus, quin potius vt hic bene & meritoriè viuentes & Deo seruientes, horribiles inferni pœnas euitemus, & gloriam æternam habeamus. Recognosce diligenter cum gratiarum actione à Deo tibi concessa beneficia quod tibi etiam in hac extrema hora sui cognitionem dederit, nec te morte subdita præoccupauerit, gratias pro his & aliis innumeris donis tunc eidem refer, ad suam infinitam misericordiam confugiens, & de commissis à te criminibus veniam humiliter poscens. Sollicitè cogita te in vita tua plurima delicta perpetrasse, quibus pœnam ferre meruisti, vnde & huius infirmitatis & mortis pœnas patienter tolerare debes, rogans Deum vt præsentis doloris acerbitas remissionem operetur peccatorum, & purgatorij horribilis cruciatus in hanc afflictionem tuam per suam misericordiam commutetur. Tolerabilius est namque hic præsentialiter quam in futuro puniri. Quod si sic corde contrito patiens pœnam necessariã tanquam voluntariam feres, & omnem pœnam & culpam remittet Deus, certusque paradisum introibis. Alioquin per impatientiam, ęternam pœnam & damnationem incurres. Super omnia in hac extrema hora constitutus, meditare circa tuam spiritualem salutem, nunquam enim fortassis in futurum huius meditationis occurreret oportunitas, omnem aliam sollicitudinem & rerum terrenarum curam relinque quas relinqui necesse est, quæ etiam nec ab inferni præcipitio corruentem eripere valent. Plena fide te Deo committe, & ei qui omnipotens bonus & sapiens est, te & tua, & tuorum regenda præbe. Omnem præterea cogitatum tuum in eum dirige, astantes solummodo & superstites rogans vt pro salute tua Deum precibus exorent.

Secunda particula sex habet interrogationes.

DIlecte aut dilecta. Vis tu mori & viuere in soliditate fidei Christianæ respectu Dei & Domini nostri Iesu Christi tanquam verus fidelis & obediens sanctæ matris ecclesiæ filius? Respondeat, Volo. Petis à Deo veniam peccatorum tuorum commissorum & omissorum quæ contra eiusdem amorem, maiestatem atque bonitatem fecisti, nec eum prout debebas honorasti? Respondeat, Peto. Habes ne syncerum propositum & explicitam voluntatem vitam tuam in melius cõmutare atq; corrigere si vita comes superfuerit: Rogas etiam Deum vt tibi gratiam pręstet hoc propositum continuandi veramq, contritionem habendi? Es tu cõscius tibiipsi alicuius peccati mortalis vel criminis de quo non sis confessus? Optas ne etiam cor tuum illuminari ad oblitorum criminum (si quæ sint) habendam notitiam, & si tu libenter confitereris ea. Vis ablata per te restitui integraliter quantum ad id teneris

A iuxta tuarum facultatum valorem, etiam vsque ad omnium bonorum tuorum cessionem & renunciationem, vbi aliàs satisfactio fieri non valeret, & coram Deo & hominibus veniam iniuriæ petis. Indulges ex corde omnibus qui tibi nocumẽtum intulerunt, ob reuerentiam & amorem Domini nostri Iesu Christi, à quo veniam speras? Petis similiter indulgeri tibi & remitti ab hisquos verbis aut factis læsisti? Ad has omnes præmissas interrogationes affirmatiuè respondeat, volo.

Tertia particula breues ministrat orationes.

B PRimò dicat infirmus ex corde Deum orans: Deus meus piissime pater, miserere mei. Deus meus piissime pater, In manus tuas commendo spiritum meum. Pater misericordiarum misericordiam fac huic pauperculæ creaturæ tuæ. Adiuua me nunc etiam in hac vltima necessitate. Succurre Domine iam animæ egenti & desolatę; vt non à malignis spiritibus captiuetur & à canibus infernalibus deuoretur. Dulcissime Iesu ob
C honorem & virtutem tuæ benedictissimæ passionis iube me recipi intra numerum electorum tuorum. Saluator meus & redemptor meus, reddo me totum tibi, non me renuas, ad te venio, non me repellas. Domine paradisum tuum postulo, non ob valorem meorum meritorum, sed in virtute & efficacia tuæ benedictissimæ passionis, per quam me miserum redimere voluisti, & mihi paradisum precio tui sanguinis emere dignatus es, ipsum mihi conferre festina, propter quem nec
D tuæ diuitiæ aut potentia minuetur, nec ipse paradisus angustior aut minor inuenietur. Salutet postmodum beatissimam virginem Mariam, dicens. Regina cœlorum, mater misericordiæ, cõfugium peccatorum, reconcilia me vnigenito filio tuo, eius clementiam pro me indigno peccatore interpella, vt ob amorem tui mea remittat crimina, perducens in gloriam suam. Angelos de hinc precibus inuitet, inquiens: Spiritus cœlorum, angeli beatissimi, assistite quæso mihi migranti ex hoc seculo, & potenter eripite me ab
E omnibus aduersariorum insidiis, & animã meam in vestrum consortium assumite. Tu pręcipuè angele bone custos meus.

Post hæc inquiratur ab infirmo cui sanctorum vel sanctarum magis deuotus extiterit, vt illi precem offerat, dicendo: O gloriosissime sancte, vel sancta, singularem in te dum viuerem spem & confidentiam reposui, succurre nunc mihi in hoc extremo necessitatis articulo laboranti, nunc anxior supra modum, tempus nunc instat & hora,
F iam in adiutorium meum intende.

Quarta pars quasdam obseruationes edocet, vt sciatur qualis prædictorum vsus habendus sit.

SI patiens nondum Eucharistiam aut extremam vnctionem susceperit, interrogetur an eadem sacramenta deuotè paratus est recipere. Si etiam super interrogationibus præmissis verisimiliter appareant responsiones parentis non vsquequaque sufficientes existere, remedium apponatur quantum id quod commodius fieri poterit, vel per ministrationem sacramentorum cõfessionis, eucharistiæ aut extremæ vnctionis, vel

eidem manifestando periculũ quod incurrit, non plenè satisfaciendo petitionibus super fide sua & salute conscientiæ prælatis. Moneatur vt decedat tanquam verus & fidelis Christianus. Attendatur si infirmus ipse excommunicationis vinculo astrictus teneatur, & propterea submittat se totis viribus ordinationi sãctæ matris ecclesiæ vt absoluatur. Si moriturus prolixum temporis spatium ad suã recollectionem habeat, nec morte festina præueniatur, legendæ forét corã eo ab astantibus historiæ & orationes deuotæ, in quibus sanus & viuens amplius delectabatur, vel recẽsanda essent diuina præcepta, vt profundius meditetur si quid aduersus ea negligenter oblitum deliquerit, vel similis coram eo instructio recitetur. Si patiens vsum loquendi perdiderit, habet tamen sanam & integram notitiam ad interrogationes sibi factas vel orationes coram eo recitatas, signo aliquo exteriori vel solo cordis consensu respondeat, hoc enim sufficit ad salutem. Præsentetur infirmo imago crucifixi, vel alterius sancti, quem sanus & incolumis specialiter venerabatur. Si non omnia præmissa dici breuitas sinat, præponendæ sunt orationes, illã præsertim quæ saluatori nostro Iesu Christo dirigitur. Nullatenus aut minimè si fieri possit, morienti amici carnales, vxor, liberi, vel diuitiæ ad memoriam reducuntur, nisi in quantum id exigit patientis spiritualis sanitas, & dum aliàs conuenienter omitti nequit. Non detur infirmo nimia spes corporalis salutis consequendæ, ingeratur potius eidem prima monitio superius explicata. Sæpe namque per vnam talem inanem & falsam consolationem, & incertam sanitatis corporeæ confidentiam certam, incurrit homo damnationem. Quinimmo hortandus est per contritionem & confessionem animæ sanitatem procuret, quod & ad salutem corporis (si ibi fuerit expediens) valere poterit, & inde securior atque quietior erit. Quia verò frequenter corporalis infirmitas ex animæ languore ortum habet, papa per expressam decretalem cui libet medico corporis districtè præcipit, ne cuiquam ægro corpoream conferat medicinam priusquam de spiritualis medici, confessoris scilicet requisitione eundem monuerit. Hinc expediens videretur, vt in quibuslibet pauperum hospitalibus vel domibus Dei statuto firmaretur, ne quis ibidem æger suscipi posset, qui non primo ingressus die confessionem faceret, vel idoneo sacerdoti ad hoc ipsum deputato, paratus confiteri se continuò præsentaret, sicut in domo Dei Parisiis laudabiliter obseruatur. Opusculi tripertiti finis.

TRACTATVM SEQVENTEM DE DIFFERENTIA PECCATORVM VE- *nialium & mortalium edidit idem Christianißimus doctor Dominus Ioannes de Gerson pro quorundam personarum laicarum simplicium eruditione, in idiomate proprio scilicet lingua gallica. Sed pro aliorum eruditione alius quidam ipsum transtulit à Gallico in Latinum.*

A RVBRICÆ CONSIDERATIONVM TRCTATVS SEQVENTIS.

PROLOGVS IN TRACTATVM SEQVENTEM.

QVi bene considerat bonitatem Dei erga nos, causam habet magnificè regratiandi & laudandi Deum. Cum enim de iustitiæ rigore deberemus seruire ei quotidie meliori modo quo possemus sine E cessatione, nihilominus nostræ compatiens fragilitati, contentare voluit certum dare nobis numerum mandatorum, & in certo tempore. Quæ si complemus, gratiam eius habeamus & sufficit ei, & acquirimus paradisum. Melius tamen facientes amplius & magnificentius remunerat. Necessitas est igitur scire mandata obligantia, & quæ non. Aliàs enim vt transgrediemur ea per ignorantiam, vel in custodiendo ea habemus magnam nimis de transgressione dubitationem, & dubita- F bimus vbi dubitandum non erat, per quod perderemus totam conscientiæ tranquillitatem, putando non peccatum esse peccatum, & ècontra de peccato quod non esset peccatum. Et quamuis nescirem in omnibus casibus dare regulam specialem quando vnus actus peccatum fuerit mortale & quando, non tamen dari possunt aliqua documenta in generali, per quæ iudicari melius potest de factis specialibus. Propter quod studui scribere vobis considerationes aliquas breues ad sciendum quando peccatur mortaliter & quãdo non in pluribus casibus. In omnibus enim casibus

sibus ad longum eas tradere graue esset aut impossibile. Immo hoc quod vobis scriba, plenè nõ intelligetis, sicut credo propter suam breuitatem, nisi habeatis qui vobis declaret. Volo ergo vt de his quæ non intelligetis diligenter inquiratis.

CONSIDERATIO PRIMA.

Declaratio generalis quid *est peccatum mortale aut veniale.*

INTER alia mandata Dei aliqua sunt quæ facere debemus sub pœna perdendi gratiam suam, incurrendique perpetuam mortem. Et sunt illa quæ debitam Deo conseruant subiectionem, & inter homines societatem, sicuti est amare Deum omni tempore & loco, & non odire eum, sicuti est non occidere proximum suum innocentem, & non auferre ei sua violenter. Alia præcepta vel constitutiones & ordinationes sunt quę nõ obligant nos nisi ad pœnam tẽporalem, quia transgredi ea non dissipat subiectionem Deo à nobis debitam, nec societatem quam tenemur habere ad homines. Cõtra prima facere præcepta, peccatum mortale est, & contra alias ordinationes peccatum est veniale. Quemadmodum videtis quod rex aliqua præcipit sub pœna mortis aut capitis, & aliqua sub pœna temporali, vtpote argenti, vel carceris ad tempus.

Consideratio secunda. Quomodo in omnibus peccatis est inuenire peccatum veniale tantùm.

ALiquando præteritur præceptum ex deliberatione & certa scientia & consensu expresso, aliquando non sic, sed per ignorantiam vel ex primo motu absq; pleno consensu. Et in hoc casu non est aliquod ita strictum mandatum, quin aliquando transgredi possit non peccando mortaliter, pro eo quod consensus est id quod principaliter facit peccatum. Hinc apparet quod nõ nominantur septem peccata mortalia sc. superbia, inuidia, ira, auaritia, acedia, luxuria, gula, ideo quod omnis superbia aut omnis ira & sic de aliis sit peccatum mortale, immo sæpe est veniale, sicut statim dicam.

Consideratio tertia. Quando vana gloria est peccatum veniale aut mortale.

VAna gloria de se non est nisi peccatũ veniale, quia opus aliquod si est vanum, non est propter hoc mortale. Sed vana gloria peccatum est mortale propter vnam duarum causarum. s. propter finem propter quẽ vana quæritur gloria, aut propter materiam opus in quo quęritur vana gloria. Quantum ad primam causam est sciendum quod quæri potest gloria pro altera quatuor causarum. Primò ad vitandum infamiam falsam, vt si diceretur quod ego sum latro, bene possum contrarium asserere, & velle quod sciatur quod ego sum alius, quamuis hoc fieri non possit sine laudatione mei. Et sic non est peccatum, solummodo non habeatur intentio corrupta siue admixta, sicut facillimè contingit. Immo quandoq; tenemur quærere seu velle ita laudari, & est prudentia & iustitia. Secundò laus seu gloria quæri potest pro aliquo spirituali profectu ad gloriam Dei &
A ad ędificationem proximi, sicut sanctus Paulus semetipsum laudauit. Et qui bene scit hoc tempore & loco conuenientibus facere sine alia intentione mala admixta, magnum est meritum, non autem peccatum. Tamen difficile est quod homines qui nõ sunt perfecti & in humilitate fundati, sciãt hoc bene facere specialiter in publico. Facilius fit hoc in secreto inter amicos in colloquio, qui se mutuo diligunt, deuotè ac purè, & bona sua facta reuelant inuicem, quandoque pro habendo consilio aut ad dandam consolationem. Tertiò quæ-
B ritur talis gloria propter auaritiam, vel quod habeatur maior licentia vel via malè faciendi & decipiendi, & sic est peccatum mortale, quia finis est peccatum mortale. Similiter est per omnia. Quartò vana gloria quæritur & laudatio pro fine aliquo qui non est nisi veniale peccatum, sicuti quando captatur aliqua leuis placentia in laude alicuius, & hoc est peccatum veniale, nisi aliud malum se admisceat. Hoc dico propter illum, qui pro tempore illo ordinare deberet laudem suam
C & regratiari Deo, vel ad alium profectum ad quem tenetur pro tunc, & ipse hoc omittit. Secunda causa propter quam vana gloria esset peccatum mortale, est propter opus vel materiam per quam vana quæritur doxa. Et fit hoc tribus modis. Quia vel opus est malum de se & peccatum mortale, & ibi non est dubium quin quærere gloriam pessimum est peccatum mortale, sicuti quærere gloriam de occidendo probum hominem, de igne imposito, de rapiendo fœminas bonas, exprobare alteri vel vindicando se iniustè de altero.
D Aut opus de se bonum est, vt est facere eleemosynas, ieiunare, orare. Et ibi attendere oportet quomodo vana quæritur gloria. Vel. s. pro fine principali, & hoc est peccatum mortale, quia secundum rectam rationem opus bonum nõ debet ordinari in peius opus sicut in finẽ principalem, quemadmodum peccatum mortale secundum doctores & si quis prædicet pro victu habendo principaliter, & tamen vnum & alterum est secũdum se bonum, sed ordinatio peruersa est & reuersa. Si au-
E tem gloria surrepit in dicto virtuoso opere non quasi principalis finis aut principalis causa ad faciendum idem opus, non est peccatum mortale. Nihilominus consilium bonum est auferẽdi eam & expellendi quantum potest, ad quod totum purius fiat, & ad vitandum periculum ponendi principalem intentionem in illa laudatione. Amplius etiam caueri debet istud tam in spiritualibus bonis quam temporalibus, pro tãto quod præciosiora sunt. Postremò opus bonum potest esse in-
F differens, hoc est dictum quod de se nec bonũ est nec malũ, vt est habere tunicam nouã, diuitias aut pulchritudinem. Et in his rebus habere gloriã de se, non est mortale peccatum. Et dico notanter de se, quia alia possunt esse pericula quæ caueri debent, vt scil. si mulier quædam scit quod per tunicas suas dat aliis occasionem peccandi, aut per suũ pulchrum sermonem, aut per nimis ostendendo suam pulchritudinem, aut per bene chorizare, ipsa tenetur dimittere. Quandoque ecclesia prohibet talia opera, sicut torneamenta aut choreas in certo tempore & loco. Non dico ego cauendã omnem occasionẽ per quã alius peccare posset, quia

fieri nõ poteſt, ſed nihil fieri debet ad hunc finem quod per ſtultam placentiam aut fatuum deſiderium, aut aliter alius peccet. Et ſi ſcitur pro certo quod datur cauſa alteri ita peccandi, caueri debet ſecundum poſſe. Mulier enim non tenetur neq; debet deformare & deſigurare ſe aut veſtire de ſacco, aut nunquam ire plus ad eccleſiam, quamquam ſciat quod aliqui ſtulti ſtultè eam concupiſcunt, tamen ſicut dictum eſt, diſplicere ei debet.

Per hæc quæ dicta ſunt, poteſt ſciri quando hypocriſis aut iactantia ſunt peccata mortalia aut non.

Quantum eſt de inobedientia aut de iudicando alium ſpeciales faciam conſiderationes, & de cõtemptu & dedignatione & ſuperbia quæ habetur erga Deum, ſicut Lucifer & Phariſæus.

Conſideratio quarta. Quando ſuperbia eſt mortale peccatum aut veniale.

SVperbia erga Deum haberi poteſt per hoc quod putatur haberi gratia quam quis non habet, aut per hoc quod quis putat eam aut vult habere de ſeipſo ſcilicet ſuam ſapientiam, aut fortitudinem, aut pulchritudinem, aut per hoc quod putat eam bene meruiſſe erga Deum, quaſi Deus ita teneatur facere, & quod aliter faciendo iniuſtè faceret. Aut per hoc quod quis putat & vult habere gratiam à Deo quaſi pro ſe ſolo, & de hoc ipſe ſuperbit, ſicut peccauit phariſæus qui reddebat gratias Deo de bonis ſuis quod bene factũ eſt, ſed in hoc ipſe deficiebat quod gaudebat quod alij non habebãt illa, vt publicanus. Et hoc ſignum erat quod putabat clarè quod bona ſua eſſent de ſe, non autem de Deo ſolummodo. Aliàs enim nõ ſe plus glorificaſſet, quam ſi bona illa fuiſſent in alio. In tribus vltimis caſibus ſuperbia ſemper eſt peccatum mortale, ſi adſit deliberatio & plenus conſenſus, quemadmodum ſemper intelligo quando de peccato mortali loquor, & ante & poſt. In primo caſu eſt præſumptio quæ poteſt eſſe peccatum veniale ſolum. Solum dico quando ipſa contingit per ignorantiam, aut ipſum putare non eſt certum neq; affirmatum. Exempli gratia. Aliquis poteſt cogitare quod confeſſus ſit aut bene pœnituerit, quia ſcil. ad hoc ſatis bonas habet apparentias, quamquam forte non ſit ita. Eſt itaq; ſecurius non ſe ſimpliciter aſſecurare in talibus, quin ſemper habeatur rationabilis timor diuinorum iudiciorum & humanæ fragilitatis. Et in hoc peccauit ſanctus Petrus, qui tenebat quod moreretur pro Chriſto Ieſu, & plures alij conformiter qui putant quod contra tentationes mirabilia facerent. Eſt etiam benè conſiderandum & aduertendum in hoc peccato & in aliis quod ſcilic. aliquãdo rectè iudicatur & dicitur quod omnia habeantur à Deo, & ſine ipſo nihil valeret, & tamẽ totum fit in contrarium, pro eo quod voluntas non eſt iudicio rationis conformis. Et dici poteſt talibus quod ipſi ſeipſos proprio ore condemnãt. Si enim dicis quod totum habes à Deo, cur gloriaris tu & deſpicis alium acſi de teipſo haberes? Hoc apertè videmus in luxuria, quia homo iudicat & bene ſcit quod talis res eſt peccatum, & tamen facit. Notandum eſt itaque quod ratio & voluntas ſemper ſint concordes in bono, & totum proſperabitur.

A

Conſideratio quinta. Quando iudicare alium eſt peccatum, & quale.

IVdicare alium venit de ſuperbia. Poteſt autem hoc iudicium fieri de operibus alterius vel de ipſamet perſona. Et hoc fit duobus modis. Vno modo per certitudinem, altero per præſumptionem leuem ſolummodo & ſuſpitionem. Iudicare alium firmiter eſſe malum erga Deum & iuſtè
B damnandum, peccatum eſt mortale contra bonitatem ſpiritus ſancti, quia in vno momento ſpiritus ſanctus poteſt hominem facere bonum, ſicut Paulo fecit, Mariæ Magdalenę, & multis aliis. Et poteſt homo eadem hora pœnitere. Eſtque ſtultum & iniuſtum iudicare de hoc quod neſcitur, quod citius iudicari debet ad bonum quam ad malum. Iudicari de operibus poteſt eſſe quando opera de ſeipſis ſunt talia quod quocunq; modo ipſa non poſſunt bene fieri, nec per bonam inten-
C tionem, nec alio modo. Et ibi poteſt bene pro certo iudicari quod ſunt mala, & quod alter malè fecit. Si opera ſunt indifferentia, vel talia quod poſſunt bene & poſſunt malè fieri, iudicare pro certo quod mala ſint, niſi aliter appareat, eſt peccatum mortale, quia tam citò, immo citius iudicari debet bonum quod malum quando fieri poterat bene. In hoc tamen caſu & in aliis haberi poſſunt ſine mortali peccato aliquæ ſuſpitiones & iudicia leuia, quamquam bonum ſit eas caue-
D re. Et caueri debet bene ne in tali caſu quis malum loquatur, aut diffamet alium per tales leues præſumptiones, & ſpecialiter in affirmando eas plus iuſto aut contra bonum alterius. Sicuti ad faciendum mori hominem conuenit certiſſimum habere iudicium, & ſimiliter in exulando ſiue relegando extra patriam hominem, vel in auferendo ſibi bonam ſuam famam notabiliter. In paruo tamen damno non eſt tale periculum. Secundum ea quæ hic & prius antea dicta ſunt, ſciri poteſt quando habere dedignationem de proximo,
E eſt peccatum mortale aut non, & etiam per ea quæ dicentur de inuidia & ira. Et ſciendum quod iudicare ſuos ſuperiores multo peius eſt quam de aliis.

Conſideratio ſexta. Quando contemptus ſuperiorum eſt peccatum, & quale.

COntemptus ſeu deſpectus ſuperiorum, & per hoc non obedire eſt ſpeciale peccatum ſuperbiæ. Et eſt ſemper mortale, quando ex certa
F ſcientia fit tranſgreſſio mandatorum ſuorum ſuperiorum principaliter & ſolũmodo pro eo quod ipſi hoc præceperunt, quia ibi propriè eſt cõtemptus, aut quando non reputantur, nec fit vis de præceptis eorum, acſi ipſi hoc non præcepiſſent, & per hoc nõ obeditur. Quando tamẽ tranſgreſſio fit mandatorum à ſuperioribus datorum pro aliqua fragilitate aut pro alia cauſa, non eſt hoc nominandum peccatum per cõtemptum. Et hoc eſt valde conſiderandũ ſpecialiter inter religioſos, & generaliter erga omnia præcepta facta per homines, nõ per Deũ ſine medio. Sępe enim tranſgredi ordinationes

ordinationes eorum & regulas non est peccatum mortale. Et dicere aliter esset nimis durum. Sed tamen quando contemptus accedit qualis dictus est, non erit excusatio mortalis peccati. Hoc in loco scire debetis, quod non tenemur obedire superioribus nostris, nisi in casibus in quibus ipsi sunt nobis superiores, & in quibus Dei ordinatione aut nostra voluntate nos ei submisimus. Quia si Episcopus meus praeciperet ingredi religionem, ego nisi vellem non facerem, nisi publicum fecissem peccatum, per quod hoc meruissem. Similiter dico de Abbatibus, de dominis temporalibus, de patre & matre.

Consideratio 7. Quando inuidia est peccatum, & quale.

INuidia de se est peccatum mortale, quia contraria est charitati, quia de bono dolet alieno, & gaudet de malo. Tamen considerandum est quod inuidia aliquando surgit ex motione naturali, quemadmodum aliqui ex natura sua corrupta sunt inuidi, sicut videmus inter canes. Et similiter de alijs vitijs. Et talis modus inuidiae non est peccatum, quia non est in nostra potestate. Et similiter dico de omnibus motibus quos à natura habemus. Et hoc intelligendum est quando consensus non iungitur. Secundò inuidia subrepit per deliberationem quandam, non tamen perfectam, nec plenam seu completam. Et haec appellatur primus motus, quando non aufertur quam citò quis facere posset, quamque auferatur antequã habeatur plenus consensus, & incipit displicere, & haec non est nisi veniale peccatum. Et similiter est in omni peccato generaliter.

Tertiò dolor de bono alterius potest contingere sine inuidia, videlicet quando dolor huiusmodi ideo est quia tale bonum euenit ad damnũ alterius bonae personae, aut populi qui non demeruit, vt si malus homo habeat potestatem grandem per quam mala faciat, potest haberi tristitia pro eo quod talem habet potestatem. Quartò dolor ille de bono alterius accedit ex voluntate deliberata & certa scientia sine causa bona, & haec est semper peccatum mortale.

Per hoc bene possumus scire quando detractio est mortale peccatum aut non. Detractionem dico de altero malè dicere per odium vel inuidiam. Quia malè dicere de alio pro fine bono ad cauendum ne faciat malum, aut pro eius correctione, aut causa officij facere vel dare testimoniũ veritati, non est peccatum, si alia mala voluntas non admisceatur. Et si hoc fit solum pro facilitate loquendi, sicut saepè contingit, & malũ quod dicitur, non cedit ad magnum damnum alterius vel famae ipsius, peccatum est veniale. Sed tamen damnum posset esse tale quod facilitas loquendi non excusaret, quia cauenda est leuitas dicendi quando ad damnum grande alterius cedit. Conformiter videre possumus quando deridere alterum aut maledicere est peccatum mortale, aut nõ secundum malum quod inde venit & intentionem facientis, & iram quam alter inde suscipit, aut potest recipere verisimiliter aut rationabiliter.

Consideratio octaua. Quando ira est peccatum, & quale.

A IRA de se est mortale peccatum, quia ira est desiderium vindictae & malè volẽdi alteri, quod est charitati contrarium. Tunc sicut in praehabitis, ita & hic debet considerari quod quandoq; ira accidit per bonam causam & ad bonum finẽ, quod fit quando quis irascitur propter vitia, non autem contra personam. Et sic etiam irasci debemus contra propria vitia & contra aliena quilibet iuxta se & secundũ statum suum, sicuti iudices

B qui debent punire malos de suis malefactis. Et quilibet tempore & loco debet se opponere aduersus mala, quae videt fieri siue per preces siue per bonas exhortationes aut per similes modos. Ira aliquando non est nisi parua aut nulla affectio amoris erga alium, vti quando non desideratur ei nec bonum nec malum, & est hic defectus aut diminutio charitatis. Nec est peccatum mortale, nisi quando proximus videtur in extrema necessitate, quia tunc adiuuandus est sub poena mortalis peccati si fieri potest.

C Quandoque ira non accidit nisi ex complexione naturali, sicut homines antiqui & melancholici sunt de sua natura iracundi, & ira talis non est peccatum. Ira quandoque venit per subitum motum & imperfectam deliberationem, & non est nisi veniale peccatum. Sed si venit per consensionem perfectam, peccatum erit mortale. Nihilominus ira non dicitur quãdoque desiderium vindictae, sed est quaedam impatientia de facto alterius, absque hoc quod desideretur ei malum, hoc

D non est propriè ira, nec est mortale peccatum, si impatientia non sit talis quod ex toto impediat rationem & operationem aliorũ bonorum. Vlterius considerandum est quod bene potest desiderari quod malefactum alterius puniatur per iustitiam & per iudices ad hoc ordinatos, & ad finem quod quis gaudeat iure suo, & hoc non est peccatum tantum si se non admisceat mala voluntas, hoc est quod non plus desideretur damnum alterius quam recuperare iura sua. Et secundum hoc

E quod dictum est, iudicari potest quando minari vel vilipendere alterum per iram est peccatum mortale aut non, secundum scilicet quod per talia facta recipitur vindicta & nocetur proximo. Etiã quomodò maledicere alteri per deliberationem imprecando & optando ei malum grãde est peccatum. Et quomodo etiam blasphemare despicere ac denegare Deum & sanctos & sanctas eius causa irae suae est blasphemia & villanum mortale peccatum, si persona tunc scit aut scire debet hoc

F quod dicit & facit. De iuramentis dicetur in sequentibus.

Consideratio nona. Quando acedia est peccatum, & quale.

ACedia ex se non est mortale peccatum, quia non dicit nisi taedium boni spiritualis, sic quod non est nisi diminutio feruoris charitatis. Si taedium hoc est de bono spirituali laborioso, tunc est naturale. Natura enim refugit laborem, & hoc nõ est peccatũ, quia motus iste non est in nostra potestate. Et si consentitur tali motui, adhuc non est nisi veniale peccatũ. Pro generali quippe

regula tene, quod consensus ad id quod solũmodo est veniale peccatum, non est nisi veniale peccatum. Sed si tædium est tale quod per ipsum omittitur fieri hoc ad quod quis tenetur per præceptum, clarum est quod ibi est mortale peccatum.

Aut si tædium est tale, quod displiceat etiam viuere, ac per hoc cadat quis in desperationẽ, sicut faciunt hi qui seipsos occidunt, peccatũ est mortale. Penes hoc considerari potest quando accedia dicendi horas & audiendi missam, peccatum est mortale aut non. Quia si quis tenetur dicere aliquid per præceptum aut per votum & per accediam omittitur, peccatum est mortale. Si tamen pars dimittitur vel omittitur parua, vel si fiant aliqui leues defectus per hoc quod non bene attenditur, non oportet dicere quod semper sit mortale peccatum. Et quamuis bonum si attendere, tamen si quis pro certo proposito non impedit se ab attendendo, faciendo aliquid quod totaliter auferat intentionem, siue hoc fiat per cogitationem, siue per opus nõ oportet reincipere, nec est mortale peccatũ, quamuis de alio cogitetur. Sed si per certam deliberationẽ in dicendo horas quis percipit se impediri ab attentione, & ita vult remanere, ita se impediri, cogitur reincipere, quia sic soluendo non quitatur quis, quippe quia tollitur bonum propositum quod in principio habebatur ad seruiendum Deo. Estque sciendũ quod quælibet persona Christiana de rationabili ætate debet audire missam Dominicis diebus & festis præceptis, nisi habeat excusationem rationabilẽ, secundum ordinationem & consuetudinem patriæ vbi ipsa est, & quam prælati volunt & ordinant, & sufferunt vel permittunt.

Consideratio decima. Quando auaritia est peccatum, & quale.

AVaritia est inordinatus appetitus habendi aliquid. Et fit hoc quandoque in retinẽdo, quandoque in acquirendo, quandoque in desiderando. Aliquid desideratur quinque modis. Primò bonum alterius, & taliter quod auferretur si fieri posset, & ibi est peccatum mortale, quia est furtum cogitationis. Secũdò desideratur aliquod illicitum per certam scientiã & deliberationẽ cõpletã, vti scilicet aliquis non dignus desiderat præposituram, aut esse iudex, de quo sentit aut sentire debet quod ad hoc est indignus, & ibi est mortale peccatum. Tertiò potest appeti bonum alterius vel res non licita per voluntatem non absolutam, sed sub conditione expressa vel intellecta, vt dicendo, vellem hoc vel hoc si possem habere absque offensione Dei aut sine damnò alterius, vel si essem dignus. Et hic non est peccatum, vel est veniale peccatum. Nec oportet quod semper cogitetur conditio, sufficit quod subintelligatur. Est etiã intelligendum quod per tales optationes aut desideria non omittatur fieri hoc quod quis facere tenetur de bonis alibi, & ne generentur in corde mali motus qui postea auferri non possint, sicut contingit in isto peccato auaritiæ, & plus in peccato luxuriæ, quia in tali casu potest esse mortale peccatum. Quartò desiderantur res non necessariæ & superfluitates per desiderium nimis ardens, & tale quod mẽs impeditur totaliter ad cogitandum de propria salute, & ibi est cupido vel A sollicitudo pessima, quæ est in Euangelio prohibita, & est peccatum mortale. Quintò desideratur per amorem nimis magnum, nec tamen talem quod quis vellet offendere vel omittere ad cogitandum de propria salute, & ibi est peccatũ veniale. Et potest amor sic esse temperatus quod non erit peccatum, immò meritum secundũ bonum finem intentum. Auaritia in acquirendo est multis modis. Acquiritur enim aliquando per iniustitias & fraudes & vias illicitas, & ibi est peccatum mortale, quando ars qua acquiritur est peccatũ mor-
B tale, sicut in periurando aut transgrediendo mandata Dei, sicuti est de stultis mulierculis, vti est de vsurarijs & falsis mercatoribus, qui mentiuntur & iurant suas merces alias esse quam sint, vti in ludis prohibitis, quemadmodum etiam quando omittitur fieri debitum diebus dominicis de audiendo missam pro mercando, nisi aliud excuset vti esse potest aliquibus casibus. Acquiritur aliquando per media qui non sunt nisi venialia peccata, vt per verba otiosa & iocosa & mendacia ad
C risum dominos prouocantia, & potest esse ibi sæpius veniale duntaxat peccatum. Et si aliqui facerent sicut fistulatores aut ioculatores aut sicut qui similia exercent ad lucrandum vitæ necessaria, quia aliam artem non sciunt, non auderem dicere quod essent extra statum salutis. Quia Domini ad auferendum eorum melancholias quæ eis superueniunt occasione magni oneris quod portant, capiunt inde solationem & deductionem in talibus rebus, & aliquando etiam populus. Hic
D posset audacter sermo fieri de mercantijs, quando peccatur in eis & quando non, & de modis committendi vsuras, sed causa breuitatis transeo illa faciliter ad præsens.

Auaritia est in retinendo, quia si retinetur alienum scienter & contra placitum eius cuius res illa est, taliter quod si ipse sciret, non sibi placeret, & non habetur voluntas restituendi tempore & loco. Sed si res talis est & istiusmodi hominis quod certam habeat confidentiam quod ille cuius res est, non haberet displicentiam quod ego habe-
E rem & me cum illa iuuarem, vel quod ad præsens non habeo commoditatẽ restituendi sine aggrauatione magna, & alter de hoc non damnificatur granditer, & habeo voluntatem restituendi tempore & loco, ibi non est in retinendo peccatum mortale. Secundò retineri potest id quod necessarium est pro se & pro suis, secundũ quod requiritur ad statum & dignitatẽ, & alia quæ iustè exercentur & habentur, & hic non est peccatũ. Tertiò retinentur superflua & quæ nihil proficiunt ad
F necessitatem & ad statum hominis, & ibi sæpè est peccatũ mortale, & specialiter quando hoc fit per ardens desideriũ habendi vel acquirendi quod satiari nõ potest. Et huius signũ est quod plus eligitur quod res putrescat & vastetur, quã ꝙ tradatur ad vsum & fructum. Sed tamẽ amor retinendi talia non necessaria potest esse ita paruus quod non erit nisi peccatum veniale. Et specialiter si tunc non occurrat vel compareat pauper qui sit in periculo mortis nisi ei succurratur, quia tunc tenetur aliquis iuuare proximum, tam de superfluis quam de his quæ sunt necessaria ad statum, nõ autem de his quæ sunt necessaria simpliciter ad vi-

victum, quia melius debeo me amare & vitam meam quam alterius. Et ibi data est generalis regula quando dari debet eleemosyna sub pœna peccati mortalis, tunc scilicet quando videtur alius in periculo mortis, nec videtur quomodo ei succurratur per alium. Tunc enim tenetur quis occurrere sub pœna peccati mortalis si facere potest sine periculo tali in quo alter est, quod nominatur extremæ necessitatis.

A

Consideratio vndecima. Quando gula est peccatum, & quale.

GVla est desiderium aut appetitus de ordinatus in manducando, & est de se veniale. Et potest euenire quinque modis. Aliquando appetitus est solum ex natura, quando naturaliter desideratur manducare & bibere, quando fames aut sitis habetur, & in hoc non est peccatum, nec in delectatione quæ naturaliter est in manducando, quia in hoc non est in nostra potestate. Secundò vltra desiderium hoc iungitur quandoque desiderium voluntarium & placentia in delectatione, & ibi est peccatum veniale. Tertiò quando fit transgressio alicuius mandatorum Dei vel Ecclesiæ, sicut ieiuniorum statutorum, per gulam sine causa rationabili. Quando tamen persona granditer se grauaret in ieiunando, scilicet vel propter eius senectutem vel infirmitatem aut nimiam iuuentutem, aut propter laborem qui est ei vtilis & necessarius, vel quia non habet vnde pascatur vna vice aut quia habet infantem quem lactat & nutrit. In casibus istis & similibus, non tenetur persona ieiunare, immò peccaret aliquando si ieiunaret, quia aliquando grauaret naturam suam & complexionem nimis. Quartò quando tale placitum habetur in manducando, quod præponitur diuino amori, hoc est dictum, quod potius fieret transgressio mandatorum Dei, quam quod abstineretur à manducando, & ibi est peccatum mortale, sicut si aliquis propter suũ gulosum manducare vult rapere alienum, aut non vult ire ad Ecclesiam quando ad hoc tenetur, aut quando scienter omittit facere aliquod mandatorum Dei propter nimiam suam repletionem aut inebriationem. Et hinc scitur quando ebrietas est peccatum, & quando non, quia si quis cadit in ebrietatem fortuitu per potationem maiorem quam sit rationabile) vel fortius vinum quam putauit, peccatum est veniale. Si autem persona bene percipit & videt & scit malum quod accidit ex inebriatione, & nihilominus per gulositatem inebriat se scienter, ipse peccat mortaliter. Et similiter facit ille qui alium per malitiam inebriat, aut pro inebriati malo scilicet vel ad decipiendum vel ad infamandum. Estque considerandum quod si persona tenetur per votum aut per generale præceptum ecclesiæ, aut per pœnitentiam ieiunare, & accidit sibi vnum aliquod de supra memoratis impedimentis per quæ grauaretur, bonum est quod petat consilium de non ieiunando à suo prælato, vel ad minus à suo curato aut confessore, si competenter fieri potest & requiri ad habendam maiorem securitatem.

Consideratio 12. Quando luxuria est peccatum, & quale.

LVxuria de se est contra mandatum Dei. Et fit multis modis. Quia aliquando non est nisi in primo motu cogitationis, & ibi est peccatum veniale, quia consensus non est perfectus. Secundò potest haberi consensus ad delectationem quę in opere luxuriæ, quod esset peccatum mortale, & ibi est peccatum mortale. Et similiter accidit in alijs peccatis, vti aliquis posset tantum delectari in cogitando quomodo inimicus haberet magnum dolorem aut infortunium, quod peccaret mortaliter, posito quod hoc maleficium non vellet facere suo inimico. Similiter persona potest cogitare de delectatione quam habent illi qui peccãt per luxuriam, & in hoc habere beneplacitum per deliberationem perfectam, quod peccabit mortaliter, posito quod nolit tale opus facere. Aliud esset si quis acciperet delectationem in his quæ de se non sunt nisi veniale peccatum, quia consensus in peccatum veniale non est nisi veniale peccatũ.

B

Tertiò potest haberi consensus ad opus carnale extra matrimonium, & ibi semper est peccatũ mortale. Quartò aliquando non solum tenetur mala voluntas in corde, immò etiam nutritur ipsa à foris in videndo & loquendo vel tangendo se vel aliam personam, & ibi semper est mortale peccatum, sicuti voluntas ex qua sequitur opus, est peccatum mortale.

C

Ecce videtis quot peccata mortalia fiunt sæpe quando tenetur mala voluntas, & specialiter in choreis & in alijs iocunditatibus sæculi. Aliter dicendum foret, si non habeatur mala voluntas ab intus, quia videre pulchritudinem mulieris fieri potest sine peccato, vel quod non erit nisi peccatum curiositatis. Debet etiam cauere persona, fœminam dico, quod non det causam peccandi alteri per visum aut transitum suum, aut sermonem, aut tactum, quia ibi esset peccatum, posito quod nõ vellet peccare carnaliter, quia etiam caueri debent pericula quæ eueniunt per malos motus qui inde exurgunt. Quintò cogitari potest de peccato carnis ad confitendum vel ad cauẽdum, vel solum per conditionem dicendo si non esset contra mandatum Dei, talis res fieret, aut talis, & ibi sæpè non est peccatum, vel non est nisi veniale. Sed tamen quod caueatur malus consensus contra mandatum Dei, & quod talis cogitatio non inflammet se nimis. De hoc peccato scripsi diffusius alibi in vno tractatulo nominato speculum animæ.

D

E

Consideratio decima-tertia. De mendacio, & quale peccatum est.

MEntiri ad damnum magnum alterius, est peccatum mortale. Mentiri per iocum aut ad vtilitatem suam vel alterius, sine damno alterius, est peccatum veniale. Et sciendum, quod bene potest celari aliqua veritas sine mendacio & sine peccato. Sed tamen omne mendacium est malum & peccatum, quia fit abusus loquelæ, quæ ordinata est ad hoc manifestandum quod est in corde, & principaliter propter hoc, quia si daretur licentia mentiendi sine peccato, destrueretur tota fiducia societatis quæ est inter homines, quia nesciretur quando veritas diceretur, & quando non ex quo mentiri posset licitè in aliquo casu. Quantum ad opera, bene potest

F

fieri aliquid ad aliam intentionem quam ad eam quam accipiunt videntes, ad celandum se in certis casibus, sicut faciunt qui insidias aptant & faciunt in bellis.

Consideratio 14. De iurando & quando est mortale.

IVrare falsum scienter, in omni casu est peccatum mortale, siue in rebus serijs siue in locis. Sed si per inaduertentiam aut facilitatem loquendi peieratur, potest esse veniale peccatum, quamquam mala consuetudo non excuset eos qui per ipsam periurant. Ibi vides quam grande malum est, assuescere se iurationibus. Et accipitur iuramentum ad intentionem eius cui fit, & secundum vsum communem intelligendi, quia qui arte iurat falsum, arte periurat. Et quantum ad iuramétum de futuris, persona statim periurat tunc cum habet voluntatem firmam non implendi, vel quia non complet de facto.

Consideratio 15. De correctione fraterna.

NOs tenemur sub pœna mortalis peccati corrigere bonis sermonibus vel aliter nostrum proximum, quando scitur quod malè facit, & certum tenetur quod per illam correctionem quæ ei fiet, ipse se continebit, & aliter non. Sed si æstimatur quod nihil proficiatur, & quod fortè peius faceret, vel persequeretur vel odiretur is, qui talem instrueret, tunc non tenemur proximum corrigere, nisi simus iudices vel publica officia habentes, quia esto quod malefactor irascatur, aut non, ipse est puniendus, nisi esset quod forsitan propter hoc maius malum adueniret reipublicæ & bono communi. Et intelligitur etiam hoc, quando publica sunt peccata.

Consideratio 16. Quando facere contra conscientiam est peccatum mortale, aut non.

QVæcunque persona quæ firmam habet conscientiam de aliquo quod sit peccatũ mortale, & in illa conscientia ipsa hoc facit, peccat mortaliter quantumcunque res illa sit non mala. Sed tales falsæ conscientiæ sæpe refutari debent & auferri ad iudicium magis sapientum. Et est intelligendum quod dicitur de conscientia firma, quia propter quasdam faciles dubitationes quæ habentur & quas non est facilè auferre quandoque, non oportet quod hoc quod dictum est habeat locũ, ex quo habetur fortior conscientia ad contrariũ.

Consideratio 17. Quomodo de duobus malis minus est eligendum.

QVotienscunque per suum factum aliquis cadit in tales laqueos quod effugere nõ potest absque peccando, tunc debet omittere & cauere ne faciat id quod de se est peius. Quemadmodum si quis iurasset occidere alium, ipse debet non tenere suum iuramentum & non occidere alium. Et similiter dico de omnibus iurationibus & de omnibus minis, promissionibus & votis, per quæ peius fieret ea seruando quam omittendo, propter superuenientes casus fortuitos, vel quia factæ sunt stultè & improuidè.

Consideratio 18. Quando ignorantia est peccatum, & quomodo.

A IGnorantia accidere potest aut per negligentiam non volendi apponere laborem ad sciendum id quod debet sciri, aut ad finem quod liberius peccetur & iocundius. Et istæ ignorantiæ nõ excusant peccatum, immò aliquando grauius efficiunt. Alia ignorantia, quando quis fecit suam diligentiam secundum statum suum & suũ intellectum ad sciendum id quod sciẽdum erat, & tamen non scit totum hoc quod expediuit sciri ad B suum statum. Et talis ignorantia excusat ex toto peccatum sicut ignorantia facti. Si aliquis putaret manducare pisces in sexta feria, & datur ei carnes in similitudine piscium, talis manducando non peccat nisi aliter sciat. Et similiter in pluribus casibus, quia ignorantia de se nunquam est peccatũ, sed negligentia & contemptus sciendi facit peccatum.

Consideratio 19. De confessione multa documenta.

C NOs tenemur confiteri postquã peccauimus mortaliter, tantummodo in casibus qui sequuntur. Videlicet vna vice in paschate propter ordinationem Ecclesiæ. Secundò quando recipi debet sacramentũ Eucharistiæ, & secundũ quosdam omnia sacramenta Baptismo excepto. Tertiò quando quis est in periculo mortis secundum verisimilem coniecturã & humanam dubitationẽ sicut in periculo grauis infirmitatis) aut belli, aut D maris. Quartò quando habetur confessor qui absoluere potest de peccatis, & putatur siue creditur quod nunquam habebitur nisi fortè nunc, vt accidere potest in casib⁹ prælatis reseruatis. Quintò quando firmam habet quis cõscientiam quam non deponit, quod debet confiteri. Et est hoc intelligendum, quando haberi potest presbyter talis qui possit absoluere & qui non sit qui confessionem reuelet, nec hortetur confitentem sibi ad malum faciendum. Quia in tali casu fieri debet ac si non haberetur talis sacerdos, etiam si esset ip- E se proprius curatus. Et quamuis materia ista de confessione sit bene vtilis ad diu tractandum, tamen ego breuiter transeo dicendo ea quæ sequũtur. Primò de peccato veniali nemo tenetur cõfiteri, quamuis sit bene factum & perfectio. Et similiter dico de circunstantijs & conditionibus quæ de se non sunt peccata mortalia. Item celari debet peccatum alterius in confessione, sicut confitens vellet quod celaretur suum peccatum, & non debet obediri confessori qui hoc vellet in- F quirere, & specialiter si non sciretur bene quod confessor vellet proficere alteri, & nullo modo nocere, sicut fit quandoque ad trahendum alium à suo peccato singulariter extra confessionem, nisi fortè in casu quo proprium peccatum dici non posset presbytero cuicunque sine accusando.

Item qui non habet contritionem, hoc est propositum & desiderium abstinendi à peccato, talis non absoluitur, & debet postea integrè confiteri, & etiam de ista fictione se simulasse scilicet quasi habuerit bonam contritionem. Et secundum aliquos sufficit quod non habeatur præsens voluntas

voluntas peccandi. Item bonum est breuem facere confessionem, sine faciendo longum processum, & sine dicendo longam quasi fabulam. Sufficit, quod cõfessor sufficiẽter intelligat hoc quod cõfitens fecit, & quod omittatur id quod ad grauitatem peccati non pertinet. Et specialiter hi qui sæpè confitentur, aduisare debent hoc de quo habent specialiter conscientiam, & hoc ipsum dicere, & residuum in generali & breuiter, nisi fortè aliter fieret ad habendum consilium aut consolationem. Item contingit quod aliquis ignorat de aliquibus factis, vtrum faciat vel non, nec etiam scit vtrum mortaliter peccet aut non, & in tali casu potest confiteri sub conditione, dicendo, Ego dubito de tali facto, aut de modo facti & de intẽtione, per quanto ego peccaui, ego cõfiteor, quia in confessione mentiri nemo debet, nec affirmare hoc de quo est dubium. Tamen bonum est & securum de talibus pœnitere, ac si quis certus esset. Item si quis sentit se per frequenter cõfiteri, quod minorem ex hoc habeat deuotionem occasione consuetudinis, talis debet abstinere ad aliquod tempus. Et similiter dico de recipiendo sacramento corporis Domini nostri Iesu Christi. Sed qui se sentit proficere ex hoc magis ac magis, & habere maiorem conscientiæ pacem, potest omni die confiteri, & omni die communicare. Item nemo præsumere debet, quod possit aut sciat se ponere in statum talem per diligentiam confessionum, quin semper inueniat de puluere defectuũ venialium, quia in ipsamet confessione peccatur venialiter. Itaque in vacuum talis fatigaret, sequi nimis vellet de talibus defectibus confiteri, & circa eos immorari. Quia etiam quitatur homo multis alijs modis quam per confessionem, vti est dicere, Pater noster, aut percutere pectus sum.

Consideratio 20. De peccatis quæ fiunt in mercantijs.

IN mercantijs caueri debent aliquæ conditiones specialiter. Videlicet quod nihil iuretur ab aliquo, nisi quod tenere velit, & nisi teneatur, quia aliter periuratur, & peccat mortaliter qui scienter facit. Et hoc est dura res pro nostris mercatoribus de Francia. Item quod vitetur mendacium (& specialiter ad damnum alterius) in laudando suas merces multo plusquam iudicentur esse laudandæ.

Item si in mercibus siue venalibus sunt magni defectus qui sciri non possunt aut percipi, siue respiciendo siue tangendo, non debent celari, nec vendi debent ac si prædictos defectus non haberent. Aliter enim fieret deceptio alterius grandis, & aliter quam quis rationabiliter vellet quod sibi fieret. Item quod pro mercantijs suis quis non perdat seruitium Dei ad quod tenetur per præceptum Dei aut Ecclesiæ, & specialiter secundum patriæ consuetudinem in qua est, & quam prælati sciunt & sustinent. Item quod custodiatur bona fides, secundum quod merces constiterint & pro quanto vendi possint, saluo sufficienti lucro secũdum labores factos & secundum tẽpus quod currit. Et quod propter simplicitatem alterius aut bonam fidem non fiat ei peius. Item quod non vendatur carius ad credulitatem quam ad argentum, nisi fortè haberetur damnum magnum in A non habendo argentum. Et in isto casu & in omnibus similibus debet homo suam examinare cõscientiam. Quia si iudicat quod plus diligeret suam pecuniam vel etiam minorem quam expectare & plus habere propter damnum quod recipiet, ego teneo quod rationabiliter potest vendere carius secundum damnum quod scit, aut intelligit se habiturum. Propter quod in multis casibus sciri potest quando erga Deum fit vsura & quando non, quia intentio est quæ facit peccatũ B erga Deum, quicquid sit de iudicio ad homines. Propterea si quis carius vendat ad credulitatẽ siue expectantiam, & propter hanc causam non vellet statim solui, vsura est. Item ad cauendum periurationes & mendacia & alia peccata, ego consulo seruari consuetudinẽ quorundam bonorum & fidelium mercatorum, hoc est, non super ferre suas merces, sed eas vendere ad vnum verbũ. Et quando videbitur hæc consuetudo, citius & breuius emetur, & fiet placitum Deo.

C

Consideratio 21. De bona fidei nostræ credulitate.

QVilibet homo qui habet rationem & discretionem, debet per expressum credere articulos nostræ fidei & veritatis quæ ei communiter prædicantur & annunciatur, tam per vsum sanctę Ecclesiæ, vti est in colendo festa, & per authores approbatos, & per suum curatum. Sicuti est, quod vnus solus Deus in tribus personis, qui omnia creauit, & qui habet iustum & sapiens regimen totius D mundi. Et conformiter de alijs articulis & veritatibus. Nec debent simplices homines magnas facere inquisitiones de talibus veritatibus, sed eas credere humiliter, quia pessima superbia est, non velle intellectum suum submittere ad credendum & se inclinandum in id quod Deus præcepit.

Contra hoc faciunt illi qui murmurant de hoc quod Deus facit vni, & non alteri, ac si sit iniustus aut nesciat quid faciat. Contra hoc faciunt sortilegi & sortilegæ. Et si eueniat quod inimicus tibi afferat vel mittat tibi phantasias & cogitationes E contra aliquas veritates fidei, & tu sentis quod eas repellere non potes, non reputes, & cõtemne eas, tantum cura quod bonum habeas desiderium & voluntatem credendi id quod credendum est, & secundum quod teneris. Et ista bona voluntas reputatur tibi pro facto, & erit tibi meritoria. Nec hoc dico, quin etiam rogare debeas Deum quod libereris de tali tentatione. Et etiam habere consilia sapientum. Quamquã frequenter non sit aliud consilium, quam quod dixi, sicuti alia vice planius F scripsi de tentationibus blasphemiæ. Et sicut fuit dictum sancto Antonio, qui aliquando posuerat se ad pensanda diuina iudicia, quomodo vnus est bonus, alius est malus, quomodo tot & tanta est quantitas damnandorum respectu saluandorum, & similiter de alijs iudicijs Dei. Et tunc dictum fuit ei, Anthoni Anthoni de te cogita, & Deum dimitte conuenire cum suis creaturis. Satis enim sapiens, bonus & potens est ad faciẽdum id quid faciendum est, etiam absque hoc quod tu doceas eum aut introeas secreta eius. Sicuti ei dicebatur. Fac bene, & bene habebis.

Consideratio 22. De excommunicatione & remedio eius.

QVælibet persona quæ scienter se permittit excommunicare, & non apponit quam citò potest remedium pro sua absolutione, ipsa peccat mortaliter pro contemptu sui prælati, & cum hoc perdit bona quæ fiunt in sancta Ecclesia, quod est perditio horribilis. Et est hoc intelligendũ, vsquequò pœniteat & confiteatur & habeat suam absolutionem ad minus à Deo. Quod tunc fit, quando quis ab Ecclesia excommunicatus est, nec potest conuenienter apponere remedium ad habendam suam absolutionem ita statim, & inclamat misericordiam à Deo, & tunc nõ est expulsus habendi partem suam de bonis quæ fiunt in Ecclesia sancta generaliter, quamquam adhuc non debeat intrare ad officium diuinum, nec alia sibi prohibita facere, quousque suam ab Ecclesia habeat absolutionem. Et debet vitari omnis homo excõmunicatus ab Ecclesia qui est nominatim excommunicatus & denunciatus, & per hoc scitur quod ipse est excommunicatus, excepto in quibusdam casibus, vti seruitor potest seruire Domino suo excommunicato, vti etiam potest eis fieri sermo pro correctione eorum, vti in casu extremæ nenecessitatis, & sic de alijs casibus.

Consideratio 23. Quando sacerdos vitari debet, ne missa eius audiatur.

VItari non debet sacerdos in suis missis aut alijs officijs, nisi sit excommunicatus per suum nomen, & talis denunciatus. Alias quantũcunque sit peccator & tenens concubinas, aut alia faciens mala, (quia ex quo prælati superiores in Ecclesia Dei hæc sustinent) nemo tenetur tales vitare. Et si sunt aliqua iura quę videntur dicere eos vitandos, illa sic vt præmissum est, intelligenda sunt. Aut defecerunt, & non tenentur per nõ vsum & ad peius cauendum, & ne homines frequenter eleuentur & faciliter contra suos iuratos propria auctoritate. Tamen hic nihil affirmo & ex causa. De hoc alibi largius scripsi.

Consideratio 24. Quod malum facit peccatum veniale, & vnde venit.

QVamuis peccatum veniale non auferat gratiam Dei, tamen per ipsum veniunt plura & magna damna, propter quod cauendum est & abstinendum ab eo secundum posse. Quia per ipsum acquiritur pœna, & perduntur plura bona alia quæ fieri possent & grandia merita quæ lucrari possent, & ruitur citius in peccata mortalia. Et verè bonus filius non solum cauere debet patrem suum prodendo vel tradendo offendere, vnde perdat amorem patris, sed etiam custodit se, & abstinet se facere quicquid non est ad placitum patris. Quamuis itaque in pluribus casibus (vt dictum est) posset aliquod malum fieri absque mortali peccato, vel absque peccato aliquo, quia scilicet ad bonam intentionem, & propter bonũ finem fit, sicut dixi in desiderando laudem mundanam, aut de volendo alteri malum temporale, nihilominus bonus seruus Dei plurimum, immò plus dubitat & timet decipi, & defectum cõmittere in talibus casibus, quam in illis quæ clarè & A manifestè sunt mala, & quæ bene fieri non possunt. Scit enim inimicus quod bonus Dei seruus nunquam committeret aliquod quod sciret aut quod in aperto clareret esse malum, & ideo conatur cooperire malum sub vmbra & similitudine boni. Hortatur enim quandoque quærere falsam laudẽ sub vmbra vitandi infamiam, vel proficiẽdi alteri. Et inde veniunt malæ iactantiæ & vanę excusationes. Conformiter in corrigendo aliũ vel inquirẽdo, vel desiderando malum alterius, sicut tetigi superius. Ecce in conclusione videtis, quod nihil B est securitatis in hac vita, quæ nõ est nisi tentatio. Propterea humiliare debemus nos in timore tẽperato, cum spe sub Dei nostri boni patris gubernamine, & expectare quod semper erimus in tentationem vsque ad vltimam mortis horam, sicut affirmat sancta scriptura. Et sanctus Anthonius hoc dicit, & nos videmus ad oculum quolibet die. Et hæc est sufficiens causa tenendi nos quotidie in custodia nostri, in vero timore & humilitate, sicut captiui suam sententiam qualibet expe- C ctantes hora, & non sciunt qualis futura sit, vel qualis sit in iudicio Domini sui.

Consideratio 25. & vltima. Generale exemplum declarans quid est peccatum mortale aut veniale.

AD melius intelligẽdum omnem supradictã materiam, accipiam animam nostram, comparando eam per exemplum vni reginæ, & Deum regi alicui sponso eius, & inimicũ traditori regis, & tentationes ad similitudinem nunciorum. Po- D no ergo quod regina Franciæ sit cum rege in camera sua, sicut eius sponsa & amica singularis, veniet aliquis gartio aut famulus, nuncius missus ab regis inimico ad loquendum reginæ, ad inducendũ & inclinandum eam vt dimittat regem, & se donet inimico eius. Sit pro exemplo rex Angliæ. Regina potest sex modis aut statibus se habere erga nuncium, qui quærit eam dehonestare.

Primus status est talis, quod nec velit nec dignetur recipere talem nuncium qui eam requirit E dehonorare, aut audire verba eius, nec recipere ipsius dona, immò faciat turpem, malum & durum vultum, & expellat eum foris domum suam turpiter. Vah de te, & vah de Domino tuo, fuge hinc fuge, in mala hora veneris. Et quod regina statim reuertatur ad regem suum sponsum, & dicat magnam turpitudinem & iniuriam quã suus inimicus requisierit ad faciendum, & petat ab eo vindictam, & de tanto teneat se regina proprius ad regem, & firmius in eius amore semper requi- F rendo adiutorium eius contra tales infideles nuncios, quos nec videre dignatur. Secundus status potest esse quod regina non refutabit statim audire talem nuncium, qui forte apportat ei donaria ex parte hostis regis, aut aliquas placentias habebit, tamen displicet eidem reginæ quod venit, & prædiligere quod non fierent sibi tales præsentationes seu dona, nec dicerentur tales nunciationes. Et non recipit eas ex toto, immò conatur tãdem & nuncium refutare.

Tertius status est, quod regina libenter videbit talia xenia & dona, & audiet verba nuncij, qui eam sollicitat ad inhonesta, & ad dimittendum suum

ſuum ſponſum regem, & conſentire ſuo hoſti, quamquam non vellet aſſentire dicto nuncio in A hoc quod ille ab ipſa petit, nec ire de facto ad hoſtem regis, ſed tamen benè placet ei quod talia verba ſint ſibi dicta, & tenet colloquium ſuum intra cameram in præſentia regis cum dicto nuncio. Nec curat ipſa de recurrendo ad regem, ad petendum adiutorium ſuum contra tales infideles ſuaſiones. Quartus eſt, quando regina per verba conſentit & facit & conatur ad hoc quod faciat voluntatem regis Angliæ, & recipit dona, & bonum facit vultum nuncio eius & ex hoc incipit ex B toto dimittere ſponſum ſuum regem Franciæ, & dat ſeipſam hoſti eius. Quintus ſtatus eſt, quando regina non eſt contenta ſolum concordaſſe ad id quod ad ea rex Angliæ petit, & recepiſſe ſuum nuncium cum bono vultu, ſed etiam pergit ad ipſum quæſitum ſponte, propter odium quod iam concepit contra ſuum ſponſum, & malũ amorem & ſtultum quem habet ad hoſtem. Quæ etiam nititur facere eius voluntatem, & vltronea requirit eum, ſicut gartio effrons vel effrenis, & ſtulta fœmina expoſita. Sextus ſtatus eſt, quando regina C taliter eſt fixa & traducta in talem ſtatum ſicut iam dixi, quod per quamcumque rem quæ ei dici poſſit aut fieri, ipſa tamen non vult inde abſtrahi nec percuſſionibus, nec blandimentis factis ſibi à ſuo ſponſo, nec per duritias quaſcumque rex Angliæ ei faciat in ſuo ſeruitio, nec pro verecundia, nec minis, nec pro quacunque re quæ ſibi poſſet accidere, immo eſt obſtinata.

Inter iſtos ſex ſtatus primus eſt bonus & virtuoſus & laude plenus, cuſtodiens fidem reginæ & fi- D delitatem & amorem eius, & per hoc magis diligit regem, & diligitur ab eo. In ſecundo regina cuſtodit fidelitatem ſuam erga dominum ſuum, ſed in hoc deficit quod non pellit foras ita ſtatim, ita durè, nec ita turpiter prædictũ nuncium, qui eam quærit ad dehonorationem, ſicut ipſa deberet, & in hoc eſt ſæpe peccatum veniale. In tertio ſtatu regina peccat grauiter contra dominum ſuum, quoniam in eius præſentia ipſa libenter audit verba aduerſariorum eius, & eorum accipit munera, & recipit malas placentias, quamquam non velit E abſcedere de facto conſentiendo, ad habendum ſocietatem ad eos. Et in hoc ſæpe eſt mortale peccatum, & perdit gratiam domini ſui, quia non debet ipſa beneplacitum accipere niſi in ipſo, nec ſe ponere ad periculum habendi cõſenſum ad opus. In tribus alijs ſtatibus ſemper perdit regina gratiã domini ſui, & peius in quinto, quam in quarto ſtatu, & peius in ſexto, quam in quinto, quia in tali caſu regina eſt incorrigibilis & occidenda vel ardenda ſine remedio.

Per hoc exemplum ſi volumus bene penſare poſſumus melius videre in qualibet tentatione, quando perdimus gratiam Dei per mortale peccatum, & quando non. Scire enim debemus, quod quælibet tentatio nuncius eſt inimici infernalis, qui nos requirit ad ei conſentiendum, & vt anima noſtra perdat & rumpat fidelitatem ſuam, quam Deo & domino ſuo debet & ſponſo, & ſecundum quod anima reſiſtit aut plus aut minus, ſecundum hoc ipſa cuſtodit melius aut peius fidelitatem & gratiam amici ſui. Et conſideretur diligenter iſte modus in quolibet peccato habendi

ſe, aut reſiſtere ſcilicet aut conſentire, & inuenietur quilibet iſtorum ſex ſtatuum eſſe poſſibilis. Sciatis etiam, quod tertius ſtatus eſt difficilior ad benè cognoſcendum, pro eo quod eſt inter duos ſtatus, quorum vnus eſt peccatum mortale, ſcilicet quartus, & alter non. Et eſt ſciẽdum quod quando aliquid eſt prohibitum ſub pœna peccati mortalis, & aliquis hoc non vult facere per exterius opus, & nihilominus perfectum conſenſum habet in corde, quod vellet tale opus facere, ſi tempus pateretur & locus, aut non obeſſet verecũdia, talis peccat mortaliter. Quod ſi non habet talem conſenſum perfectum, & nihilominus libenter rememoratur diu in cogitando tale factum quod eſt prohibitũ, & accipit complacentiam magnam & inordinatam, peccat etiã mortaliter, ſed tamen non ita grauiter ſicut ante. Si autem opus aut factum tale ſit quod non ſit prohibitum ſub pœna mortalis peccati generaliter, quemadmodum mulier aliqua maritata poſſet cogitare de marito ſuo qui eſſet abſens, & acciperet complacentiam in memoria ſocietatis eius, aut ſicuti aliquis cogitare poſſet ad cibum quem manducaturus eſt in prandio, & habere complacentiam ſine tali peccato mortali. Quia complacentia aut delectatio non eſt peccatũ, niſi in hoc quod eſt prohibitum, aut quod de ſe trahit ad prohibita. Vlterius conſidera in exemplo prius poſito, quomodo regina deſiderare poteſt continuè eſſe in amore regis domini ſui, & ideo ipſa odit omnia ſuo amori contraria. Aut ipſa non diligit eum, immo magis timet pœnam & iram regis, & vellet quod nõ eſſet præſens aut mortuus, ad finem quod alibi poſſet quærere complacita ſua. In primo ſtatu ſunt boni qui amant Deum propter ſuam bonitatem, ſicut boni filij ſuum patrem. In ſecundo ſtatu ſunt illi qui ſolummodo præ timore damnationis abſtinent à malefaciendo, & vellent Deum non habere poteſtatem aut voluntatem eos puniendi, etiam contra ſua mandata facientes.

De cognitione peccatorum venialium & mortalium finis.

TRACTATVS EIVSDEM DE ARTE AVDIENDI confeſsiones.



ET ſi virtus quam aſſuefactio gignit, certius quam ars operetur, nonnihil tamen prodeſt artis traditio apud eos, qui nondum perfecti ſunt in virtute. F Hoc in arte qualibet perſpicuum eſt. Et quoniam ars artium eſt regimen animarum, præſertim in confeſſionibus audiẽdis, ſtudui quaſdam generales conſiderationes tradere breuiter & diſtinctè, quas eſſe proficuas experiẽtia doctrinæ cognoui. Induxit hoc agere me non mediocriter, quod paucos hactenus reperi qui perfectè vnquam & integrè confeſſi fuerunt, cauſa exiſtente in multis vel negligentia vel ignorantia confeſſorum.

Conſideratio prima.

PROVIDEAT ante omnia confeſſor purus eſſe, qui purgandis animabus inuigilat. Spem

quoque sui laboris & proficiendi circa alios non in propriâ, sed diuina virtute reponat. Meminerit iugiter, quoniam neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incremētum dat Christus. Et quod nisi Spiritus sanctus cordi assit audientis, in vanum laborat lingua loquentis vel confessionem audientis. Oret igitur crebrò (prout sapiens de corporali medico consulit) quatenus dirigatur opus suum à Deo, vt eiusdem virtute roretur & crescat.

Consideratio secunda.

Collocet se confessor in arce seu specula rationis, abstrahens semetipsum quantum potuerit ab homine exteriori, tam in se quam in alijs, vt spiritu ambulet, & non carne, ne fortè illectus formis corporum, fiat ipse laqueus perditionis sibijpsi, totus in animarum perspicienda qualitate spiritualiter inuigilet, non attendens discretionem sexuum vel formarum, alioquin quid ei proderit si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.

Consideratio tertia.

Compleat ergo quemlibet sibi confitentem sollicitì confessoris officium, nihil præcipitanter aut in solo transcursu peruolans, sed morositate peruigili omnia plenè examinans, dijudicánsque, memoriæ quoque confitentis quæ dicenda imponendave fuerint, ea diligenti repetitione reponēs infigat. Quippe eligibilius est paucos audire completè, quam multos imperfectè cum conscientiarum scrupulis nō tam expeditè quam inexpeditos plerumque relinquere. Imitetur in hoc Deum, cuius perfecta sunt opera. Mallem namque si curatus essem, multorum differre confessiones post Pascha, etiam vbi quidam non redirent, quam quod cæcos cæcus seducerem dum pro verè absolutis ipsi non rectè absoluti se gererent.

Consideratio quarta.

Ostendat confessor in operibus confessionis nihil quærere præter salutem animarum suarum, & solutionem liberam à laqueis peccatorum, vt nihil agat ad quæstum, recolens illud. Gratias accepistis, graris date. Nihil ad mundanam ostentet gloriam. Pauperibus æquè sicut diuitibus se tradat & offerat, turpibus & pulchris, indoctis vt doctis, nisi fortè pro quanto maior inde fructus, honórque Dei speraretur sequi. Proderit supra modum hæc synceritas rectæ intentionis, vt velut magnes aliquis spiritualis ferrea etiam populi corda virtuosius ad se trahat.

Consideratio quinta.

Expedit vt confessor zelans animas obtineat à prælato subditorum suam in casibus reseruatis potestatem seu relaxationem, pręcipuè nisi sint casus publici & scandalosi. Reperiuntur itaque paucissimi qui nō inciderunt in aliquem talium casuum qui Episcopo reseruantur. Scientes verò ipsi confessi seipsos non debere remitti deinceps ad alterum, magis se pronos promptósque reddunt, nam vni confessionē suam libentius & citius detegunt. Confessor etiam similiter eos præsumit liberius interrogare de singulis, plenius quoque sanare simul & semel ipsos absoluendo confidit.

Consideratio sexta.

Sciat confessor omnia peccatorum genera & species tanquā medicus doctissimus spiritualium ægritudinum. Præterea qualiter homines diuersorum statuum & variorum officiorum peccare possunt, nullatenus ignoret. Et quanquam ad hæc cognoscenda facti sunt tractatuli, attamen aliqua sunt quæ non tutò committuntur scripto aut verbo publico, propter euitādum quorumdam scandalum, sed ea secretè discant ipsi, quorum interest hoc non nescire, sicut medicos morborum varietates conuenit non ignorare. Aliter nempe quo pacto sibi confessos prudēter ac diligenter interrogabit, instruétque confessor ad suorum rememorationem criminum, hoc maximè est in peccatis carnis extraordinarijs, qualia expertum est vix vnquam dici in confessione à culpabilibus in eis, nisi cautissima arte præmoueantur, interrogentur, capiantúrque. Et certè necesse est vt confessor habeat artem hanc obstetricādi spiritualem, ad educendum colubrum talem pestiferum, tortuosum & virulentum ab anima ipsius, aut ipsa sine dubio periclitabitur, & vt crebrius æternè morietur. Nec reputo audiendos in hac re eos qui nihil interrogandum aut inquirendum esse dicunt à confessis, præsertim cum hoc ipsum velint, requirántque confessi. Alioquin non satis consulitur verecundiæ, ignorantiæ & fragilitati peccantium. Nec impletur illud scripturæ: Alter alterius onera portate, & similia.

Consideratio septima.

Coniecturet confessor post interrogationes, quasdam perambulas super ætate, statu, conditione studio vel officio confessi. Vtrum ipse verecundus sit, & nimio pudore detentus, quia fortè puer est vel fœmina, vel exilis cōplexionis. Apud tales præ cæteris persuadendum est primitus & figendum in animo, quemadmodum confessio secretissima est & omni scienti Deo magis quam homini fit, non ad reuelandum aut accusandum quæri peccata sua, sed ad euitandum aut absoluendum & perpetuè quitandum. Mallem confessorem mori, quam aliquid dicendorum detegere. Tollat igitur omnem talem suspicionem, nec reformident quod propter dicēda confessor sit eos postmodum habitus odio aut contempturus, accusaturus, immo tenerius eos diliget sicut filios charissimos, & qui suæ fidei se totos cōmiserunt.

Consideratio octaua.

Laboret confessor præsertim erga iuuenes & paruulos habere cōfessionem eorum generalem, quia vix aut nunquam integrè confitentur, nisi fortè prædocti à tali confessore qualem describimus, quinetiam illud esset vtile apud grandæuos rurales, & simplices & fœminas. Quod si non possunt leuiter induci ad hoc, poterunt ab eis fieri interrogationes tales. Vtrum facta est tibi conscientia de talibus peccatis, & de tali ætate & de societatibus talibus. Et secundum responsiones poterit animaduertere prudens confessor, si plena fuerit talis confessio. Et si non, tunc nitatur eam perficere, & confitentem ad hoc inducat.

Consideratio nona.

Præcaueat summopere confessor, ne sit austerus ab initio, tristis & rigidus, mox enim per huiusmodi clauditur os obstinati peccatoris. Primò fit affabilis locutio, etiam si aliquando ita res exigat super peccatis, quousque familiaritas quædam contracta sit, de hinc ostēdat quantæ iniquitatis est & hypocrisis

hypocriſis peſſimæ, quicquam velle celare in confeſſione coram Deo, & quemadmodum hoc agere eſt ſeipſum turpiter fallere, eſſe quoque melius dicat, ſi non confeſſus abſcedere velit, quam fingere confeſſionem imperfectam.

Conſideratio decima.

Quærat ſacerdos à confitentibus, nonne velint expurgari penitus ab omni ſuo crimine. Et quod niſi hoc velint, fas habent recedendi, ne tempus incaſſum, immo noxiè detineāt. Si volunt, debent igitur iuuare ſe, & hoc melius & celerius fieri nequit, quam ſi ad interrogata veritatem plenam reſponderint, ſi verò deprehenduntur velle mentiri & celare (vt ſæpe fit) per diſcretum confeſſorem arguantur vehemēter & acriter, & compellantur veniam ſtatim quærere ſuper huiuſmodi mendacio, quod poſtquam fecerint, rurſus blandè & leniter moneātur, nihil deinceps mentiri aut celare. Si verò bis aut ter rurſus mentiti fuerint, poterunt remitti & differri vſque ad tempus alterum, iniungendo vt melius ſibi prouideant. Sæpe fit vt in altera confeſſione libentius aperiant omnia, dum putant mendacia priora magis imputanda eis ad inaduertentiam quam in malitiam.

Conſideratio vndecima.

Applaudat confeſſor dicētibus veritatem ſuper delictis ſuis, quanto magis enormiſſima & abominanda videbuntur. Collaudentur de veritate, de religione, de timore Dei, de zelo propriæ ſalutis, de confidentia ad ſacerdotem & conſimilibus. Et quod audacter pergant ad alia, nihil hæſitantes. Fit aliquando non inutilis quæſtio ſi fuerint aliàs de talibus cōfeſſi. Et ſi non, qualiter inde amplius lætari debent, & Deo gratias agere, qui tale eis tribuit voluntatem & opportunitatem. Conuenit quoque vt per confeſſorem gratias præſentialiter agere moueantur, poſtmodum tendant ad alia.

Conſideratio duodecima.

Iubeat confeſſor ne confeſſi crimina detegant aliorum nominando eos, vel ſignis certis notificando niſi fortè peccata talia ſint, quæ nullo modo aliter poſſunt aperiri, vt ſi ſororem vnicam frater malè cognouerit, aut vir vxorem. Non ſit prętereа curioſus in inquirendo particulares circunſtantias peccatorum, quæ non multum augent vel variant grauitatem in eis, quoniā naſceretur inde aliquando vel tentatio periculoſa, vel turpitudo nimia, aut ſuſpicio retardatiua conferendi. Nihilominus vtile iudicamus pro ſerenatione cōſcientiarum illorum qui confitentur (quia fortè poſt modum grauioribus vrgerentur ſtimulis, quaſi non benè & integrè peccata ſua confeſſi fuiſſent) vt plenius explicent omnia, quantum & quouſq; iudicauerit confeſſor expedire.

Conſideratio decimatertia.

Arguat & reprehendat acriter ipſe confeſſor peccata enormia, poſtquam iſta plenè cognouerit, & oſtendat quanta punitione peccator dignus eſt. Attamen cauendum eſt, ne rurſus peccator confugere poſſit ad negandum iam confeſſa, ſicut pluries fieri repertum eſt etiam poſt cōfeſſionem completam prius. Idcirco habeatur certiſſima explicatio peccatorum. Denique quicquid in confeſſione dixerit ſacerdos, ſit ipſe ſemper in fine manſuetus atque benignus, infundens oleum conſolationis & paſſionis & bonæ ſpei. Poteſt inſuper aliquando dicere confeſſor, ex quo talia, &
A talia cōfeſſus es, quę ſunt grauiſſima, noli deinceps celare aliquid, ſed omnia dic, vt te ſimul expedias.

Conſideratio decimaquarta.

Procedat confeſſor in inquiſitione peccatorum, & ſpecialiter peccati carnalis (quod à multis cum ſumma difficultate vix poteſt extorqueri.) Primò pedetentim & à generalioribus incipiat, & quæ nullam aut paucam videntur includere culpam, quia ſi peccator vult mentiri aut fugere, ſæpe deprehenditur per talia, quæ naturaliter accidunt omnibus, aut rariſſimè reperitur oppoſitum,
B qualia ſi ſtatim neget, conſtat eum timere dicere grandiora. Hoc modo noui plures fuiſſe deprehenſos, qui interrogati negabāt ſe vnquam paſſos membri pudendi calefactionem vel pruritum vel erectionem qualemcumque, vel tentationem vel cogitationem malam de quacumque muliere. Et dum conuicti fuerunt de hoc mendacio, quærebatur, nonne illud erat turpe ſic admittere? quid agebas tu? & ſæpe reſpondebant illud quod quærebatur, credentes ex modo loquendi confeſſoris
C quod illud non imputaretur ad culpam, ſed ad laudem.

Conſideratio decimaquinta.

Sciat confeſſor generalitates iſtas eſſe & ſimiles. Fuiſti vnquam à tempore quo cognouiſti te, in ſocietatibus famulorum aut ſociorum, & ſpecialiter in lecto? ſi ſic. Audiſti vnquam malum (vt ſæpe fit) loqui ſibi de impudicitia & mulieribus? ſi ſic. Loquebaris & tu ſimiliter, & ſi mala deſiderabas? ſi ſic. Vtrum voluerit vnquam alter, quod
D tangeres eum inhoneſtè vel ipſe te? ſi ſic. Fiat proceſſus vlterior ſub velamine tali, quod intelligat an cōmiſſa fuerit ibidem mollicies ſiue pollutio. Et hoc peccatum benè committitur etiam ante pubertatis annos. Immo & ſemper imputatur in vigilia dum completa tranſit delectatio, etiam pollutione non exiſtente.

Conſideratio decimaſexta.

Poterit confeſſor dum inhoneſtè loquendum erit dicere. Amice, non cures ſi loquor turpiter, quoniam oportet omnia in confeſſione dicere,
E longè aliter dicerem aut certè ſilerem extra confeſsionem. Et dicantur talia ſatis conſtanter, & quaſi præſcita aut præſciantur, aut quod non reputentur ita grauia. Non aſpiciantur fixè vultus confitentium, ſed diuertat cōfeſſor vultum ſuum, quaſi non curans aut ferè narrans fabulam, dicendo ſic. Ego benè video, tu feciſti ſic & ſic, conſequenter dic ergo totum in nomine domini, ego tibi indulgeo, ſi non aliàs feceris & ſi diceres omnia mala mundi, non inde peius haberes, dic ergo
F audacter. Immo & quæri poterit, ſi velit confitens vt ſuper omnibus diligenter interrogetur, & ſi ſic ſubinferatur quod ergo dicat in omnibus veritatem.

Conſideratio decimaſeptima.

Accidit aliquando (licet rariſsimum ſit) apud circunſpectum & prouidum confeſſorem, quod aperiuntur quędam ſpecies peccatorū carnalium, aut quædam circunſtantiæ viles, quarum peccator non eſt conſcius aut culpabilis. Et hinc fortè ſcandalizabitur vel docebitur deinceps agere ſimilia, licet pro certo non videamus iſtud ita eſſe timendum, quemadmodū aliqui tradunt, quod propter

hoc debeat omitti diligẽs inquiſitio peccatorum. Vtinam mala à pueris & alijs tam diligenter confiterentur quam ſciuntur & aguntur ab eis. Nec inquirenda eſſe iudicamus quaſi neſciant, ſed quia fortè ea non tam grauia eſſe credunt quanta ſunt apud Deum, aut quod aliter nolunt manifeſtare ea. Attamen in hoc caſu debet cum ſumma deteſtatione peccatū tale damnare, quaſi non caderet etiam in hominem tale aliquid agere. Sed quod illud dicebatur ad experiẽdum diſcretionem peccatorum, an ſciat diſtinguere inter ea quæ feciſſet & non feciſſet, ſunt enim quidam malè reſpondentes affirmatiuè ad omnia quæ confeſſor interrogat.

Conſideratio decimaoctaua.

Pergat confeſſor (vt diximus) à generalioribus ad ſpecialora, à minus turpibus ad turpiora, & hoc quaſi à cauſis generalioribus ad effectus earum ſpeciales, vt habito quod aliquis conatus fuerit ſe aut alium ſocium luxurioſè attrectare, quæratur quamdiu & quam ſæpe, & cum quot accidit, & quanto tempore in tota vita. Et ſi aliqui erant ex ſuo genere, & finaliter in qua parte corporis completa eſt libido ſua vel alterius. Demum ad alteram huiuſmodi peccati ſpeciem peiorem ſucceſſiuè poterit inquiſitio pertranſire.

Conſideratio decimanona.

Congruit prout expertus ſum, quod paruuli & adoleſcentes maſculi prius interrogentur modo dicto de cohabitatione ſociorum & famulorum, tanquam de his quæ prima facie minus horrent, quia minus inſolita ſunt. Poſtmodum quæratur de cohabitatione mulierum. Et primò ſi vnquam in ætate quinque vel ſex annorum vel eo circa iacuerunt cum ancillis ſicut mos eſt puerorum. Et ſic conformiter inquiratur ad prædicta, & certè reperientur horrenda. Conſequenter inquirantur non ſolum de ancillis, ſed de genere proximiori, ad qualia non deſcenditur, niſi quaſi ſubitò & à latere, dicendo ſine mutatione vultus. O bone, video quia tu ſimiliter feciſti cū talibus & talibus. Et ſi ſic (vt heu ſæpe fit) priuſquam dearticuletur aliquid amplius, fiat practica conſiderationis vndecimæ pręcedentis de collaudando peccatorem dum peccatum aperuit. Poſtmodum ſuadeatur pro bono ſuo dicere circunſtantias omnes in particulari, ſicut de ancillis prædixit oſtẽdendo quod pudor ille ad magnum meritum ſibi cedet, futurámque operabitur conſcientiæ tranquillitatem, ex quo nunquam alteri deinceps reuelare compelletur. Æſtimo autem quod fœminis conuerſo ordine facienda ſunt interrogationes, prius ſcilicet de cohabitatione mutua ſecum, poſtmodum cum viris aut paruulis aut adoleſcentibus, ſed experientiam totalem non habeo.

Conſideratio viceſima.

Reprehendet fortè aliquis audaciam hanc confeſſoris, qui talia præſumit aperire, quæ vix credibilia ſunt & ferè incogitabilia, niſi ab expertis aut aliunde doctis. Sentiat alius quod voluerit, ego coram Deo teſtor me plures talibus remedijs induxiſſe ad confeſſionem, qui fatebantur nunquam etiam in articulo mortis fuiſſe talia dicturos cuicumque, laudabant tamen Deum, totis viſceribus gratias agentes quod ita ſe apparuerant, quidam & pauciſſimi retroire volebant aliquando, ſed tandem redierunt, fatentes illuſionem eſſe dæmonis, qui claudere os ſemel apertum rurſum ſatagebat. Alij iam confeſſi propter omiſſionem huiuſmodi interrogationis rurſus ad confitẽdum inducti apertum mihi fecerunt iudicium quam neceſſaria ſit huiuſmodi inquiſitio.

Conſideratio viceſimaprima.

Iudicabit aliquis ſe talia neſcire vel nolle inquirere, quia fortè eſt vt chirurgicus timidus & inexpertus, palleſcens aut ſpaſmum patiens in aſpectu fœdorum dirorumque vulnerum. Fatebor cautelam eſſe neceſſariam, & non leuiter debere fieri deſcenſum ad talia abominanda, niſi confeſſata præcedentia videantur velut inferre talem concluſionem. Quod ſi quis neſciat vti cautela tali, dimittat conſulo, ne & ſibi noceat & peccatorem ſi ſemel negauerit, neque deprehenſus fuerit, ſcandalizet, & vix in futurum conuinci queat. Quale verò debeat vniuerſale remedium tradi apud omnes nondum ſcio, quoniam prædicationes generales non ſufficere ſatis puto. In hac tamen interim ſum ſentẽtia, quod tales caſus ſecreti pro paruulis quatuordecim annorum & infra & pro mulieribus nequaquam reſeruari deberent. Alioquin non video quin multi ex hoc defectu confeſſionis integrè perditi ſunt. Ad nullos verò amplius quam ad prælatos ſpectat remedium etiam damnatio ſi claudant regnum cęlorum, aut per negligentiam, aut per huiuſmodi ridigiorem obſeruationem occultorum.

Conſideratio viceſimaſecunda.

Videretur ſaltem expediens quod in qualibet cura notabili curatus ſi diſcretus eſſet aut alius loco ſui vicarius, aut alius viceadiutor, ordinaretur quaſi pœnitentiarius in talibus & circa tales. Eſſet inſuper diligens audire confeſſiones paruulorum iuuenum quocunque tempore vellent & ſibi vacarent, euocando nunc vnum, nunc alium, quia prouectæ ætatis homines ad hoc fortè non poſſent induci, prouideret tamẽ, quomodo cautè & circunſpectè ambularet qui talis eſſet, ne culpabiles ſeducentes huiuſmodi paruulos perſequerentur eum directè vel indirectè per malitias exquiſitas, & fortè confingẽdas per paruulos, quamquam ſecuritas maxima circa hoc eſſet puritas cōſcientiæ & intentionis. Et quod neque verbo neque ſigno aliquo quomodolibet reuelaret quę dicerentur, & ad non reuelandum vijs omnibus induceret, neque daret pœnitentiam, per quam poſſent paruuli de quocunque notari apud eos circa quos conuerſantur. Denique circa hoc melius videtur habere plures confeſſores minus diſcretos in pœnitentijs iniungendis, quam reſeruando caſus multos diſcretis paucis, & ad hoc hominem ducere pudore cogente, ne talibus paucis confiteantur in æternum, ſicut tolerabilius eſt ſumere pœnitentiam in purgatorio, quam vt infinita potiantur in inferno.

Conſideratio viceſimatertia.

Remanet aliquãdo in ſacerdote ſcrupulus ſuper confeſſione peccatoris, quod ſcilicet non dixerit omnia, & hoc habet vel quia ſcit aliunde quam per confeſſionem, vel quia tenet certa principia ex iam confeſſatis quod tale peccatum cōmiſerit aut alijs modis. Quo caſu vel remittat peccatorem pro auiſando ſe, vt dictum eſt, vel ſi abſoluat, prædicat

dicat sæpius iterū & iterum, quod si celet aliquid, confessio sua & absolutio penitus inualida est & irrisoria. Dici denique poterit, vt si mallet alteri confiteri, pergat in nomine domini, tantūmodo fiat integra confessio sua. Sufficit hoc nec aliud exquiritur aut redeat si velit aliàs cūm prouisione meliori.

Consideratio vicesimaquarta.

Petat confessor à peccatore si proponit amplius abstinere cum auxilio Dei deinceps à peccatis. Item si caret odio contra alium. Item si vult realiter dum poterit alienum restituere. Item si occasiones certas peccatorum vitare proponit, vt concubinatum & vsuras & similia. Si aliquod istorum defuerit, non valet absolutio, neque tradi debet, si hoc peccator non velit facere. Suadeatur tamen sibi interim agere bona quæ poterit vt Deus, vt illuminet & cor ipsius. Item dicimus de reuocatione seductorum malis consilijs & moribus per eum, & de diffamatis iniustè & similibus, non requirendo tamen vltra illud quod verisimiliter fieri potest ad talia reparanda.

Consideratio vicesimaquinta.

Iniungat confessor pœnitentiam non aliam quam de consensu peccatoris, & de qua speret impletionem. Nisi fortè peccata essent publica & scandalosa, pro quibus ad reparationem cogi deberet inuitus. Cæterum potest aliquando dare pœnitentiam de non peccando tali vel tali crimine per certum tempus futurum sub pœna aliqua vel pecuniaria vel corporali efficaciter soluenda, aut sub debito redeundi ad confessionem infra bigraduum post perpetrationem delicti, aut aliquod huiusmodi. Commoueatur tamen ipse confessus ne pœnitentiam hanc vel aliam quamlibet acceptet, si non eam proponat se firmiter impleturum. Agnouerit enim se in purgatorio quam in hoc mundo grauius omnia soluturum. Cæterum de celando pœnitentiam suam, & ea quæ in confessione acta dictáque fuerint, & de non respondendo ea curiosè interrogantibus moneatur. Denique reliqua multa tradi potuerant, quorum nonnulla iam conscripsi partim Latino eloquio, partim in gallico in varijs tractaculis. Et alij doctores longè ampliora vtilioraque. At verò hæc interim pro sua breuitate ne fastidio sint sufficiāt. Et quia si quis ad opus hoc saluberrimum bona fide processerit, ille plus exercendo & orando quam legendo erudietur atque proficiet.

FINIS.

TRACTATVLVS EIVSDEM DOCTORIS DE CONfessione molliciei.

QVIDAM magister in Theologia Parisijs per experientiā multam & studium diligens cum auxilio Dei pia sedulitate inuocato, comperit hæc quæ inferius scribuntur plurimum efficacia esse ad extrahendum à cordibus confitentiū, præsertim iuuenum, saniem abominabilem peccati illius detestabilis quod dicitur mollicies, & consequēter illam quæ contra naturæ iura transit in personam alteram, quia nisi confessor sit solers & circunspectus circa inquisitionem huiusmodi peccatorum, vix aut rarò poterit extrahere ab ore infectorum talibus vitijs, vt illa sponte fateantur. Lector autem obscœnitatem materiæ ac verborum excusatam habeat ob necessitatem docendorum remedium. Igitur post aliqua colloquia de alijs materijs aut vitijs familiariter ac affabiliter non austerè facta, descendat gradatim & quasi ab obliquo confessor ad inquisitionem huiusmodi peccati, sic dicendo.

AMICE recordaris quod vnquam in pueritia tua circa 10. aut 12. annos tua virga vel membrum pudendi fuerit erecta. Si dicit quod non, statim conuincitur mendacij, & quod vult fingere & timet capi, quia constat hoc omnibus pueris non vitiatis corpore, dum calefacti sunt in lecto vel aliàs sæpe contingere. Idcirco magis ac magis apertè debet vrgere vt dicat veritatem. Item confessor si ille sit iuuenis præcipuè. Amice, nunquid istud erat indecens? Quid ergo faciebas vt nō erigeretur? Et dicatur hoc vultu tranquillo, vt appareat quod illud quod quæritur, non sit inhonestum vel silendum, sed quasi remedium contra præfatam erectionis prætensam inhonestatem. Si nolit respondere, planè petatur consequenter. Amice, nunquid palpabas aut fricabas virgam tuam quemadmodum pueri solent? Si omnino dicat quod nunquam tenuit in statu tali vel fricuit non potest vltra progredi nisi admirando & dicendo quod non est credibile, hortando quod sit memor salutis suæ, quod est coram Deo, & quod est grauissimum in confessione mentiri, & similia. Si verò dicat quod tenuit & fricuit. Amice benè credo, sed per quantum spacium? per horam, aut dimidiam? & vtrum tamdiu quod virga non plus erigeretur? & proferatur hoc quasi confessor non reputaret hoc insolitum vel peccatum. Si respondeat confitens quod ita fecit, tunc habetur intentum quod talis veraciter commisit peccatum molliciei, etiam si propter ætatem non fuerit subsecuta pollutio, quoniam ibi est complementum delectationis illecebrosæ, & forsan perdidit virginitatem, saltem animi, & magis perdidit, quam si pro illa ætate iuisset ad mulieres. Fortè tamen probabiliter dici potest, quod per pœnitentiam virginitas reparatur in non polluta, sicut de mentali corruptione, quæ fit in consensu intrinseco, esse dicimus dum corporalis defloratio seu pollutio non est subsecuta. Istis igitur habitis debet tunc vehementer increpare & detestari vitium illud, & ostēdi qualiter dicat audacter alia, quoniam istud est pessimum. Quo facto potuerunt haberi faciliter aliæ circunstantiæ. Et si in dimissione virgæ post confricationem aliquis humor exibat, vel si fricuerit virgam alterius socij sui, aut si aliquis fricuerit suam & consequenter descendendo ad species magis speciales peccati zodomitici. Considerabat præterea idem magister vt similes interrogationes paucis variatis fierent etiam prouectis viris aut fœminis, quia per experientiam crebram reperit multos adultos infectos fuisse tali vitio, qui nunquam confessi sunt per prius. Aliqui ex pudore primo, & postmodum ex obliuione. Aliqui semper ex pudore, ita etiam vt dicerent se habuisse propositum nunquam confitendi. Aliqui

quia nunquam (vt dicebant) talia fuerant ab eis à confessoribus suis inquisita. Rursus propter experientias plurimas consulebat idem magister, vt seruata honestate & modestia quæ posset seruari, pueri mouerentur nunc à parentibus, nunc à magistris maximè ad partem, & quasi ex indirecto, ne vnquam se fricarent vel palparent in pudẽdis suis, asserendo grauitatem peccati & quomodo per talia possent virginitatem perdere, & damnari perpetuò. Multos quippe cognouit se per ignorantiam excusantes, dicentes se nunquam audiuisse vel sciuisse quod talis tactus esset peccatum, ex quo non habebant voluntatem cognoscendi carnaliter mulieres. Valent insuper ista ad aliud, quoniam post perpetrationem peccati citius confiterentur etiam verecundissimi pueri. Demum videbatur eidem magistro non adeò timendum esse illud quidam timuerunt, ne scilicet pueri docerentur mala agere. Videmus enim quod ex corruptione naturæ pueri etiam triennes vel quinquennes vehementer sunt inclinati talia agere, quia sentiunt ibi quendam pruritum incognitum dum stat erectio, arbitrantúrq; licitum esse quod se fricent ibi, & se palpent & tractent, sicut in alijs locis dum pruritus inest saltem non aduertunt. Quo fit vt ex consuetudine crescat cum ætate delectatio. Ac proinde labuntur in propriè dictam molliciem vel zodomam ex actu tali qui primitus ab eis non putabatur illicitus. Postremò non reuocabat in dubium ipse magister quin tolerabilius esset aliquos forsan ex tali doctrina doceri ad malè agendum de per accidens, quam ita passim damnabiliter vitium inolere, & absque confessionis necessario remedio derelinquere. Præterea consulebat vt nec per iocũ nec aliter, pueri aut puellæ oscularentur, aut nudã manu tractarẽtur, nec diu figerentur oculi in eorum decore, & loquendo cum eis dicerentur verba salubria, casta, sobria, & modesta, nec reciperentur solitariè, nisi forsan in sacro loco in visu omniũ, & breuiter hic ab omni specie mala singulariter abstinendum. Sunt enim quasi paruæ stipulæ, per quas nonnunquam diabolus grandem suscitat inflãmationem, quamuis ab initio quandoque non apparet. Cæterum sibi placebat plurimum consuetudo patriæ illius, vbi pueri cubant soli. Abhorrebat insuper quod iuuenes, doli capaces pueri, aut puellæ, aut iuuenes cũ senioribus quantumcumq; propinquis in genere eodem lecto vterẽtur, aut quod se inde per ludum vel aliàs in nudo pertractarẽt, cognoscebat enim quæ ex talibus horrenda facinora prodierant.


Tandem monebat confessos sibi super hac fœda (de necessitate tamen ad remediãdum tractanda) materia de aliquibus. Primò quod si aliquem sociorum suorum cognoscerent nunc vel in posterum tali vitio infectum, reprehenderent eum secretè vt desisteret & confiteretur, ostendendo peccati turpitudinem & detestationem ex dictis confessorum vel alijs, & ex legibus publicis quæ pœnam ignis infligunt, & ex horrenda fulminatione quinque ciuitatum & similibus. Secundò vt sobriè viuerent, abstinendo à speciebus & vino forti & multo, & alijs inflammatiuis ad venerem, & super omnia cauerent à societatibus peruersis, vbi colloquia praua & gestus impudici fiunt in lecto absq; dormitione. Item dicebat pro summo remedio occurrendum esse principio tentationis, A secundum omnium sanctorum doctrinam quotidie expertam, & per similitudinem de inflammatione materiali. Ad hoc agendum dicebat expedire certas orationes quasdam paruas, quasdam magnas memoriter habere, quæ statim dicerentur percutiendo pectus, vel læsionem etiam corporalem alicubi inferendo, vel aqua frigida se spargendo, vel surgendo à lecto, & similia. Solebat inducere exempla sanctorum, vt Benedicti, Anthonij, Bernardi, sancti Thomæ, & aliorum patrum, quæ cõmemorare longum est. B Illa tamen in promptu scire magnam habet vtilitatem. Inter alia sibi placebat multum id quod agebat quidam iuuenis in primo tentationis occursu, quasi enim videret facialiter diabolum, spuebat in terram, dicendo. Psy psy miser damnate dæmoni, quod ego tibi consentiam, quod sic offendam Deum meum & patrem meum, & de templo suo faciam sterquilinium fœdissimum absit, absit, abi hinc in malam horam, & similia. Quandoque præterea ad animam suam, quandoque ad corpus, quandoque ad C Angelum, nunc ad Deum, nunc ad aliquem sanctorum collocutionem & quærelam rei tali congruam medicantem proferebat, aut animo reuoluebat. Orationes & commendatæ ad hoc cum magna fide & conatu & humilitate, & profunda recognitione propriæ fragilitatis, sunt hæ dicẽdæ, aut similes. Cor mundum crea in me Deus. Vre igne sancti Spiritus. Sancta virgo virginum ora pro me. Ad sanctos alios & sanctas. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius. Saluum me fac Deus, D quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Denique locum præcipuum in peccato hoc habet antidotum illud quod in alia schedula explicatum est, de imponendo scilicet saltem ad grauem pœnam in casu recidiuationis, ibidem videatur, vel aliter exoretur ille à quo solo homo habet vt sit continens, qui & donum hoc negare nescit fideliter orantibus. Quod tam contumeliosum naturæ humanæ pro nobis ab eodem assumptæ facinus dignetur radicitus extirpare, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

E

De confessione mollicici finis.

TRACTATVS DE REMEDIIS CONTRA RECIDIVVM PECCATI

secundum exercitium & doctrinam eiusdem magistri Ioannis de Gerson.



ABET hoc proprium ars quælibet vt F faciliori compendio ad finem ducat optatum. Admirari præterea nemo debet, si in animarum regimine, quod est ars artium experti in ea faciliora sciunt & dant remedia contra morbos vitiorum, præsertim in foro conscientiæ. Vbi maxim[illegible] locum habet illa Christi formidabilis sententia? Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt. Placuit idcirco scriptis mandare breuem se habendi formam, quam quidam magister in Theologia Parisiensis fide, moribus & doctrina probatus obseruabat, & obseruare consulebat, præcipuè contra recidiuũ in peccato vel peccatis ad quę confessus, se nimis

se nimis sentit inclinatum. De præteritis itaque dabat satis tolerabilem pœnitentiam attentis moribus & ætate confitentis & non nisi de consensu suo vt est sine camisia vno die in hebdomada per annum vel tres abstinere, aut vti cilicio, & similia. Item quod prima vice confessionis alicuius peccati inueterati seu detestabilis ob recordationem factæ gratiæ quod vitium illum detectum erat opertum & sanatum, iniungebat vt toto tempore vitæ suæ confessus diceret qualibet die. Pater noster, & Aue Maria, semel in mane, & semel in sero, aut Miserere mei Deus, vel simile aliquod. Et in istis si cadebat obliuio aut impedimentum legitimum, benè volebat vt alio die posset fieri simile vel æquiualens. Sed ad prouidendum futuro casui & recidiuo in morbum peccati qui semper est deterior, maiorem operam dabat, & studiosius inuigilabat sic agendo, vt simul etiam de præteritis pœnitentiam daret, in quantum resistere peccato consueto, pœnalitatis multum habet & meriti. Iniungebat igitur non perpetuò, sed ad tempus certum longius aut breuius secundum voluntatem & dispositionem confitentis, quod idem confitens pro qualibet vice qua incideret tale peccatum quod volebat ex toto sanare, aliqua de subsequentibus adimpleret, vel omnia secundum tres satisfactionis partes. Primò quod in casu illo teneretur vno die sequenti, infra tres dies in pane & aqua ieiunare. Secundò diceret certum psalmorum numerum. Tertiò si foret sui iuris, daret in Ecclesiam certum locale, aut aliud benè charum sibi, aut summam pecuniæ secundum qualitatem diuitiarum suarum infra tres dies. Quartò infra illud trium dierum spacium, teneretur confiteri. Quintò nonnunquam addebat quod si quis vehementer tentaretur facere peccatum tale, & omnino deliberaret intra se sic agere, nihilominus antea teneretur dicere sub iuramento septem Psalmos, aut flectere genua pluries ante imaginem Crucifixi, aut beatæ Virginis, aut alicuius Sanctorum, priusquam opus illud nefarium perpetraret. Sic enim forsan miserebitur Deus, & orando sic vel humiliando se, faciet in tentatione dominus prouentum, & mitigabit maris fluctus suscitatos.

Compertum est remedia hæc cum adiutorio diuinæ gratiæ esse efficacissima, tam in foro conscientiæ quam extra, si velit homo bona fide, & non illusoriè conuerti à via sua mala, & saluari. Sic & enim fieri videmus in foro exteriori publico, vt pœnæ certæ taxentur ad rebelles compescendum. Sic domine, sic in chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te, & compelle intrare si vocare parum est. Sic quemadmodum Naso ait: Vt corpus redimas, ferrum patiaris & ignem. Vt valeas animo multa ferendo tuo.

Causam verò vtilitatis pœnitentiæ talis reddebat à priori idem magister: Quoniam inquit, secundum Aristot. & experientiam, Incontinens ante tentationem benè deliberat & eligit, sed adueniente & vrgente tentatione, vincitur, labitur & succumbit. Turbatur quippe iudicium rationis & obnubilatur propter tractum, motúmque sensitiui appetitus, ita vt non posset habere cogitationem de Deo, & honestatem perfectam & integram & solidam, quemadmodum si quis
A somnolentia quadam serò prematur. Est præterea saluberrimum, vt per aliquid terribile præsens aut quasi præsens ipse terreatur, & quasi sopitus suscitetur, viuificetúrque ad non consentiendum tentationi. Neque enim aliquis est tam acri tentatione pulsatus in carne vel aliter, quin ex toto vel magna parte desisteret ab impletione tentationis suæ, si pro certo crederet quod in corpore vel in membris vel bonis graue damnum statim esset incursurus. Vigilaret siquidem tunc ratio intra se, &
B forti voce clamaret, quid cogitas? quid tibi vis? quorsum tendis? Nunquid vis pro quadam leui tentatione aut delectatione sordida, quæ subitò in pœnam & fastidium conuersa erit, hoc vel illud subire detrimentum? Non tibi sic expedit. Inter hæc autem similia verba resilire incipiet à cogitatione maligna, & auertet paulatim oculos rationis ab ea. Fiet quoque istud cum adiurorio rationis, & cum confessione peccatorum vel alijs congruis remedijs, vt cesset illud miserabile tentationis, incendium, quia & cessabit cogitatuum sordi-
C dorum sufflatio.

Deinceps respondebat idem magister ad duas obiectiones fieri possibiles, quoniam timor ille seruilis videtur euacuare meritum resistendi peccato. Est illic præterea transgressionis periculum. De primo dicebat, quod ex quo pœna ista vltro imposita erat, & propter Deum ex illa radice primaria bona germinabat pullulabátque meritum. Quamuis enim non ita sincera atque laudabilis sit huiusmodi resistentia & cessatio à peccato in casu
D prædicto quemadmodum est in virtuoso qui præcisè propter Deum peccata deserit, nihilominus resistentia talis bona est, & saltem inductiua virtutis, sicut de timore seruili respectu timoris casti doctores determinant. Quamquam ibi non sit timor tantummodo seruilis, sed in sua radice primaria filialis & castus. Resultat insuper meritum ex approbatione sequenti, dum gaudebit incontinens trãsacta tentatione non consensisse peccato. Demum qualiter ibi esset timor simpliciter seruilis, cum posset confessus ab ista liberari pœna, non
E implendo pœnitentiam, attamen implet, quia Deo & sacerdoti suo vult obediens esse. Et hic sumi potest grata & pulchra consideratio pro sponte vouentibus ac religionem intrantibus.

Ad alteram obiectionem dicebat similiter fieri posse ad improbationem omnium religionum, omniumque votorum salubrium, si sic, omnis pœnitentiæ susceptio periculosa esset. Sic & Deus & superiores in suis præceptis & legibus culparentur. Euitatur etiam periculum sufficienter per
F hoc quod non nisi consensu habito confessi, & ad tempus non perpetuò tales pœnitentiæ siue obligationes imponuntur. Siue igitur fiat per tempus ista transgressio, aut si diabolo perurgente fieret, pœnæ solui possunt & ita homo à noua transgressione liber erit, immo & opus bonum faciet, quod si transacto tempore statuto remedium videretur inefficax, aut in deterius vertatur, poterit omitti. Si verò sit vtile sicut sperandum est, rursus valebit iterari. Denique & si salubrè antidotum ob ægrotantis inobedientiam pestiferum fiat, medicus culpa caret.

Subinde prædictus magister aliud adijciebat

documentum. Itaque si videbat pueros, aut alios simplices minus cogitare præcepta Dei, & ex hoc liberius peccare, reddebat eos magis timidos & cautos contra peccatum, per promissiones expressas in manibus suis factas de cauendo deinceps de tali vel tali peccato, per hoc enim promissionem in baptismo factam de obseruatione legis Christi tanquam abolitam à memoria vel transgressam renouabat, & per modum cuiusdam recognitionis iterum promittendo reparabat. Sic Moyses & Iosue respectu filiorum Israel, sic plerique homines post primam confœderationem fœdus antiquum retractant & ineunt. Neque arbitretur aliquis promissionem talem patere discrimini aut fractionem eius esse casum specialiter reseruatum, quoniam nullum ibi votum est, cum non nisi respectu illorum quæ aliàs essent licitas, & quibus confitens implicitè vel explicitè promissionem talem facit aut renouat scilicet quod contra Dei præcepta de cætero mortaliter non peccabit. Erit attamen transgressio de per accidẽs deterior, quia & cognitio diuini præcepti iam sibi effecta est lucidior.

Rursur idem magister prouidebat diligenter, ne cõfessus suus esset deinceps occasio primariæ corruptionis aliorum, præsertim iuuenum, & quod sibi sufficeret damnatio, perditióque propria, specialiter in peccatis grauioribus & abominandis, immo nec nominandis palam. Ne pias aures polluant occurrebat diligenter prouidendo vijs omnibus comminatione pœnarum & obligatione, ne confessus transiret in deteriorem speciem ex societate seu communicatione peruersa, & explicabat quandoq; particularius sicut clam & secretè fieri potest, dum videbat opportunum. Malebat enim confessum suum dimittere & tolerare in sua libertate quoad peccata aliqua minus grauia, quam ita eundem vrgere ab omni parte vt ad deteriora laberetur. Quando autem & qualiter illud fiendum est, magis docebit virtus & ars & vnctio sancti Spiritus, & circunstantiarum omnium particularium consideratio, quam scriptis aut verbis possit edoceri.

Postremò dabat consilium idem magister, vt confitentes non refugerent, sed pro dono maximo reputarent habere peritos confessores, moribus & scientia & longo experimento probatos, qui quærerent non quæstum proprium, sed syncero corde salutem animarum. Et iterum pro congruis remedijs contra singula vitia laudauit plurimum summam scilicet de vitijs & virtutibus, laudabat denique pro bonis effectibus generandis libenter conuersari cum viris bonis & deuotis, quia vox diuina est. Cum sancto sanctus eris. Eorum itaque colloquia sunt ignita vehementer & stimulantia ad virtutem. Sed & sanctorum Patrum vitę & exempla frequenter & attentè lecta vehementer proficiunt, ad infundendum cordibus nostris diuini amoris affectum, vt Deum in omnibus & super omnia diligentes, promissiones suas quæ omne desiderium superant consequamur. Amen.

PRÆTEREA illæ circunstantiæ quæ habentur per hunc versum, inquirendæ sunt in confessione à confessore. Quis, quid, vbi, quibus auxilijs cur, quomodo, quando. Per quis intelligitur an sit iuuenis vel senex, clericus aut laicus, solutus aut ligatus. Per quid an sit res sacra vel non. Per vbi, an sit in loco sacro vel non, publico vel priuato. Per quibus auxilijs, an cum pugno, baculo aut gladio. Per cur, qua intentione, an ratione vindictæ inferendæ, vel iniuriæ repellendæ. Per quomodo, an percusserit aliquem fortiter vel remissè. Per quãdo intelligitur an in quadragesima, aut in alio tempore sancto. Vel aliter. Tempus, locus, modus, numerus, mora, scientia, ætas.

Tractatus de remedijs contra recidiuum finis.

RESPONSIO EIVSDEM SVPER QVÆSTIONE SIBI FACTA PER *vicarium domus Carthusiæ de statuto ordinis eiusdem quod commissi ad confessiones audiendas non absoluant à mortali certo, sed remittant confitentem ad superiorem suum.*

CONFESSIO sacramentalis fundatur in solo iure diuino & Euangelico super illo. Quodcunq; ligaueris super terram, &c. Confessio sacramentalis sicut non potuit institui nisi à solo Deo, sic non destitui potest ab homine puro. Aliàs Papa posset non obligari ad confessionem sacramentalem. Confessio sacramentalis non obligat ad venialiũ confessionem de per se & de necessitate salutis, quia non tollunt charitatem, & ideo sine confessione stat salus. Confessio sacramentalis non debet extendi per homines puros, vt aliquis peccata venialia confiteatur nisi velit. Sequitur ex præcedentibus. Immo nec debent fieri reseruationes nisi in grauibus culpis. Potest autem dici grauis culpa quæ transit in opus cum consensu & deliberatione perfecta, aut cum graui scandalo aliorum. Confessio sacramentalis non obligat de per se vt homo bis confiteatur idem peccatum, etiam mortale, nisi confitens velit. Ratio, quia lex diuina non obligat nisi semel confiteri, & hoc per se, & nisi velit homo. Confessio sacramentalis non debet coarctari per reseruationes casuum præsertim occultorum, contra vel præter legem Euangelicæ libertatis, sed dandus est locus timori altissimi, alioquin timeatur illa Phariseorum culpatio. Alligant onera grauia & importabilia humeris hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Fit rursus aliquando vt qui nimis emunget, eliciat sanguinem, & fiat causa fictionis. Confessio sacramentalis tali & tanto claudi debet sigillo secreti, vt nec verbo nec signo quomodolibet reueletur, aut reuelari probabiliter æstimetur. Facit ad hoc expressa determinatio Ecclesiæ cum naturali ratione. Confessio sacramentalis de peccatis occultis, raro & cautissimè debet remitti ad superiores habentes iurisdictionem coercitiuam in publicis, quales sunt Abbates & Priores in religionibus quia facilis oritur suspicio apud correctos publicè, quod occulta confessio per eos facta lædatur. Sed etiam debent instrui confessi, quod confessio secreta de publicis non liberat eos, quin possint aut debeant publicæ punitioni subiacere. Confessio sacramentalis potest quandoque rationabiliter & fructuosè dimitti

mitti de venialibus, potest etiam aliquando fieri fructuosè. Qualiter hoc & quando docere debet A vnctio Spiritus-sancti cum consilio Christianæ prudentiæ. Confessio sacramentalis potest aliquando repeti fructuosè de mortalibus iam confessis, sed obligatio pluries illa confitendi potest reddi vitiosa, quia nimis onerosa. Confessio sacramentalis potest sæpe fieri sub conditione, tam propter ignorantiam facti, quia nescit sæpe homo quid & qualiter fecit, quam propter ignorantiam iuris, quia nequit in pluribus à venialibus mortale discerni. Confessio sacramentalis facta sub conditione modis tactis, aut alias legitimè potest B habere seu recipere absolutionem absolutam sub hac forma. Ego absoluo te In nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. Quæ forma sufficiens est & secura cum intentione debita confessoris ad absolutionem de peccatis. Immo & excommunicationibus in foro conscientiæ. Nec oportet, immo sæpe non expedit multiplicare sermonem absolutionis, vt dicendo, si & in quantum possum, & dicendo, de contritis peccatis & oblitis; & de tali vel tali excommunicatione, si & in C quantum indiges, cum similibus quæ addita plus officiunt sæpe vel perturbant, quam proficiant vel serenent. Super hoc notetur hæc doctrina.

Absolutio sacramentalis potest delere peccata quæ nondum erant contrita, sed solummodo attrita. Rursus oblita peccata non delentur virtute absolutionis sacramentalis, quin homo postmodum teneatur illa confiteri dum redeant ad memoriam, sed si non redeunt, nihilominus homo saluabitur, si fecerit sufficientem diligentiam recordandi, cum Deus non obliget ad impossibile. D Est igitur additio frustra cum dicitur, de oblitis. Similiter cum dicitur, de contritis, potest esse noxia. Similiter & malè exprimitur, si & in quantum possum & debeo. Sufficit enim quod intentio sit benè regulata. Patet ad extremum quod noxia sit obliuio peccatorũ, quia nõ delentur virtute confessionis sacramentalis, ac perinde virtus clauium quæ remittit magnam partem pœnarum debitarum, ad huiusmodi peccatorũ deletionem non sic efficaciter applicatur, prout fit circa peccata, quæ sacramentaliter & expresè sunt confessa. E

Adhuc de eodem statuto.

ITEM ad quæstionem sibi factam per vicarium Carthusiæ super statuto Carthusiensium de absolutione à peccato mortali, & de consuetudine ordinis super hoc. Respondit sub correctione & cum reuerentia loquendo, non apparet quod talis reseruatio sit conueniens nec consona euangelicæ libertati, quia non tenemur confiteri de F venialibus. Et quoad mortalia distinguenda non est dabilis regula generalis & infallibilis per humanam sapientiam. Propterea talis reseruatio non est nisi laqueus animarum, præcipuè timoratarum. Potest tamen fieri reseruatio de certis mortalibus manifestis, & quæ transeunt in opus exterius, quia de cogitationibus noxium est aut inutile reseruationem adhibere. Item idem ad quendam Carthusiensem sic scribit. Recepi quod in constitutionibus vestris non dicitur, quod om-

nis mortalis culpa sit maiori reseruata in foro confessionis, sed quod grauis culpa. Et certè tolerabilis & salubris est hæc constitutio, si benè fuerit declaratum qualis culpa debeat meritò grauis reputari. Et ita saluatur honor patrum constituentium. Et nihilominus euitatur onus importabile super ceruices peccantium. Qualis autem fieri debeat aut possit interpretatio, quid est grauis culpa, puto notatum fuisse competenter in vltimis scriptis, licet incultis, domino Osualdo respondendo tali quæstioni. Si de solis venialibus debeant absoluere commissi à priore. Item nota quod nullus tenetur confiteri peccata venialia lege diuina, nisi sit ad hoc specialiter obligatus per votum vel particulare statutum, quale non debet leuiter fieri. Et quandoque magis expediret cessare à confessione talium quam nimiam incurrere sollicitudinem, quæ plus impediret aliquandò quam fructus cõfessionis iuuaret. Alioquin etiam confessione facta oporteret sæpe iterum confiteri, & sic deinceps sine termino attento, quod vix facimus aliquid vbi non possumus rationabiliter formidare de peccato veniali.

FINIS.

AVISAMENTVM EIVSDEM PER MODVM CONFESSIONIS IN *religionibus non lapsis audiendi.*



SICVT expediens esse suasi pro patribus Carthusiensibus & Cælestinis, vt eorum superiores haberent à domino Papa latissimam absoluendi, in foro pœnitentiali licentiam, sic apparet mihi quod confessores ordinati per singulos conuentus habeant magnam & amplam potestatem absoluendi, nedum de venialibus solum, quia talis esset irrationabilis & intolerabilis restrictio, sed etiam de mortalibus, præsertim occultis, non quod absoluerent de quicunque mortali. Quando autem deberent remittere ad superiorem & quãdo non, relinqueretur arbitrio confessoris iuxta qualitatem confitentis. Attento primò quod consultius est pœnitentem mittere in purgatorium cum parua pœnitentia, quam cum magna non implenda, vel fortè non aliàs confitendo detrudere in infernum. Rursus attento, quod non obstantibus tot decretis super pœnitentijs iniungendis, communior est doctorum sententia, quod omnes pœnitentiæ in foro sacramentali sunt arbitrariæ, intelligendo de peccatis occultis. Cæterum pro manifestis regulæ & disciplinæ in religionibus ordinatæ, possunt rationabiliter exigi & ab inuitis. Et hic habet locum quod dicitur in terrorem aliorum. Et ne facilitas veniæ incentiuum tribuat delinquendi, & nullo modo de occultis, quæ pœnitus non confiteretur nisi vellet, licet in hoc se damnaret, sed tam horrendo discrimini non occasio præstanda, cum tam misera væ væ væ sit, & totiens experta fragilitatis humanæ conditionis.

FINIS.

DISTINCTIO MAGISTRALIS ET BREVIS EIVSDEM DE MODO *excommunicationum & irregularitatum, & absolutionis ab eisdem.*



EXCOMMVNICATIONVM tot sunt genera quot communicationum, & consequenter iudicantur irregularitates, quæ dicunt impedimenta ad communicationes legitimas exercens. Communicationum alia est naturalis, alia ciuilis. Naturalis est hæc vita corporalis, cui mors opposita potest dici excommunicatio. Ciuilis est multiplex. Quædam secundum leges spectātes ad communicationem temporalem præsentis vitæ de qua spectat ad dominos legistas. Alia est Ecclesiastica secūdum canones & instituta, quæ spectant ad animam in ordine ad vitam æternam. Ecclesiastica cōmunicatio (de qua magis ad propositum spectat) cōsideratur dupliciter. Vno modo ad Deum. Alio modo ad proximum. Cōmunicatio ad Deum est status seu vita gratiæ gratum facientis, cui opponitur generaliter omnis excōmunicatio quæ contrahitur ex mortali peccato, sic quod nequeat talis excommunicatus exercere legitimos actus præsertim sacramētales sine peccato. Communicatio ad proximum seu publica tractatur & intenditur per canonistas, dum loquūtur de excommunicatione & irregularitate. Est autem excōmunicatio seu irregularitas sub duplici differentia. Quædam est omnino sine peccato, quædā ex peccato existente vel præsumpto. Exemplum primi, sicut bigamia, sicut iudicium latum in causa sanguinis ex officio, sicut seruitus, sicut lepra vel mutilatio, vel officium vile, & similia, quę distrahūt & impediunt ab exercitio diuinarum ministrationū, necnon & ab ordinum susceptione repellunt. Exemplū secundi, sicut excomunicatio latæ sententiæ ab homine vel à iure, propter contumaciam veram vel præsumptam. Et hæc est acceptio cōmunissima, quæ subdiuitur in varias species velut innumerabiles. Tamen in generali quędam est reseruata Papæ, sicut etiam irregularitas quæ contrahitur ex huiusmodi excōmunicatione, dum quis se miscet in diuinis excōmūcatus, recipiendo vel exercendo scienter & à proposito. Altera est irregularitas quæ non ita reseruatur, sed etiam tollere potest sacerdos simplex, sicut in excommunicatione minori, quę suspendit hominem à celebratione, queādmodum fit si quis participauerit scienter cum excommunicatis, non tamen in crimine, sed ex quadam verecunda pietate, & in casibus non concessis. Casus autem particulares huiusmodi suspensionum & irregularitatum quærendi sunt à iuristis, & ab institutis religionum seu communitatum, quia consurgunt ex sola constitutione positiua, & aliquando sine crimine, licet non sine ratione, propterea condemnabilis est contemptus. Proinde qualis debet esse forma absolutionis super excommunicationibus & irregularitatibus in foro exteriori & publico, sciatur à iuristis: quoniam in foro conscientiæ non requiritur forma, nec de necessitate sacramenti, nec de necessitate præcepti. Sed sufficit dicere vt supra. Ego absoluo te In nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti, Amen. cum in-

A tentione absoluendi. Expedit autem vt hæc intentio sit latissima, quæ feratur super omni casu in quo potest confessor absoluere tam de sententijs quam de peccatis. Et ita sufficit hæc forma pro omnibus sine multiplicatione verborum. Adde quod absolutus in foro exteriori de excommunicationibus, tenetur nihilominus causas excōmunicationum sacramentaliter confiteri, vt quod verberauerit clericum, &c. Non enim fit publicè sacramentalis confessio, ad quam obligat ius diuinum. Ex quibus omnibus colligi potest quod

B multa à plerisque adduntur frustra in absolutione sacramentali, ad absolutionem penitus nihil facientia. In hoc enim quod confessor quilibet cum intentione actuali vel habituali dicit: Ego te absoluo In nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti. omnia comprehendit, scilicet authoritate mihi commissa, vel qua fungor, hanc enim conditionem præsupponit ipsa absolutio. Item à peccatis tuis mihi confessis, superfluè additur, quoniam de non confessis non absoluit. Item & restituo te vnitati sanctæ Ecclesiæ & sacramētis eius. Si enim

C absolutus est, ex se quia fidelis est, iam restitutus est. Cæteræ conditiones patent supra. Verum (vt supra tactum est) si quis fuerit à iure vel ab homine suspensus, aut maiori excommunicatione innodatus, seu irregularitate irretitus notoria aut contumaci, aut certè illa quæ sedi Apostolicæ est reseruata, &c. In talium casuum absolutione præscriptus est modus, videlicet in sacris canonibus, vt eo modo nodus religetur, quo quis fuerit alligatus. Et hæc absolutio simpliciter sacerdotis trā-

D scendit potestatem, saltem ex iure positiuo. Similiter eodem iure eius potestati ablati sunt casus Episcopales aut aliorum superiorum. Similiter & in institutionibus religionum, propter actiorem, sui status custodiam quæ peccata seu casus soli prælato reseruantur, quamuis de per se quilibet sacerdos ab eisdē posset absoluere, dummodo vltra suam potestatem principalem non excederet. Patet quoque quam multa & in ipsa absolutione superiorum, casuum, criminum, excommunicationum, irregularitatum, &c. ab ipsis prælatis adij-

E ciantur superflua, & nihil ad absolutionem spectantia. Nam etiam in talibus sufficit ad communem formam addere solummodo clausulam vel clausulas à iure institutas, quibus irretitus enodetur, seu à nodis absoluatur, vt dicendo authoritate summi pontificis, vel gratiæ aut priuilegij concessi vel dati, &c. Ego te absoluo à tali excommunicatione, irregularitate, interdicto, suspēsione, quam tali vel tali sententia incidisti, &c. sicut congruit, & authoritas concessa aut virtus gratiæ Aposto-

F licæ seu priuilegij se extenderit. Quod autem additur, in quantum gratum in conspectu diuinæ maiestatis fuerit, &c. nihil faciat ad rem.

De iniunctione pœnitentiæ.

SED de iniunctione pœnitentiæ diuersæ sunt opiniones suas rationes adducentes, an ante absolutionem vel post absolutionem iniungenda sit pœnitentia, quæ confessionis indiuidua comes est, ad hoc enim confessio fit, quo vulnus inflictum detegatur, ad hoc pœnitentia iniungitur, vt vulneri detecto salutare remedium

remedium adhibeatur. Et licet incertæ sint prouidentiæ nostræ, nec qua lance diuino iudicio A nostræ ponderentur offensæ, tamen abundanti misericordia ac pietate ipsius hoc concessum est fidelibus, vt sacramento confessionis ac remedio pœnitentiæ etiam minus sufficientis iam saltem à mortis æternæ sit ereptus supplicio qui fuerat damnandus, etiam si ob modicæ pœnitentiæ iniunctionem longius sit cruciandus, quibus tamen cruciantibus multiplex remedium suæ sponsæ aliunde prouidit Christus, cuius proprium est misereri, & cuius misericordiæ non est numerus.

De illo autem an ante vel post absolutionem iniungenda sit pœnitentia, nihil videtur obesse homini simplici & contrito seu dolenti corde ad confessionem venienti, & ad satisfactionem parato. In ipsa autem iniunctione pœnitentiæ similiter occurrit reprehensio super multiplicatione verborum pœnitentiæ in nullo suffragantium. Sicut enim confitens cauere debet ne aliquid immisceat quod tantum sacramentum excusatione indebita, verbositate importuna, ostentatione falsa, simulatione fraudulenta, ac cæteris quibuslibet malis violet, fructúmque eius tollat, ita non minus ipse confessor locum Dei tenens, atq; eius gerens vices, sacramento confessionis reuerentiam exhibeat, & eius verba statera sancta sint ponderata, ne & ipse in tali loco adducat quicquam quod eum verborum subtilitate necnon multiplicatione, aut insolita forma prolationis possit ostentare magis cæteris confessoribus idoneum, intelligentem, doctorem, sanctiorémque. His enim ac similibus conditionibus plerísque (proh nefas) confessoribus non solum fama & fauor à lingua, sed etiam à manu crescit pecunia, & cathedra Moysi quam dominus laudauit, istis atque alijs modis vertitur in cathedras numulariorum & columbas vendentium, quas idem ipse euertit, & de templo eiecit. Post simplicem igitur confessionem & veram vt præsupponitur, simplex fiat absolutio, aut cum timore & magna cautela ad superiores si oportet remissio iuxta superius dicta, demum post absolutionem vel ante (quod ad præsens nolumus determinare, eò quod non obstet huic sacramento (simplex etiam fiat pœnitentiæ iniunctio.

HOC NOTABILE QVOD SEQVITVR MVLTVM CONCORDAT *cum dictis domini Ioannis Gerson, ita quod videtur etiam ab ipso positum.*

NOTA forma absolutionis à peccatis & necessaria est: Ego absoluo te. Sed satis conuenienter præmittitur, authoritate Ecclesiæ, à qua confessor accipit potestatem absoluendi in susceptione ordinis. Sed quia illa potestas est retenta in manu superioris nisi committatur, ideo dicitur, & ordinis. Et si loco huius clausulæ præmittatur, authoritate qua fungor, non est vis. Idem enim valet. Denique nota, quod satis conueniēter apponitur in forma supra dicta, à peccatis tuis, ad denotandum de quo fiat absolutio vel de quibus. Quod verò dicatur, à peccatis tuis, & à circunstantijs eorum,

hoc secundum totaliter est superfluum. Quia aut circunstantia est peccatum, aut non. Si sic, iam dictum est, à peccatis tuis. Si non, non cadit sub absolutione. Item quod dicatur de contritis, periculosum est, & potest esse damnosum quia nedum contrita, sed etiam attrita peccata possunt per absolutionem deleri per gratiam post aduenientem, vt melius post declarabitur. Hoc autem quod est contritum, omnino excluderet attrita, sicut album nigrum, &c. Denique hoc est inijcere scrupulum desperationis, præcipuè in mortis articulo existentibus. Nulli enim constare potest si B verè de peccatis conteratur. Cum igitur audit se absolui à contritis, incipiet dubitare & vacillare super sua absolutione, maximè cum inimicus in mortis articulo toto posse insistat ad deijciendum hominem à sua spe & fiducia, & sæpe dolor corporis est vehemens, ita quod homo nullam deuotionis gratiam seu contritionem attestantem sentire possit, sicut etiam & in sanitate hominis sæpe sine culpa sua propter multas rationes aufertur gratia deuotionis. Tollitur igitur per hoc C fiducia vel minuitur, & datur occasio ruinæ seu desperationi. Et si enim verè ita sit, quod absque contritione peccata non deleantur, tamen homo sæpe veraciter conteritur, vel in ipsa absolutione contritio virtute sacramenti infunditur, & hoc hominem vt prædixi latet, & cum audit, à contritis, capit occasionem mussitandi & dubitandi, & per consequens periclitandi. Quod si dicatur de oblitis, similiter est superfluum, quia non potest confitens de peccatis oblitis absolutè absolui D qui etiam teneatur confiteri, si in futurum recordetur. Nec valet dicere, quæ libenter confitereris, siue quæ velles confiteri, si eorum haberes memoriam, quia staret quod confitens vellet quando confiteretur, & non vellet quando recordabitur. Aut fortè voluntatem habet bonam in generali de confitendo omnia quæ occurrunt, quam non haberet de confitendo, si in speciali aliqua occurrerent, sicut manifestum est, & declarari posset per syllogismum incōtinentis extra passionem existentis. Et hoc diffusè declarari po- E test tempore suo, &c. Item malè exprimitur, si & in quantum possum & debeo, quia si non potest, non debet se ingerere ad audiendum. Et si fortè occurrit casus sibi impertinens, debet remittere ad superiorem. Sed & sufficit quod intentio confessoris sit benè regulata. Nec est idem dicere, si & in quantum possum, & dicere, authoritate mihi commissa, quia primus modus loquendi est dubitatiuus, & per consequens periculosus, vt iam statim supra dictum est, secundus autem F assertiuus. Et debet intelligi authoritate id est per authoritatem. Nota illa particula. In nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti, Amen.

Additur ad denotandum quod à Deo est quod absoluit. Vel quia omnia sacramenta fiunt in virtute fidei Trinitatis & passionis Iesu Christi domini nostri. Nec est (vt Thom. dicit in 3. parte Summæ) de substantia absolutionis, sed relinquitur arbitrio sacerdotis, qui cum sit vt instrumentaliter concurrens, & cæt. siue vt minister absoluat, conuenienter apponit illud quod pertinet ad primum authoritatem Dei, scilicet vt dicatur. Ego te absoluo in nomine

Patris & Filij & Spiritus-sancti, &c. quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi. A Quodcunque ligaueris super terram, &c. Sicut in baptismo, talis appositio ibi, & non in baptismo relinquitur arbitrio sacerdotis.

ALIVD NOTABILE EIVSDEM VT VIDETVR, DE PRIMIS *motibus & consensu.*

NOTANDVM quod sunt motus primò primi, & sunt motus secundò primi, & B sunt motus qui cõsistunt in consensu. Motus primò primi sunt tres, quibus non est aliquod peccatum mortale vel veniale, quia non attingunt voluntatem, nec vt libera est, nec vt natura. Primus est titillatio in carne, siue suggestio facta excitans ad libidinem. Secundus est delectatio in appetitu sensitiuo tantum, circa illud quod caro suggerit. Tertius est desiderium improuisum prosequendi illud in opus. Motus autem secundò primi sunt illi qui attingũt volun- C tatẽ vt natura est non vt est arbitrio libera seu liberatiua. Et sunt tres. Primus est motus delectationis in voluntate condelectando appetitui sensitiuo. Secundus est consensus subitus voluntatis in delectationem. Tertius est consensus subitus seu desiderium prosequendi in opus. In his est tantum peccatum veniale. Ita quod in primo gradu est principium peccati venialis, in secundo medium, in tertio limes seu terminus. Isti sunt consensus in quibus cadit peccatũ mortale, de peccato saltem D quod cadit sub prohibitione. Primus est consensus interpretatiuus in delectationem, quæ fit quando ex delectatione voluntatis intantum absorbetur ratio vt non possit intendere iudicio, & voluntas negligit mouere rationem ad iudicandum, & permittit tempus transire quo possit deliberare. Secundus est consensus verus in delectationem, habito etiam iudicio rationis in oppositum certò. Tertius est consensus in opus, & verus & deliberatus, etiam si opus nunquam sequatur, quod quidem per se est peccatum mor- E tale. Inde ait saluator. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, statim mœchatus est eam in corde suo.

OPVSCVLVM EIVSDEM SVPER ABSOLVTIONE *confessionis sacramentalis.*

GRATIA tibi, & pax frater charissime. F Petis primò si apud aliquem doctorem reperiatur forma autentica absolutionis sacramentalis? Respondeo quod sic. Et de hoc videatur summa confessorum, vel Berthelina super hoc verbo Absolutio, prima quæstione. Vtrum forma absolutionis debeat fieri sub modo indicatiuo. Et secundum illa quæ reperiuntur ibidem, patebit satis responsio. Ad illud quod secundò petis, scilicet quæ sit forma sufficiens. Deinde ad tertium quod quæris, vnde tot varietates in forma ista absolutionis? Respondeo quod, ex ignorantia vel negligentia sufficienter inquirendi quæ agenda sunt circa sacramenta. Sed cur plus (inquis) circa istam formam quam circa alias? Ratio vna est, quia aliæ formæ dicuntur publicæ, & inueniuntur scriptæ, sicque leguntur. Hic autem occultè & absque libris & arbitris fit negocium. Potest & alia ratio dari, quia actus confessionis & absolutionis est quidam actus iudicialis, vbi videtur sufficere quod sacerdos iudex explicet sententiam suam quibuscunque verbis dum tamen intendat absoluere sicut dicimus in matrimonio, quod consensus interior amborum, significatus exterius qualibuscunque verbis immo & signis, sicut in muto, sufficit ad matrimonium contrahendum. Denique pro solutione aliorum quæsitorum, & declaratione pręmissorum scribam tibi modum quo vtor in huiusmodi absolutionibus. Vnde si nihil dubitatur de excommunicatione contracta. Dico primò per modum imprecationis, quæ de congruo præmittitur. Dominus noster Iesus Christus te absoluat, vel parcat tibi Deus, vel dum mora maior est. Misereatur tui omnipotens Deus, &c. Deinde subiungo cum intentione interiori absoluendi, quantum possum, & secundum authoritatem mihi commissam, & dico, Ego te absoluo à peccatis tuis. In nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti, Amen.

Nec oportet aliud addere, nec istud pronomen alijs nec istud adiectiuum omnibus, nec istud oblitis, nec istud contritis, immo potest nocere si ponitur hoc adiectiuum contritis, cum virtus sacramentalis absolutionis valeat super peccata solum attrita, licet nondum contrita. Et ita est additio quodammodo distrahens, quæ præsupponit contritionem præcessisse, quæ non semper prærequiritur, vt dictum est. Item nec oportet addere quantum possunt, & adhuc minus istud, in quantum debeo, quia sæpe sacerdos non tenetur aut debet absoluere, & ita est additio distrahens.

Item nec oportet addere, auctoritate mihi commissa, &c. omnia enim talia sufficienter fiunt & valent per intentionem interiorem, quam habet sacerdos vel habuit in volendo absoluere. Vnde pro regula teneatur, quod formæ sacramentorum debent esse absolutæ & non conditionales. Et si opponatur quod in baptismo dicitur quandoque Si tu non es baptizatus, ego te baptiso, &c. Respondeo, quod illa conditio non se tenet nec tenere debet ex parte formę, sed solum referenda est ad explicationem intentionis, quam habet sacerdos, quam intentionem ideo explicat, ne putetur velle baptizare puerum iam baptizatum, & ita facere iniuriam sacramento. Vnde apud Deum sufficeret intentio interior sine tali explicatione, nisi quia sic Ecclesia voluit fieri causa dicta. Simile esset in dubio quod aliquis haberet de hostia posita ante eum dum celebrat, & nescit planè si consecrata sit iam vel non, vt puta quia nescit si protulerit sufficienter verba, &c. Tunc si necessaria sit securitas amplior, sufficiet quod homo cum intentione ista quod non intendit consecrare istam hostiam, si sit consecrata, dicat verba consecrationis, quamuis talis repetitio non sit passim facienda, nec esset in hoc assuescendum.

Addatur quod prædicta forma absolutionis sacra-

sacramentalis sufficit in quacunque absolutione pro peccatis, siue fiat confessio post vnam absolutionem iam datam siue non. Nec oportet dicere. Absoluo te ab isto peccato, &c. sed sufficit sicut prius. Denique tutius obseruatur breuis & succincta forma absoluendi prædicta quam dum fiunt tot additiones, quæ vel sunt superfluæ, vel quandoque distrahentes aut impeditiuæ.

Cæterum quoad absolutionem de excommunicatione. Respondetur quod in foro publico, non sacramétali nulla certa forma requiritur, sufficit quod ille qui habet potestatem iudiciariam, significet intentionem suam qua vult tale absolutum esse. Porrò quoad sacramentalem absolutionem quæ vlterius requiritur, & circa cuius omissionem multi deficiunt præcisa forma, non ita requiritur sicut in alijs sacramentis. Vnde ista forma sufficit cum intentione interiori, sicut prius explicabatur. Ego absoluo te ab excommunicatione vel excommunicationibus, &c. Et potest addi (licet non sit necessarium) istud. Et restituo te sacramentis Ecclesiæ & orationibus diuinis. In nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti.

Verum quoad minorem excommunicationé quæ contrahitur ex participatione cum excómunicatis, sufficit eadem forma. Sed quoad excommunicationem largo nomine dictam, quæ contrahitur ex quolibet peccato mortali, quod separat hominem à Deo, puto quod non requiritur specialis formula, sed sufficit alia quæ dicta est pro peccatis.

Amplius verò quoad irregularitates contractas celebrando in excommunicatione vel alio tali modo, sicut habetur in constitutionibus decretalium, forma non est certa & præcisè requisita, cũ sit quidam actus iudicialis magis quodammodo quam ordinis. Nihilominus potest congruè sic dici sicut etiam pœnitétiariorum vsus habet. Ego absoluo te ab irregularitate vel irregularitatibus si sint plures, & restituo te sacramentis Ecclesiæ, & dispenso tecum. Et hoc ponunt pro futuro tépore vt homo legitimè possit celebrare vel vti sacramentis. Denique additur. In nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti Amen.

Tandem ad id quod inquiris, si sit expediens in iniunctione pœnitétiæ dicere. Omnia bona quæ facies sint tibi pro generali pœnitentia? Respondeo quod sic, quia per hunc modum omnia talia bona habent vim satisfactoriam, licet non tantũdem sicut si specialiter iniungerentur & fieret, & hoc propter obligationem maiorem & obedientiam inde sequentem. Sed non esset securum specialiter iniungere taliter & talia omnia sic debere fieri, propter periculum transgressionis, & culpæ seu inobedientiæ inde consequentis.

Tenor quæstionis de qua fit superius mentio in summa confessorum lib. 3. tit. 34. quæst. 91. secũdum quotationem libri mei, sic se habet, quia post confessionem contriti pectoris, regulariter debet subsequi absolutio sacerdotis, quæro an forma absolutionis in sacramento pœnitentiæ debet dici sub modo indicatiuo? Respondeo secũdum Albertum in scriptis super 4. sententiarum dis. 17. Dicendum quod sic, propter sacramenti certitudinem, sed quod præcedit deprecatio, hoc est de bene esse sacramenti, & non de esse. Vnde conuenienter dicitur. Dominus te absoluat & ego authoritate qua fungor, absoluo te à peccatis tuis. In nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti, Amen. Et hanc formam exposuit magister Ioannes de Verziaco in scholis, in lectionibus suis. Thomas etiam in vltima parte summæ suæ. q. 84. arti. 3. concordat cum hoc. Dicit enim quod de forma substantiæ est. Ego te absoluo, sed præmittitur oratio. Misereatur tui omnipotens Deus, &c. ne effectus sacramenti impediatur ex parte pœnitentis. Item quia sacerdos non propria authoritate absoluit, sed quasi minister, conuenienter aliquid apponitur. Ego te absoluo. In nomine Patris, &c. Vel, per virtutem passionis Christi. Vel authoritate Dei, sicut Dionysius exponit 3. cœlestis Hierar. Quia tamen hoc non est determinatũ ex verbis Christi, sicut in baptismo, talis appositio relinquitur in arbitrio sacerdotis.

Sequitur alia quæstio, vtrum requiritur impositio manuum sacerdotis in sacramento pœnitentiæ. Respondeo secundum Tho. vbi supra, arti. 4. Dicendum quod non, quia hoc sacramentum non ordinatur ad consequendum aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remissionem peccatorum. Magis etiam in hoc sacramento competeret crucis signatio quam manus impositio. In signum quod per signum crucis Christi remittuntur peccata, & tamen non est de necessitate sacramenti, hæc ibi.

Quæsisti insuper, si homo absolutus à pœna & à culpa secundum formam solitam conferri in articulo mortis, moriens in illo statu euolet statim ad cœlum? Respondeo, quòd à radice videnda esset hic tota materia de indulgentijs ad plenè respondendum. Pro qua videantur doctores in 4. sententiarum & aliæ summæ. Dico tamen quantum spectat ad præsens, quod absolutio illa solet dari de peccatis contritis & confessis. Si ergo peccata sint quæ non sunt sacramentaliter confessa, sicut sunt peccata oblita, non oportet quod de illis secundum formam absolutionis detur indulgentia. Ex quo patet quantum expedit, non dari obliuioni peccatum, sed illa expresè confiteri habita copia sacerdotis, patet vltra quod in absolutione sacramentali non oportet dicere, absoluo te à peccatis oblitis. Verum est tamen quod quia Deus non obligat ad impossibile, si peccata oblita non veniant in memoriam facta diligentia sufficienti & homo conteritur in generali de illis, tunc homo saluabitur, sic tamen quasi per ignem. Secus autem est (dicunt iuristæ) de absolutione de excommunicationibus, etiam de oblitis, quia non oportet ab illis iterum absolui, dum habens potestatem generalem, vt papa vel legatus &c. Absoluit generaliter ab omnibus sententijs, quod est tutum petere & habere.

Addatur ad præmissa, quod potestas prælatorũ in dando indulgentias non est nisi quædam potestas dispensationis, quæ debet esse rationalis & ad ædificationem, & ideo si dent sine causa rationabili has vel illas indulgentias, vtpote pro solo intuitu fauoris humani vel alio tali modo, non oportet quod indulgentiæ tantum valeant quantũ sonant. Propterea fatuæ sunt & superstitiosæ quædam intitulationes de indulgentijs 20. mille

annorum, vel tali modo, qui dixerit quinque Pater noster ante talem imaginem, &c. Et esset per prælatos prouidendum, quia cedit hoc in contemptum & irrisionem indulgentiarum, nec cõtinet veritatem. Vnde plena indulgentia vix solebat dari pro passagio terræ sanctæ. Constat tamen quod factum pro quo sunt indulgentiæ, magis priuilegiatum est quam aliud, cæteris paribus.

Addatur præterea, quod forma dandi indulgẽtias sæpè varia est, quandoque enim datur sub certis conditionibus, vt si sint confessi, & contriti, & si dederint manus adiutrices, quandoque datur existentibus in gratia, vel infra mensem habuerint gratiam, itaque tunc dum habent gratiam, recipiunt gratiam sine alio actu confessionis vel sacramentalis absolutionis. Vnde dare indulgentias non est propriè absoluere à peccatis, sed est de pœnitentia debita relaxare, vel in toto vel in parte. Et ita patet quod non requiritur certa forma verborum sicut in sacramẽto, sed sufficit explicare secundũ intentionem papæ dantis, quod dantur tali tales indulgentiæ.

Quæris vlterius, vtrum absolutio à pœna & culpa pro articulo mortis semel in vita possit dari illi qui non est tunc moriturus? Respondeo, circa hoc necessarium est cognoscere quid & quomodo Papa intendit dando indulgentias, iuxta illud quod vltimò addebatur in solutione alterius dubitationis, quia si intendit quod solummodo valeant indulgentiæ pro illo qui moriturus est, & pro hora qua est moriturus, tunc quantumcunque detur indulgentia à sacerdote, illa non habet effectum nisi pro hora mortis. Vnde & si ille postmodũ moriatur in peccato mortali, effectus indulgentiæ impeditur. Si autem moriatur in gratia, fortè tunc prima indulgentia sortietur effectum etiam si sacerdos defuerit dans istas indulgentias. Additur fortè, quia nescitur hic satis intentio papæ conferentis. Vnde quamuis sacramentum extremæ vnctionis non debeat dari nisi in articulo mortis, tamen si ille suscipiens non moriatur pro tunc, nihilominus erit verè inunctus sacramentaliter, & tamen in altera vice articuli mortis poterit inungi, non enim dicitur articulus mortis quia per illum vel homo moriatur, sed quia secundum probabilem coniecturam humanam non est in dubio mortis, & ita non oportet expectare horam extremi suspirij. Est igitur tutum consilium in datione huiusmodi indulgentiarum à pœna & à culpa pro articulo mortis, quod in quolibet tali articulo prout expressum est, petat infirmus sibi dari indulgentiam talem secundum Papæ intentionem, & quod conferens sic dirigat intentionem suam, & dicat verbis quibus valet, postquam absoluerit eum sacramentaliter, modo debito tam ab excommunicationibus quam à peccatis, do tibi plenam indulgentiã de peccatis tuis, habendo (vt dictum est) intentionem ad gratiam à Papa expressam, siue explicetur siue non illa intentio.

Vlterius ad illud quod quæsisti, si versus ille, Dirupisti Domine vincula mea, &c. Dictus semel vel ter in morte habeat efficaciã qualem quidam ponunt & imponunt Augustinum dixisse? Respondeo pro regula circa talia, quæ sunt innumerabilia, & nunquam attribuenda est aliqua virtus supernaturalis talibus rebus quibuscunque, A nisi hoc trahi possit ex scriptura sacra, vel reuelatione diuina, & oppositum credere habet quandam speciem superstitionis plus vel minus secundum naturam operis vel assertionis. Non oportet tamen quod semper sit peccatum mortale, immo habet sæpè excusationem, licet apud simplices & pios, qui non ponunt spem in talibus nisi ex virtute diuina, quam reputant Deum talibus rebus indidisse, ac perinde subleuant spem suam & imaginationem habent fortiorem quáuis instruẽ- B di essent crebrius, tam per sermones quam aliunde, vt spem suam potius figerent in auxilio Dei & sanctorum immediatè, quam talia adinuenta quærerent. Nihilominus condescendendum est quandoque fragilitati & debili deuotioni hominum & paucæ fidei, qui nequeunt sic ferri in Deum immediatè. Et ex hoc possunt excusari nouenariæ, quæ fiunt cum certis obseruantijs, quas credunt simplices esse necessarias, & quod alioquin nihil valeret quicquid agerent, vt si solum C essent octo dies, vel si vndecim essent, similiter si detur candela longitudinis illius qui offert, quod plus prodest quam longior, & ita de similibus innumeris. Non est igitur quælibet talis obseruantia condemnanda & extrahenda tanquam impia, sed potius studendum est, vt illud quod fit, fiat intentione pia ad Deum, & sub spe auxilij sui ab ipso & non altero quolibet consequendi. Sic piè potest dici, versus prior & similia non de assertione certa quod habeat vim huiusmodi, sed quia deuotio dicentis hoc meretur adiuuante D gratia Dei, & spes interim sua vigorosius eleuatur.

Ad aliud cum quæritur, si quis sacerdos absoluat aliquem bona fide, credens habere potestatem absoluendi illum qui tamen in veritate nõ habet potestatem, debeat postmodum facere cõscientiam illi quem putauit absoluere. Et si sic, quid ageret si iam mortuus extiterit? Respondeo quod talis non est absolutus sacramentaliter, saluabitur tamen ex quo bona fide processit & con- E tritus est, nisi postmodum dum venerit ad notitiam suam veritas, contempsit confiteri. Sacerdos autem tenetur sibi facere conscientiam dum resciuerit, & hoc si commodè possit fieri, alias non, nec oportet quod si non fecerit alteri conscientiam de hoc, quia non commodè potest aut potuit sic in periculo damnationis, confiteri tamen de ignorantia aut negligentia tutum erit.

Aliud quæsisti, si dicendo officium diuinum occurrat cogitatio deuota circa aliud quam sonant verba seruitij, sit vtilius insequi cogitatio- F nem illam vel continuare quam reducere se infra terminos & limites seruitij? Respondetur, ꝙ talis aut est exercitatus iam circa illam cogitationem, ita quod transit apud eum in contemplationem, id quod faciliter & absque impedimento potest secundum illam seipsum eleuare & secũdum illam videre velut in lumine claro & imperturbato, & ita poterit talis in contemplatione semet exercere, etiã tempore seruitij, quia cũ omni facilitate, & absque impedimento reuersionis ad ea cogitanda quæ dicuntur in seruitio, transibit in hoc nunc in illud. Si verò cogitatio quæ occurrit,

currit, sit insolita, & egeat grandi & forti attentione, nec possit trahi ad familiarem cogitationem & facilem, nisi cum diuturna meditatione, tunc in hoc casu videtur tutius & consultius cogitationem illam differre vsque post tempus seruitij, quando seruitium est impositum sub definito. Et secundum hoc videtur intelligi illud dictum beati Bernardi in vna homilia super Cantica vbi vetatur ne quicquam aliud tempore seruitij cogitetur, etiam si salubre aliquid occurrerit, &c.

Placuit imprecatio litteris tuis inserta, qua petis vt omnes nos Deus in sua pace custodiat, & à tribulatione mundi & hominum, in abscondito faciei suæ misericorditer abscondat. Est accommoda præsenti tempestati, quæ minatur ingentes horrendásque bellorum plusquàm ciuilium opiniones, à facie quorum non est refugium tutius & melius, quàm ad Deum recurrendo per patiẽtiam & humiliationem magnam. Nam in qualicunque angulo mundi qualis securitas qualisve pax sperabitur? Disposui manere stabiliter in loco meo Parisijs & illic præstolari quæ Domini voluntas de me fiat, nam locorum mutatio quid proficeret, non satis inuenio. Expectamus autem præbendam ampliorem & faciliorem ac vberiorem in Ecclesia illa magna non Parisiensi sed paradisi, ad quem tendimus diuersis vijs, alius sic alius verò sic, iuxta vocantis Dei varios & imperscrutabiles modos. Faciat igitur quilibet per bona opera vocationem suam certam, ne ab expectatione nostra nos confundat Deus. Tu nominatim frater charissimè hoc egeris auxiliante gratia Dei, quæ iugiter tecum sit, & fructum ferre faciat in patientia, in qua sola possidemus animas nostras. Lege 45. capit. Hieremiæ prophetæ de verbo Domini ad Baruch. Et bene vale, memor mei in orationibus tuis. Nec pacem quæsieris extra, sed quotidie tecum habita, & libero animi contemptu rumores fuge, non solum ne incipias nouus author haberi, sed ne te gratis impleat & vexent. Dominum inuoca, & non trepidabis timore vbi non erat timor. Aut si timendum est, illum time qui potest corpus & animam perdere in gehennam ignis. Ammodo dum dubitationes huiusmodi pulsauerint animum tuũ vel tuorum, recurre diligenter ad summam quam habes, scilicet bertelinam, quia illic reperies responsiones ferè de omnibus talibus: aut saltem inquirendo proficies exercens ingenium & noua quotidie addiscens, vetera profundius memoria radicabis. Eas verò solutiones quas non inueneris remanda, & satisfacere curabimus. Finit exempla magistri Ioannis Gerson, missa fratri suo Celestino, &c.

Ex prædictis apparet quod forma sufficiens & secura absoluendi in confessionibus, vbi non habetur scrupulus aliquis de excommunicatione aliqua vel irregularitate, postea quam præmissa est congrua aliqua imprecatio, vt, Parcat tibi Deus, vel, Misereatur &c. vel similis est ista. Ego absoluo te à peccatis tuis. In nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti, Amen. Nec oportet alia addere, immò tutius est dimittere, quia talia vel sunt superuacua & nugatoria, vel distrahentia, & plus nocumenti quam securitatis & vtilitatis afferentia. A Vbi autem dubitatur verisimiliter aut certitudinaliter scitur de excommunicatione vel irregularitate, forma habetur in superioribus, nec fingat aliquis nimis leuiter scrupulos in materia conscientiæ, sed expertorum & sapientum consilio vtatur, alias nunquam ad solidam aliquam deuotionem perueniet &c.

Quæ sequuntur, in prædicta litera non habentur, sed cognoscens ego quod ad capitulum. 45. Hieremiæ de Baruch me remitteret legendum, B manifestare nescientibus curaui. Sciendum igitur quod Baruch qui scriba erat, præuidens nimiam calamitatem quæ oppressura erat Iudæos de Hierusalem, in qua ipse tunc erat quando Nabuchodonosor rex Babylonis oppugnauit eam; & timens plurimum inuolui communi cæterorum clade, cœpit intra seipsum querulosis plãctibus contristari, quem Dominus piè & paternaliter redarguens, quod in tanta hominum multitudine in captiuitatem adducenda, ipse sibi requiem & gaudia quæreret, prædixit ipsum Baruch C multa cum cæteris passurum corporaliter, sed nõ sine grandi & dulcissima consolatione seruaturũ se animam eius quocunque pergeret compromisit, quod quidem illi sufficere debuit. Vnde hic habetur in dicto capit. 45. Hiere. Verbum quod locutus est Hieremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cum scripsisset verba hæc in libro ex ore Hierem. anno. 4. Ioachim filij Iosiæ regis Iuda dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israël ad te Baruch. Dixisti, væ misero mihi: quoniam addidit D Dominus dolorem dolori meo, laboraui cum gemitu meo, & requiem non inueni. Hæc dicit Dominus: sic dicens ad eum ecce quos ego ædificaui, destruo, & quos plantaui, ego euello, & vniuersam terram hanc, & tu quæris tibi gaudia, noli quærere, quia ecce ego adducam malum super omnem carnem, dicit Dominus, & dabo tibi animam tuam in salutem in omnibus locis ad quemcunque perrexeris, hæc ibi. Super quo verbo ait glossa ordinaria in hunc modum. Rudis adhuc tolerantia passionum, quas experturus erat E Baruch, expauit captiuitatis calamitatem, quæ tẽpore Ioachim imminebat. Vnde conqueritur dolorem additum dolori suo, cui responsum est à Deo, quod superfluè quæreret sibi pacem, cum totus populus sub fasce tribulationum laboraret. Signat autem eos qui pressura tribulationum vel persecutionum quibus in præsenti Ecclesia grauatur, pusilanimitate titubant quærentes consolationem, quæ solum in futuro plenè promittitur. Vnde vos autem contristabimini, sed tristitia ve- F stra vertetur in gaudium, hæc ibi.

Igitur hoc exemplo eruditi, rogemus in spiritu humilitatis & animo contrito obnixius patrem misericordiarum Dominum nostrum vt si propter delicta nostra (quæ pœnas acerbissimas demeruerunt) flagellari nos decreuerit, saltem misericorditer corripiat, conseruans animas nostras ab omni murmurationis & impatientiæ periculo, quatenus in præsenti castigati salubriter, & non mortificati digni simus qui in æterna beatitudine cum sanctis omnibus consolemur. Amen.

DE ABSOLVTIONE DEFVNCTI CARTHVSIENSIVM.

SEQVITVR responsio ad interrogationem Carthusiensium aliquorum. Ad videndum si defunctus possit absolui, sicut dicitur fieri apud Carthusienses, dum inhumatio celebratur. Notari potest distinctio magistralis, quod quadruplex potest intelligi absolutio. Quædam est sacramentalis in foro conscientiæ. Quædam iuridicialis in foro B Ecclesiæ. Quædam satisfactoria. Quædam deprecatoria. Constat quod defunctus non potest absolui sacramentaliter, sicut nec potest confiteri, quoniam à mortuo perit confessio. Et ad hoc potest reduci illud dictum Petri: Quodcunque ligaueris super terram &c. non dicit sub terra. Rursus quia si defunctus sit in gloria, non indiget, si sit damnatus, nō est capax, si sit in purgatorio, ipse aliter saluabitur. Constat præterea quod defunctus si fuerit excommunicatus in foro Ecclesię vel exteriori, & pœnituerit, potest absolui & quoad C corpus & quoad animam, sicut frequenter practicatur. Et in hoc casu potest officians dicere: Absoluo te, non in primo nec in sequentibus expedit. Constat rursus, quod per modum satisfactionis potest defunctus existens in purgatorio, recipere absolutionem à pœna sua multipliciter. Vno modo dū particularis persona applicat meritum suæ satisfactionis pro defuncto. Alio modo dum hoc facit vna cōgregatio particularis vel caput congregationis. Tertio modo si Papa velit communicare de thesauro Ecclesiæ per modū D indulgentiæ, quoniam isto modo potestas Papæ & claues Ecclesiæ possunt se extendere ad defunctos in purgatorio, saltem indirectè cuius declaratio posset longius extendi. Sed hic omittitur. Fundamentum datur in articulo symboli, sanctorum communionem. In quo fundatur valor suffragiorum pro defunctis factorū per viuos. Constat denique quod per modum deprecationis & impetrationis potest defunctus existens in purgatorio frequēter absolui iuxta doctrinā communē E omniū doctorum, & vniuersalem ritum Ecclesię, quæ pro defunctis instituit orationes atque suffragia. Et inde est illa oratio cum similibus. Absolue quæsumus Domine. Iuxta quem modum absolutionis fiunt in Ecclesia quotidie absolutiones generales ante missam, & in cōpletorio dum post, Cōfiteor dicitur Absolutionem, &c. Et isto modo nulla est difficultas in prædicta obseruatione Carthusiensium vel aliorū qui dicuntur absoluere defunctos, si non vtantur nisi verbis deprecatoriis. Quia vel intendunt impetrare absolutionem F defuncti per deprecationem, vel etiam per satisfactionum suarum applicationē iuxta tertiū membrum. Si verò fiat absolutio per verbum præsentis temporis & indicatiui modi, vt dicendo. Ego te absoluo, &c. Potest hic loquendi modus piè intelligi vel interpretari tanquā sit deprecatorius, aut quod fiat iuxta secundum membrū distinctionis absolutio quædam iuridicialis de excōmunicationibus, si quæ forsitan cōtractæ sunt per trāsgressionē statutorū religionis vel alio modo. Cui consonat quod inquiritur à circunstantibus, dum corpus debet inhumari, vultis quod absoluatur? A Sicut etiam apud seculares quandoq; non humaretur corpus, nisi episcopus vel curatus mandaret, & creditores consentirēt. Rursus posset addi, quod ex indulto apostolico intelligitur fieri largitio quædam indulgentiarum, per quas absoluatur defunctus à pœna qua ligatus est in purgatorio. Sed hoc indiget maiori declaratione, quia nec certum est de tali priuilegio vel indulto seu de forma eius. Et quæ causa mouisset Papam ad concedendū tales indulgentias Carthusiēsibus plusquā aliis, quāuis austeritas religionis videretur esse causa rationabilis talis indulti. Et post scripturam præmissorum datū est intelligi, quod priori magnus, & consequenter alii, funguntur authoritate legati Papæ circa suos. Et istam concessionem iudico rationalem pro tollendis scrupulis, qui plures insurgunt apud timoratos in Dei seruitio quā alias. Et vt afflictis pro timore Dei sua prosit afflictio. Vnde licet defuncti non sint habiles facere ea quę communiter instituuntur pro perceptione indulgentiarum, vt quod contribuant, ieiunent, orent, potest tamen Papalis authoritas concedere vt si pro earum suis viui talia faciant pro quibus datur indulgentiæ, prosint ipsis.

Finis.

SVPER ABSOLVENDI POTESTATI, ET QVALITER EXPEDIAT *fieri reseruationem peccatorum.*

GLORIFICATE Deum qui dedit potestatem talem hominibus. Matth. 14. a. Quod verbū quamuis literaliter sit de potestate sanationis morborum in corpore, tamen principalius intelligitur per mysteriū de potestate clauium soluentium vestes peccatorum in mente. Hæc autem potestas clauium quæ circa corpus Christi mysticum cum membris suis (quæ sunt fideles) exercetur, residet in sua plenitudine & fonte apud papam dehinc ad prælatos maiores vsque ad minores (quos curatos appellamus) deriuatur ordine hierarchico, diuinitus nō humanitus instituto, ad ædificationem Ecclesiæ & salutem populorum, quàm Christus expediens iudicauit. Et quoniā expedit viam pœnitentiæ per claues Ecclesiasticas nec nimis aperiri pro contēptu, nec improbè coarctari sine fructu. Videndū est præcipuè de potestate curatorū quæ quotidie practicatur, qualiter sit & qualiter non limitanda iuxta qualitates temporum & locorum, & multiplicationem transgressionū & possibilitatem remediorum. Qua super re placeat attendere promissiones, non declarationes quæ sequuntur.

Omnis casus qui nō inuenitur à curatis remotus, censendus est eis concessus in foro conscientię respectu subditorum. Omnis casus cuius reseruatio ad superiorem vel non deceret, vel nō expediret, curatis est relinquendus.

Omnis casus purè secretus, nec scandalizās proximum, relinquendus videtur esse curatis, præsertim vbi non est spes maioris, immò deterioris effectus, vt quia peccatorum nunquam iret ad prælatum, nec fortè noto cuiquam (prout sæpè fit) auderet confiteri. Omnis casus excommunicatio-

tionis latæ sententiæ per hominem & nominatim in hanc vel illam personam publicè potest à curatis rationabiliter reseruari. Casus excommunicationum etiam latæ sententiæ per iura vel hominē, & hoc sub quadam generalitate nulla persona nominata, videntur posse concedi curatis vt absoluat cum iniuncta satisfactione facienda quantum iura permittunt & quies reipublicæ cum cleri priuilegio pati potest. Casus carnaliū lapsuum, præsertim in sexu muliebri ac puerili, qui secreti sunt videntur curatis dimittendi sub terrore futuri iudicij, commixtione brutorum excepta, si non desperatio timeatur in remittendo. Casus votorum communium & sæpe stultorum cum absolutione de præteritis & cōmutatione pro futuris videntur curatis relinquendi, maximè si sint secreti, & si palam inutiles appareant, aut modicum fructuosi, possunt enim prælati talia committere ratione potestatis suæ superioris & ciuilis, quæ in omni voto ciuili supponitur, non excepta, sed inclusa, &c.

Casus restitutionum incertarū ac modici precij possunt curatis dimitti, secus in certis, secus in magnis precijs, secus in defraudationibus notorijs & scandalosis & vsuris.

Casus hæresum occultarum & mentalium. Casus similiter blasphemiarum leui motu iræ prolatum. Casus periuriorum quotidianorū non iudicialium. Casus sortilegiorum sine horrore ac læsione proximorum ac sacramentorum abusione. Casus sacrilegij parui. Casus offensionis parentū sine læsionis enormitate possunt curatis dimitti. Casus aborsuum vel in ventre vel extra qui veniūt omnino præter intentionem parentum, dimittēdi sunt curatis maximè si sunt secreti, nec proximos scādalizant, quoniam pro talibus nullo modo danda est pœnitentia grauis, præsertim publica, quæ non pia, sed crudelis vt loquimur est censenda, nec excusat, sed accusat hoc loco dicere q datur ad terrorem aliorum. Casus habentes in decretis patrum suas pœnitentias limitatas, non sunt propterea sic semper, immò nec frequenter obseruanda per curatos in absolutione conferenda quando secreti sunt. Secus de publicis, oportet certè vt pœnitentiæ sint pro circunstantijs arbitrariæ. Tutius quoque dimittere pœnitentem ire in purgatorium cum parua pœnitentia quam hic implere vult, quam cum magna non implenda ducere in infernum, verbum est memoriale Guillelmi Parisiensis. Casus enormes publici & scandalosi tam Ecclesiæ toti, quam proximis locis & vicinis, possunt vtique maioribus prælatis reseruari, quos casus facile erit cognosci per curatos.

Casus reseruati prælatis possunt audiri per eos aut eorum vicarios & absolui, dum tamen pœnitentes bona fide proponant reliqua confiteri suis habentibus potestatem, immò quod libenter omnia confiterentur vni & eidem si simul idem confessor vel vellet vel posset absoluere. Tunc enim est vnitas confessionis ex bona fide, quamuis esse videatur diuersitas in confessoribus & tempore vel actione.

FINIS.

A EPISTOLA EIVSDEM AD QVENDAM EPISCOPVM SVPER MODERATIONE *casuum reseruandorum in foro.*

PONTIFICALI dignitati suus qualiscunque zelator clauibus bene vti. Pastoralis authoritas in casibus reseruandis quoad forum conscientiæ sicut & alia quælibet potestas data est prælatis in ædificationem ecclesiæ, non in destructionem, sicut dicit
B Apostolus & in fauorē populi Christiani pro salute, non pro quæstu aut simili cōmodo consequendo. Constat autē certissimè per plures expertos in confessionibus audiendis tēpore isto, quod reseruatio stricta quorumdā casuum, præsertim in grauioribus & occultis speciebus peccati carnalis, retrahit innumeros à cōfessione taliū peccatorū, sicut sunt pueri & puellæ, & mulieres verecundissimæ, & rurales idiotæ, à quibus vix potest extrahi confessio talium peccatorū, quantumcunque cō-
C fessor sit sollicitus, humilis, morosus & discretus. Quod si remittantur ad prælatū vel pœnitentiariū de longinquo vel in publico refugiunt & horrēt. Expertúmq; est millies quod non vadunt, sed nec ducenti, nec trecenti, immò nec mille pœnitētiarij sufficerent aliquādo in vna Diocesi ad tales casus plenè audiendos absoluendósq;. Deniq; quid prodest, & certè obest plurimū, addere verecundiā, super verecundiam, onera grauia super onera, & difficultatem confitendi talia peccata super difficultatem, quę tanta est vt vix credi posset? Et hoc
D præcipuè quando peccatū secretum est, & tale q author perpetuò celabit ipsum si velit, vt nec Episcopus nec alius inde punitionē vel notitiam inueniat. Si diceres, talis si non reuelabit, dānabitur, fatemur quidem, sed obuiandū esset huic dānationi modis omnibus potius quā addēda sit occasio, nunquid requiritur sanguinis locus idest dānatio ab illis quis occasionem dederūt, præcipuè prælatis maioribus? Sic certè & ipsi satisfacient pro isto vsque ad vltimū quadrantem? euntes in eandem
E damnationem, cum sint prælati ad saluandū gregem Domini positi & pascēdum, non occidendū aut scandalizandū. Expertum est itaque quod hic terror reseruationis nullos aut paucissimos cohibet sic peccare innumeros autem sic retrahit confiteri propter dictas causas & etiā alias, quoniam mulieres præcipuè tali modo retrahuntur. Primò timentes notari à maritis cum tales confessores adeant, qui cū zelotypi sint, statim sinistram contra vxores suas sumerent occasionem, vnde surgerent iurgia, lites, discordiæ & amoris interruptio,
F & cætera quæ peiora procurarent mala, vtinam non sæpius mortē. Secundò, quia sæpius à talibus confessoribus exactionantur in dādo pecuniam, ceram aut similia, vel iniūguntur pœnitētiæ publicæ, vnde iterum à suis maritis notarentur, vnde quoq; inciderent pericula. Tertiò, quod verecundæ non auderent confiteri magno prælato aut famoso doctori, sicut bene alijs, saluo illo quod sit bonus & idoneus. Et plures causas retrahentes quis ab experientia colligere potest? Similiter & in viris causæ tales aliqualiter æstimandæ sunt &

similes, præcipuè si aliquis incidisset casum Episcopalem, idcirco quia nocuisset episcopo aut Ecclesiæ suæ, quomodo iste induceretur ad confitẽdum episcopo aut suo cognito vicario? Aut fortè quis considerans quæstum pecunialem fore apud confessores tales vt fit communiter, vnde scandalizatus se à confessione retrahit, & mille talia quæ innumeros retrahunt à confessione. Et hoc intelligendum de peccatis occultis. Secus est in peccatis publicis quibuscunque. Talia sola secundum quosdam doctores olim iura cõdita reseruabant. Ad quid. Nimirũ vt taxaretur pœna grauis & publica per superiores talibus in exemplũ & terrorẽ aliorum. Sed in occultis cessat hæc ratio, quoniã pro talibus nulla pœnitentiæ iniungenda est, quã nolit confitens recipere. Quoniam iuxta memorabile dictum Guillelmi Parisiensis salubrius est confessum cum pauca leuissima pœnitentiæ acceptata relinquere in manu Dei puniendum in purgatorio, quam cum magna non adimplenda detrudere ipsum in infernũ. Prouideat igitur deinceps sollicitudo tua pia & pontificalis dignitas. Nõli claudere regnũ Dei, caue onera grauia ceruicibus debilibus & casuris alligare. Quamobrem talium casuum occultorũ reseruatione, qui proh dolor vix veniunt ad confessores quoscunque, licet celeberrimi sint. Postremò si non placet casus omnes occultos (quia de publicis nõ loquimur) relinquere passim cuilibet confessori, vt pro omni ætate confitentium, &c. saltem hoc expedire videtur, primò quòd nullus casus iudicaretur esse reseruatus quoad confitentes minores scilicet qui non compleuerũt decimum-quartũ annum, quia non habent perfectum vsum rationis, nec faciliter resistunt tẽtationibus suis vel malicijs alienis, nec leuiter audent coram personis authenticis & extraneis comparere, quanto minus audent de tam pudendis confiteri. Cõsulendum est insuper verecundiæ etiam parentum, si crebro vel publicæ, vel de longinquo ad pœnitentiarios mitterentur.

Et expedit denique faciliter & citò relinquere potestatem super occultis casibus curatis & ordinarijs, & generaliter omnibus qui bona fide voluerint & sciuerint proficere animabus non ad quæstum vel subuersionem, immò tales diligenter inquirendi essent & inducendi & rogandi ad laudem Dei & salutem populi confessores & prædicatores per condescensionem bonitatis, in hoc tempore pessimo quando nimis experimur, heu illud Gen. Corruperat omnis caro viam suã. Hinc horrendum est vbique flagitiorum naufragium, in quo saluat arca pœnitentiæ, cuius arce introitũ ideo plus expedit ampliare quam nimia arctitudo sua prohibeat eos qui ad ingrediendum allici, immò iuxta parabolam euangelicam quasi compelli debuerunt. Expediret insuper in speciali dum pax vniuersalis habebitur Domino propicio, quod quilibet de quacunque obedientia fuerit, habeat licentiam generalem & expressam quod possit absolui nedum iuridicè, sed sacramentaliter à quocunque discreto sacerdote super omnibus in omni euentu qui peccauit circa materiam hanc contendentium de papatu. Dirigat omnis Deus, qui est benedictus in sæculorum sæcula. Amen.

Gen. 6.

A IN EXEMPLARI ISTI DIALOGO TITVLVS NON ERAT INSCRIPTUS *ex negligentia, sed vt mihi videtur, Dialogus est discipuli dubitantis & sciscitantis, & magistri respondentis & explanantis &c. Magistri Ioannis de Gerson de potestate ligandi & soluendi.*

DISCIPVLVS.



CVM Christus dederit potestatem ligandi & soluendi principaliter Petro, & similiter omnibus Apostolis & successoribus, quæritur vnde dicatur hæc potestas. *Magister.* Sicut cognitio nostra rationalis incipit à sensu, sic impositio nominum sumpta est à rebus exterioribus. Dicitur autem aliquis ligatus corporaliter, quando non potest exercere conuenientes operationes in toto vel in parte, vt ligatus pedes & manus nõ potest operari manualiter, nec ambulare. Dicitur autem solui dũ tollũtur vincula, & redditur suæ libertati qua possit liberè vti membris suis. Tractum est inde nomen ligationis ad spiritualia & similiter nomen solutionis vel absolutionis vt dicatur anima rationis ligata, quando non potest vti liberè legitimis actibus, conuenientibus suæ conditioni. Sic dicitur somnus ligare sensuales aut intellectuales operationes, quas vigilia soluit. Sed magis ad inquisitionem tuam superior iudex ita dicitur per sentẽtiam suam iudicialem, pœnalem ligare subditum, dum tollit ab eo liberam facultatem aliquid ciuiliter exercendi. Absoluit verò dum facultatẽ huiusmodi restituit. D. Placet quod protinus ad cõpendium dicis. Sed dic si potestas prædicta ligãdi & soluendi sunt claues Ecclesiæ, vel claues de quibus dictum est Petro: Et tibi dabo claues regni cœlorum. M. Quamuis differentia multiplex assignari possit, accipiunt tamen aliquando synonimè per doctores iuxta præfatam transsumptionem. Nam sicut clauis materialis aperit & claudit, sic spiritualis suo modo. Sed quia vis breuiari sermonem, neque de clauibus huiusmodi perfectum habere tractatum necesse est, propter alia quæ de potestate Ecclesiastica latius habes tractata. Coartabitur hic etiam nunc sermo de potestate ligandi & soluendi iudicialiter per sententias latas ab homine vel à iure, iudiciali seu iuridica. Et describitur in primis quid est sententia.

Sententia in genere secundum philosophicam nominum impositionem & modos significandi grammaticales, immò metaphysicales, dicitur esse determinata acceptio alterius partis cõtradictionis. Et deriuatur à sentio tis, quia sentẽtias ita sentit, nec pertinet nisi ad vtentes ratione. Differt autem à consilio, sicut conclusio ab inquisitione. 3. Ethi. secundũ philos. Vnde consilium est quæstio vel inquisitio resolutoria super medijs aptis ad cõsecutionem finis intenti. Sententia verò est determinata acceptio alterius partis, quę in disceptatione vel consilio versatur. Et hoc aliquãdo facit homo solus secum super proprijs agibilibus. Inde est illud apud Iob. Sententiã labia mea loquentur. Et apud comicum stat sententia, & in prouerbijs. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias, cum multis similibus. Vnde nominatur liber sententiarum. Iob. 33. Prou. 26.

Attamen

Attamen & sæpius & rei nostræ vicinius sentētia dicitur conclusio præ consiliata per plures iudicando. Et conuenit synonymè cum iudicio quod fertur post consilium iuxta verbū Christi ponentis gradus inter pœnas iræ debitas. Qui irascitur fratri suo inquit, reus erit consilio, qui autē dixerit fratri suo Racha, reus erit iudicio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Est itaq; secundū glossas minus graue quod pœna vtatur adhuc in cōsilio, quam dum determinato subiacet iudicio, deinde omnium grauissimū quod iudicij fiat executio. Et est sententia sic accepta decretum vel dictamen vel iudiciū superioris, per quod vult legitimè subditū suum per pœnā ligari, vel à pœna liberari propter Deū. De tali sententia & iudicio iubet Domin⁹ in Exo.: Nec in iudicio pluriморū acquiesces sententię, vt à verò deuies. Et in Eccle. Quia nō profertur citò cōtra malos sententia, filij hominum absq; vllo timore perpetrāt mala. Et in euangelio Ioā. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. D. De iudicio & iustitia repletur ipsa sacra scriptura, ac perinde potest vberius agnosci quid sit iudicialis sententia, & quemadmodū sententia idē est cum iudicio. Sententia autem duplex est quędā ligans vel obligās, alia soluēs vel absoluēs. Claret insuper quomodo sētētia ferri debet legitimè. i. cōformiter ad legē, pręsertim diuinam, & quod in obscuris aut dubijs pręuiū sit cōsiliū, & vt præ oculis Deus semper habeatur tāquā finis omnis finis. Sed oritur quæstio cōsequēter, si quilibet iudex qui potest ferre sententiā iudicialē ligātē, potest eadē autoritate ferre soluētē. M. Potestas de qua loquimur, nō est potestas solius ordinis quę respicit corpus Christi verū, & quę dicitur ęqualis apud omnes qui per charactērē sacerdotalē habent potestatē cōsecrādi verū corpus Christi, nō pl⁹ papa quā sacerdos infimus. Hæc verò potestas iudicialis seu iurisdictionis in ecclesia respicit corpus Christi mysticū. Cuius potestatis plenitudo residet pœnes sūmū pōtificē, & est in ipso tota potestatiue. Cæteris verò per partes deriuatur iuxta determinationē legitimā istius fōtalis & primę potestatis, & hoc ne cōfusio sit in ecclesiastica politia, sed sit figurata ad exēplar ciuitatis Hierusalē tāquā descēdēs ad ea secūdū Apoc. Iob. Dicendū est igitur quod datur aliquibus potestas ligandi iudicialiter in multis casibus, & ipsis prohibetur absoluendi facultas. D. Satis animaduerto casus multos. Sed nūquid potest papa concedere facultatem alicui sacerdoti, sit ille Ioānes, quod personam aliquā singularem, vtputa Martinum absoluere possit ab omnibus sentētiis, tam à iure quam ab homine latis? M. Vtiq; potest. D. Consequenter quæritur, si per concessionē hanc generalem possit Martinus absolui generaliter ab omni vinculo sententiæ pœnalis latæ tam à iure quam ab homine. Et vt cōpendiosius inquirā, poterit ne Martinus absolui ab irregularitate quam contraxit quia celebrauit excommunicatus? M. Videtur prima facie quod sic, nisi certitudinē aliquis ostenderit repugnātem, cum beneficiū principis sit latissimè interpretandum, pœnæ verò restringendæ. Et vt manifestius fiat istud quod dicimus: loquamur interim de sententia iudiciali lata ab homine. Et ponamus quod Martinus delatus fuerit suo iudici celebrasse missam ipso stante ex-

Math. 5. *Exo. 23.* *Eccles. 8.* *Ioan. 7.*

A cōmunicato, ac perinde ferat in eum sententiam quod est irregularis, & ad celebrādū deinceps inhabilis. D. Casus iste quotidian⁹ esse potest. M. Vicem nūc interrogantis accipio. Poterit ne Martinus taliter ab hominis sentētia ligatus absolui, per Ioannem sacerdotem? D. Cum ligare & soluere sint correlatiua ad inuicem, si Martinus potuit ab hominis sētētia ligari vinculo irregularitatis, quōmodo non poterit ab hominis sententia per papā solui vel absolui, quemadmodum posset de excōmunicationis sentētia ab homine lata taliter liberari, alioquin quid importaret cōcessio talis amplę

B facultatis, quod ab omnibus sententiis tam à iure quā ab homine latis possit Ioānes absoluere Martinum? M. Scis ne quid in oppositum possit ex iuribus introduci? D. Accepi quosdam dicere quod irregularitas nō cadat sub forma absolutionis, sed sub forma dispensationis, quoniam irregularitas non semper indiget absolutione, cum absq; peccato contrahatur aliquando, sed tunc dispensatio locum habet, si gratia tali fiat. M. Non est vsquequaq; absurdum illud quod isti dicunt. Nihilominus oportet theologos simul cum canonistis cō-

C uenire in acceptionibus istorum terminorū ligare & soluere, & scire quid dicatur sentētia à iure, quid ab homine lata, à qua dat facultatē absoluendi Dominus Papa in cōcessione quæ dicta est. Cū verò (sicut prædixisti) absolutio referatur ad ligationem concessio loquens de absolutione à sententijs iuris aut hominis intelligi debet de sentētiis pœnalibus atq; ligantibus. Et hoc iam notauimus, sed recepimus constringendo sermonem de sentētijs à iure vel ab homine latis, quod sunt sen-

D tentiæ pœnales inflictæ vel latæ propter culpā veram vel præsumptam, propriam vel alienam propter sententias pœnales, quæ quandoq; feruntur sine culpa illius in quem feruntur, sed non sine causa. Quod dicitur, patet in excōmunicatis propter obedientiam Deo & propriæ conscientię faciendā, vbi latet ecclesiā veritas. D. Apparet quod in hac descriptione sententiarum consentire debeat canonista. Talibus enim sententijs ligati indigent absolutione quæ soluat seu tollat vinculū.

E Nam quid est absolutio nisi à vinculo liberatio siue talis absolutio fiat per nomen dispensationis sententiæ, siue per aliud nomen æquiualens, vt per habilitatem seu per restitutionem ad priorem statum. M. Dicet fortassis canonista quod inter liberationem à vinculo irregularitatis per dispositionem, & inter liberationem per absolutionē hoc interest, quia absolutio reponit solummodo hominem in statu salutis æternæ, quicquid obest consecutioni salutis æternæ, quemadmodum fit

F in articulo mortis, dum pœnitet homo, etiam si nullum posset habere sacerdotem. Dispēsatio autem restituit ad ea quæ sunt diuinitatis ad bene esse in vita morali vel ciuili vel meritoria. D. Sequeretur ex hac interpretatione quod Martinus absolutus ab omnibus sententijs tam ab homine quam à iure non absolueretur in casu prenominato ab irregularitate sententialiter inflicta per hominem, immo à sentētia interdicti vel qualiscunque excōmunicationis; sic quod posset liberè suscipere post modū corpus Christi, cū nō sit de necessitate salutis, immo nec vti sacramēto vnctionis extremæ, nec tenere beneficiū ecclesiasticū, nec

audire missas in ecclesia, nec post mortem habere sepulturam sacram. Patet hæc sequela, quoniã talia non sunt de necessitate salutis absolutè facienda. Est tamen vsus ecclesiasticus in oppositum, maximè de ligatis per sententias excommunicationis, dum enim absoluũtur, liberè possunt post modum nedum corpus Christi suscipere, sed missam celebrare vt prius, & beneficijs gaudere ecclesiasticis. Cur non ita fieret si à sententijs irregularitatis à iure vel ab homine latis absoluantur casu nostro? M. Fortiter istas atteto quod in absolutione iuridica non est necessaria certa forma verborum, quemadmodum dicimus de absolutione sacramentali à peccatis. Huc accedit quod absolutio iudicialis à vinculo pœnarum potest fieri circa absentem vel circa non petentem, immo in inuitum secundum multos feretur seu relaxabitur dum sententia pœnalis plus inuenitur nocere sibi & reipublicæ quã prodesse. D. Sed occurrit ad hoc dictum absurditas altera quam melioris esset cõditionis sententia pœnalis à iure vel ab homine lata propter peccatum illius qui ligatur, quam si absq; peccato proprio vinculum aliquod, vtputa irregularitatis contraheret. Quid enim est irregularitas nisi quoddam impeditiuum vinculum, ne sit aliquis idoneus ad aliquod opus legitimum, vt puta ad officiẽdum ecclesiæ, sicut excommunicatio ligat & religat à sacramentorum præceptione, si sit minor, & à ciuili communicatione, si sit maior. Acta in casu præmisso Martinus culpa propria excommunicatus absoluitur, & absolutus poterit exercere sicut prius tales actus legitimos qui non sunt omnes de necessitate salutis, non sic autem poterit absolui obligatus vinculo irregularitatis absque culpa sua. M. Vide si quædam talia poteris inuenire, in quibus fauorabilius agitur quoad aliqua cum peccantibus, quatenus vbi superabundauit delictum, ibi superabundet & gratia. Exemplum sumitur familiare proposito nostro. Itaq; si vir infidelis prius homicida baptizetur, soluitur nedum à culpa homicidij, sed ab irregularitatis etiam vinculo consequente homicidium, vbi si duas habuisset vxores legitimas successiuè vel vnam non virginem, baptismus non tolleret hoc irregularitatis ligamentum. Forte sic in proposito, si Martinus absoluitur ab omnibus peccatis confessis, & cum hoc ab omnibus sententijs tam à iure quam ab homine latis, veniret quasi per sequelam absolutio irregularitatis sicut excommunicationis, ex qua sumpsit occasionaliter vinculum irregularitatis, dum ligatus se diuinis immiscuit. Non autem est combinatio vel consecutio talis in irregularitate quæ non tam contracta est ex sententia pœnali quam ex constitutione legis statuti. D. Habent ista probabilitatem, sed non euacuant totam difficultatem nostræ dubitationis, specialiter quo ad inuestigationem descriptionis, seu quid nominis sententiæ præsertim à iure latæ. Ecce recipiamus duas constitutiones iuris, quę dicuntur decreta vel decretales, vna dicit sic. Si quis suadente diabolo manus miserit violentas in clericum, sit excommunicatus ipso facto. Altera constitutio dicit. Si quis celebrauerit excommunicatus, sit irregulatis ipso facto. M. Respondi iam quod quælibet scientia terminos suos habet, sed inferior scientia debet resoluere suos terminos quando surgit ambiguitas ad terminos scientię superioris qui sunt simpliciores. Sic enim metaphysica resoluit terminos omnium scientiarum, iunctis logica, grammatica & rhetorica. Cum igitur theologia sit superior ad omnes sciẽtias, etiam ad metaphysicam naturalem & ad ius omne canonicum & ciuile, debet resolutio vel interpretatio sumi per theologiam, præsertim in his quæ salutem respiciunt. D. Perspicuum est etiam mihi in exemplis inductis modo per te. M. Priuilegiatus itaq; per papam de cuius potestate principaliter est sermo præsens, iure dicitur absolutus ab aliqua lege generaliter prius ipsum ligante, similiter & dispensatus. Et hoc siue dispensatio sit legis moderatio, siue sit ipsius totalis ablatio. Rursus ille qui habilitatur, absoluitur ab inhabilitationis vel irregularitatis vinculo. Rursus dum infamis restituitur ad famã, absoluitur. Hoc vidit illa iunior Sara, dum orauit. Obsecro Domine, à vinculo improperij absoluas me. Quid præterea de seruitute? nunquid non est vinculum magnum? nunquid est liberatio grandis absolutio vinculi seruitutis? Seruitutis inquam vel quæ pensat, vel quæ esset si non esset iudex concedens libertatem vnde papa dispensans cum irregulari, posset ita dicere. Soluo te, vel absoluo te à vinculo irregularitatis, vel ab irregularitate. Et ita de qualibet alia iuris pœna sub pœnali sententia à iure lata vel ab homine. D. Superesse nihil video circa concessionem in Martino factam, quod absolui possit ab omnibus sentẽtijs, tam à iure quam ab homine latis auctoritate summi põtificis, quin sententia irregularitatis cadat sub hac concessione, quæ concessio veraciter est quædam absolutio. Martinus enim prius ligabatur ne posset ab alio quam à summo pontifice absolui, nunc verò potest absolui à quocunque sacerdote quem elegerit, & ita solutum est vinculum ab eo sententiarum vbi reseruantur tales casus soli Papę. Dialogi finis.

ACCIPE SVB COMPENDIO PROPOSITIONES OCTO SEQVENTES ad elucidationem præmissorum.

Prima propositio.


OMNIS sententia tam à iure quam ab homine lata deriuatur à sententia primi iudicis Dei, & hoc mediatè vel immediatè, approbatiuè vel permissiuè. Reperitur inde dictum de Deo, quod sententia eius fuit hæc vel illa. Dixit expressè Grego. quod Deus mutat sententiam, non consilium, cuius verbi intellectus alibi quærendus est.

Secunda propositio.

Omnis sententia tam à iure quam ab homine lata, continetur sub duplici differentia, quia quædam est solius Dei, quędam creaturæ rationalis sub Deo, & hoc vel à beatis sicut sunt angeli, vel de viatoribus, sicut sunt principes & prælati. Vnde dicitur de Nabuchodonosor, quod egressa est sententia ab eo vt interficerentur omnes principes Babylonis. Sunt insuper concordantiæ tales multæ.

Tertia

Tertia propositio.

Omnis sententia tam à iure quam ab homine lata, dici potest iudicialis, & hoc vel in foro conscientiæ interioris, vel in foro coërcentiæ iustitiæ exterioris. Dicitur enim sententia iudicialis, quasi conclusio seu determinatio iudicij.

Quarta propositio.

Omnis sententia iudicialis humana, dici potest ciuilis vel ecclesiastica, & hoc secundum diuersos fines proximos & principaliter intentos, quia sententia ciuilis respicit vitam præsentem pro suo conuictu tranquillo, ecclesiastica verò vitam futuram.

Quinta propositio.

Omnis sententia iudicialis ecclesiastica fundatur in verbo Christi dicentis ad Petrum & apostolos. Quæcunque ligaueritis super terram, vbi prius immediatè fundauerat potestatem excommunicationis iudiciariæ, dicens quod si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

Sexta propositio.

Omnis sententia iudicialis ecclesiastica, sufficienter explicatur per hæc duo verba, ligare & soluere, vtendo terminis istis non ad literam, sicut ligantur boues & asini, sed secundum transsumptionem corporalium ad spiritualia, ita quod sententia iudicialis ecclesiastica describi potest quod est sententia ligans vel absoluens in ordine ad finem fœlicitatis æternæ.

Septima propositio.

Omnis sententia iudicialis ecclesiastica vel à iure vel ab homine lata dum conceditur vt possit absolui, præsupponit quod ipsa ligauerit vno vinculo pœnali vel plurimis.

Octaua propositio.

Omnis sententia iudicialis ecclesiastica diuersis nominibus potest explicari vel ferri pro arbitrio iudicis, præsertim supremi qui est papa, sicut dicendo dum ligare vult. Volumus talem esse ligatum vel excōmunicatum quoad omnes actus legitimos ciuiles vel ecclesiasticos. Volumus talem esse irregularem, inhabilem, infamem, & ita de talibus pœnarum vinculis. Aut dum vult soluere, dicendo. Dispensamus cum tali habilitamus talem, restituimus talem famæ suæ, concedimus tali vt promoueri possit ad ordines non habitos vel in habitis ministrare. Et ita de mille loquendi modis, quæ finaliter resoluuntur in hæc duo verba ligare & soluere.

Superest ex istis concludere quod interpretatio doctrinalis theologorum fauet concessioni prædictæ, quod dum papa concedit Martino vt habeat facultatem eligendi confessorem, qui possit eū absoluere ab omnibus peccatis de quibus confitebitur, & à sententiis tam à iure quam ab homine latis, comprehenditur in hac absolutionis facultate irregularitas contracta vel à iure vel ab homine, quia non contrahitur nisi per sentētiam ab homine vel à iure latam, alioquin darētur sententiæ tam excommunicationis quam interdicti: à quibus non posset prædictus Martinus absolui virtute concessionis suæ. Quod si sic, petitur regula generalis, quæ casus in quibus & in quibus non fieri valeat absolutio determinet. Finis.

A SEQVITVR AB EODEM DOMINO CANCELLARIO FACTA RE-*solutio super casu subsequenti circa irregularitatem.*



QVIDAM habens cultellum paruum in vagina alterius maioris repositum, eduxit eum non dolosè, neq; ad vsum illicitum, quem cultellum dum vnus sociorum vellet accipere, & ipse reniteretur, contigit vt illa hora & loco quidam retrorsum appro-
B pinquaret, & impingeret in illum paruum cultellum vt oculus suus configeretur taliter quod cæcatus fuisse dicitur tandem oculus ille. Quæritur si dicenda est inde contracta irregularitas in tenente cultellum?

Respondetur per aliquas considerationes.

Consideratio prima.

Considerandum est primò pro dissolutione casus, quod in talibus sæpe aliter iudicat iurista, aliter theologus, quia primus magis inspicit forum
C contentiosum & extrinsecum, sed theologus magis attendit forum conscientiæ & intrinsecum quoad Deum.

Consideratio secunda.

Considerandum est consequenter quod hoc duplex forum accipit suam distinctionem, secundum quod actus moralis habet considerari dupliciter, hoc est dicere secundum vel secundum materiam vel secundum formam actus moralis. Materia actus moralis dicitur ipse actus de genere cū
D circunstantiis suis generalibus, non habito respectu ad finem vel intentionem agentis, forma verò est ipsa intentio finis.

Consideratio tertia.

Cōsiderandū vlterius quod materia actuū moralium attēditur in triplici differentia. Nam quidam sunt actus de genere suo simpliciter mali, qui scil. confestim nominati includunt secum malitiam, sicut dicit philosophus: vt sunt furtum, fornicatio, homicidium. Alij sunt actus de genere simpliciter boni, vt dare eleemosynam, honorare parē-
E tes. Tertij sunt indifferentes de suo genere, vt leuare festucam, fricare barbam, & similes.

Consideratio quarta.

Considerandum rursus quod istorū triplicium actuum primi sic se habent, quod non sunt susceptibiles bonæ formæ moralis, sicut materia indisposita in naturalibus non est susceptiua formæ naturalis & vitæ, ita quod propter nullam bonam intētionem possunt tales actus boni effici, secundi verò actus possunt fieri mali, quamuis sunt in genere suo boni dum accedit intentio peruersa,
F similiter & tertij.

Consideratio quinta.

Considerandum est consequenter ex istis, quomodo possit esse varium iudicium super eodem casu inter iuristam & theologum, quia iurista cōsiderat factū in se & circunstantias exteriores, de quibus potest iudicialiter apparere, & apud eū tenet ista regula, quod idē est de his quæ nō sunt & quæ non apparent. Constat autem quod intentio facientis quam habet interius in corde, non cognoscitur in se nisi forte per quædam signa seu cōiecturas extrinsecas, theologus autem intuetur

tor in foro conscientiæ in quo creditur confitenti tam pro se quam contra se coram Deo.

Consideratio sexta.

Considerandum deinceps applicando ad propositum nostrum etiam omnia similia, quod iurista considerans actum mortalem cum circunstantiis extrinsecis, de quibus potest iudicialiter constare, fert conformiter iudicium ad illas iuxta dicta. Contingit autem frequenter quod talis actus sic consideratus fit de 2. vel 3. genere, qui.s.potest ex intentione fieri vel bonus vel malus. Exemplum in proposito, tenere cultellum, de se non est malum, similiter quod aliquis velit cultellum recipere, non est de se malum, rursus quod aliquis accesserit retro vel prope, non est de se malum. Et ex istis sequitur quod læsio oculi quæ secuta est, non est de se mortaliter mala, immo staret quod sicut precedens actus seu circunstantiæ, ita & iste resultans facti fuerunt cum magna charitate & beneuolentia ex intentione boni finis apud Deū, quamuis de illa intentione non appareat apud mundum, immo forte magis de opposito.

Consideratio septima.

Considerandum insuper pro maiori elucidatione, quod sicut apud philosophos naturales distinguitur duplex genus causarum, ita & apud morales. Nam quædam sunt causæ per se, aliæ per accidens. Causæ per se dicuntur ad quas natus est sequi naturaliter & communiter talis effectus. Sed causæ dicuntur per accidens ad quas non est ordinatus vel natus sequi talis effectus, aut si sequatur, hoc est extra, semper & frequenter, & præter intentionem agentis, sicut dicitur 2. Phy. & inducitur à Boëtio de conso. philoso. describendo casum & fortunam.

Consideratio octaua.

Considerandum iuxta hoc in casu nostro, quod talis læsio vel excæcatio oculi non est de per se nata sequi, & vt in pluribus à talibus causis, ideo dicitur fuisse merè casualis seu fortuita, & præter intentionem agentis & de per se accidens, ideo de se non est imputandus talis effectus agenti quoad Deum & conscientię forum: saltem quantum ad peccatum quod non est nisi voluntarium.

Consideratio nona.

Considerandum nihilominus quod iurista cōtentiosè agens nec credens intentioni, arguet ex circunstantijs, quod intētio fuit peruersa & damnanda per aliquas coniecturas. Vna est, si talis dabat operam rei licitæ. Altera, si hostis erat personæ lęsæ. Altera: non apposuit sufficientem cautelam ne persona illa læderetur, sed poterat satis aduertere quod ex actu suo sequeretur talis effectus. Sed si omnes istę coniecturæ & similes cessent in veritate, nec fuerunt in intentione nec esse debuerunt, theologus stabit iudicio conscientiæ apud Deum.

Consideratio decima.

Considerandum est exemplum in similibus. Ecce quod Iacob cognouit Lyam quæ non erat vxor sua, & tamen excusatur à peccato, quamuis posset videri quod dabat operam rei illicitæ sine appositione sufficientis cautelæ. Quare? Quia certè potuisset attulisse lumen, dicet aliquis & inspexisse lectum, & ita sciuisset quod Lya non erat Rachel, ac perinde videretur ignorantia non inuincibilis esse, quia vtique poterat vinci modo tacto vel simili.

Consideratio vndecima.

Considerandum est igitur pro intellectu huius quod est dare operam rei illicitæ, & huius quod est habere ignorantiam inuincibilem, quod ista iudicanda sunt ex causis per se, non à causis per accidens. Vnde in exemplo præmisso Iacob dicitur habuisse ignorantiam facti inuincibilem, non quia non posset vinci etiam per industriam humanam, sed quia fecit sufficienter illa quæ in talibus sunt consueta obseruari, & ad quæ tenebatur secundum moralem certitudinem, immo videtur quod peccasset, & inuerecundè egisset afferendo lumen, fuissetq; meritò de zelotypia vel nimia suspitione culpandus. Rursus quamuis ille concubitus cum Lya esset res de se illicita, tamen Iacob non dicitur dedisse operam rei illicitæ, quia putabat ex errore facti illam esse Rachel. Sic medicus aliquis aut alius si ex pietate vellet inspicere oculum alicuius pro extrahenda spina, & à casu aliquis pelleret medicum vel læsum sic quod spina plus infigeretur & inde cæcitas sequeretur, talis medicus nec peccare nec irregularis esse quoquo modo diceretur, præsertim in foro conscientiæ, alioquin sequerentur quotidie irregularitates infinitæ, si ex qualibet causa per accidens deberet aliquis irregularis iudicari.

Consideratio duodecima.

Considerandum est vigilanter super similibus casibus ex eadē radice prouenientibus, per quam radicem debent iudicari secundum artem veram, non secundum cuiuslibet phantasiam. Ponamus coram oculis bellū aliquod mortiferum, licitum tamen, vbi mille homines trucidantur. Attendamus simul quot & quanti sunt viri ecclesiastici, quorum actiones potuerunt dici causæ per accidens talis cędis, alter dedit consilium quod patria defenderetur vi armata, alter prædicauit & hortatus est milites viriliter agere, alter pecunias aut cibos ministrauit aut forsan arma dedit, & talia sine numero potuerunt fieri etiam per ecclesiasticos, absq; quibus auxiliatoribus vel hortantibus forte bellum non fuisset.

Consideratio decimatertia.

Considerandum igitur quod hæc consequentia non valet. Iste fuit causa per accidēs mortis vel mutilationis alicuius hominis, ergo ipse est homicida vel irregularis. Similiter fieret applicatio ad materiam excommunicationum pro tollendis multorum scrupulis in participatione vel consilio, sed hoc melius separatum poterit declarari.

Consideratio decimaquarta.

Concludendo sub correctione melius sentientium videtur quod ex prædicto casu sic considerato non est dicenda irregularitas fuisse contracta, neq; peccatum commissum.

Corollarium pro regula.

Elici tandem potest ex præmissis per modum regulæ, quod irregularitas contrahitur ex homicidio vel mutilatione & non aliter, quando occidens vel mutilans fecit actū ex quo nata est de per se vel vt communiter seu probabiliter sequi mors hominis seu mutilatio, siue talis actus sit licitus prout

prout in iudicibus & belligerantibus pro republica, siue sit illicitus de genere vel ex intentione. Videtur enim quod ista notificatio sit sufficiens tam apud theologum quam apud iuristam, nisi forte iurista aliquis ponat aliquam huiusmodi irregularitatem fundatam à legislatore propter solum terrorem incutiendum hominibus, & non ratione delicti, nec ratione mysterij, quo casu talis difficulter poterit distinguere casus aliquos generaliter per quos diceret contrahi irregularitatem ex homicidio, & per alios omnino similes vel grauiores non contrahi. Finis.

CASVS QVIDAM PVLCHRE' ET VTILITER RESOLVTVS PER *Ioannem Gerson.*



QVIDAM scholaris Parisiensis audiuerat ex fama volante, quod falsarij litterarum apostolicarum vel de iure vel aliàs de facto erãt excõmunicati. Scholari illi Parisiis existenti, allata est de curia Romana vna gratia expectatiua, in qua erat correctio in orthographia vnius vocabuli vbi pro littera e ponebatur littera o. Scholaris iste erat scrupulosus, & timebat corrigere vocabulũ illud propter censuram ecclesiasticã, nihilominus correxit ipsum, solummodo discontinuando literam o, & faciendo de ipsa e, per leuem tractum canipuli, & erat correctio imperceptibilis. Postea scholaris iste ad cautelam, & pro pacificatione scrupuli, confessus est cuidam idoneo sacerdoti, qui sacerdos dixit sibi quod talis correctio non erat falsatio literæ apostolicæ, sed emendatio. Ex quo tempore scholaris iste fuit satis pacificatus in sua conscientia. Tandem labentibus aliquibus temporibus scholaris iste promotus est ad sacerdotium, & celebrauit ferè per triennium nullum faciens scrupulum de ista materia, donec studendo summam confessorum, inuenit ibi quæ sequuntur Hostien. li. 5. R. 20. de crimine fal. §. qualiter 2. sub §. porrò sed hodie: Hodie inquit pręceptum est, quod literis DOmini papæ nec in magno nec in modico audeat quis magnum imponere, etiam vnicam literam vel punctum vnicum corrigendo, exceptis officialibus quibus hoc commissum est, alioquin manum apponens ex canone lato in curia, ipso facto sententiam excommunicationis incurrit, quæ non potest per aliquem citra sedem apostolicam relaxari.

Quapropter quæritur vtrum propter istam constitutionem dictus scholaris incurrerit sentẽtiam excommunicationis, & consequenter irregularitatem, immiscendo se diuinis? De ista quæstione quidam ad pauca aspiciẽtes, vel nimis ruditer sentientes dixerunt primò super hoc verbo, manum apponere, deinde super hoc verbo, corrigendo. Superiores tamẽ litterati, quibus est epikeia mortaliter cõmissa, iudicialiter vel doctrinaliter, necnon theologi, pręsertim licentiati, & in foro conscientiæ habẽtes gnomicam, hoc est virtutem superiorem interpretatiuam secundum leges diuinas & æternas, dicerent iudicio meo, quod hæc

A verba debent intelligi, prout includunt in sua ratione seu significatione formali deformitatem & malitiam, hoc est, quod talis appositio seu correctio facta sit ex malitia vel contemptu. Alioquin cadunt puri literales & rudes in inconuenientia & absurditates plurimas, vt quod recipiens bullam apostolicam & manu contrectans, & eam scholaribus suis exhibens, & eam punctans pro exemplari, incurreret hanc sententiam, & ita de similibus inconuenientibus, quæ Parmenides nunquam vidit iuxta verbum aliorum. Vnde sicut

B in excommunicatione percutiẽtium clericos supponitur quod hoc fiat suadente diabolo, & sicut in Apoca. & in symbolo Niceno, & in Dionysi de diuinis nominibus, dum ponitur quod nihil liceat addere vel diminuere, dicunt expositores concorditer intelligendum esse, quod hęc additio vel diminutio non fiat ad corruptionem principalis intellectus spiritus sancti, ita accipiendum est in proposito. Addendo quod excommunicatio nullo modo ferri potest nisi in contumacem.

C Nullus autem est cõtumax nisi agat ex contemptu Dei & ecclesiæ. Hic autem contemptus non fit nisi à sciẽte verè vel interpretatiuè & qui dum scit, nõ est paratus audire ecclesiam. Doctores theologi, nominatim doctor subtilis in quarto, reprobant ex hac radice tantam multiplicationem excommunicationum, præsertim latæ sententiæ, attẽdentes quod potestas ecclesiastica data est in ædificationem, non in destructionem & laqueum inextricabilem animarum. Quis enim

D diceret quod aliquis prælatus ex motu capitis sui ferens excommunicationem de rebus indifferentibus vel etiam bonis de genere, vt quod leuans festucam, vel dans homini eleemosynam, excommunicationem incurreret ipso facto, tolerandus esset & audiendus? Sic in proposito, quia prorsus indifferens est tenere bullam papæ bene vel malè; scilicet ad reuerentiam benè, vel ad contemptum malè, sic ad alios fines bonos vel indifferentes, bene vel indifferenter. Attento denique quod non est contemptus verus vel inter-

E pretatiuus vbi non est obligatio sciendi, prout euenit in cõstitutionibus purè positiuis apud maximam hominum multitudinem, vbi ignorantia excusat, præsertim apud Deum. Alioquin quilibet esset obligatus esse summus iurista, immo plus quam summus, qui sciret omnes constitutiones summorum pontificum & aliorũ scriptas & non scriptas. Possent & expediret hæc inconuenientia latius deduci contra imponentes iugum graue hominibus, quod nec ipsi digito mouere volunt,

F nec eorum patres & filij ferre potuerunt. Hoc vnum ad præsens quęsitum dico, quod circunstantijs attentis non est habendus scrupulus tanquam de excommunicatione latę sententiæ, quæ deinceps prohibere debeat à celebratione missarum & similium, nihilominus quia abundans cautela non nocet, si discreta, non fatua sit: habeat scrupulosus talem animi pręparationem, quod vbi etiam aliter aut securius agendum sibi monstraretur, proponit hoc se facturum. Finis.

ITEM AB EODEM DOMINO CANCELLARIO CIRCA MATERIAM *excommunicationum & irregularitatum resolutio.*

Consideratio prima.



ONTEMPTVS clauium ecclesiasticarum causat quasi formaliter & principaliter excommunicationis vel irregularitatis detrimentum. Sic enim solent communiter Domini iuristæ dicere, quod irregularitas contrahitur, dum aliquis excommunicatus se immiscet sacris in contemptū clauium. Fundatur autem hæc cōsideratio principaliter ex illa lege euangelica Mat. 18. Si peccauerit in te frater tuus &c. Sequitur: dic ecclesiæ. Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

Consideratio secunda.

Contemptus clauium potest interuenire multipliciter in aliquo. Vno modo directè & causaliter, & hoc propriè dicitur fieri ex contēptu, quando. s. contemptus est causa actionis principalis, ita quod non fieret actio nisi esset ad contemptum clauium: quemadmodum si quis dicat episcopo excommunicanti. Ego in despectum vestrum & vestri præcepti, nihil agam illius quod iubetis. Alio modo fit contemptus implicitè, quia videlicet est cōtumax in obedientia, quāuis non ex inobedientia, vel propter non obedire, sed propter aliquid aliud delectabile vel vtile, aliquis peccat cōtra prȩlati iussionem. Tertio modo dicitur contēptus interpretatiuè omnis voluntaria transgressio cuiuscunq; prȩcepti, & isto modo reperitur contemptus in omni peccato, præsertim mortali directè vel indirectè, verè vel interpretatiuè.

Consideratio tertia.

Contemptus primo modo rationabiliter demeretur excommunicationem, & cōsequenter irregularitatem. Similiter & secundus dum iungitur contumacia. Sed tertius contemptus non semper est excommunicationis ecclesiæ, nec consequenter irregularitatis demeritorius. Dicitur ecclesiæ notanter quia omnis peccans mortaliter est à Deo & apud Deum excommunicatus, sed non semper per ecclesiasticam sanctionem.

Consideratio quarta.

Contemptus neutro modorum prædictorū dicendus est interuenire cōtra præceptum aliquod prælati, quando manifestè & notoriè prælatus abutitur in huiusmodi præcepto clauium potestate, & hoc dum scit & cognoscit ille qui non obedit, nec aliunde generat in se vel in aliis scandalosum contemptum clauium. Quoniam in hoc talis non est inobediens clauium potestati, sed erroneo clauium abusui.

Consideratio quinta.

Contemptus clauium magis inuenitur quoad culpam in prælato taliter vt permittitur, abutente sua potestate, quam in non obediente, si comparatio recipiatur abusiua. Est igitur quandoque meritorium & honorificatiuum ecclesiæ potestatis quod tali prælato in faciem resistatur cum appositione inculpatȩ tutelæ, quemadmodum restitit Paulus Petro.

Consideratio sexta.

Contemptus clauium quandoque posset inueniri in vno qui non pareret sententiæ sui prælati, A vbi & quando alius in eadem sententia non obediens, nullo modo contemptus esset reus, præsertim apud Deum. Cuius ratio est, quoniam vnus reputat sententiam iustam aut quomodolibet obediendum illi, alius verò non, sed scit certitudinaliter aut probabilitate sufficienti suum prælatum malè vti in præiudicium clauium, & in destructionem ecclesiæ.

Consideratio septima.

Contemptus clauium debet inuestigari ex potestate legitima & vsu legitimo potestatis illius B qui præcipiendo excommunicat vel irregularitatem comminatur. Alioquin prælati possent inducere qualemcunq; vellent super illos seruitutem si suis sententiis iniquis & erroneis semper esset obediendum. Et ita patet quod hoc cōmune dictum, sentētia prælati vel iudicis etiam iniusta, timenda est, indiget glos. Alioquin non est generaliter verum, si timenda dicatur, quia est sustinenda, nec repellenda, immo in casu pati illam, esset asinina patientia, & timor leporinus & fatuus.

Consideratio octaua.

C Contemptus clauium plus habet periculi erga personam summi pontificis, quam erga inferiores. Quoniam ab abusibus inferioribus patet recursus ad papam per appellationis subsidium. Et si dicatur quod ita potest à Papa fieri appellatio ad concilium generale. Dixerunt olim ante concilium generale Pisanum & Constantinense, quod hoc nullo modo licebat, & allegant iura sua pro se valde (sicut eis videtur) expressa. Sed constanter D nunc asseritur, quod est hæresis damnata per constitutionem expressimam & practicatam in concilio prædicto Constantiensi prout alibi diffusius est ostensum. Respondetur igitur aliter quod non pro leuibus causis, vbi etiam liceret, potest aut debet pro appellationibus prosequēdis passim cōcicilium celebrari, sicut habetur recursus ad Papam.

Consideratio nona.

Contemptus clauium non incurretur in multis casibus, quibus papæ mandato non obediretur, E dum sc. abutitur enormissimè & scandalosissimè potestate sua in destructionem, non in ædificationem, sicut tamen dicit apostolus ideo potestatem datam esse. Exemplum, si papa vellet thesauros ecclesiarum diripere, aut hæreditates vsurpare, aut in seruitutem abiectam clerum cum suis bonis redigere, & iuribus suis spoliare sine causa. Quis diceret ista debere tolerari? Quis non censeret posse dici papæ, cur ita facis? Quis non assentiet in facie sibi resistendum?

Consideratio decima.

F Contemptus clauium etiam non semper inuenitur apud illos qui nedum non obediunt sentētiis excommunicationum promulgatis per papam vel suos, sed etiam nō est iudicanda esse apud illos qui per potestatem secularem aduersus tales prætensas sententias tueri se procurant. Lex enim naturalis dictat vt possit vis vi repelli. Constat autem quod tales excommunicationes non debent dici ius, sed vis & violentia: contra quam fas habet liber vel homo vel animus se tueri.

Consideratio vndecima.

Contēptus clauiū, & cōsequenter excōmunicatio

tio vel irregularitas non incurritur, dum in præmissis casibus dicit aliquis iuristarum vel theologus iuxta conscientiam suam, quod huiusmodi sententiæ non sunt timendæ vel tenendæ, & hoc præsertim si obseruetur informatio seu cautela debita, ne sequatur scandalum pusillorum, qui æstimant papam esse vnum Deum, qui habet potestatem omnem in cœlo & in terra. Veruntamen expellenda est talium stultitia per informationes idoneas, qui si nolint acquiescere, ipsi iam sunt iudicandi de scandalo non dato, sed accepto, hoc est de scandalo pharisæorum & ex malitia, non pusillorum & ex simplicitate vel ignorantia.

Consideratio duodecima.

Contemptus clauium decendus est magis foueri quam tolli, dum debentes abusui clauium resistere, diuiduntur inter se, & impediunt se, vel per stultitiam vel per ignauiam ne communi cõsensu fiat ambulatio in domo domini dum alij fauent abusibus, alij tollere volunt. Veritas est quod omnis via fauorabilis & humilis tẽtanda est cum summo pontifice, dum malè informatus fert per se vel suos iniustas sententias, quod desistat & reformet, sed si nihil profert humilis sedulitas, arripienda est virilis & animosa libertas.

FINIS.

ITEM AB EODEM DE CORDIS INDVRATIONE.



COR durum malè habebit in nouissimo. Durities ista quomodo causetur, & quid est illud apostoli. Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat? non est mediocris quæstio. Siquidem Deus neminem deserit, nisi prius deserat per auersionem ab eo per peccatum. Sed desertione facta cadit homo in profundum & contemnit. Contemnẽti verò Deus non dat gratiam sed resistit, ac perinde non emollitur cor, nec liquescit ad gratiæ susceptionem. Tandem pena damnationis infligitur & obduratio confirmatur. Causa igitur obdurationis est voluntas auertens & hæc initiat, voluntas resistens & hæc continuat. Culpa promerens, & hæc confirmat. Deus gratiam non dans, & hæc non liberat. Deus iuste puniens, & hæc ordinat. Finis.

OPVSCVLVM DE INDVLGENTIIS EIVSDEM CANCELLARII.



QVÆCVNQVE alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis. Et quæcũque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Matt. 18. Collata est autem potestas hæc hic promissa dum post resurrectionem Christus apparens discipulis suis, insufflauit in eos & dixit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Ioan. 20. Specialiter autem & excellenter data est ista potestas clauium ecclesiæ promissa prius Petro, ibi, Tibi dabo claues regni cœlorum. Matt. 16. dum post resurrectionem ter interrogatus de dilectione dixit Christus sibi ter respondenti quod eum diligeret. Pasce agnos meos, pasce oues meas. Fundauerat autem Christus potestatem alligandi iuridicè per excommunicationem dum dixerat, quod si eclesiam non audierit &c. Fundatur denique super præmissis potestas omnis indulgentias conferendi. Super quibus quia varij variè tradiderũt, placuit sequentes annotare pauculas considerationes.

A

Consideratio prima.

Potestas clauium ecclesiæ iuridicialis & forinseca, non extendit se simpliciter & directè ad remissionem culpæ. Ratio, quia requiritur sacramẽtalis confessio & absolutio quæ non fit in publico & iudiciali foro.

B

Consideratio secunda.

Potestas clauium iudicialis & publica, non extendit se principaliter & directè ad diminutionẽ pœnæ nisi illius quam inflixit aut infligere potuit cuiusmodi sunt pœnæ excommunicationum & quarumcunque irregularitatum, inhabilitationum circa legitimos actus ecclesiasticos aut ciuiles. Ratio quoad partem quę excipit & affirmat, cuius est condere, huius est destruere vel interpretari. Sed negatiua patet per idem argumentũ à contrario sensu deductum.

C

Consideratio tertia.

Potestas clauium ecclesiæ super indulgentijs concedendis, modis quibus cõsueuit vti ecclesia vel ecclesiæ prælati à summo vsque deorsum, per quotationem dierum & annorum præsupponit necessario remissionem vel indulgentiam in foro secreto conscientiæ seu confessionis sacramentalis de facto vel in voto seu proposito, & sæpius in facto, iuxta tenorem bullarum quibus inseritur hæc clausula, verè pœnitentibus & confessis, uisi collator indulgentiarum intendat satis esse, quod homo sit in charitate contritus, scilicet cum proposito tempore & loco confessionem facere actualem. Est autem ista fauorabilior interpretatio sine confessione qualibet.

D

Consideratio quarta.

Potestas clauium ecclesiæ sacramentalis & in foro conscientiæ eminentior est vtilior & eligibilior in collatione indulgentiarum quam potestas sola iudicialis. Ratio patet ex præcedentibus, quoniam sine confessione sacramentali de facto vel in voto seu proposito, nulla dies indulgentiarum vel à pœna vel à culpa sortiuntur effectum.

E

Consideratio quinta.

Solus Papa supremus Christus cum patre & spiritu sancto, potest dare plenaria auctoritate indulgentiam omnimodam à pœna & culpa, quam dum confert, dat innumerabiles & infinitos indulgentiarum dies. Ratio, quia vel absoluit & quitat totam pœnam debitam peccato mortali, siue sit originale siue actuale. Et hęc quidem est infinita extensiuè atque duratiuè. Aut si mutat Christus penam illam debitam mortali æternam in temporalem, patet adhuc quod huiusmodi remissio se extendit ad infinitos dies indulgentiarum, si tales dicere possumus dies infinitos vel æternos. Iuxta illud: Dies æternos in mente habui.

F

Consideratio sexta.

Solus Papa Christus gratis & absq; merito alio quam suo, facit huiusmodi commutationem pœnæ æternæ in pænam temporalem vel in plenam absolutionem. Ratio, quia si talis remissio fieret ex merito illius cui remittitur, ipsa non esset iam purè gratuita, sed quodammodo debita, vel ex operibus vendita, nos autem hoc intelligimus de merito condigni.

Consideratio septima.

Solus Papa Christus in iustificatione impij prius natura infundit gratiam quam remittat culpam. Prius insuper dimittit reatum pœnæ æternæ per infusionem huiusmodi gratiæ, quam homo mereatur à peccato resurgere vel ab hoc reatu liber esse. Quocirca non satis aduertebant qui dicebãt primum actum contritionis post peccatum esse plus incomparabiliter meritorium quam aliquẽ posterius elicitum. Fundantes se in hoc, quod cõtritio merebatur liberationem à pœna æterna, & consecutionem vitæ æternæ, non ita consequentes merebantur huiusmodi remissionẽ, quia iam facta erat.

Consideratio octaua.

Solus Papa Christus potest illam tot dierum & annorum mille milium indulgentiam concedere, qualis posita reperitur in diuersis concessionibus summorum Pontificum, vel aliorum sub varijs temporibus locis & causis. Et forte talis enormitas concessionis ab aliquibus quæstuosis, aut aliter malè motis conficta est.

Consideratio nona.

Indulgentiarum concessio rationalis præsupponit in conferente auctoritatem à Christo fundatam, & in euangelio vel ex ipso explicatã. Præsupponit idoneitatem & adimpletionem conditionis appositæ in indulgentijs, vt quod sit verus contritus aut confessus, & faciat hæc aut ista &c. Præsupponit tertiò causam concessionis seu distributionis huiusmodi indulgẽtiarum legitimã, claue scilicet ecclesiæ non errante, neque Christo reprobante, vbi non certa & euidens notitia requiritur, sed æstimatio bonæ fidei & probabilis coniectura, quemadmodũ in distributione thesauri materialis de fisco regio vel ecclesiastico Papa vel rex vel alius distributor attenderet.

Consideratio decima.

Indulgentiarum cõcessio per tot milia, nedum dierum sed & annorum videtur difficulter sanabilis post remissionem æternæ pœnæ, & commutationem in temporalem. Cõstat enim quod nec homo singularis in hac vita potest aut debet ad tot annos obligari pœnitentiam agere, cum non victurus sit per millesimam partem tot annorũ, & nemo ad impossibile obligatur. Constat præterea quod dum mundus finem habebit, cessabit purgatorium, & ex consequenti dies pœnarũ suarum.

Consideratio vndecima.

Indulgentiarum concessio non extendit se ad pœnas ex corruptione naturæ contractas per peccatum originale. Certum est enim quod Papa nõ absoluit à siti, à fame, ab infirmitatibus & à morte. Extendit igitur se huiusmodi absolutio ad pœnas supradictas & infligendas iusto pœnitentialis satisfactionis iudicio pro peccatis actualibus, vel hic vel in purgatorio, quoniam in inferno nulla
A est redẽptio. Vtrum verò claues ecclesiæ se possint extendere non solum super terram sed sub terra in purgatorio, maximè quoad remissionem pœnæ aut venialis culpæ, aut excommunicationis prius latæ dum viueret reus, nunc existens in purgatorio, sunt opiniones ad vtramque partem probabiles. Et fauorabile est dicere quod sic, saltem per indirectum propter communionem in charitate. Sed non debet aliquis sic inniti indulgentijs concessis in toto vel in parte, à pœna & à culpa, quin studiosius sit satisfacere per se & alios hic
B in vita.

Consideratio duodecima.

Indulgentiarum concessio non est paruipenda seu contemnenda, sed amplectenda deuotè in fide, spe & charitate domini nostri Iesu Christi, qui potestatem talium clauium ecclesiasticum dedit hominibus. Constat enim quod fructuosior est & acceptabilior Deo & hominibus operatio talibus innitens indulgentijs quam altera (& hoc cæteris paribus) nõ innitens. Consilium est igi-
C tur solum & sanum, quod absque curiosa discussione de præcisa vel euidenti & certa quantificatione seu mensuratione huiusmodi indulgentiarum studeat homo pius tales acquirere secũdum qualitatem suæ vocationis. Pondus autem valoris illi relinquere qui omnia facit & fecit in numero pondere & mensura. Postremò concedentes indulgentias, taliter & intẽtione, & in verbis, vel in scriptis suas concessiones moderentur vt nec diuinæ iustitiæ cum misericordia derogetur, nec
D scandalum maximè pusillorum præbeatur, vel ne facilis concessio maioris indulgentiæ pro minimis vel exiguis causis pariat in arduis & legitimis pro ecclesia vel republica negotijs detrimentum.

Consideratio tredecima.

Si quis petit pro se & perseueranter & piè, hoc est ad salutem & ex charitate, efficax est eius oratio. Patet hoc ex regula magistrali quæ fundatur super hoc verbo Christi. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Consideratio 14.

E Si quis petit indulgentiam peccatorum fieri sibi in hac vita potius quam in purgatorio, ritè petit & piè, quoniam pœna purgatorij longè grauior est & minus habens, immo nihil habens de merito. Deducitur ad hoc psalmistæ notans de triplici foro iudiciali seu punitiuo. Domine ne in furore tuo arguas me, quoad infernum, vbi regnat horrenda & quodammodo furiosa iustitia propter effectum, non ob iudicantis affectum, neque in ira tua corripias me, quoad purgatorium, vbi sedet iustitia quodammodo rigorosa & irata. Mi-
F serere mei domine quoniam infirmus sum, quoad præsentem vitam, vbi sceptrum tenet & thronum gratiæ dulcis misericordia.

Consideratio 15.

Si quis petit indulgentiã peccatorum suorũ fieri in hac vita ex charitate & perseuerãter, obtinebit vtique, & moriẽs statim euolabit ad cælũ. Sequitur ex præcedentibus, quia vel per martyrium vel alijs modis Deo cognitis purgabitur in hac vita, & lõgè mitius quam in altera puniretur, simul & præmium essentiale per patientiã merebitur augmentari.

Consideratio

Consideratio 16.

Si quis petit dilationem satisfactionis suæ fieri non in hac vita sed in purgatorio, potest hoc contingere culpabiliter propter debilitatem fidei de pænis purgatorij, aut quia nimis amat delitias & honores vitæ præsentis, vel asperitates exhorret. Si verò veniat hæc petitio ex consideratione fragilitatis propriæ, & debilitate suæ patientiæ in aduersis, ne succumbat & peccet, tolerabilis videtur esse timor iste, licet imperfectus sit, & non omnino excusabilis, quia quodammodo diffidit de Deo quod non tolerabiliter secum ageret, neque quod daret debitam patientiam. Colligitur autem ex hac consideratione quadruplici ratio moralis & theologica, cur viri sanctissimi tot flagellis atteruntur in hac vita quia confidentes in Dei misericordia, quod faciet eis cum tentatione prouentum, petunt hic puniri, & non in finem peccata scilicet etiam venialia differri purganda, quorum Deus petitionem exaudiens, commutat sententiam & pænam purgatorij in pænam temporalis huius exilij, & in augmentum essentialis præmij scilicet cum acceleratione paradisi. Hinc est illud Aug. Hic vre, hic seca, vt in æternũ parcas. Notetur de Mauritio imperatore, qui elegit hic puniri, & proditoriè occisus est. Sic aliqui iusti viuunt, & moriuntur ignominiosè quoad mundum, sed mors iusti subita, quam præcessit bona vita, non minuit merita, si moriatur ita. Propterea nil temerè iudicandum. Certissimum signum indulgentiæ salutaris est, bona facere & mala pati.

SVBDVNTVR ALIÆ CONSIDERATIONES EIVSDEM PRO AMPLIFICATIONE *materiæ super indulgentia peccatorum.*

Consideratio prima.

Eligibilivs est orare pro viuis quam pro mortuis, vt liberentur à culpa & perseuerent in gratia. Accipitur autẽ oratio nomine generali pro omni adiutorio spirituali, quale intelligitur fieri tribus modis. Per amicabilem intercessionem, per meritoriam actionem, per recompensatoriam satisfactionem. Patet igitur cõsideratio, quia mortui sunt extra terminum vitæ, qui si sint in purgatorio vel in cœlo, nõ indigent liberaria culpa, maximè à culpa mortali, & sunt in gratia cõfirmati, damnatis verò non prodessent.

Consideratio secunda.

Eligibilius est orare pro mortuis existentibus in purgatorio vt liberentur à pæna quam pro viuis. Ratio est, quia plus indigent, quia minus se iuuare possunt. Recompensabunt præterea cum eis bene fuerit in gloria, quando habebunt vocem in cœlo. Denique non potest pro ipsis esse talis oratio frustra, cum sint in gratia, cum præterea fiat ex sua iussione vel ordinatione principali. Multi rursus ita fieri meruerunt dum erant in via, bona sua largiendo, & ita de pluribus causis seu motiuis. Porrò amicabilis intercessio spectat maximè ad sanctos in gloria qui sunt extra statum merendi & satisfaciendi. Sed meritoria actio pertinet ad solos viatores. Recompensatio similiter satisfactoria spectat ad eos tam pro viuis quam pro mortuis, qui participes esse possunt. Expedit demum vt omnis oratio nostra ecclesiæ cõmunioni se coniungat.

Consideratio tertia.

Eligibilius est homini viatori procurare sibi iuuamen spirituale in vita sua vt liberetur à culpa & pæna, quam expectare per fundationes aut alia pia testamentorum legata post mortem quod talia sibi fiant. Sequitur ex consideratione prædicta quia post mortem ista non proderunt sibi ab melius nisi quod liberetur à pæna si sit in purgatorio. Nunc autem dum viuit, sibi prodesse possunt ad liberationem culpæ & inuentionem gratiæ necnon vt in gratia finaliter perseueret. Rursus ex alio qui liberalius & difficilius est dare in vita quam relinquere post mortẽ distribuendum.

Consideratio quarta.

Eligibilius est cæteris paribus agere opus satisfactionis ex charitate pro viuis aut mortuis quam opus solum meritoriæ actionis aut amicabilis intercessionis. Patet quia satisfactio includit tria simul & non è contra. Iuncto quod opus meritorium simul & satisfactorium non minus meretur de præmio essentiali vel augmento gratiæ ex hoc quod est satisfactorium pro certa liberatione à pæna quam si non esset alicuius pænæ deletiuum, alioquin non expediret satisfacere, si in diminutionem gloriæ (quæ incomparabiliter melior est quam à pæna liberatio) verteretur. Additum est, cæteris paribus, quoniam opus meritorium non pænale, & per consequens non satisfactorium, vt sic posset fieri cum maiori charitate & circunstantijs alijs meliorantibus actionem, quod liberatio à pæna non æquiualeret augmẽto gratiæ in præsenti, vel gloriæ in futuro.

Transferentur hæ considerationes ad omne genus suffragiorum, etiam illorum quæ habent efficaciam ex vi operis operati, vt in sacramento missæ. Concluditur insuper ex præmissis, quod non semper eligibilius est acquirere indulgentias pro liberatione à pæna vel satisfactione quam alijs operibus vacare, dum possunt fieri cum maiori charitate. Et ita diceretur de operibus vitæ actiuæ, vt de ieiunijs aut alijs afflictionibus pænalibus & tamen satisfactorijs. Patet iterum fatuitas illorum qui solo intuitu lautæ sustentationis habendæ, se onerant operibus satisfactorijs pro alienis. Secus si ex magna & sola charitate proximorum hoc faciunt. Et dum sentiunt se vtilius & accommodatius iuxta vocationem suam occupari circa talia opera, quam circa puras & altas meditationes & excessus mentales, qui paucorum sunt valde. Aut subinde quia sunt obligati propter receptionem sustentationis corporalis per fundatores vel alios taliter exerceri. Collige ergo quod indulgentiæ peccatorum proueniunt multis modis. Primò est satisfactio propria voluntariè facta. Secundò est satisfactio propria in confessione suscepta. Tertiò, satisfactio per alium pro se persoluta in corpore vel donis, præsertim cum auctoritate commutantis. Quartò per indulgentias ecclesiæ seu prælatorũ. Quintò per communicationem suffragiorũ communium, sicut in monasterijs & ecclesijs. Sextò per patientiã in aduersis, cum obsecratione quod

in partem suæ purgationis cōuertantur, nam dominus in tribulatione peccata dimittit. Septimò per omne opus, ex charitate factum, quamuis spectet ad contemplationem, si iungatur intētio vel oratio, quod valeat ad indulgentiam peccatorū. Sic enim dictum est de Maria Magdalena, quia dimissa sunt ei peccata multa quia dilexit multū. Et ad seruum. Omne debitū dimisi tibi, quia rogasti me. Valet octauo vehementer omne opus misericorditer proximis impēsum secundū opera misericordiæ tam spiritualia quā corporalia, quorum quælibet ad septenariū rediguntur. Sic enim dictum est. Date, & dabitur vobis, dimittite, & dimittetur vobis. *Luca 6.* Postremò pietas gratuita Dei sanctorum suorum prouenit, & confert sæpe indulgentiam qualem nullis præcedentibus meritis haberemus, innitēdo eis. Hoc semper supposito, quod supremus Papa dominus noster Iesus Christus has indulgentias certificabit & confirmabit. Qui nos semper dirigat & conseruet in operibus mandatorum suorum. Qui cum Deo patre &c.

Opusculi de materia indulgentiarum finis.

VERSICVLI SVPER MATERIA Indulgentiarum.

Arbitrio Papa proprio si clauibus vti
Possit, cur finit vt pæna pios cruciet?
Cur non euacuat loca purgandis animabus
Tradita? sed seruus esse fidelis amat.
Deserit ergo fidem malè dispensans, neque prudens
Clauibus vsus inest, dans capiénsque tremant.
Profectus certè est magnus, bene clauibus vti
Quando fit hic, semper vnctio sola docet.
Clarus in ecclesia thesaurus & vtilis adsit:
Quem dat larga manus, prodiga crimen habet.
Ciuibus angelicis neque hic mandare viator
Commendare potest orat vt ecclesia.
Impie pæniteas, tunc indulgentia fiet
Infinita tibi, pæna breuis superest.
Pæna tamen grauis est, cautus releuare studebis
Diuitiis sparsis, muneribúsque piis.
Dans aliquod munus, vis indulgentia prosit:
Proderit, & nulla dona Deo pereunt.
Paucula sunt dona, sunt de rebus perituris.
Accipies cœlis præmia perpetua.

Glossula. Clarus in ecclesia. Notatur hic triplex conditio concurrere debens in largitione indulgentiarum non prodiga, quod non veniant in contemptum quod sint ad publicum profectum, quod non sonent turpem quæstum. Vnde quoad secundam causam, pauper ex ea charitate dat denarium, sicut diues dat talentum, licet meritū essentialis præmij sit æquale in ambobus non tamen oportet hoc de præmio accidentali remissionis pænæ debitæ peccato. Et in hoc potest esse conditio diuitis melior. Iuxta illud, Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ. Fundatur etiam positio quod actus exteriores possunt addere super meritum interius & essentiale, meritum accidentale multis modis & causis hic omissis, videtur modus loquēdi in forma absolutionis cautus esse, licet non multum clarus, dum additur in fine, quantum claues ecclesiæ se extendunt. Et hoc ideo fortè dicitur, propter tres causas modo dictas. Finis.

A

RESPONSA EIVSDEM CANCELLARII PARISIENSIS AD QVÆstiones quatuor sibi per quendam familiarem motas.

Quarum prima est ista. An malè loqui de aliis in eorum absentia semper sit peccatum? Quam determinat per tres conclusiones. Secunda quæstio. Si quis ficte confiteatur, an iterum teneatur de omnibus confiteri. Hanc determinat per distinctionem de quadruplici fictione. Tertia quæstio. Si habeatur suspicio de illo qui confitetur, & non sufficienter discusserit conscientiam suam, an talis possit absolui nulla inquisitione sibi facta de peccatis, vnde suspicio habetur? Quam soluit similiter per distinctionem. B *Quarta quæstio. De altaribus fratris de cingulis sacerdotum non benedictis, & de casulis resarcitis, & sic de similibus. Vtrum sit peccatum cum talibus & in talibus missam celebrare? Ad quam respondet per auctoritates.*

Quæstio prima.

C



QVÆRITVR, an malè loqui de alijs in eorum absentia sit semper peccatū? Videtur quod sic, quia nullus vellet quod hoc de se aut sibi fieret, ergo nec debet hoc facere de aliis aut contra alios. Consequētia tenet per illam generalem regulam diuini iuris & humani. Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. Sed in oppositum arguitur, quia si sic, tūc verè totus mundus esset in periculo damnationis perpetuæ, etiam multi religiosorum. D Nam communiter cum homines conueniunt, declinant facillimè ad loquendum de absentibus, & vtinam tam citò de eorū bonis sicut prohdolor de eorum malis. Nonnunquam tamen aliqui loquuntur de mala vita politiam regentium & aliorum secularium (vt aiunt) intentione non mala.

Pro responsione itaque sciendum, quod actio moralis libera accipit vel vituperium vel laudem & peccatum ex suis circunstantiis, & specialiter ex circunstantia finis. Inquirendum est igitur ad quem finem dicitur malum de absentibus, & occurrunt sex fines generales. E Quandoque hoc fit ad instructionem præsentium & id audientium, caueant similia facere. Quandoque fit ad præsentium cautelam, ne scilicet ex ignorantia decipiantur per malam aliorum societatem quos præsumunt bonos. Quandoque etiam fit ad vtilitatem absentium, vt videlicet præsentes eis referant pro ipsorum correctione & emendatione. Quandoque fit ex quadam compassione amicabili, vt F scilicet seipsum & audientes referens prouocet ad orandum instantius pro aliorum peccatis & eorum conuersione. Quandoque etiam fit ex sola curiositate & assueta loquacitate & quadam libidine loquendi de aliis. Quandoque autem fit ex odio vel inuidia, ac pro diminutione famæ alienæ & ex animi indignatione.

Sit ergo prima conclusio.

Primis quatuor modis potest esse non solum licitum, immo & meritorium referre mala absentium, dummodo tamen non intendebatur principaliter alius finis quam aliquis prænotatorum quatuor. Et si non misceatur alia intētio fermentata

tata & sibiipsi mentiens; dum bene prouideatur ne sint falsa quæ dicuntur, aut in malo vltra quam in se sunt per referentem ampliata, aut forsan sinistrè interpretata, ac etiam quod non plus noceat talis locutio absentibus & eorum famæ quā prosit præsentibus & eorum ædificationi. Quoniam pro paruo bono consequendo non est magnum malum committendum.

Secunda conclusio.

Malè loqui etiam absentibus ad solum satisfaciendum propriè loquacitati & libidine loquēdi de aliis, qui est quintus modus seu finis inter prædictos, etiam si sit pro sola deductione temporis & quasi pro solatio, vt sic tempus sine tædio transeat, vix aut nunquam excusatur à peccato, & sæpius transit in mortale peccatum. Tale enim verbum non solum otiosum (de quo iuxta terribilē veritatis comminationem sumus reddituri rationem) sed & communiter est perniciosum & multipliciter nociuum. Nam habemus ex tali verbo occasionem & rationem magnæ damnificationis aliorum in sua fama. Etiam per hoc cadunt sæpissimè tam loquentes quam audientes, vel in indignationem contra eos de quibus fuit oblocutio, vel in falsam testificationem propriam tam cordis quam oris dum videlicet cogitatio interior pensans coram se posita aliena mala, & sua propria quandoque similia aut maiora, palpans tumet & inflatur, dicendo. Gratias tibi ago Domine Deus, quod non sum ego talis qualis iste de quo tanta mala referuntur. Et sic miser cadit in foueam quam fecit, & cum illo euangelico pharisæo falsè iusto, fit peccator quem ipse iudicat, si non deterior, ei tamen propter suam superbiam similis, quia etiam peccator vt alius, & si alio modo. Et hoc pharisaicum vitium tam in loquendo quam in audiendo concipitur facillimè, & fit saltem affectu, etiam si ratio videatur iudicare aliter, & id ore manifestare minimè attentet.

Si quis autem quæret signum quomodo sciet quando ex bono fine loquatur, aut malo de malis proximi. Respondetur, quod dum loquitur aliquis ad bonum istius cuius mala commemorat, vt puta vt in se & audientibus prouocet mentem ad orandum pro talis emendatione, necessarium est vt sentiat tunc in se quandam ad eundem de quo fit sermo, compassionem piam, dulcemque misericordem & chatitatiuum affectum. Et etiam requiritur vt non nimis longum texat sermonem de tam mala materia & despicabili. Sicut pia mater non delectatur in narrando longè mala filij sui, nec etiam dicit illa nisi ex necessitate, vt puta ipsi medico, aut illis qui eius saluti poterunt prodesse, & malum adiacens auertere. Sic itaq; narrando suspirat alte, tristatur, dolet, & abbreuiat sermonem quantum præualet & quantum videtur sufficere ad ostentionem infirmitatis quæ sibi tantæ tristitiæ causa existit.

Sed dum quis loquitur malum de aliis ex loquacitate, sunt signa opposita, quoniam tunc sentit indignationem animi contra eos de quorum malis loquitur, & cum quadam amaritudine fellis corrodit & mordet ipsos absentes, & verbis suis venenatis linguáque sua sicut gladius acutus acuata, lacerat sine misericordia, sine aliqua compassione, nec ponit finem verbis suis, quia satiari nequit eius vorax inuidia, quin licet crudas omnes carnes & totum sanguinē eius quem deuorat quantum in eo est absumpserit. Et quamuis consciētia sua sibi clamet quod talia agendo neminē ædificet, immo & nonnunquā audientes scādalizet, non tamen adhuc cessat quin quātum tēpus patitur, venenū suū totaliter effundat. Item signū est non fallax, cum sic loquendo malū de absentibus, eos corrigere minime curat. Hoc autē sciri ex eo potest, quia præsentibus non cōmittit vt absētibus charitatiue ea quæ ipse inuidiæ refert, denūcient, immo persæpe postquam ad cor reuertitur, timet id faciant, & si factū foret non æquo animo sustineret, non quia doleat de alterius iniuria & sua propria culpa, sed magis de sua vilificatione & detractionis nota, nollet enim detractor reputari; quamquam esse nō vitet. Item signum efficax videtur, vt loquens malum de aliis, interroget cor suum coram cordium inspectore Deo, cui mētiri nō potest, quáuis posset mentiri iniquitas sibiipsi, & quærat an vellet quod alius sic loqueretur de se coram aliis ea intentione, ea forma, & sic de aliis circunstantiis, qualiter ipse loquitur de aliis. Et ni fallor, vt frequenter respondebit sibi cor suum, si mēdaciter veritatem tamen supprimere noluerit; se hoc nequaquāvelle. Signum ergo mali est. Hoc clauo retunditur nonnullorum excusatio falsa & friuola, qui cum loquuti fuerint ad libitum suum de proximorum suorum malis, audēt si super hoc obiurgentur dicere, etiam quandoq; constanter, licet mēdaciter, se hoc fecisse nō mala intentione neq; animo cuiquā nocēdi, & nullo modo ex inuidia. Et si rursum interrogentur, an ergo ex singulari id egerint dilectione & amicitia, & ad magnū profectum aut commodum absentium, & an similia dilectionis & amicitiæ signa velint erga se consimiliter fieri, laqueis perplexitatis ita capti & irriteti sunt, vt vel manifestum contra suam conscientiam proferre mendacium vel verbum iniquum & dolosum iniustè dixisse cōtra proximū, fateri cogātur, quorum vtrūq; malum est. Malum igitur & valde malū multūq; perniciosum est homini esse promptū ad loquendū malum de absētibus. Etiam cæteris malis quę inde sequuntur circunscriptis mens tam loquentis quam audiētium impeditur à melioribus & salutaribus postmodū ex hoc etiā inuita. Cum enim post fuerit orandū & Deo seruiendum, ad mentem redeunt placeat vel displiceat, cum quadam quasi violentia quæ prius incautè commisit vel admisit cum mala cōplacentia. O quāto consultius est ita loqui de bonis aut de peccatis & malis propriis, quā ita rodere dente canino alios. Vix deniq; seruatur mensura quin misceatur mendaciū & malū augmentetur, & ad partem semper trahatur deteriorem, & penè nullo excusetur aut alleuietur, vt sic fiat supra modum peccans peccatum, quasi vnum aut simplex peccatū nō sufficiat in perniciē ipsius obloquētis.

Conclusio tertia.

Loqui malum de alio ad finem sextum scilicet directè ex odio & inuidia, semper est peccatum. Et quando notabiliter læditur per hoc aliena fama, & dum loquens hoc aduertit in sua consciētia aut aduertere posset, est grauius peccatū sæpissime quā furtū, aut quā foret esus carnium in die veneris vel ieiunij ecclesiæ magni cuiuscunque.

Salubre itaque consilium est ad vitandum tam grãde periculum animæ, vt homo discat & assuescat ita honestè loqui de absentibus sicut loquendum esset si ipsi præsentes essent, & personaliter de se sermonem prolatum audirent. Itemque vt homo semper timorem Dei habeat præ oculis cordis, qui vtiq; vbiq; est presens, & in cuius conspectu loquitur quicũq; loquitur. Non solum autem hoc sed & cor intuetur, & reddet tẽpore suo vnicuique iuxta opera sua. Oret ergo necesse est quilibet vt ponat Dominus custodiã ori suo. Sed & audientes caueant sibi ne sint prurientes auribus & delectet eos audire aliena mala, quia iuxta beatum Hieronymum sententiam verissimam. Æquè reus est qui detrahentẽ libenter audit sicut is qui detrahit, immo nonnunquã ampliori reatu constringitur propter præstitã alteri occasionem. Si enim ipse non libẽter audisset, forsitan alter tacuisset. Et vt amplius pertimescamus tam periculosum linguæ vitium, aduertendum quod cõmuniter secundũ doctores cõparatur non solũ furto sed & homicidio: immo & preferunt hac ratione: quia in homicidio occiditur corpus vnũ, in detractionis verò vitio occiduntur animæ plures quia anima detrahentis, animæ detractorem libenter audientium, & quandoq; etiã anima eius cui detrahitur. Item nonnunquã facilius satisfit pro homicidio corporali & furto quam huiusmodi homicidio & furto spirituali scilicet detractione. Ratio, quia in illis quãtitas damni estimari potest, & sic correspondens emẽda subsequi. In istis autẽ nequit, cum non satis constare possit in quot hominum cordibus mediatè & immediatè detrahẽs bonam opinionem & famam eius cui detraxit, occiderit, atq; furtiuè bonum famæ (quod inter omnia alia corporalia, & huius vitæ bona multũ est preciosum) subtraxerit, vnde & difficulter satisfacere ipsi læso potest. Cum tamen iuxta beatũ Aug. peccatum non dimittitur, nisi ablatũ restituatur. Quomodo autem restituet cum ignoret quãtum debet? Item in cætera peccata istud quodammodo est inhumanius & bestialius, quia lupinum. Dicitur namq; quod nisus nisum non comedat, nec canis canem, nec bestia aliqua bestiam suæ speciei, sed bene alterius, sola lupa excepta, quæ (vt aiunt) cum fame premitur, lupum comedere non veretur. Sic & detractor homo hominẽ suæ naturæ consortem tanquam lupa rapacissima dentibus detractionis rodere, comedere & occidere non erubescit. In hoc à lupa differens quod illa comedit carnes recentes, ipse autẽ quandoq; carnes fœtentes & iam putrefactas, quando videlicet non tantũ viuis sed & dudum iam mortuis dentes mordaces detractoriè iam infigit. O abominandum malum & valde odiẽdum. Bene ergo sapiens vocat detractores Deo odibiles. Cum tamen scriptum sit de Deo: Nihil odisti eorum quę fecisti. In signum magnę detestationis (haud dubium) peccati detractionis dicitur Deus odire detractores, qui nihil odire solet eorum quæ fecit. Aut restat dicere quod detractores non sunt sua factura, non quidem secundum essentiam sed propter singularem eorum malitiam. Vnde & hac de causa beatus Aug. vir scientia & vita vtiq; præclarissimus, ad tantum detestabatur hoc vitiũ, vt circa mensam vbi communiter de facili linguæ peccatum (iuxta beati Gregor. de diuite epulone sententiam) se immiscet, hæc metra (prout in eius legenda reperitur) scripta haberet.

A *Quisquis amat dictis absentum rodere vitam.*
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Et vt facto comprobaret quod scripto statuerat, cum quidam episcopi (prout ibidem legitur) ad eius mensam cœpissent incautè laxare linguam in detractionem absentum, aiebat: Nisi cessarent, ipse illa metra delere vellet, & de mensa recedere. Hinc etiam est quod religionum fundatores cõsiderãtes multiplex in linguæ vitio pẽdere animę periculũ, sanxerũt prouidissimè pro sũmo remedio, iuge pro loco & tempore suis sequacibus silentium, certas pœnas in robur sanctionum suarum contra transgressores adiicientes. Et clarum est experientia docente quod vbi censura hæc silentij seruatur artius, ibi religio viget laudabilius & perfectius.

B

Porrò quamquam custodia oris cuiq; sit necessaria propter cauenda mala prætacta, specialiter tamen hęc oportuna est religiosis & sacerdotibus Christi, quorum ora non diabolicis ioculationibus, sed diuinis die noctuq; laudibus repleta esse debent, maximè etiam propter illa tremenda sacrosancta corporis & sanguinis Christi mysteria, quæ ipsorum ora quotidie quasi tangere habent. Demum maleloqui volens de alio, debet primò considerare seipsum, fragilitatẽ suam & proprios defectus, & quomodo indiget etiã misericordia Dei ipse ne cadat, sicut ille cecidit de quo loqui intendit, immo tam similiter & forte plus grauiter cecidisset nisi diuina gratia se preseruasset. Nemo quippe sanctus aut innocens viribus suis. Penset quoq; si ipse esset in statu aliorum, vt alij faciũt faceret, & quandoq; peius. Occasione peccandi nãque quæ valde multiplex est data, difficile est non peccare, immo singulare Dei donum tunc peccatum posse vitare. Nam si homo qui non nisi se & linguam suã regere habet, ita sæpius deficit occasione se offerente vt cadat tam facile in peccatũ detractionis & cætera mala, nec potest esse Dominus suijpsius, quid rogo hic æstimare piè debebit de cæteris qui non solũ se, sed & alios multos diuersorum & mirabilium morum habent regere? Nonne si qua viscera pietatis & fraternæ charitatis in eo fuerint, pro his talibus non omnia punctualiter ad rectum dirigunt magis deuotè orabit quam detractoriè lacerabit? Regratiabitur itaq; Deo qui se in tuto locauit, & compatietur fratribus (quia omnes vnum habemus patrem in cœlis) tam variis & multis periculis, etiam non tantum pro se, sed pro communi salute expositis. Deniq; timeat nihilominus sibi vsurpare diuinũ iudicium, cum non veretur iudicare alienum seruum, qui Domino suo stat aut cadit. Stabit autem potius, quoniam potẽs est Dominus stabilire eũ, hoc enim ipse debet præsumi magis quam quod condemnetur. Talia innumera sunt in sacris scripturis. Et ex dictamine etiã plura sunt similia iuris tam diuini quam quam humani, quibus homo se iuuare contra tam pestiferum vitium linguæ poterit pariter & munire, quæ & diligenter debet aduertere & in effectum deducere, ne forte aliàs frustra sit quicquid boni agit. Aduertat etiã quod licet totum penè humanũ genus peccato linguæ communiter periclitetur, pauci tamen sunt qui debitè

C D E F

debitè inde conterantur, confiteantur & satisfaciant immo reperiuntur nonnulli adeò mentis oculo cęci, quod detractiones, adulterationes, calumnias & cęteras manifestas oris damnandas nequitias non reputant apud se pro peccatis, qui si forent de laicorum numero literas ignorantium, viderentur vtique excusandi, nunc autem excusationem nullam habent de peccato, quia prohdolor & literati & clerici, & quandoque habitu religiosi sunt. Timere quoq; deberent meritò homines, ne si abutantur linguæ suæ beneficio ad Deum laudandum & propriam salutem operandum sibi concesso, in extrema sua necessitate, videlicet in horrendę mortis hora vsus debitus tam nobilis doni iusto Dei iudicio eis subtrahatur, cũ eo per maximè indigebunt ad confitendum peccata sua, & ad exponendum necessitates suas, & ad commendandum animas suas Deo & sanctis suis eorum amicis &c. Longius quam intendebamus, & forsan durius quam debueramus, de vitio linguæ disseruimus. Sed nemini displiceat, nullus sinistrè dijudicet, pro communi bono factum est, coram Deo loquimur nulli in contemptum.

Secunda quæstio.

QVæritur, si quis fictè confiteatur an teneatur de omnibus confiteri? Responsio, hic præsupponenda est vna distinctio magistralis de fictione quia quædam fictio est perniciosè mentiens. Quædẽ dolosè dimidians. Quædam patenter inficiens. Quædam insufficienter discutiens. Fictio triplex prior impedit ne confessio vel prætensa absolutio valeat ipse sic fingenti, quin oporteat vel necessarium sit iterum de omnibus sacramentaliter confiteri. Quarta verò fictio potest inueniri, licet non bona, non tamen sicut priores æqualiter mala, vbi liceat absolutio non conferat gratiam nec peccata deleat, confert tamen cessante fictione, nec oportebit de sic confessis iterũ confiteri. Conueniunt in hoc satis doctores, quia communiter doctores dicunt quod vnum peccatum mortale non deletur sine alio, aliàs namque sequeretur quod gratia staret simul cum peccato mortali. Mentiens autem in confessione perniciosè, peccat mortaliter. Secus autem est de mendacio quod ex genere suo aliàs esset solũ veniale, vt videlicet miscendo quandam leuem circunstãtiam falsam vel excusationem friuolam. Fictio autem secunda scilicet dolosè dimidians dicitur, quæ tacet solum ad celãdum suum peccatum vni certo sacerdoti, attamen proponit hoc alteri confiteri, & hæc facit in fraudem integritatis ipsius confessionis, videlicet ne vilis reputetur si hoc peccatum tali detegeret cui iam forsan alia pura detexit grauia, & reseruans hoc cuidam alteri qui propria nescit, vt fallaciter reperiatur apud humanum iudicium peccator paruus qui coram Deo est peccator magnus. Si autem hęc dimidiatio fiat absq; dolo, vtputa iusta ratione, cum videlicet cõfitens habet aliquos casus propter quos excõmunicatus est, vel qui aliàs superiori sunt reseruati, & ille superior verisimiliter non audire vult alia nisi ea sola quæ suæ auctoritati reseruata sunt specialiter, vel etiam dum confitens quantum in eo est, paratus esset omnia confiteri vni sacerdoti, A & idem etiam paratus est omnia audire, sed non eadem horã. Aut etiam dum confitens habet aliquod peccatum de quo præsumit probabiliter, quod si tali sacerdoti confiteretur tale peccatum ipse forsitan inde scãdalizaretur, scilicet sacerdos vel in fide vel in moribus, vel ideo quia forsan tãgit personã sacerdotis prout casus poterit occurrere possibilis, & confitens pro tunc non habet alium ad manũ cui confiteatur integraliter, aut si haberet, non tamen bene auderet propter suspiciones sinistras cauendas alium pro tali vice accedere. B Huiusmodi fictio dimidiãs quia non fit dolosè, immo nonnunquã religiosè & prudenti discretione non reprobatur à doctoribus communiter. Licet enim confessor vices gerat Dei in audiendo confessiones, non tamen ob hoc est Deus vel angelus sed homo: vnde nimirum vt homo potest scandalizari. Fictio tertia quæ est patenter inficiens, fit dum confitens retinet adhuc propositum actualiter iterũ peccandi, nec habet propositum iuxta confessoris voluntatem iniustè ablata C restituendi & satisfaciendi aliis prout foret satisfaciendum, & hæc fictio relabitur & coincidit in duo membra fictionis priora. Ratio, quia vel hic est celatio peccati mortalis scilicet si non cõfitetur hoc propositum peccandi, vel est perniciosũ mendaciũ scilicet si dicit se pœnitere & dolere peccasse, cum manifestè oppositum ostendant signa sua, ex quo non vult satisfacere iuxta sacerdotis iudicium. Et sic fictio huiusmodi quasi eadem est cum prima vel secunda. Fictio quarta quæ est insufficienter discutiens, potest contingere D multipliciter. Primò ignorando scilicet factum, quia non fuit sufficienter recogitatum. Secundò ignorãdo si factum sit peccatũ saltem mortale. Tertiò ignorando, præsupposito primo quod sit peccatũ mortale si sit taliter & expresè confitendum. Quartò ignorando si displicentia peccati principaliter in confitẽte non ratione culpę, sed ratione pudoris & pœnę. Quintò ignorando si motus in detestationem peccati sit satis intensus vel non. Sextò ignorando si ponatur obex absolutioni B per propositum non abstinendi à peccato. His præmissis itaque præsuppositis dicendum est ad quæstionem quod confessio non est propter aliquam istarum sex fictionum, quartam fictionem quæ insufficienter discutit respicientium, iteranda. Nec etiam est iteranda propter fictionem secundam pro ea parte, cum additur si non dimidiat dolosè, sed sub respectibus dimidiat ibidem superius expressis. Aliàs verò & propter primam & propter secundam & propter tertiam fictionem est de necessitate salutis vt de omnibus iterum sacramentaliter confiteatur ipse sic fictè F confessus. Quod autem non sit iteranda confessio propter secundam fictionem pro ea parte vbi non dolosè dimidiat, necnon propter quartam fictionem cum suis sex speciebus, huius ratio est ista, quia ipsa confessio obtinet & habebit efficaciam vel in absolutione sacramentali virtute clauium ecclesiæ, vel postmodum cessante fictione huiusmodi, sicut fit etiam quandoque in baptismo. Et ita concordat satis sanctus Thomas cum cæteris doctoribus.

Tertia quæstio.

QVæritur, si habeatur suspicio de illo qui cõfitetur, quod non sufficienter discusserit cõscientiam suam, an talis nihilominus debeat aut possit absolui, nulla inquisitione facta vnde suspicio habetur? Respondetur sub distinctione. Aut enim confessor non est curatus, ita quod curæ officio minimè teneatur illum audire. Si sic, tunc potest quærere dilationes vt ambo interim melius deliberet, vel ipsum simpliciter remittere ad alium confessorem. Si autem confessor ipse sit curatus & per consequens debitor audiendi huiusmodi confessionem, tunc adhuc est distinguendum secundum qualitatem personarum. Nam si confitens sit adultus & discretus, potest fieri vnum è duobus scilicet vel vt petatur ab eo si velit moueri per inquisitiones de statu consciẽtiæ suæ libenter & sine scandalo, & si tunc appareat ex responsione sua quod non, fiat secundum, dicendo videlicet quod debet esse certus confessionem suam vel absolutionem nil valere si scienter aliquod peccatum celauerit, nec est intentio absoluentis nisi sub hac conditione tacita vel expressa, scilicet si tu confiteris & aliquod peccatum tuum celaueris scienter, ego non absoluo te. Et tutius est vt hæc conditio teneatur mente tacitè, quam exprimatur ore apertè in absolutionis forma. Si verò persona confitens sit simplex & humilis, ita quod satis appareat velle libenter informari sine aliqua turbatione & recalcitratione: tunc omnino pium est, salutare & meritorium, vt confessor ipse talem instruat, solum vt hoc fiat pedetentim, prudenter & discretè, nec durè sed blande & dulciter. Nec aduertatur etiam si scandalum aliquando famæ propriæ etiam exterius inde videatur oriri posse. Non enim possumus immo nec debemus omnibus scandalis vitandis occurrere semper actiuis, prout exempla sufficientia habemus in saluatore nostro, cuius quamuis perfecta sunt opera, nihilominus tamen pharisæi nonnunquam in eis scandalizati sunt.

Quarta quæstio.

QVæritur de altaribus fractis, de cingulis sacerdotum non benedictis, & de calulis resarcitis, & sic de similibus, vtrum sit peccatum in & cum talibus celebrare missam? Responsio secundum sententiam beati Ambro. ad Aug. quod in omnibus talibus quæ sunt iuris purè positiui, potest teneri consuetudo patriæ seu prouinciæ aut diocesis in qua homo conuertatur, quando prælatus immediatus & alij cum quorum scitu probabiliter talia fiunt, tolerant huiusmodi. Est enim consuetudo circa talia positiua interpres optima, etiam quicquid in cõstitutionibus etiam redactis in decretalibus vel decretis, vel etiam synodalibus aut iurisperitorum decisionibus inueniatur. Leges enim instituuntur cum promulgantur, & vigorem habent dum moribus vtentium approbantur. Alioquin constitutiones positiuæ non essent nisi in laqueum & offensiones & scãdalum, nedum insipientium sed & sapientium. Aduertendum tamen quod non facile est circa singularia semper decernere pro regula quasi generali, quæ consuetudo debeat dici sufficienter comprobata vel tolerata per superiores, præsertim vbi non habetur sufficiens scientia seu cognitio quid etiam sit de iure purè positiuo. Fiat pro hac responsione totum illud quod dicunt doctores de obligationibus religiosorum in suis votis & regulis, quemadmodum de hoc alibi latius tractatum est. Finis.

QVÆSTIONES ALIÆ CVM RESPONSIONIBVS EARVM AB eodem cancellario datis.



DVBITAT nuper aliquis an delectatio cordialis quærenda sit in seruitio Dei tam practico quam speculatiuo. Videtur enim talis delectatio esse fornicatio seu libido quædam spiritualis, quæ non Deum propter se solum quęrit zelo amicitię purè gratuitę sed propter se. Exemplum de officiantibus clericis alicui ecclesiæ propter distributiones horarias seu quotidianas. Exemplum aliud de sponsa quæ non diligeret sponsum propter aliud nisi propter delectationem osculorum cum similibus. Sed videtur ad oppositum. Primò illud psal. Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui. Rursũ illud philosophi, delectatio conseruat operantem hominem in operatione. Et iterum: signum acquisiti habitus est delectatio in operatione. Cæterum Deus reddens causam populo Israelitico maledictionum suarum dicit, quod non seruierit Deo in gaudio cordisque lætitia. Et alibi. Gaudiũ Domini fortitudo vestra. Cuius sententiæ confirmator fuit Anto. di. quod vnica ratio conuincendi inimicum, est lætitia spiritualis, & hæc fertur adeò inuiguisse vt ab ignorantibus eum prius in vultu cerneretur. Responsio, nihil est homini tutum in hac vita cum nec ipsa vel virtutum (sicut dicitur in prosa) tuta sit victoria. Itaque nihil est quo non contingat abuti, & si non formaliter sed obiectaliter. Sunt hęc verba theologicis nota. Profectò constat quod delectatio in Deo syncera & casta laudabilis est, sicut allegatum est, tantummodo iungatur humilitas & pietas sine insolẽtia. Sed addebat inquirens, quod nullam potest sensualem vel spiritualem delectationem admittere quin tristitias incomparabiliter maiores inueniat, si non in delectatione diuinæ recordationis se iugiter exerceat, & hoc sciens quærit in Domino per meditationem delectari. Respondetur quod hoc agendo Deus sepit vias istius spinis, & quasi claustro concludit ne vagari libeat extra se. Cui consonum est illud de canticis. Sicut lilium inter spinas, quæ sunt ibi quasi sepes ab extra, ne dissipator introeat, & ab intra, ne exeat vagaiuvanè acta. Itaq; melius est sibi facere Deum delectationem forte minus castã quã honestum sit, quam mũdi, carnis & diaboli, delectationibus inhærere. Rursus inferebat quod fastidio sibi sunt omnes mũdi circa proximos occupationes quantumcunque videantur piæ vel honestæ queadmodum si spõsa nihil aliud quęrat nisi quod impetret illud de cãticis initium. Osculetur me osculo oris sui. Quęrit itaq; solũ amare & amari. Sed mirandũ esset nimis si non has amoris delicias corriperet aliquando pius sponsus flagello, nunc interius, nunc exterius, exponendo videlicet eam aliquando periculis, sicut oportet quod nycticorax quantũcunque domi-

domicilium quod eum protegat à cōtradictione aliarum auium custodiat, aliquãdo veniat in apertum pro necessitate cibi vel pusillorum. Passer itaque solitarius in tecto cogitur ad inferiora descendere, sicut Moyses de montis caligine ad populum rebellantem. Quid igitur finaliter concludendum est, nisi quod sapientia diuinitus inspirata quæ est vnctio docens de omnibus & gratia dirigens more sessoris & equitatus Dei, & quadrigę Aminadab. i. spōtanei & currus Dei qui decem milibus multiplex est, sufficienter hominem in Deo sperantem, & de salute sua sollicitum edocebit. Etiam si talis solus concludatur in cella, aut si solitudinem desertorum exemplo Mariæ Ægyptiacæ, & Pauli primi eremitæ, & Mariæ Magdalenæ cum similibus cæteris solitariis inhabitet.

Finit hoc opusculum de delectatione quærẽda in diuino officio ad instantiam fratris Symonis Bastardi de salinis, protunc conuentualis cœlestinorum Lugduni.

Aliæ quæstiones.

Quęritur quando committitur peccatum mortale in voto obedientiæ? Respondetur quod maiores præcipientes aliquid subditis suis, non intendũt ligare animas eorum, nec debent. Et ideo si quis aliquid sibi iniunctum à maiore ex neglig̃etia aut incuria non sic adimpleret aut differret, non propter hoc peccaret mortaliter. Secus si hoc ageret ex contemptu. Dicitur autem quis propriè peccare ex contemptu quando facit aliquem actũ motus principaliter ex hoc quod iniunctum est sibi oppositũ. Ac si diceret. Quia præcipitur mihi hoc, ego in contemptum præcepti faciam illud, quasi scilicet vellet ostendere suam falsam libertatem, & habere illam velamen malitiæ. Itẽ quæritur vtrum iunior ambulans in via aut equitans cum seniore, debeat sibi obtemperare in omnibus? Respōdetur quod simpliciter sine aliqua interrogatione iunior debet obtẽperare suo seniori in omnibus, nisi manifestè præcipiat contra præcepta diuina. Supponitur quod iunior reputet meritò seniorem memorem salutis suæ, & sufficienter aduertat ad id quod facit, & quod habeat recordationem illorum quæ habentur in ordine. Secus vbi deesset aliquid istorum, quia posset humili verbo vel signo reducere ad memoriã vel aduertentiam senioris.

Quæritur rursus vtrum sit vtilius fratri in cella sedenti vacare lectioni quã orationi vel meditationi, aut è conuerso? Idem respondetur quod nō solum attendendum est ad illud quod magis proficit pro præsenti quã etiã ad illud quod disponit ad futuros profectus. Et quia assuescere meditationi forti & vehementi plus proficit in futurum propter habitũ quem acquirit homo, vt postmodum faciliter meditetur, immo etiã cōtempletur quando voluerit etiam solus, etiam in officio, etiã sine libris consulendum est quod frater assuescat meditationi, vt nō semper oporteat eum habere libros ante oculos suos, sed ipsę cogitationes solidæ sint libri sui.

Item quæritur vtrum quis posset habere certitudinem quod Deus remiserit ei peccata sua saltem quoad culpam, & si non habet certitudinem, quanto tempore oporteat ea deflere? Respondetur quod nullus de hoc certus esse potest, nisi per reuelationem, quia scriptum est: nemo scit an amore, an odio dignus sit. (A) Sed quando quis confessus est pro suo posse & docet de peccatis suis, & proponit deinceps non peccare, iste creditur esse in statu gratiæ & de bonitate diuina piè confidere potest, quod ei Deus remiserit peccata sua, saltẽ quoad malum culpæ. Et in tali statu existens, potest accedere ad communionem & missam celebrare. De secundo respondetur quod quis in religione existẽs, ex quo pro modulo suo & posse cōfessus est peccata sua quæ fecit quorum recordabatur, & contritus satisfecit ad voluntatem ecclesiæ. (B) i. maioris sui qui specialiter eius curam habet, & proponit amplius non peccare, tutius est vt de cætero non reflectat oculos suos ad peccata sua singulariter consideranda & maximè carnis quæ ei possent plus obesse quam prodesse, sed confidens de misericordia Dei & bonitate studeat proficere de die in diem, ascendendo de virtute in virtutem, vt tandem possit videre Deum deorum in Syon. Cum verò ab elatione tentatur, tunc ad eius memoriam reducere potest generaliter peccata sua, (C) non discurrendo per singula, vt inde humilietur & gratias referat creatori suo, qui eripuit eum de tot ac tantis periculis, in quibus aliquando extitit & permansisset, nisi eum bonitas Dei (quæ neminem vult perire) subleuasset & liberasset. Apud patrum narrationes data est varia responsio ab vno patre, modo vni, modo alteri, secundum quod prospexit quod iste ex recordatione præteritorum humiliaretur & ferueret in amore, alter non satis purificatus tentaretur (D) & rediret ad carnem. Quæritur si fratri alicui perturbato aut occupato in diuersis, præceperit aliquid senior, & ex surreptione responderit ei iunior. Sinite me, ego nihil faciam vobis, verumtamen statim compũgitur dolens & adimplet præceptum senioris, quod paulo ante dura responsione renuerat. Quæritur inquam, an sic respondendo mortaliter peccet? Respondetur pro vna vice aut duabus aut tribus non peccat mortaliter, sed si ex consuetudine habeat sic respondere, peccat mortaliter, quia debet resistere consuetudini (E) malæ, sed ex quo frequenter recidiuat sic signum est quod tali vitio est habituatus, & non cadat ex surreptione. Respōdent in simili doctores theologi, quod sicut prima ebrietas non est peccatum mortale, ita nec secunda, similiter nec tertia, nec centesima, nisi addatur circunstantia in vna ebrietatum sequentium, quę conuertit eam in peccatũ mortale, puta quod nunc aduertit inebriãs se periculum mortale quod incidit ex ebrietate, & tamen deliberat quod in se inebriabit. Applicetur ad propositum.

(F) Verũ quis non habens specialẽ missam dicendã, debeat celebrare pro toto populo indistinctè, aut pro sibi coniunctis specialiter. Quod si pro toto populo, quibus plus proficiat, aut si cōiunctis, aut cęteris? Respōdetur quod debet sufficere charitati celebrantis & inquisitioni quod bene agat sine scrupulosa tali nimia inquisitiōe, quid plus prosit hoc vel illud. Scit enim Deus pōderare meritum suũ & omnẽ actionẽ. Habeatur pro regula, quod vbi celebrãs magis eleuat intẽtionẽ suã charitatiuã in Deũ & proximũ, illic cęteris parib. plus proficit. Ac si diceret. Domine miserere omniũ sicut

sicut scis & potes,& scis me,& vis orare debere. Deniq; non potest præfigi regula generalis, quin aliquando plus afficiatur homo dum orat pro vno,quandoque plus orat pro pluribus.

Item nulla est missa quæ possit aut debeat celebrari quin omnes comprehendat quos ecclesia comprehendit. Quod si contraxerit valorem ad aliquos particulares,hoc debet facere non præiudicando huic ecclesiæ statuto. Demum cæteris paribus salubrius est conari ad orationem generalem ad Deum conuertendo se ad eum quam in particularibus phantasiis circa homines occupari.

Item quæritur vtrum in memento in missa sit tutum facere memoriam specialem pro pluribus propter cogitationes quæ possunt oriri ex personarum recordatione? Respondetur consulendo pro tutiori, quod melius esset antequam quis accedit ad altare quod faceret suum memento speciale,hoc est quod dicat in corde suo, quod orare intendit pro tali & pro tali. Et tunc quando erit in suo memento in missa, cum his qui continentur in memento missalis, sufficit cordialiter dicere,memento Domine horum pro quibus teneor & decreui orare,& horum qui pro me orant.Nisi sit aliquis frater mortuus pro quo oportet facere speciale memento in speciali, & hoc est tutum consilium etiam vbi non fecisset homo pro illo die aliquod recenter memoriale pro amicis, sed haberet sufficienter in habitu,præsertim vbi celebrans est in publico & vbi probabiliter æstimat quod per tale memento dearticulatum non inflammaretur ad deuotionem specialem sed potius inquietaretur,& ad reliqua dicenda in missa minus redderetur idoneus.

Quæritur vtrum de cogitationibus vanis aut noxiis quæ superueniunt in canone aut in memento,ibidem resistendum sit illis?Respondetur quod non debet tunc se occupare quis circa illas, sed vltro procedere.Hoc est tutissimum & necessarium consilium, etiam vbi cogitationes viderentur esse de commodis rebus & expedientibus, quia debet eis tunc dicere saltem facto, venitis importunè, non habeo nunc horam aut locum respondendi vobis, expectate tempus aliud dum vacabit.Porrò quoad cogitationes fœdas, noxias & blasphemas siue sit homo in missa siue alibi, illę potius vincuntur contenendo nec respondendo eis quam pugnando. Scio quendam qui ad occursum taliũ solitus est in animo subridere quasi subsannans, nec curans immissiones istas fœdas per angelos malos quæ inde protinus euanescũt.

Vtrum liceret extrahere muscam vel araneam, vel aliud huiusmodi de sanguine cum cocleari paruo aut aliquo alio non consecrato? Respondeo quod sic, præsertim vbi non posset aliquid tale extrahi commodè cum digito consecrato, vel cum patena aut aliquo tali.

Vtrum si caderet aut inueniretur in sanguine musca aut festuca, aut pilus, aut filum, aut aliquod tale quod posset impedimentum aut nocumentum præstare sumenti sanguinem, deberet extrahi,& quid inde fieret?Respõdetur quod posset extrahi, & lauaretur bene & lotio sumeretur si non esset venenosa, & musca & festuca cõburerētur, aut ipsa vel cinis eius ponerentur in loco abdito, vt in altari vel piscina.

A Vtrum grauiter peccaret ille per cuius neglectum talia inuenirentur in calice? Respondeo quod tutum est facere conscientiam & confiteri: & est peccatum maius aut minus secundum quod negligens debuit adhibere maiorem cautelam.

Vtrum quando ponitur vinum & aqua in calicem, si (vt sæpe contingit) resiliat gutta vna vel amplius & remaneant ab intus inter labium calicis & fundum,debeant post consecrationem tales guttæ dici consecratæ? Respondeo quod non, præsertim si sacerdos non intendit nec intendat communiter consecrare nisi illud vinum

B quod est in fundo calicis. Potest tamen illa gutta sumi ante ablutionem sub intentione generali, si consecrata est, vt consecrata,si non, vt non consecrata. Et cautum est vt sacerdos sit sollicitus ab initio vigilare circa talia, & circa panem ne micæ cadant ab hostia, & ne tales guttæ remaneant. Si autem sacerdos dum aduertit ante consecrationem tales guttas intendit eas consecrare,ipsę sunt consecratæ. Similiter si habeat in principio intentionem consecrandi quicquid est consecrabile,tunc totum consecratum est.

C Vtrum si quis omittat vel dubitat omisisse aliquid in consecratione an debeat solum reincipere ad id quod omisit vel omisisse se credit,aut si ab initio debet reincipere & quid de illis qui assuescunt reiterationem? Respondetur quod non est leuiter reiteratio facienda, & malum est consuescere,præsertim in verbis sacramentalibus non debet iteratio fieri nisi constet certitudinaliter quod verba non sunt dicta. Si autem dubitatio sit probabilis, tunc fiet reiteratio sub conditione

D implicita, sicut fit dum dubitatur de aliquo si fuerit baptizatus vt dicatur sic in corde.Ego non intendo consecrare hanc hostiam, & tunc dicat verba &c.

Vtrum si quis sine lumine dicat missam aut si deficeret lumen in media parte missæ, & maximè à consecratione vsque in finem, incurreretur excommunicatio. Respondetur quod debet facere conscientiam tam sacerdos quam minister non tamen est sententiam excommunicationis super

E hoc lata.

Vtrum necesse est accendere facem seu torchiã in consecratione vel communicatione populi. Respondetur quod obseruetur vsus loci & temporis, & similiter in dando pacem in missis qui non sunt mortuorum. Non puto tamen quod aliquod istorum sit pręceptum obligans,nec omissio debet reputari peccatum mortale, nisi fieret scienter ex contẽptu vel cum scandalo pusillorũ.

Vtrum si hostia in modico maculata vel perforata vel detruncata & non rotunda vt moris est,

F quid fiet. Respondetur quod talis non debet assumi in principio, præsertim vbi necessitas non vrget, & potest alia haberi. Sed si sit iam sumpta, & non potest alia peti consequenter sine scandalo,dimittatur ipsa & fiat conscientia postmodum de neglectu.

Vtrum si quis dicat missam,ita quod nullus ibi sit nisi is qui iuuat eum,teneatur ad Confiteor dicere, & vos fratres,vel Misereatur vestrũ.Respondetur quod sic, quia ille vnus gerit vicem totius populi.

Item quantum spacium requiritur post perceptionem

ceptionem sacramenti ad digestionem eius, ita quod si ex infirmitate vel aliàs homo euomuerit, iam non esset necesse colligere quod euomuit? Respondetur quod citius aut tardius fit digestio secundum qualitatem complexionum. Sed est certa regula, quod si appareant species in vomitu, ille debent colligi & sumi vel tanquam corpus Christi in vase mundo seruari, alioquin si nullo modo appareant species, ponatur vomitus in piscinam, vel comburatur.

Quam potestatem habet abbas de iure in absoluendo subditos? Respondeo quod habet potestatem ordinariam plenariam, nisi pro quanto superior prorsus suus scilicet Papa vel episcopus inuenitur limitasse eam per iura scripta, vel aliter. Potest insuper potestatem suam subdelegare.

Vtrum abbas possit absoluere nouitios sicut professos? Respondeo, puto quod sic.

Vtrum illi qui adhuc sunt in laico habitu antequam habent habitũ nouitiorum, vel antequam habeant consensum quod recipiantur pro nouitijs, possunt absolui, vt supra? Respondeo puto quod sic, si habeant propositum tentandi ordinẽ & religionem sine fraude. Ista tamen quæstio & præcedens magis spectant ad iuristas, vel ad eos qui sciunt iura positiua & consuetudines in religionibus approbatis.

Vtrum abbas potest delegare suam potestatem, & vsque quem numerum descendendo? Respondeo quod potest delegare quibuscunque vult, potest etiam quibus delegat dare potestatem quod eligant & nominent tot & tales, quot & quales voluerint, & ipse auctoritate sua delegat eos, & hoc stat cum illa regula, quod subdelegatus subdelegare non potest, verum est itaque sua auctoritate.

Vtrum vicarius abbatis in absoluendo habeat similem potestatem sicut abbas? Respõdeo quod sic, si sibi contulerit, licet ipse directè subdelegare non possit.

Vtrúm priores & maximè in illis religionibus quæ non habent nisi vnum abbatem qui toti religioni præest, habeant potestatem sicut abbates? Et vtrum possint delegare, & quibus? Respondeo quod priores habent potestatem ordinariam sicut curati parochiales, sed illam potestatem habẽt limitatam sæpe per suum abbatem vel episcopum vel papam, possunt tamen subdelegare in illis casibus qui eis auctoritate ordinaria relinquuntur.

Vtrum sacerdotes sæculares eo iure quod sunt sacerdotes, possunt absolui ab alijs sacerdotibus sæcularibus, quibusque scilicet de casibus communibus? Respondetur quod non secundum iura scripta, sed consuetudo inualuit in oppositũ scientibus prælatis & tolerantibus, & ita videntur consentire & dare licentiam. Sed de religiosis secus est, quia non possũt audire seculares sine licentia suorum maiorum.

Vtrum sit celandum quicquid dicitur in confessione sub sigillo confessionis? Respondetur quod peccata & eorum circunstantiæ, & ea per quæ posset haberi cognitio peccatorum sunt de sigillo confessionis & de necessitate celanda. Alia etiam sunt celanda tanquam secreta, si dicantur bona fide & intentione, nec tendunt ad subuersionem, sed ædificationem.

A Vtrum confitens possit dare licentiam confessori suo reuelandi quicquid quod ab eo audierit in confessione, siue tangat confitentem aut alium quempiam, siue etiam pro pace aliquorum ad inuicem reformanda, aut pro admonitione alicuius seu correctione huiusmodi? Respondetur quod propriè loquendo non potest dare licentiã quod confessio reueletur. Sed potest dicere extra confessionem, & adhuc cautela magna seruanda est in tali reuelatione, & expedientius est quod ipsemet confitens dicat quod dicendum est, & præ-

B sertim si sit dicendum in publico. Rursus dum tangit peccata alterius secretum, confitens nullo modo debet reuelare, nisi ad bonum ipsius, sicut vellet sibi fieri, & quod dicatur tali & tale, quod prodesse debeat, non obesse.

Vtrum pro periculo vel damno temporali vel magis spirituali confitentis aut confessoris, aut alterius personæ singularis, aut plurium vel vnius & totius communitatis euitando, possit aliquid sub sigillo confessionis auditum reuelari, dato saltem quod confessor diceret confitenti quod talia

C non reciperet sub sigillo confessionis, aut quid super hoc sit faciendum? Respondetur quod nullo modo etiam pro saluando vno regno licitum est confessionem reuelare, quia non sunt faciẽda mala &c. Nec sufficit dicere post auditionem confessionis quod confessor non capit in confessione ex quo iam audiuit. Sed si à principio diceret sic, noli mihi confiteri, quia non volo tenere secretum illud quod dixeris. Et tunc iam non esset confessio sacramentalis, de cuius ratione est

D quod sit secreta, nisi aliter & aliunde sciatur.

Vtrum si quis peccauerit occultè, sic quod tale peccatum tangat vel scandalizet communitatem, siue peccatum sit graue vel leue. Vtrum peccans teneatur seipsum publicare. Et hoc tangit religiosos. Respondetur quod si peccatum sit de se publicum, sicut hic supponitur, licet persona sit occulta, tunc si per prælatum interrogetur de dicendo veritatem, ipse debet illam dicere tam de se quam de aliis in casu tali. Et in hoc non prodit se, sed obedit legi Dei & suo superiori qui co-

E gunt se reuelare. Potest tamen talis culpabilis prælato suo interroganti in publico coram aliis sic dicere. Domine quod scio paratus sum vobis dicere ad partem. Si autem factum esset occultum de se, & persona aliqua esset publicè diffamata vel accusata, ipsa similiter dum interrogatur à superiore, tenetur dicere veritatem. Si autem factum est occultum & persona non sit diffamata, tunc talis persona interrogata per suum superiorem, non tenetur se reuelare. Et

F potest dicere. Domine non debetis me super talibus interrogare, ex quo non sum diffamatus vel accusatus vel denunciatus. Si autem superior vrgeat eum per iuramentum & sub pœna excommunicationis, ipse non tenetur obedire nec pœnam timere. Sed si per tales euasiones & responsiones ipsa persona veniat in suspicionem superioris vel audientium quod ipsa aliquid sciat, hic est maior difficultas. Et planè si sit res cognita in confessione solum, dicunt doctores quod absque scrupulo potest dicere & iurare. Domine ego nihil scio de istis.

Et hoc intelligitur quod nihil scit tali modo vel scientia, quali modo potest superior & solum debet interrogare. Si autem posset similiter in aliis purè secretis ita respondere sine mendacio ego non audeo definire. Videretur tamen alicui par ratio & par verbi intellectus.

Vtrum in casu prædicto possit prælatus præcipere, si quis sciuerit accuset eum, aut si talis teneatur obedire? Respondetur sicut ad priorē in omni casu. Et addo quod superior in tali inquisitione purè secretorum grauiter peccat, & esset puniendus, quoniam excedit metas officij sui, & violat quantum in se est, iurisdictionem Dei qui sibi soli secreta reseruauit punienda.

Vtrum si quis malitiosè accedat ad prælatum suum confitens peccatum suum de quo credit se non posse publicè puniri, quia ei secretè cōfessus est. Si verò ante cōfessionem peccati vel post venit ad notitiam prælati tale peccatum per confitentem vel per alium, possit prælatus ipsum peccatum reuelare, & publicè punire peccantem, & prçcipuè si publicè accusetur? Respondetur quod sic, sed obseruet prælatus ne scandalum oriatur, & hoc faciet ostendendo prius qualiter scit modo publico vel ante confessionem vel post peccatum confessum, celando tamen quod aliquid sciat in confessione. Immo si per hoc innuat quod prælatus reuelet confessionem, ipse est grauissimè puniendus.

Vtrum si maior solus aut vnus, vel duo alij soli sciant peccatum alicuius, an possint aut debeant adducere tale peccatum ad publicum iudicium? Respondetur, oportet esse ad minus duos testes, & qui sciant ex certa cognitione, non ex solo auditu, vel quod ipse reus confessus sit publicè potest etiam in hoc casu per iuramenta & aliter molestari ille qui est publicè diffamatus de aliquo facto, vel vbi factum est publicum, licet persona sit occulta, quatenus publicè veritas cognoscatur.

Vtrum reuelator confessionis remittēdus sit ad superiorem, & ad quem, & si in omni casu. i. si sēper? Respondetur quod hoc tutius est vt remittatur ad terrorem, quoniā peccatū est enormissimū & pessimū, & reputare minus malum apostatare pluries à religione professa, licet nō sit talis pœna in canonibus statuta, & vix possit dari pœna sufficiens. Iura tamen instituunt quod talis retrudatur in arctum monasterium &c. non quod iura cogāt profiteri religione, sed cogunt carcerem pati, vel talem pœnitentiam.

Vtrum si quis non publicè sed singulariter exprobrando tamen, & hoc extra confessionem, vel etiam in confessione peccatum dixerit in confessione auditum puniendus, & quomodo? Respondetur quod ex charitate & in confessione potest sibi obijcere peccatum confessum, seruata discretionem, sed sæpe non expedit vbi confessus scandalizaretur & malè caperet, & fortè retraheretur à confessione aliàs facienda. Extra verò confessionem nunquam fiat exprobrando, nec etiā admonendo, nisi fortè in quodam generali, & hoc adhuc vix potest bene fieri. Propterea tutius est dimittere, & semper ostendere quod de peccatis confessis nihil sciat aut cogitet. Reperiatur alia via monendi quam ista, & cogitet quilibet quid sibi vellet fieri aut non fieri in hac parte.

Vtrum si confitens obliuiscatur pœnitentiam debeat iterum confiteri? Respondetur quod talis debet confiteri de pœnitentia oblita. Et quia nūc pœnitentiæ sunt arbitrariæ, videtur quod non oportet confiteri peccata priora, licet doctores antiqui dixerint oppositum.

Vtrum si quis non compleat pœnitentias sibi iniunctas ex negligentia & torpore, vel ex mala voluntate, aut forte quia nimis graues sunt, sufficiat se iterum confiteri, & non iterum facere primas pœnitentias? Respondetur quod confessor potest secūdum suam discretionem relaxare, præsertim in pœnitētijs datis pro peccatis, non ita de publicis, nec videtur recurrendum esse de necessitate ad priorem confessorem aut superiorem. Et præsertim quando tales pœnitentiæ datæ sunt nō per superiorem sed per æqualem, alioquin tutum est recurrere ad superiorem vel æqualem, pro relaxatione vel commutatione, & hoc quoad pœnitentias faciendas. Sed iā de obmissis puto quod confessor qui habet potestatem absoluendi, potest secundum arbitrium suum dare nouam pœnitentiam, & non iniungere completionem illius quæ omissa est.

Vtrum expediat sæpe aut in omnibus confiteri eadem peccata, scilicet aut propter pleniorem indulgentiam acquirendam quæ ex maiori confusione causari potest, aut propter maiorem humilitatem? Respondetur quod hoc bene fieri potest propter aliquam causarum prædictarum, aut aliā similem, vel propter habendum consilium. Et caueatur in tali narratione curiositas, & specialiter in peccatis carnis.

Vtrum si quis commiserit plura peccata similia eiusdem generis aut speciei, quç tamen non inducunt ad aliud peccatum graue. i. quæ non habent circunstantias graues. Vtrum sufficiat de quolibet genere aut specie generaliter confiteri, & non in speciali de omnibus? Respondetur quod sufficit, præsertim si dicatur numerus peccatorum, dum scitur, aut dum nescitur, explicetur taliter quod confessor possit satis cogitare multitudinem peccatorum, vt dicendo, per vnum annum vel per mensem incidi in tale peccatum totiens quotiēs tentabar &c. quia quoad quodlibet speciale descendere non oportet, nec sæpe expedit propter audientem & loquentem & tēporis amissionem.

Vtrum si plures non simul, sed vnus post alium, aut duo tantum simul viderint quempiam peccare, possint eum ad publicum iudicium adducere? Respondetur quod si duo simul viderint idem factum eodem tempore & eodem loco, possunt testificari vt in publicum veniat. Secus si sint diuersa tempora & diuersi actus successiuè, & vnus vidit post alium, & non simul, quia tunc non sufficit testimonium ad conuincendum.

Vtrum propter præsentiam hæretici, scismatici vel alterius excommunicati debeat quis cessare ab oratione vel in missa sistere, in quolibet passu fuerit vel in officio diuino? Respondetur, si talis assistens sit notoriè excommunicatus & denunciatus, & hoc constat illis de choro vel ecclesia, talis celebrans debet cessare, & significare palam causam suæ cessationis, nisi excusetur per timorem cadentem in constantem virum.

Si autem excõmunicatio sit occulta, nec fuerit denunciatio facta, talis non debet cessare à celebratione publica, præsertim iam inchoata, quia nec debet alium propalare.

Si quis petit probationem religionis, & tunc inuenitur strabo aut debilis, aut inscius, aut in aliquo inhabilis, & hoc bene tunc notatur, permittitur tamen sic per annum, post hoc petit professionem & nullum aliud habet impedimentum quam prius, vtrum possit repelli? Respondetur quod sic, etiam gratis, non assignata alia ratione.


Item nouitius interrogatus an habeat aliquod impedimentum pro quo non possit profiteri, respondet se non habere, & mentitur, & sic cõsentitur suæ professioni, immo de facto profitetur, inuenitur tamen postea quia impedimentum habeat, vtrum talis professio valeat aut nõ? Respondetur quod talis nouitius ligatus est intrare religionem istam vel aliam. Sed de conuentu maior est difficultas, quia præsupponitur quod non cõsensit nisi sub conditione quod nouitius non haberet aliquod tale impedimentum quod expresse nominatur, & in statutis ordinis ponitur. Et ita videtur quod non stante tali conditione consensus non tenet. Sunt tamen argumenta ad oppositum de conditionibus appositis matrimonio, quę dimitto. Consulerem tamen quod talis iam professus exterius & diu toleratus, non expelleretur nisi necessitas vrgeret, & hoc propter scandalum vitandum & charitatem nutriendam.

Si dispensator aut procurator monasterij vel alius cui forte datæ sunt pecuniæ pro emendo aliquid pro communi, aut pro quauis alia causa cõmunitatis, ipse emat pro se vel pro alio cultellum vel graphium, aut filum, aut acum, absq; licentia generali aut speciali, aut permissu præsidentis, vtrum talis faciat contra votum paupertatis, & reputetur proprietarius, peccaueritque mortaliter tanquam transgressor voti? Et similiter dico, si dederit vel acceperit ab extraneis. Respondetur per distinctionem, quia vel talis procurator æstimat probabiliter & rationabiliter quod superior suus vellet bene si sciret, quod illa fierent de quibus quæritur. Et in hoc casu non videtur talis procurator proprietarius vel transgressor voti. Si autem credit aut credere debeat probabiliter & rationabiliter quod si superior talia sciret, ipse non approbaret, sed displiceret sibi, & hoc displicentia graui, tunc talis est fur & transgressor voti.

Vtrum quis renuere debeat officium quodcunq; sibi iniunctum à maiore propter aliquod impedimentum ipsius officij? Respondetur quod reuelatis excusationibus suis maiori suo si idem persistat in sua voluntate, obtemperet sibi confitendo de diuino adiutorio. Et hoc etiam habet ex regula, quod si impossibilia iniunguntur alicui fratri &c. Præsupposito tamen quod non habeatur rationalis existimatio de maiori, quod ex imperitia vel malitia præcipiat illud, & quod illud iubetur, sit de illis quæ pertinent ad regulam: & ad quæ se extendit potestas maioris: alioquin non debet obedire. Dicitur autem rationalis existimatio, quando rationes probabiliores habentur ad sic credendum quam ad oppositum dummodo non fabricet sibi tales rationes inor-

dinata vel indisciplinata affectio. Quæritur quomodo intelligatur ista auctoritas B. Thomæ de Aquino, quod consensus delectationis peccati mortalis est peccatum mortale? Respondetur quod si quis tẽtatus fuerit de aliquo peccato mortali, si delectatur in eo eo delectatione morosa, & placeat sibi illa delectatio ratione deliberata, ita quod non vellet quod tẽtatio recederet, sed quod delectatio duret amplius, posito quod non vellet actualiter committere peccatum, hoc est exercere peccatum suum ad extra, peccat mortaliter. Et hęc responsio probata est & in multis alijs casibus habet locũ eadem auctoritas. Propterea cautissimũ est statim abigere tales recogitationes operũ carnalium tam aliorum quam suorum: quamuis sit aliquando in tali recogitatione vitium quoddam curiositatis noxiæ, quam non oportet esse peccatum mortale potius quam sit delectatio carnalis, & hæc curiositas communis est apud quemlibet ex sensibus, vt oculus non saturatur visui nec auris auditu &c. Et potest magis dici delectatio huiusmodi sensualis quam carnalis seu libidinosa. Quæstiones finiunt.

EIVSDEM DE PECCATO VENIALI DVPLICI.



NOTA quod dupliciter potest dici peccatum veniale. Nam aliud est veniale solum ex genere, sicut verbũ ociosum, aut mendacium iocosum. Aliud est veniale ex hoc quod non fit cum deliberatione perfecta, sed in primo motu vel quadam surreptione, quemadmodum nullum est peccatum adeò mortale quin per defectum perfecti cõsensus possit remanere infra metas solius venialis. Et quo ad ista peccata venialia verissima est regula beati August. videlicet quod nullum adeò est veniale quin mortale fiat dum placet. Sed de primis venialibus non oportet, immo sanctus Tho. dat pro regula quod consensus in actum venialem sci. de genere non est nisi venialis, sicut mentiri iocosè ex deliberatione, vel frangere silentium quod solum impositum est per modum disciplinæ, & delectari in istis non est nisi veniale. Si autem delectatio fundaretur super hoc quod est peccatũ, i. quod quis delectaretur in hoc actu sub hac ratione qua prohibetur & displicet Deo, tunc ipsa delectatio peccatum mortale esset. Sed hæc esset diabolica placentia quamuis posset forte sine peccato mortali quis in hoc casu delectari in hoc quod habeat talem libertatem sic agendi nesciente suo superiori aut alia tali ratione. Finis.

EIVSDEM DE CORREPTIONE PROXIMI.



CORREPTIO proximi de qua dicitur Matt. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe ipsum &c. est in præcepto. Si tamen istę sex conditiones concurrant. Prima est certa peccati agnitio, quia ex sola suspicione non debet fieri. Secunda est mansuetudo in corripiendo, quia corripiens cum ira magis

prouocat ad peius quā corripiat. Tertia est quod in alio non sit tanta aptitudo ad corripiendum, quia si ipsum fratrem peccantem videant aliqui æquè boni sicut ego vel meliores, & ei forte magis familiares vel prælatus suus, probabiliter supponere possum quod aliquis istorū corripiat ipsū. Si autem certū esset quod omnes negligerēt eum corripere, tunc teneretur quantum ad hanc conditionem & alijs conditionibus concurrentibus. Quarta est spes probabilis de correpti correctione, quæ si non speratur sed peioratio timeretur, correctio fieri non debet. Quinta est quod peccatum sit mortale, non tantum veniale. Sexta quod non sit spes habendi maiorem opportunitatem temporis ad corrigendum seu corripiendū. Istis sex conditionibus non cōcurrentibus, licet præcepto ligetur, non tamen ligatur ad exequendum. i. corripiēdum, sed potest differre sine peccato quousq; hę simul concurrant, hoc tamen non dico de pręlato, sed de fratre qui præsidentiā non habet in illum qui peccauit. Ex obligatio huius præcepti est affirmatiua ligans semper, sed nō ad semper, sed tantum pro tempore necessitatis, quod est quando omnes illę conditiones supradictæ concurrunt. Quare non est timendum homini bonæ voluntatis de hac transgressione, si pro se habuerit dictas conditiones. Item ex vi præcepti secreta correctio vel admonitio debet præcedere denunciationem, quatenus ipsa correctio cadat sub præcepto, exceptis his quatuor casibus in quibus non est necessarium. Primus quando frater venialiter non mortaliter peccat, quia de veniali non est præceptum. Secundus quando corripiens fratrem ex sua secreta correctione peiorem fore formidat. Tertius quando licet sit spes correctionis per secretam admonitionem, tamen mora periculum habet, tunc omissa priuata correctione statim denunciari debet. Quartus quando corripiens sine propria culpa corripere non valet, quia dicit Gregorius. Perfecti magna nimis laus est perpeti exterius fortiter, & interius clementer. Nam sunt nonnulli in ipsa familiari conuersatione qui corrigi nequeunt sine culpa corrigentis, atque ideo cum vel corrigentem inquinant, vel non omni modo hæc agentes aggrauant magna mysterij dissimulatione toleranda. Quare sciendum in his quæ tradidit Dominus seruanda. Aliquando est præcipuè forma tenenda, vt in sacramentis, & in talibus non licet recedere à scriptis verborum formis, quia in ipsis virtus sacramenti consistit. Aliquando finis intentus magis debet attendi quam forma verborum, vticū Dominus dixit curato à lepra (Mat. 7.) vide nemini dixeris, & tamē ille diffamauit, eum quia magis attēdebat propter quid dixerit quàm quid dixerit. Similiter hic magis debet attēdi finis correptionis. s. emendatio peccātis quam forma verborum. Si quando ergo videatur frater peccans saluarius corrigi per alium qui potest & vult prodesse quam per se, securè potest ei iudicare, vnde etiam prælato dici potest peccatum fratris, nō præmissa monitione vel secreta correctione, non tanquam iudici, sed tanquam amico peccantis, & qui ei magis potest prodesse quam alius, præcipuè propter casus prętactos. Item peccatum de quo frater peccans fuit secretè correptus seu admonitus, & de quo se emendauit, potest dici prælato A præcipienti per obedientiam. Ita tamen quod si denuncians solus peccatum nouerat, soli prælato dicat. Si autem & alij nouerant, non tam coram alijs quam coram illis ipsum pręlato reuelet. Cauendum ne quis aliquid sinistrum alicui de aliquo loquatur, nisi vel vt ille de quo loquitur, ab illo cui loquitur, emendetur, vel ne ille cui loquitur, ei familiaritate iungatur, & ab ipso corrumpatur. Correctionem aut prædicationem non debet dimittere prælatus propter subsannationem, vbi sunt aliqui boni inter malos, vel quāuis omnes sint mali, B spes tamen sit de correctione, aliàs debet tacere, vel potest ad alium locum transire vbi fructum possit facere.

De contumelia & conuitio.

CONtumelia propriè loquendo importat dehonorationem alicuius, in hoc quod aliquis illud quod est contra honorem alicuius, deducit in notitiam eius & aliorum, & hoc per verba, extenso tamen nomine dicitur etiam esse in factis. C Conuitium autem est dehonoratio alterius per verba manifestatiua vitiorum eius culpabilium vel naturalium.

De peccato mortali.

PEccatum mortale secundum Aug. est dictum vel factum vel concupitum quod fit contra legem Dei. Generalis tentatio fit tribus modis, suggestione, delectatione, consensu: Suggestione D extrinseca fit in dicto vel facto hominis vel diaboli, & hoc omni culpa caret & macula, si ei non consentitur. Intrinseca est delectatio in primis motibus, & hæc maculam habet sed non crimen. Consensus in delectationem mortalis peccati, sicut est fornicatio, est mortalis. Quod sic est intelligendum. Nam qui sic delectatur, aut aduertit, aut non. Si non, non est mortale. Si auertit, aut citò auertit se à cogitatione, aut non. Si citò auertit se, tunc est veniale, quamuis iterum & iterum in idem redeat. Si autem non auertit se à cogita- E tione tali quam bene scit esse malam, tunc aut aduertit periculum peccati mortalis quod est sibi aut non. Si non, adhuc est veniale, licet maius priore. Si autem aduertit periculum quod est ibi, nec timet, sed scienter & voluntariè manet in tali cogitatione seu cogitationis delectatione, tunc peccat mortaliter. Finis.

TRACTATVS DE PARVVLIS TRAHENDIS AD CHRISTVM EIVS- F *dem magistri Ioannis de Gerson Cancellarij Parisiensis.*

SINITE paruulos venire ad me & nolite prohibere, talium enim est regnum cœlorū. Supremus legislator noster & doctor Christus sufficiētem præbuit instructionem, tum doctrinis, tum operibus & exemplis, ad vniuersalē ecclesiæ decursum pro omni statu & gradu regulādum. Ita enim recta fides habet. Et quoniam portio ecclesiæ non vilis est puerorum & adolescentium cœtus, noluit idem Christus ipsos absque

absque cōgruis institutionibus prætergredi, quin etiam aliquorum tunc præsentium & omniū per hoc futurorum minus beneuolā indignationem vel insipientiam rudem vel altam pluſquam satis erat, inflatamq; sapiētiam compescuit eorum qui prohibebant sibi paruulos offerre, comminando offerentibus. Sinite inquit, paruulos venire &c. Et tanquam ab eo quæreretur cur hoc ita finerent, subiunxit causam præcipuam & diuinam dicens. Talium enim est regnum cœlorum. Et in Marco sic habet textus. Discipuli autem comminabātur offerentibus, quod cum vidisset, indignè tulit. Et ait illis. Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos. Sequitur. Et complexans eos & imponens manus super illos benedicebat eos. Quæ verba si cum suo pondere sententiarum consideremus, ingentem prorsus acerbæ mordacisq; inuectionis materiam habebimus in eos qui paruulorū salutem & accessum ad Christū præpediunt. Et ita profectò audire digni erunt qui tales sunt. Sed absit omnis amaritudo reprehensionis, procul esto omnis substomachatio proteruiens, imitemur paruulorum simplicitatem de paruulis locuturi, nihil hic cōtentiosa animositate declamemus. Attendamus potius quam modesta increpatione in discipulos vsus est Christus, etiam dū indignè ferebat. Sinite inquit, paruulos venire ad me. Contēperemus denique sermonem pro paruulis, non magnopere pensantes rudia & vulgata verba, si opus est balbutire more nutricum & matrum bleso ore sermonem cum paruulis dimidiātium, dummodo sic intelligatur illud quod dicere volumus, satis est. Cum ad animandum docendumque paruulos venire ad Christum, tū ad tollendum viarum scandala, magis quam ad quempiam satyrica dicacitate acriter coarguēdum. Sub paucis igitur considerationibus quatuor numero, ordine lucido distinguatur præsens opusculū. Prima consideratio erit de paruulis quanta necessitate cum sui & ecclesię vtilitate veniant ad Christum. Secunda consideratio loquitur de scandalizantibus paruulos, dum eos varijs modis non sinunt venire ad Christum. Tertia subiungetur de laudabili studio eorum qui reducunt paruulos ad viam quæ ducit ad Christum. Quarta ponetur apologetica pro baculo meæ defensionis, & simul exhortabitur paruulos per me indignum ad Christum venire. Submitto tamen omnia auctoritati beneuolæ superioris mei in hac parte. Et neq; sensum proprium, neq; prudentiam, neq; iudicium præponam amicorum meorum spiritualium consilio, vt sit zelus meus hac humilitate temperatus, ne vt sit currens incurram. Vbi verò isti mecum senserint, reliqua omnia quæ homines aut carnales aut maleuoli, aut ad pauca aspiciētes enunciauerint cōtempturus sum leuiter, sciens cum Hieros. quod per infamiam & bonam famam peruenitur ad Christum.

Consideratio prima. De paruulis quanta necessitate cum sui & ecclesiæ vtilitate veniant ad Christum.

BOnum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Iugum illud intellige quod Christus asseruit esse suaue & onus leue.

A Huius sentētiæ veritas fundatur primò in augmento diuinæ gratiæ, quæ tribuitur exercentibus se ad eam tanto abundantiùs quanto citius ac diutius hoc egerint. Vbi verò maior est gratia in anima: magis est ipsius fotrix, nutrix, conseruatrix atque roboratrix. Et è regione plerumque fit iusto Dei iudicio: vt qui gratiam Dei vel neglex erit vel repulerit, abutens donis Dei & talentis summi patrisfamilias in primo ætatis vigore dum fas erat: postmodum ad eam veniendi nequaquam recursus habeatur. Sed absque Dei gratia quis saluabitur? quis subsistet? quis non potius in præceps vel in damnum ruet? Si tu in pueritia cum Deum nondum offendisti, nec premeris fasce peccatorum: nequis (vt dicis) ascendere ad virtutes: quid fiet dum hostis fueris: dum gandis criminum sarcina ceruicem senectutis curuabit & primet? Porro quis nesciat primitias florentis ætatis, sicut & in prælatis & vineis & rebus cæteris acceptiores existere: ac proinde obsequia paruulorum gratiora esse quam senum debilitatorum qui non vitia deserunt sed à vitijs relinquuntur? Optima quæque dies miseris mortalibus ęui. Prima fuit: ait egregius poëta. Amplius si consuetudinis virtus attenditur: quæ ab Aristotele (voce experientiæ proferendę) vocatur altera natura: perspicuum erit nihil mala consuetudine onerosius, amarius atque deterius, & bona consuedine nihil facilius, suauius diuiniusque. Propterea consentiunt philosophi omnes & poëtæ cum theologis, non parum referre iuuenes sic vel sic assuefieri. Adeò in teneris assuescere multum est, ait Virgilius. Hinc iubet Tullius optimam formam viuendi eligendam esse, quam iocundam reddet consuetudo. Quod malè fers, assuesce feres, ait Naso, & Flaccus.

Fingit equum docilem tenera ceruice magister,
Ite viam qua monstrat eques, venaticus ex quo.
Tempore ceruinam pellem latrauerit aula,
Militat in siluis catulus, nunc adhibe puro.
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens seruabit odorem.

Testa diu. Postremò si maximam vim consuetudinis, peruersæ leges & sacrilegæ superstitiones ostendunt, vt Auerrois commemorat, similiter & vitiosi mores, prout conqueritur August. & aliorum plurimi, quis dubitabit assuefactionem in vera religione & castis moribus, plus habere virtutis quando adiungitur & opitulatur sicut prædiximus, gratiæ diuinitus inspiratæ præpotens auxilium? Quocirca mea crebra mens exhortuit, dum sonabat iuuenum subuersiuus ille versus. Angelicus iuuenis senibus sathanizat in annis. Planè non video quod de sathanizante iuuene sperandum sit in senectute, quando peruersis inclinationibus accesserit peruersior consuetudo, si angelizans iuuenis & vitijs obnitens, in senio sathanizat.

Sed blasphemum hoc prouerbium adinuenit errans vulgus vt reliqua multa. Ad quid ita? ad patrocinium vtique perditissimorum, nequissimorumque paruulorum suorum: quorum maior incomparabiliter est copia, quatenus non tam eos corrigeret ab errore viarum suarum quam

non irriderentur à consocijs timoratis & bene institutis (qui profectò sunt rara auis in terris) quibus inest verecundia malis obstans conatibus. Et heu ita iam est. In paruulis laudatur inuerecunda frons, procax vultus, impurum os, & blasphemijs & obscœnitatibus assuetum, lubricitas in oculo, in gestu omnis dissolutio. Sed verè quales ex talibus paruulis prodeant viri atque senes, præsentit nimium Christianitatis quotidiana calamitas. Non fallebatur ergo sed circunspectissimè considerabat qui affirmauit reparationem morum ecclesiasticorum si quæratur fieri, inchoandum esse à paruulis. Quia enim minusque tenaciter infecti sunt, capaciores inueniuntur doctrinarum salubrium. Et si hoc fortassis non satis ad profectum. Istud enim notasse videtur Aristoteles dicens eos ineptos auditores moralis scientiæ, nolens per hoc negare ipsam eis vtilem existere nisi dixerimus eum sibimet contrarium. Paruuli quippe apti sunt ad accipienda bonorum studiorum exordia quando nondum falsas opiniones altius imbiberunt, quando nondum radicitus hærent perniciosè adinuentiones in eis. Vtres sunt recentes pro liquoribus optimis. Nouellæ præterea plantationes quæ sequuntur leuiter quo ducentis manus deflexerit. Omnia hæc secus in senibus plenis dierum malorum, quos citius frangas quam flectas. Si potest (inquit Hieremias) mutare Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum. Quod si iuxta deductionem hanc reparatio ecclesiæ & eius cultura initianda esset à paruulis (sicut esset) vbi precor efficacius sanctissimum opus exercebitur quam in celeberrima ciuitate Parisiensi. Isti sunt enim paruuli qui per vniuersialem dispergentur Christianitatem. Esse quoque poterunt aliorum doctores instructorésque commodissimi, maximè domesticorum. Ex hac præterea consideratione consequens est, nullum magis inimicari eccclesiæ, & præparare omnia antichristo in demolitionem eius, quam facto aut verbis, clam vel palam obuiantem voci Christi dicentis: Sinite paruulos venire ad me &c.

Consideratio secunda. De scandalizantibus paruulos dum varijs modis eos non sinunt venire ad Christum.

QVi scandalizauerit vnum de pusillis istis minimis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Christus hoc dicit, dubitare nefas est. Nec oportet in hoc verbo vti duntaxat mystico intellectu, transferendo ad pusillos spirituales, quando literaliter etiam potest intelligi de pusillis ætate. Et accipitur forte principaliùs & prius de eis, tanquam scandalum periculosius longè sit ipsorum quam aliorum credentium: quoniam (teste Horatio) Talis quilibet est cereus in vitium flecti, & dum semel corruptus est, non æquè leuiter ad virtutis formam & characterem reducitur. Propterea talium scandalo præcauens Satyricus, docuit

quod maxima debetur puero reuerentia ne scilicet quicquam fiat impudicum, prauum & obscænum in offensionem suæ pueritiæ. Ad hoc redit verbum Christi præmissum. Sinite paruulos venire ad me &c. Omnis quippe scandalizans paruulos, suo accessui ad Christum obuius est. Huius denique iussionis vtrobique similis ferè causa ponitur à Christo, paruulorum videlicet dignitas. Nam prius dictum est talium esse regnum cœlorum. Hic asserit, quoniam angeli eorũ semper vident faciem patris sui qui in cœlis est.

Nunc superest enumerare modos scandalorum paruulis obstantium. Est enim scandalum dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ. Omnis idcirco peccare vel cadere faciens paruulos in via morum gradientes ad Christum scandalizat eos. Hoc autem dupliciter fit. Nunc opere, nunc sermone. Et vtrobique dupliciter, directè vel indirectè. Indirectè quidem scãdalizat aliquis, dum non prohibet scandalum, quando sua auctoritate vel officio posset & deberet, quemadmodum negligentia nautę subuertit nauem. Aut certè volens quispiam prohibere scandala, impeditur seu contumelijs apertis, seu detractionibus occultis seu dãnis & alijs diaboli mille machinamẽtis. Vtrumque istud scandalum præbuisse visi sunt discipuli, dum & prohibeant paruulos venire ad Christum & comminabantur offerentibus. Atvero quam irrationabiliter hoc egerint, & non secundum scientiam, indignatio Christi subsecuta apertum dat iudicium. Quos videns Iesus (inquit euangelista) indignè tulit. An operis hujus parua tibi videtur indignitas quæ ad indignationem commouere potuit dignatissimam Iesu mititatem, quæ ipsum benignitatis fontem valuit quasi turbare serenũ? Non interim memini literis expressum quod factum aliud indignè tulerit Christus, qui etiam ipsa publicanorum & peccatorum facinora mansuetè ferebat, dum indignabatur falsa pharisæorum iustitia acclamans, cur cum peccatoribus & publicanis manducaret. Vitemus vtrumque scandalum fratres, ne cadat indignatio Christi super nos. Nam indignatio principis mors, quanto magis Dei. Scandala quidem operum & verborum quæ palam & directè tenduntur adolescentum pedibus, nemo non intelligit. Sunt enim qui gloriantur non solum cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, sed diabolica peruersitate socios quot possunt facinoribus suis accumulant, quasi. s. ad nil aliud intendere videantur, quam ne soli pereant, aut ne parum comitati detrudantur in infernum. Talem enim Catilinã passa est Romana respublica, & nunc plurimos experitur ecclesia. Excæcauit enim eos malitia eorum vt à fide discedant, & vt dati in reprobum sensum, agãt ea quæ pridem apostolus ad Romanos scribens enumeratam, & (quod vix vllus credere poterit) longè deteriora & abominabiliora. Nec sufficiũt suæ dãnatissimæ perditissimæq; perditioni extranei & prouecti, ipsi nulli proximitati sanguinis, nulli innocentiæ & angelicæ puritatis ætati, nulli parti sanctissimæ parcunt: quin omnia fędent, omnia commaculent execrandis flagitijs. Tanta est nimirum libidinosę voluptatis effrenatio tam fas omne,

omne, nefasque confundit furor inflammatus & profundatus vitiorum ita vt rectè senserit Origenes, qui nihil referre posuit inter dæmoniacum & & alium passionibus suis agitatum nisi quod amplius addo, dæmoniaco enim pœna sola est hæc vexatio quæ alteri ad culpam detestabilem imputatur. Miremur ergo si nostra tempestate plus solito sensus & cogitatio hominis prona sunt in malum ab adolescentia, quando cum primaria corruptione naturæ sugunt paruuli quasi lac, personalem (vt sic loquar) saniem peccatorum.

Adde quod multorum parentum & magistrorum cura, vel nulla vel vltima est de paruulorum suorum moribus & eorum disciplinata custodia. Quod ergo stupendum, absque ductore positi in via lubrica & tenebrosa (quos angelus Domini malus prosequitur) cadunt ex facili. Vtinam negligere eos solum esset. Ponuntur ante oculos suos talium operum, dictorumque nefandorum exemplaria, immo & picturarum ignominiosarũ & scripturarum lasciuarum simulachra, ad quæ aspicientes quid non nisi prauiter operentur? audi Satyricum, velocius & citius nos corrumpunt exempla domestica, magnis cum subeant animos authoribus. Præterea quid aget filius nisi quod viderit patrem facientem? Ad quod retorquetur prouerbialiter illud eglogici carminis. Patrem sequitur sua proles. Ita euenit vt iam desit in multis remedij locus quia quæ fuerant vitia, mores fiunt, iuxta Senecæ verbum. Nonne quæso scandala hæc tibi esse pessima videntur pro paruulis præcipitandis in via morum? Et vetalibus palam scandalizantibus non iam vnum sed multos ex pusillis Christi, quos non sinunt venire ad Christum. At vero si scandalizantes in obscuro & in occulto rectos corde, deteriores sint non mox definio. Isti sunt (vt diximus) qui ponunt scandalum non immediatè & apertè ante pusillorum pedes, sed velut à latere. Nam ductoribus eorundem & instructoribus insidiantur, eos subsannant & infamant & calumniantur, quasi non deuotione & religiosa pietate communicent paruulis in doctrina, sed vel curiositate vel hypocrisi vel fictione aliqua. Hæc est vulpina, immo diabolica calliditas, quæ ex obliquo insidians & mordens vt coluber, non sinit paruulos venire ad Christum. In qua peste minus est remedij quam in prima, quanto minus expelli potest hostis occultus quam apertus. Tales compescere debuisset illa sapientis præceptio, Noli prohibere bene facere. Si potes & ipse benefac. O quis capiet nobis has vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas, & florentem hortum ecclesiæ calcant? subintrant enim & repunt ex occultis, nec illas deprehendes nisi per vestigia, & quę sunt hæc vestigia? Conculcatio certè florum quorumlibet pulcherrimorum, & euulsio salubrium plantationum, & quod rarissimus cultor accedit quin culpetur. Sed quo portento ex hominibus fiunt vulpes, & qua voluptate (dicam potius malignitate) ista agunt? Respondetur de nonnullis eos forsan timere se detegi. Alios torquet liuor edax, si quod non agunt, fiat ab alijs, alios fidei, religionisque contemptus exagitat, apud quos pietas omnis non nisi fatua quædam & anilis stoliditas iudicatur. Reliquos nihil horum sed sola tepiditas deuotionis euomi digna vexat & languidos excruciat. Væ mundo ab his scandalis, expedit auctoribus magis mori, quoniam tot animarum pereuntium à via Dei rei sunt, quot clam vel palam scandalizant & perdunt, præsertim dum non sinunt paruulos venire ad Christum.

Consideratio tertia. De laudabili studio eorum qui reducunt paruulos ad viam quæ ducit ad Christum.

QVi conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte & operit multitudinem peccatorum. Ex hoc verbo trahere potuit Grego. nullum esse Deo acceptius sacrificium quam zelum animarum. Quod si tanta sollicitudinis inquietudine, si tot vigilijs & curis immortalibus per media vitæ pericula quærunt homines saluare res vanas iamiam perituras: si colligere satagunt viles terrenarum opum farcinulas: quas apostolus arbitratur vt stercora. Et dum hæc agunt laudantur vt industrij vt diligentes, vt officiosi & vtiles reipublicæ. Videte oro quanta est vel inertia vel infidelitas de animarum immortalium salute non curare Christianos, immo qualis est illa imprudentissima peruersitas eos inculpare, vijsque nunc apertis, nunc occultis præpedire qui paruulos ducere satagunt ad Christum ne corruant in barathrum. Sed oportune & importunè diebus festiuis & profestis extrahit aliquis bouem, asinum à fouea & luto, & non prohibetur. Qua ratione coarguitur aliquis tanquam importunus & stolidus si iugi studio omnique tempore trahere conetur animas ad Christum animas infixas in limo profundi vitijs obrutas, catenatas peccatis, vinctas in mendicitate & ferro? Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare: iubet Salomon. Et rursus. Mane semina semen tuum: vespere ne cesset manus tua: quia nescis quod magis oriatur: hoc aut illud: etsi vtrumq; simul melius erit. Contemnunt amatores reprobi verba quælibet hominum dum malè cupitis fruantur amoribus, & zelator Christi ad leuem flatum vocis cuiuslibet velut admotæ trepidabit arumdinis vmbram. Spirituales domus Dei, templa & sacraria spiritus sancti viuentia, ciuitates sanctorum, regna cœlestia, in terris passim succenduntur rapacibus & infernalibus flammis omnium vitiorum, & opitulari nostra lentescet inertia? Porrò quantis extollerentur famæ præconiis, & medicus gratis ingerens operas suas sanandis ægrotis, & aduocatus sine quæstu patrocinans, & artifex omnis suæ artis vtilitatem nil retribuentibus impatiens? Qualis igitur erit inter Christianos non iustitia, sed insania, si medicus spontaneus animarum, aduocatus & artifex salutis earum inculpatur, exibilatur, prohibetur? Paruuli nominatim tot quotidie pessimis alloquijs vrgẽtur ad malum, & nullus vltro contradicit, nec virtutum partes agit pro incitamentis ad bonum. Denique paruuli dira fame spiritus excruciati, petunt panem, & nemo erit qui frangat eis, quinetiã obstabitur frangentibus. Non ita docuit Christus, non hæc egit. Nam in congregandis anima-

bus comparauit se gallinæ, quâ nullum aliud animal erga fœtus suos (vt August. ait) magis infirmatur pietate, demittuntur alæ, plumæque hirtæ fiūt, raucescit vox querula, obliuiscitur ipsa cibi, & incredibili supra vires animositate pullos tuetur. Et nos qui Christi sectatores dici volumus, in hoc opere torpescemus, obseruabimus tempora mensibus totis quiescemus? absit. Inueniuntur autem modi plures reponendi paruulos in via ducente ad Christum. Vnus est prædicatio publica. Alius admonitio secreta. Alius magistralis disciplinatio. Reliquus & hic Christianæ religioni proprius est confessio. Sentiat alius quid voluerit, ego in simplicitate mea iudico confessionem (si modo rectè facta fuerit) esse directricem efficacissimam ad Christum. Aperiuntur enim per eam morbi peccatorum intimi si doctè, prudenter & morosè perscrutatus omnia fuerit confessor, obstetricandi scientiam habens, ad educendum ex anima colubrum tortuosum, & ad eijciendum virus pestilens à corde, quo manente nullius vnquam paruuli spiritus crescet in Christo, sed iugiter morbidus & languidus, immo penitus emortuus & sepultus iacebit in sterquilinio peccatorum. Ac proinde nullum opus vitæ, nullum motum ducentem ad Christum produceret ex se, & sanies pro sanguine concresceret, dum spina peccati confixa maneret in vulnere, quinetiam misera conscientia stimulis mortis introrsus exagitata oberrans raperetur, aliorsum per vias difficiles & adinuentiones desideriorum mortiferas. Addo quod alibi nulla potest fieri monitio accommodatior quam in confessione, nulla conferri medicina aptior ægritudinibus vitiorum. Et vbi quæso potest adhiberi præseruatio cautior pro futuris. Atverò fatebitur aliquis ita se habere, sic tamen fatebitur, quod non nisi semel in anno vel ad multum quater opus istud circa eundem paruulum exerceri congruat. Ad quod nouissimè responsum est, dum de diligentia mundanorum sermo habebatur, quamquam non obsistimus isti sententiæ velut quotidie suadeamus eundem confiteri. Vtinam vel semel in anno paruuli complerent vnicam debita integritate confessionem. Sed quoniam multi sunt, & tempus illud paschæ breuissimum ust, vt non vacet curatis & specialiter pœnitentiarijs inquirere sufficienter ad fundum de omnibus, expedit vt quilibet paruulorum (immo necesse est) semel recenseat cum prudenti confessore totum vitæ suæ decursum, non in transitu, neque strangulato ore, sed diutinè & perfectè.

Resultat exhinc triplex perfectus. In pueritia siquidē multi seducti plus quam diabolica rabie multa faciunt vel patiuntur enormia, nefandáq;, qualia vel loqui nesciunt vel non audent, nisi præmoniti & interrogati de quibus tunc edocentur, ita tamen ne mala nesciat malè doceantur, nisi forsitan cum detestatione vehementissima, si ita res inciderit, & funditus expurgantur. Secundò sciunt pro futuro quæ & qualiter confiteri tenētur, instruuntur quoque nil in confessione mentiri vel celare deinceps. Tertiò quietantur suauius in conscientia, dum ad præterita delicta postmodum in grandeuiori ætate verecundius confitendi vident se non astrictos, & quod de potestate & discretione cōfessoris nulla postmodum scrupulositas exoritur, nec ad superiorem remittuntur. Nemo paruulos hos fructus esse iudicabit qui cognouerit quanta est vis tyrannica pudoris in quibusdam, & plus in fœminis, quando præsertim horrida ipsoque etiam cogitatu abominabilia facta, miseram animam constuprauerunt vsq; ad verticem simul cum corpore. Quisquis hæc scire potuerit, fatebitur opinor ferè non minus esse si tales aperiant os ad confessionē integram, quam si naturaliter muto reparetur vox ad loquendum. Dicet aliquis mihi vel alteri operas suas circa paruulorum monitiones & confessiones impendenti. Stulto labore consumeris, cur ita? Quia nimirum vel fingunt vel mentiuntur, vel mox recidiuant ad vomitum. Sed respondemus primò ad vltimum: quia grandæuis etiam, vt præsbyteris quotidianus est reditus ad peccatum, nec propter hoc desinunt confiteri. Nunquid sentinam nauis exhauriens idcirco deserit opus quia redit tantundem aquæ quantum expulerit? Pugnamus contra vitia (ait Seneca) non vt vincamus, sed ne vincant. Si quotidie manus sordidantur: non minus abluimus illas, quia & si redeant sordes, non ea tenacitate cohærescunt. Porrò mentiri nonnunquam aut celare se paruulos non ignoro in ipso præsertim aggressu confessionis. Vtinam nec adultis hoc adesset vitium, sed pedentem extorquetur veritas cum bonis monitionibus, cum interrogationibus artificiosis, sedulisque. Et si non tunc vel subitò fiet hoc in posterum dum inualuerit timor Dei & eorum carnes confixerit. Quod si quosdam despexerit Deus ita vt eos corrigere possit nemo, prout sapiens loquitur nihilominus plures emendantur, etsi vel sic sola anima in mense vel anno saluatur, non perdita est occupatio, charitas operiet multitudinem peccatorum.

Quisquis igitur memor est delictorum iuuentutis suæ, & aliorum plurimorum, sicuti mihi conscius sum, efferueat ad opus hoc quod tegit peccata, & tegendo remittit conuertat impium ab errore viæ suæ, & liberat animam eius à morte. Vos præcipuè rectores & præceptores paruulorum disciplinam erga eos sedulam conseruate. Hoc enim bona fide & pia, fraternáque deuotione non quasi iubens, aut de vobis aliter sentiens commoneo. Ipsos quoque non dico non prohibete venire ad Christum, sed ducite.

Et quoniam nullum animal facilius quam paruuli à paruulis mutua contagione læditur, vestrum sit studium circunspectione vigili prospicere quis ex numero discipulorum vestrorum prauè fœdèque sit infectus. Vnica praua pecus inficit omne pecus. Et vnius adolescentis sordidi mores plures ex consortio sanos inquinant. Cum peruerso peruerteris denunciat propheta. Et de quibusdam ait. Commixti sunt inter gentes & didicerunt opera eorum &c.

Quod si furta etiam modica opum temporalium dum sentieretis fieri, cauta inquisitione & sollicitudine prohiberetis vel corripiendo vel eijciendo culpabiles. Attendite quod furtum aliud nullum damnosius, nullumq; execrabilius sacrilegium, quā tollere preciosas paruulorū animas, quam templum Domini sanctū (quod ipsi sunt) per-

peruersis seductionibus violare, fœdare, demoliri, subuertere. Quaobrem vitiosos etsi non omnes A eijce potestis (semper enim bonis mali commixti sunt) illos saltem notate, qui nefanda pernicie palem nocent ceteris. Sed dicetis. Tales nulli sunt, nullos inuenimus. Vtinam nulli, vtinam vel solùm pauci. At vereor ne aliter compertum habeatis, si dilegentiæ vestræ oculos ad hanc rem studueritis aperire. Et certè fieri poterit, vt vnius publica correctio plurimos deinceps à peccandi libertate compescat & taliter peccãdi, qualiter nec aperire nominare sudor sinit. Discedent fortassis B ab illius regimine qui hoc egerit nonnulli dicentes, quoniam durus est hic homo. Sed sperandum est tum in diuina prouidentia, tum in bona fama eius inde secutura, quod alij meliores & numero plures subintrabunt. Nihil enim virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad sui consortium. Denique monitos omnes volumus cautos esse, ne quibuslibet improperare valeat paruulorum aliquis verbum prophetæ. In via hac qua ambulabã absconderunt superbi laqueum mihi. Et rursus. Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Quo pacto C sic? impediendo scilicet eorum aliquem, vel adiutores suos, ne verbum compleatur domini quo ait. Sinite paruulos venire ad me &c.

Consideratio quarta. De apologetica pro baculo mea defensionis, & simul exhortabitur paruulos per me indignum venire ad Christum.

SI occupatus fuerit homo in aliquo delicto vos D qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris. Expertissimus morum fuit qui dicit. Ars artium est regimen animarum. Quamquam ista nonnulli sine arte nostri temporis homines & sacerdotes attentare præsumunt, & cæci cæcos ducunt. Ideo si ruina multiplex immineat, quis admirabitur? Adeò iam indignum videtur apud multos, si quis ex theologis aut famatus in litteris, vel E ecclesiastica dignitate præditus, ad hoc se opus inclinauerit, præsertim circa paruulos, quod mihi (quia in talibus esse putor momenti alicuius) in fabulam & improperium cesserit. Et sanè mihi videntur discipuli Domini adhuc tunc cælestium parum capaces, hac insipientia laborasse, prohibentes paruulos offerri Christo, reputantes videlicet indignum esse si tantus magister & doctor eorum Christus huic humilitati subiaceret. Conuincit autem ipsos sic sentientes tam exemplum Christi, quam verbum præmissum apostoli. In F quo vult aliorum instructores esse spirituales, & spiritu lenitatis prædictos, & considerantes seipsos ne tententur. Tales verò quam rari sint cogitare stupor est. Da mihi aliquem & dicam quod spiritualis est, qui spiritualiter omnia dijudicet, qui didicerit ex eis quæ passus est compati, qui quærat non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, quem totum repleuit charitas, humilitas, & pietas, vt nullum in eo locum vanitas & cupiditas inueniat, cuius conuersatio in cælis sit, qui tanquam vnus ex angelis Dei, nec benedictione, nec maledictione moueatur exemplo eorum, neque ex ministerio occupationis suæ inferioris superna deserat, nec sordes contrahat pestiferas. Alioquin quid sibi proderit si vniuersum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? non audiens iubentem. Miserere animæ tuæ placans deos. Talis denique qui nullis stimuletur aut alliciatur formis corporum, sed abstractus in sublimi arce rationis, in sola animarum perspicaci qualitate versetur. Quamdiu enim ista tibi deerunt, & repente vel suspicionibus inquietaberis, vel minis terreberis, vel gloria turgesces, aut contractus eris infamia, carnalis es, non spiritualis, necdum satis idoneus qui alios instruas in spiritu lenitatis. Quo fit vt ad hoc res redeat, vt inculpari potius de temeritate quam de nimia humiliatione debuerim, dum officio spiritualium virorum memet immisceo, volens paruulos instruere præoccupatos in peccatis, tanquam si testudo terrestris se pennatis auibus consociet. Sed quid agam? Sentiunt aliter quidam ex hominibus etiam beneuolis. Comminantur vel mihi vel paruulis, ne accedant ad me & hoc alia multiplici ratione, signanter quadruplici id arbitrantur recte facere. Allegant quippe disparitatem morum mihi cum paruulis. Allegant officij dignitatem occupandam ad maiora. Dehinc causantur loci & temporis importunitatem. Postremò metuunt rei insuetudinem ab æmulis calumniabilem.

At verò tractemus pauca de singulis. Dicunt & verum est magnam esse disparitatem morum debitorum mihi ad mores paruulorum. Nihilominus si prodesse voluero, vt meos mores suis contemperem & ad subleuandum iacentes, altiorem me deprimam necesse est. Non bene conueniunt nec eadem sede morantur maiestas & amor. Attamen sicubi deest amor, quid proderit instructio, dum nec libenter audient, nec dictis credent, nec imperatis obedient? Quare maiestatem oportet omnem exuere & pro paruulis paruulum se facere, seclusis tamen vitijs, & proiecta longè omnis impudicitiæ nota. Adde quod naturam esse contumacem, testatur Sene. magis ducitur quam trahitur. Habet præterea hoc proprium generosa indoles, quod & irrationabiles & bestiæ & aues docent, vt blanditijs quam terroribus magis capiatur, deflectaturque. Denique paruuli verecundissimi quo pacto detegerent peccata sua turpia apud eum quem vel odirent vel timerent? Apud eum rursus qui non prius eis persuasisset se eis fidum esse, beneuolum, secretum & amicum, hoc autem persuaderi nequibit, si non modestè arriserit ridentibus, congratuletur ludentibus collaudet studia eorum bona si non vitet acerbitatem & conuitia in increpatione sua cum omni lenitate & mansuetudine, ita vt non odisse eos, sed fraternaliter dilexisse sentiatur

Propterea tollens condescentionem affabilem & comicam à viro cum paruulis, vt efficaciam suæ confessionis & commonitionis euacuet, consequens est.

Persuasũ sanè habeo sic egisse olim apostolũ. Alioquin quomodo factus fuisset omnia ad omnes vt Christũ lucrifaceret, si paruulos excipias, ad quos nõ factus sit paruulus? Qua authoritate preterea

mandasset patribus de filijs humanè tractandis, neque prouocandis ad iracundiam, ne pusillo animo fierent, si paruulorum velut indigna horruisset consortia? Sed quid argumentis nitimur, cum hoc ipsum ab apostolo expressum sit? Facti sumus inquit paruuli in medio vestrum, tanquam nutrix filios suos: Ponderemus iterum obsecro qua ratione iubet apostolus instruere præoccupatos in delicto aliquo in spiritu lenitatis. Et videamus si hoc non prius egerit & docuerit legislator noster Christus. Cum enim proclamans inuitasset. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, subiunxit pro re ad hæc necessaria. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Plura in vetustis patrum historijs ad hanc rem traduci possent testimonia. In quibus nihil ita efficax ad correctionem emendationemque multorum repertum est quemadmodum est lenitas, nihil enim hominum melius est facilitate & clementia, ait comicus.

Nonne Ioannes ille diuinorum conscius & scriptor secretorum latronis & homicidæ perditissimi manum osculatus est, vt eum lucraretur. Quis egregium doctorem Augustinum tanquam sydus aliquod beneuolum acquisiuit ecclesiæ? Ambro. Qua virtute? vtique beneuolentia & mititate. Cæpi inquit Augustinus de eodem. Cæpi amare hominem, non vt doctorem veritatis, sed vt hominem beneuolum in me. O prudentissimum & verum Dei sequacem Ambrosium. Non dixit Augustino tunc pestiferis opinionibus inflato. Recede à me, peccator es, hæreticus es, blasphemus es. Quanto minus hæc & similia de paruulis fidelibus ad eum concurrentibus ira feruescens vomuisset.

Porro si recogitemus quod nihil erat in operibus Christi vacuum & sententiarum maiestate carens, iudicabimus ipsum non mediocrem rem intendisse dum vocabat paruulos ad se, cohibens discipulos charissimos prohibentes eos. Dehinc eos accedentes, amplexabatur, imponens eis manus & benedicebat eos. Et ô pijssime Iesu, quis vltra post te verecundabitur esse humilis ad paruulos? Quis tumescens & elatus de sua vel magnitudine vel scientia paruitatem deinceps paruulorum ignorantiam vel imbecillitatem audebit aspernari, quando tu qui es Deus benedictus in secula, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, vsque ad castissimos paruulorum amplexus beata brachia mansuetus inclinas atque circunligas? Procul ergo, procul ex hinc omnis elatio, seorsum sit indignabunda qualibet paruulorum effugatio, vincitur hoc insigni exemplo Christi nostri, humanitas illa humilis in Socrate à philosophis collaudata, qui non erubescebat post curas publicas laxare animum ludendo cum paruulis, arundine etiam cruribus supposita. O si vidissent eum Catones censorij nostræ ætatis quali eum cachinno derisissent? quamquam non ita laxamus ad paruulos colludendi licentia, vt non abhorrendam proclamemus omnem in gestu aut verbo vel tactu petulantiam aut impudicitiam. Rursus alia ratio est humiliationis suæ in obsequio Dei, sicut Dauid saltans ante arcam totis viribus & nudatus, & vilis in oculis suis celebratur. Alia ratio dum quæritur sola mentis recreatio.

Prima semper optima est, & vix excessum recipit, nec video vbi aliter locum habeat congruentiorem illud ecclesiasticum, etiam à Tull. in de officijs approbatum. Quanto maiores humilia te in omnibus. Hinc Christus statuto paruulo coram discipulis, quibus hanc humilitatis normam verbo & exemplo inculcare volebat. Qui maior est inter vos erit sicut minor. Et rursus in loco quem tractamus, quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit illud. Ecce coram Deo, quia non mentior, plures audiui à triennio confitentes paruulos, & quosdam eorum grandiusculos qui fatebantur se nunquam peccata sua fuisse dicturos alteri, non sic eis condescendenti & diligenter interroganti instante etiam mortis articulo, quantumlibet damnari debuissent. Agnosce ergo quid efficaciæ lateat in ipsa condescensione benigna. Et quid operetur interrogationũ admonitionumque discretio cauta & sedulitas artificio, magis verò in his Dei virtus inuocata, sperata, propitiaque. Quosdam præterea noui viros expertos qui iam multis annis confessionum auditores fuerant, protestantes se vix aut nunquam reperisse aliquem certis infectum vitijs qui prius illa cuiquam alteri detexisset. Nec id adhuc fecissent, nisi magna circunspectionis & lenitatis spiritualis arte cæpissent eos, & pia quadam fraude vtiliter circunuenissent. Qua super re quædam alia scripsisse me memini, & ad vitiorum cognitionem præcipuè talium nuper vnus editus est in gallico tractatulus. Expediamus nos breuius in reliquis tribus calumnijs. Nam quod allegatur dignitas officij mei aut etiam gradus magistralis, iam satisfactum arbitror. Quod autem superadditur meam occupationem in maioribus esse debere.

Nescio prorsus si quicquam maius esse potest in quo paruitas me proficere valeat, quam Deo dãte virtutem, à faucibus canis infernalis & ab ipsis gehennæ portis animas eripere, & tales paruulorum animas quasi plantare aut rigare, partem nõ indignam horti ecclesiastici, paruulos loquor præsertim in studio vt eis det incrementum Christus. Sed asserunt me in prædicationibus publicis ista magnificentius operaturum. Id quidem forte põposius, sed meo iudicio non efficacius neque fructuosius. Confudit pridem ipse Christus superbiã nostram, quæ non vult nisi multos habeat auditores, os suum aperire sapientiæ quãdo cũ muliercula Samaritana & sola diuturno sermone confabulatus est. Nullo pacto tamen abnegauerim ea me irrationabiliter dimissurũ esse quæ necessitatis sunt in officio cãcellariatus, dum illi indignus deseruio pro quantalibet vtilitate secutura in alijs. Sed vbi cessat necessitas (vt plerũque cessat) quis occupationem meam tam salubrem inculpabit, quando me tunc fore vel ludentem vel ociantem coarguere præsumeretur nemo? Amplius de loci & tẽporis importunitate quæ tertia est calumnia, quædam respondimus in priori consideratione, quam quam locus aptior & ab omni suspicione remotior esse non possit quam publicus in ecclesia. Hoc euitat prouerbialem illam notam. Qui malè agit, odit lucem.

Fit quoque iussio Christi vt luceant opera vestra bona

bona coram hominibus, & sit lucerna eius posita super candelabrum. Quod si scandalizantur aliqui interpretantes hoc ad pompam vel inanem iactantiam, gloriunculam, hypocrisim vel papelardiam, vel aliud huiusmodi, viderint quid dicant. Profectò scandalum tale est acceptum & non datum, pharisæorum non pusillorum, ac proinde contemnendum, quoniam neque actus neque locus præfert ex se aliquam spiritualis ruinæ occasionem. Porrò nil mirandum si radius boni operis, qui sanis gratissimus est, sit lippis, liuidis aut inflatis oculis odiosus molestúsque. Christi bonus odor sumus, acclamat apostolus. Sed quid subiungitur? Alijs quidem odor morti in mortem. Alij autem odor vitæ in vitam. Cæterũ quisquis attenderit quam multa est messis dominica & operarij pauci (de operarijs loquor idoneis, nã alij innumeri sunt & fruges consumere nati, ait Horatius) videbit quod nullus dies nulla hora, nullus locus ab hac operatione secludi deberet. Postremo pro quarta calumnia non inficior rem per me aggressam apud prædecessores meos fuisse insolitam, comicum me solatur prouerbiũ. Suus cuique mos est. Si non liceret cuiquam aliquid præclaræ nouitatis arripere, malè iret respublica, immo iam non iret, sed liberius corrueret. Neque tamen est istud negotium prorsus insolens vel extra ordinarium si de licentia & mandato episcopi diocesani qui est dominus messis suæ, quidam deputentur ad messem hanc, nunc hoc nunc illo modo colendam. Sed & si licentiam hanc quæsierim tutatur me illa Christi sententia. Rogate dominum messis, vt mittat operarios in messem suã. Itidem Esaias protegit qui petenti, quem mittam & quis ibit nobis? dixit. Ecce ego sum, mitte me. Nihil est enim in actis istis meis quicquam vel irregulare, vel illegitimum, quia superiorum potestas accessit, & quia nullos paruulorum audire præsumpsi, sicut nec facere propono absque præceptorum sub quo informantur notitia. Denique non parua cura scholarum & scholarium Parisijs commissa est: saltem in multis cancellario ecclesiæ Parisiensis tum iure officij, tum de mandato apostolico. Quid vero curam hanc magis decere potest quam religiosa bonorum morum disciplina? Sed repetẽtes amici quod dictum est. Calumniabuntur (inquiunt) aduersarij nouitatem istam vel de curiositate vel de fictione, vel de infructuositate, vel de nimia leuitate aut aliquod huiusmodi. Hæc non mihi noua sunt. O amici charissimi. Omnia dudum præcogitaui & mecum ipse peregi. Nam qualis vnquam fuit actio hominis cogniti quæ vel reprehensione, vel sinistra aut stulta interpretatione caruerit? Obsecro tamen per illam quam expectamus saltem, & obtestor coram pauendo tribunali iusti iudicis Dei, quoniam nemo nouit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est, quatenus iuxta regulam Christi, in hac re à fructibus meis me cognoscant. Et si quid in doctrina vel operatione falsum impudicum, nefarium ve deprehenderint, non refugio, iudicet tunc lupus rapax in vestimento ouium. Si autem fructus operis boni cernuntur extrinsecus, non damnetur postulo arbor intentionis de malicia intrinsecus. Alioquin peccatum incurritur temerariæ dijudicationis fraternæ, & scandalum ponitur paruulis, quorum aduentus per hoc ad Christum nõnunquam impeditur. Portabit quisquis talis erit onus suum imposterum, ego liberatus extitero. Et animæ aduertunt precor obseruatores mei quantum fiduciæ gerat animus meus in hac causa sibi bene conscius, quando ipsos etiam tot paruulos (quorum conditio est, nihil facere celare) testes habeo & inuoco. Sed hæc hactenus ad alios. Nunc ad paruulos conuersus eos (sapientiæ verbis confidens) exhortabor, vt si quis paruulus est, veniat ad me, nihil trepidet, nihil exhorreat. Audiat quisquis ille erit, bona saltem quædam monita ex ore meo, si idipsum arrogo mihi, iure meo id possum, non in me, sed in Domino. Inducam ad bonum si potero, nominatim inter cetera ad recogitandum omnes annos suos in amaritudine animæ suæ & ad scopandum spiritum suum scopa linguæ propriæ. Ad hoc tamen vel aliud nullum cogam inuitum. Porro nihil de tacendis inquiram, neque persuadebo, immo prohibebo sociorum vel aliorum secreta prodere. Nullus insuper suspectam habeat fidem meam in obseruando tam signo quã verbo sigillum confessionis integrum. Scio quantum priuilegiatum est. Vellem vt confessi tanta se & me discretione celarent, neque per quosdam inducerentur ad oppositum curiositate praua fatuaque. Sed extimescet aliquis pœnitentiæ austeritatem. Vanè hoc, quia nullam non vltro sustinendam impono. Malo enim exemplo Guilhelmi Parisiensis cum parua pœnitentia voluntarie complenda mittere homines ad purgatorium quam cum inuita non facienda præcipitare in infernum. Quisquis aderit peccatorum suorum quamquam grauissimorum conscius, dicat cum Dauid nil omittens. Peccaui. Mox subiungam. Peccatum tuum transtulit à te Deus, non vltimũ in pœnitentia punctum habuisse crediderim, si profecto ore abominata est iniquitas, hoc est ad vomitum confessionis deducta. Alius fortassis æstimabit me eum osurum vel spreturum posteà cuius scelera cognouero. Certè nihil magis, amabo eum potius vt filium in Christo charissimum vt eum præterea quem timere Deum, & bonum purgatumque factum sciuero, vt eum subinde qui meæ fidei se ita totum commiserit, vt ea proderet, mentis vulnera indecora, quæ charissimis forte parentibus nequaquã ostendisset. Et ita sentio in corde meo (scit veritas) quam dulcius afficior atque mansuetius ad illos quos è magnis & grauibus criminum periculis erutos esse conspicio quam ad alios minus sauciatos. Nullas denique vindicationis aut odij reliquias vnquam in animo residere permiserim pro confessione cuiuscunque delicti, etiam si propria mors parentum delictum illud esset. Scio tamen quod non potest à confessis omnis repente pudor abijci. Sed hoc neque necesse, neque vtile est, vincet tandem illum pudorem ratio, & ista interim confusio ad non mediocrem pænę dimissionem proficiet. Conqueretur alius & dicet: Frigidus sum & indeuotus, quid mihi prodest confessio? Et sanè esto ita sit, tanto diligentius accedere conuenit ad ignitum eloquium Dei vehementer. Accede

ad hunc ignem, calesces plus satis. Video sæpe multos frigidos in initio, qui etiam colloquium tale super actibus suis vel horrent, vel rident, & discedunt calentes consolati & vbertim flentes. Obtigit mihi crebrius talis mutatio. Olim quoq; circa sorores germanos, dum eas ad celibatũ perpetuum inducerem, tale aliquid carnale patiebar, turbabat nonnunquam me & rationes meas omnes tumultus vulgaris consuetudinis, insolitum mihi proponebatur id quod agere moliebatur mea deuotio. Fluctuabam & nutabam, & penè quærebam dissoluere sanctitatem propositi, ac retro pedem flectere. Quousque tandem Deo propicio conuertebã oculos à terra in cælum, à morte hac ad vitam, à mortalitate ad æternitatem, & considerabam in ipsa rationis arce & fidei lumine quoniam vanitas vanitatum & omnia vanitas, sic respirabam, solidabar firmabarque. Quo magis hortandi sunt omnes, vt hoc modo non populari rumore, vel consuetudinis errore, sed puræ veritatis consideratione id quod iustum est & religiosè factum dijudicent, nec quid animus in præsenti sentiat, sed quid sentire debeat attendent.

Cæterum solitus sum nec tacebo, confessos mihi specialiter instituere ad quatuor obseruanda. Nam quoad crimina prę cæteris detestor in eis os mendacijs & periurijs detractionibusque deditũ. Manus quoque violentas & rapaces. Tactus denique libidinosos maxime monstruosos damnatosque legibus. Primum obseruandum est, vt summopere sibi caueant ne deinceps sint occasio ruinæ & damnationis aliorum, quoniã istud est proprium dæmonis officium. Bene iussum est. Si non castè, tamen cautè, hoc est secretè & solitariè sine læsione vel scandalo cuiuscunque. Secundum est, vt seductos olim ab eis aut suos in malum complices studeant quantum discretè potuerint ad emẽdationem reducere, immo & alios pro eis, quatenus & ipsi qui prius dæmonum, nunc per hoc angelorum fungantur officijs. Tertium est, vt si peccauerint de cætero (prout est humana fragilitas) semper tamẽ adhibeant tẽpore & loco ipsum cõfessionis antidotũ, quã nihil esse valiturã obtestor iterum & iterũ, si non fuerit integra & sufficienter explicans atque dinumerans cognita confitentis peccata cum circunstantijs maximè eis quæ peccati speciem mutant. Quartum est. Indico nẽpe singulis non obligatoriè, sed exhortatoriè sępius vt teneant facilem quandam obseruationem pro omni tempore vitę suæ, tam pro rememoratione & quadam satisfactione peccatorum integrè simul confessorum, quam pro cautela aliqua futurorum. Vtor verò communiter hoc modo, vt dicant singulis diebus his Pater noster, & aue Maria, semel de mane & semel de sero, cum totidem prostrationibus ad terram, si & vbi commodè fieri potuerit. Rarò autem muto in hoc pro magnitudine & varietate criminum diuersitatem huiusmodi obseruationum, quoniam vix istud fieret, & in alijs pœnitentijs secretioribus potest scrupulosius varietas talis tradi. Quod si in hoc innocentes cum nocentibus exequem, non conquerantur innocentes, quia non minus obligati sunt qui ne similes essent nocentibus, ipse prohibuit manutenuitque. Hanc verò quadruplicem institutionem pro paruulis metro ludens comprehendi, vt eas altiori mente reponant. Non opere aut verbis alios corruperis vnquam. Si satis ipsa tibi perditio propria. Si quos perdideris monitis, actisve nefandis. Discretè ad rectum mox reuocare stude.

Non pudor obsistat, tua quin confessio plenè.
Crimina scita notet, vel nocet illa tibi.
Tu de confessis gratus, tu ne recidiuus
Signo aliquo facili, iugiter esto memor.

Ad extremum vsquequo paruuli diligitis infantiam? Vt quod diligitis vanitatem, & quæritis mẽdacium? Venite fidenter, nullæ viarum insidiæ, nullus latet anguis in herba. Communicabimus mutuò bona spiritualia, quia temporalia vestra nulla requiro. Ego vobis doctrinã, vos mihi orationem impendetis, immo orabimus pro inuicẽ vt saluemur. Si angelos nostros vicissim lætificabimus, in quorum solemnitate hæc scribo. Sic forte, nec iam forte, sed certa spe misericordiam inueniemus apud patrem nostrum dum obediemus voci suæ in accessu nostro ad eum, ego prouocando, vos exequendo. Nec deerunt pijgratiæ & deuotionis amplexus in præsenti miseria consolatorij postmodum gloriæ cõsummatæ perpetua vnitas subsequetur. Ad quam nos omnes qui spiritu paruuli esse debemus, inuitat ipse Iesus spirituali collocutione & affatu iugiter inspirans, & dicens. Sinite paruulos venire ad me.

OPVSCVLVM eiusdem de contractibus ad instantiam prioris & conuentus domus Carthusiæ in Sabaudia. Anno Domini. 1420. mense Ianuarij.

Prœmium.



QVI volunt diuites fieri, incidunt in laqueum & tẽtationem diaboli & desideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt homines ad interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se multis doloribus. Tu verò ô homo Dei hæc fuge. Hæc est apostolica admonitio conformis sententię Christi. Non potestis Deo seruire & mammonę. Sed ve filijs Adam post peccatum, quos oportet transire per viam contractuum ciuilium, vbi meum & tuum perstrepunt & altercantur. Vbi dolos, fraudes, laqueos deceptionis spargit & abscondit inimicus, dum iniqua rebus precia suadet imponi, dum non satis attendunt homines quod ait Guido Carthusiensis. Rationalis creaturæ vera perfectio est vnamquamque rem tanti habere quanti habenda est, sicut pluris est anima quam esca fides & æquitas quam pecunia.

Quod fit vt spirituales etiam Dei homines vix euadunt pericula, licet nolint diuites fieri licet dicant ex sententia. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Incumbit siquidem eis vel per se vel per suos ambulare viam quæ dura est & anfractuosa contractuum, plena laqueis, & funibus circumplexa peccatorum. Tales igitur quid agent, qualiter

qualiter obedient apostolo iubenti. Tu verò ô homo Dei hæc fuge? Nunquid debuerant (prout alibi loquitur.) extra mundum exisse, nedum animo, sed corpore, qui nec fodere valent, & mendicare erubescunt, & de altario viuere habent. Atverò prouidit idem apostolus dum prioribus verbis continuo subiunxit: Sectare autem iustitiam. Hæc est enim quæ commutationem omnē æquo precio mensurat, numerat & ponderat. Iustitiam verò docet ipsa sapientia, per quam se teste legum conditores iusta decernunt. Hinc illa sapientissima Salomonis oratio: Mitte sapientiam de cœlis sanctis tuis: vt mecum laboret. Sit & ipsa nobiscū volentibus inquirere quæ sit via regia contractuū ciuilium ad euitādas offendiculorum tendiculas. Commouit hoc attentare petitio quorundam hominum Dei casum offerens perplexum apud eos quos exaudire charitas iussit, & inclinauit sapientia pollicens. Qui elucidant me inquit, vitam æternam habebunt. Erunt autem partitiones duæ. Prima resoluet materiam contractuum ad terminos iuris diuini & naturalis, sub quintuplici quaternario considerationum. Altera sub totidem propositionibus particularem casum qui petitus est, attinget & absoluet.

PRIMA PARS PRINCIPALIS HVIVS TRACTATVS. ET PRIMVS quaternarius.

Consideratio prima.



CONTRACTVVM bonitatem aut maliciam doctrinaliter inuestigare volentibus, necesse est in primis cognoscere quid nominis & quid rei, quid scilicet sit cōtractus & de contractuū speciebus. Tradit hoc Aristote. esse primū & propriū in omni disciplina siue sciētia, quoniam ignorantes terminos de facili parologizantur. Potest autem contractus ita breuiter describi. Cōtractus est commutatio ciuilis legitima. Commutatio ponitur pro genere. Ciuilis additur ad differentiam mutationum naturalium, quas cōsiderat philosophia naturalis, contractus enim spectat ad ethicam siue moralem philosophiam. Subiungitur legitima id est legi conformis, ad differentiam contractuum illicitorum vel illegitimorum. Inuenta est autem commutatio ciuilis post peccatum, quoniam status innocentiæ habuisset omnia communia. Rursus commutationum ciuilium multiplices sunt species. Vna est venditio, altera est emptio, habentes se correlatiue adinuicem, venditio in agente, & emptio in recipiente. Locatio & conductio, similem habentes correlationem. Mutuatio actiuæ & passiuæ similiter se habentes correlatiuæ. Datio liberalis & receptio gratuita. Potest iterum extendi commutatio ciuilis ad matrimonialem coniunctionē maris & fœminæ, de qua nihil ad præsens. Cōstat igitur quod contractus est species iustitiæ nedum prout est generalis virtus, sed specialis & specialius illius quæ dicitur iustitia commutatiua. Propterea si debeat plena resolutio fieri, necesse est peruenire ad

A definitionem iustitiæ per differentias inter medias. Vnde quia commutatio ciuilis nō habet fieri, nisi per translationem dominij vel vsus vel vtriusque, consequens est vt sciatur quid sit dominium, & quid Dominus, & quot sint species dominij.

Vnde dominium potestas est propinqua assumendi res alias vel vt alias in sui facultatem vel vsum licitum secundum iura vel leges rationabiliter institutas.

Consideratio secunda.

B CONTRACTVS ex quo est commutatio ciuilis legitima, & legitimum dicitur quod est conforme legi, necesse est cognoscere quid sit lex, quales insuper & quot sint eius species, fundatur vt præcedens. Legum nempe alia est purè diuina, alia est purè naturalis, alia canonica, alia purè positiua, alia ciuilis purè & ipsa positiua. Sunt & aliæ mixtæ ex aliquibus prædictis legibus. Ignoratis itaque vel non consideratis huiusmodi diuisionibus & definitionibus non potest haberi certa & C perfecta resolutio, notificans definitionem contractus quid præterea dicatur meum, quid tuum, neque per consequens quis contractus sit licitus vel illicitus, licitus vel illicitus inquā de se vel suo genere, aut ex solis accidentalibus circumstantijs, quæ non cadunt sub arte. Sed quoniam alibi tradita est sub compendio ista resolutio, illam ad præsens non repetimus.

Consideratio tertia.

D CONTRACTVVM diuisio, species & sufficientia sic haberi possunt, & expedit agnoscere. Aut enim per contractum transfertur dominium aut solus vsus. Si primo modo, hoc est dupliciter, quia vel fit mediante precio, & sic sunt duæ species correlatiuæ, emptio & venditio. Vel fit sine precio, & ita sunt duæ species correlatiuæ, mutuatio actiua & passiua. Vnde mutuū dicitur quia de meo facio tuum. Potest addi tertia species, quæ propriè non est contractus, sed est liberalis datio seu donatio vel eleemosyna. Additur E quarta species, quæ dicitur camptio seu cambium, vbi fit translatio dominij de aliqua re ad aliam rem remanentibus ambabus in sua essentia, vt vini ad frumentum, vel vestis ad sotularem, vel pecuniæ ad pecuniam, quamuis hæc species reducatur ad emptionem vel venditionem. Vel si solus transfertur vsus: redit ad locationem vel conductionē, commodationem vel accomodationem. Si autem contractus sit talis virtute cuius transfertur vsus rei retento dominio, hoc contingit dupliciter. F Quia vel hoc fit sine precio mediante, & sic sunt duæ species correlatiuæ, commodatio & accōmodatio. Aut fit mediante precio, sic sunt duæ species correlatiuæ, locatio & conductio. Potest addi tertia species quæ dicitur censualis pensio vel emphiteosis, vel datio ad firmam. Adderetur quarta species quæ est impigneratio, nisi quod ibi non est propriè translatio, sed tantummodo depositio pro securitate mutui, vel commodati vel crediti. Denique notari potest quod in aliquibus rebus non est dominium separatum ab vsu, vt in pecunia numerata, cuius

dominium est vsus, alioquin frustra esset. Vt insuper èconuerso in cibo cuius vsus est ipsa rei cōsumptio. Et ita propriè non separatur hic vsus à dominio. Vnde consurgit non parua turbatio apud aliquos, nihil habere se dicentes in proprio vel in communi.

Consideratio quarta.

A

CONTRACTVVM definitiones in speciali tales possunt elici ex præmissis. Venditio est contractus per quē fit translatio domnij alicuius rei de vno ad alterum precio legitimo mediante, ita quod ibi est merx & precium, & emens & vēdens. Nec refert si sint plures ementes & vendentes, vt in communitate. Et dicitur merx aliquādo ius ipsam recipiendi, aliquando est propriū corpus serui alicuius. Mutuatio est contractus per quam fit trāslatio dominij ad alterum, nullo precio mediante, non quidē ad semper vel prosemper, quia iam esset liberalis donatio. Campsio est contractus per quem fit translatio dominij vnius rei ad alteram sic quod vna est precium alterius, nec differt merx à precio. Et inde consurgit differentia ab emptione & venditione communiter dictis, vbi præcium & merx distinguuntur. Donū est translatio rei ab vno in alterum liberalis & irreddibilis, non enim pactio est vel intentio quod fiat redditio, quia iam non esset donum purè gratuitum. Rursus commodatio est contractus per quem fit trāslatio vsus rei de vno ad alterum, nullo precio mediante, retento dominio. Locatio est contractus per quem fit translatio vsus rei de vno ad alterum aliquo precio mediante, retēto dominio. Casualis pensio videtur mixta ex venditione & emptione, locatione & conductione, quoniam ibi fit quædam translatio dominij rei & vsus sui ad tempus solum vel cū certis modificationibus appositis. Possent ex his elici descriptiones illicitorum contractuum, posset etiam fieri verbum de præmissis per metaphoram & translationem ad spiritualia, vt dicimus, regnum cælorum enim, & quod Deus recipit ad vsuram, sed omittimus. Postremò quoniam susceptio præsentis opusculi principaliter est non de quolibet contractu plenè loqui, sed ad inuestigandum quis contractus verè dicatur vsurarius, vt radicitus & apertè possit cognosci, curabimus causas aliquas remouere, propter quas posset videri aliquibus quod cōtractus aliquis esset vsurarius vel illegitimus siue nō licitus, loquentes præcipuè de legitimo vel illegitimo secundum legem purè diuinam vel purè naturalem, præsupposito lapsu generis humani seu peccati. Et primò de venditione & emptione fiat sermo, & hoc in secundo quaternario nostrarum considerationum.

B

C

D

E

Secundus quaternarius.

Consideratio quinta.

VEnditionis & emptionis cōtractus nō ideo præcisè dicitur illegitimus, quia sit vtilior vni parti quam alteri, vt vendenti quam ementi vel ècontra. Posset aliquis opinari contrariū, quia contractus species est iustitiæ commutatiuæ quę respicit æqualitatem rei quæ venditur ad rem quæ emitur, vt seruetur æqualitas iusti precij, propter quam æqualitatem facilius obseruandam inuenta est moneta, vel numisma, vel pecunia, sicut pulchrè deduxit philosophus, & facile est aduertere consideranti distantias locorum & varietatem nunc abundantiæ nunc indigentiæ in rebus commutandis. Nihilominus apparet veritas nostræ considerationis in practica vulgata & approbata per omnes ferè nationes, dum vēdūtur & emūtur reditus perpetui, vt decem denarij redituales perpetui pro centum vel ducentis in pecunia numerata. Constat in hoc casu quotidiano quod infra.20. annos emens poterit recipere totam pecuniam traditam, remanente sibi sua possessione ex integro, immo facta fortassis melioratione. Sunt alij casus ostendentes veritatem huius considerationis, sed hic vnicus ad præsens sufficiat. Vnde textus. Leuitici.25. sic habet. Qui vendiderit domum suam intra muros vrbis, habebit licentiam redimendi donec vnus annus impleatur, si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in iubileo. Notentur hæc tria. Primo quod venditio perpetua licita est. Secundo quod venditionem non inficit conditio redimendi. Tertiò quod si emptor post decem vel viginti annos velit vendere illud quod emit suo venditori qualicunque precio, non tenetur fructus medij temporis deducere in precij recompensationem.

Consideratio sexta.

VENDITIONIS & emptionis contractus non ideo pręcisè dicitur illegitimus quod res vendita potest ad certum tempus redimi seu retrahi lege super hoc constituta. Dicentes oppositum condemnarent supremum legislatorē Deū in legibus suis iudicialibus datis per Moysem populo Iudæorum, sicut est textus apertus Leuitici. 25. Mox allegatus, vbi potest quod vendens hæreditatem poterat redimere, immo & sine redemptione reuertebatur hæreditas in anno iubileo. Cuncta inquit, regio possessionis vestræ sub redēptionis conditione vendetur. Hæc autem lex inducitur hic, non quod obliget pro nunc populum Christianum, nisi quod nouiter institueretur per legislatorem legitimum in ista patria vel in illa, sicut & factum est de multis legibus iudicialibus legis antiquæ, quemadmodum præterea leges ciuiles non arctant in foro ecclesiastico, nisi pro quāto per legislatorem ecclesiasticum firmatæ sunt. Sufficit autem ad propositum monstrasse per licitam legem veterem veritatem nostræ considerationis, quod scilicet de lege purè diuina & naturali, contra quas agere nusquam fas est non habetur quod de ratione venditionis licitæ sit quod non valeat redimi res vendita, sic quod non interponatur conditio redimendi lege publica vel priuata voluntate.

F

Consideratio septima.

VENDITIONIS & emptionis contractus non ideo præcisè dicitur illegitimus, quia pactum potestatis redimendi rem venditam ad tempus certum vel incertum vendens & emens interposuerunt. Sequitur ex præcedenti, quia si iusta lege publica potest huiusmodi contractus fieri, non repugnat legi diuinæ vel naturali quin ita fieri

ri possit lege vel conuentione priuata quicquid sit alicubi de prohibitione positiua.

Consideratio octaua.

VENDITIONIS & emptionis contractus non ideo præcisè dicitur illegitimus iure diuino ac naturali, dum propter libertatem redemptionis venditæ rei res ipsa minori precio venditur vel emitur. Deducitur primò per institutionē legislatoris publicam, si fiat ex hoc mēsuratio precij secundum ampliationem dominij super rem emptam. Constat enim quod in casu considerationis cedit res empta ipsi emptori in minus amplum dominium, quam si non posset redimi & è contra venditor non ita plenè denudat se totaliter à dominio suæ rei quam vendit. Si igitur potest precium augeri dum ius vel dominium est pinguius, latius & vberius, dominio diminuto potest & precium diminui. Pro quo facit textus Leuitici. 25. qui sic habet. Quanto minus tempus numeraueris, tanto minus emptori constabit. Cōfirmatur ex consideratione contractus, qui est locatio vel conductio vbi fit translatio solius vsus retento dominio. Quis enim nesciat temperari vel augeri precium iuxta temporis & vsus commoditatem maiorem vel minorem? Elicitur ex præmissis hæc veritas, quod non est de extrinseca ratione venditionis aut emptionis, quod fiat sine lucro alterius partium & sine spe vel pacto redēptionis seu retractionis per vendentem aut eius causam habentes.

Sequitur nunc videre quid de iure positiuo sit vel esse potest de ratione contractuum. Et hoc in tertio quaternario considerationum.

Tertius quaternarius.

Consideratio nona.

ARBITRIO legislatoris subiacet contractuum modificatio, limitatio vel amplificatio. Deducitur ex hoc, quod ad legislatorē spectat legum institutio. Formalis autem ratio contractuum consistit in conformitate ad legis, sicut patet ex definitione contractus, quæ est commutatio ciuilis legitima id est conformiter ad leges facta. Vnde contractus matrimonialis de quo minus videtur, cum sit de iure naturali, subijcitur tamen arbitrio legislatoris scilicet papæ vel ecclesiæ alioquin non posset fundari illegitimatio quorūdam personarum ad matrimonialem contractum. immo & arbitrium tale legislatoris extenditur etiā ad forum conscientiæ & pœnitentiæ, vt non quilibet peccator possit se cuilibet sacerdoti subijcere, ad consecutionem sacramentalis absolutionis.

Consideratio decima.

ARBITRIO legislatoris fas est quando expedit & decet, contractus aliquos nunc validare, nunc inualidare pro temporum, locorum personarum & aliarum circunstantiarum variata qualitate. Deducitur primò per exemplū legislatoris supremi Dei, qui licet multa iudicialia statuerit in antiqua lege pro regimine populi Iudaici, nihilominus sic temperauit illa iudicia tempore legis euangelicæ, quod illa commisit illis quibus

A ait. Qui vos audis, me audit. Et per apostolum suum, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et ad hoc est sententia concors omniū doctorum, immo totius ecclesiæ. Vnde qui diceret hoc argumentum esse validum. Lex antiqua iudicialis sic dicebat, præcipiendo vel prohibēdo, ergo taliter nunc agere Christiani tenētur falletetur, quoniam hæc consequentia nedum falsa est, sed hæreticalis. Ex quo sequitur hæc veritas, quod dum redimitur hęreditas vendita, non est necessarium deducere fructus medios perceptos, nisi hoc

B alia lege quam antiqua fuerit institutum.

Lucæ 10.
Rom. 13.

Consideratio vndecima.

ARBITRIO legislatoris humani non est possibile quoslibet contractus ita suis legibus moderari, quin subsequi posset multiplex abusus. Sunt ad hoc authoritates iurium plures, & experimento quotidiano cognoscimus. Nō tamen frustra conatur legislator ad moderationem contractuum dum facit quod in se est, ad præclusionem

C abusuum condendo leges vniuersaliter positas, quæ quales esse debeant, Isydorus ponit. Nihilominus obseruandum est illud comicum. Ne quid nimis. Et illud sapientis: Noli esse iustus nimis. Videmus enim in pluribus, quod multiplicationes institutionum & pœnarum sic inuoluunt populos, quod fit eis iugum intolerabile & inuolutio laqueorum. Exemplum datum est alibi in materia simoniæ, & hic potest accipi in materijs vsurarum quibus dum quæritur aditus præcludi, condemnantur multi contractus, qui secundum legē Dei

D non sunt vsurarij nec illiciti, & essent vtiles tam reipublicæ, quam personis. Exemplum est præterea de casibus in foro pœnitētiæ, & similibus alijs, de quibus alibi.

Consideratio duodecima.

ARBITRIO legislatoris conuenit nedum leges in contractibus ponere, sed positas interpretari, non tantum doctrinaliter vt iurisperiti possunt, sed authoritatiuè & iudicialiter. Est ita-

E que legislator tanquam lex viua, director & epikeies, dum & vbi prouenit circa leges difficultas ex circunstantiarum varietate, quæ sunt innumerabiles, nec cadere possunt sub arte vel lege, quia per accidens sunt. Hinc est illud vulgati authoris.

Ipsæ etiam leges cupiunt vt iure regantur.

Elicitur ex his altera veritas, quod ibi super bonitate vel malitia quorundam contractuum difficultas talis exoritur, qualis non potest doctrinaliter determinari, recurrendum est ad arbitrium vel

F interpretationem legislatoris, præsertim supremi & ecclesiastici, qui censetur habere iura nedum humana, sed diuina in scrinio peccatoris, & vbi papa deficeret, consilium generale habet supremum iudicium iuxta veritatem in generali consilio Constan. determinatam, & in hac lege diuina immobiliter fundatam. Si peccauerit in te frater tuus, &c. sequitur, dic ecclesiæ. Subiungamus in speciali de vsurario contractu sub quarto considerationum quaternario.

Quartus quaternarius.

Consideratio decimatertia.

VSURARIUS contractus repugnat legi A diuinæ & naturali, sic quod ex suo genere malus est,nec potest bene fieri.Exemplum de mēdacio ponunt aliqui, & ad hoc est sententia communis doctorum. Vnde & philosophus naturale iudicium sequens posuit contra naturam esse, vt nummus nummum pariat. In psalmis quoque & prophetis satis innuitur: Si quis ad beatitudinem velit introire,quod pecuniam suamnō det ad vsuram. Christus denique dixit: Date mutuum nihil inde sperantes.Et ad hoc sunt congruentiæ plures B datæ per doctores propter inconuenientiam quæ reipublicæ prouenirent ex vsuris, si licitæ dicerētur. Vnde & homo nascitur ad laborem, sicut habetur in Iob. Est ergo contra naturam hominis vt sine labore velit viuere,quod fit in vsuris.Nam & Adam in statu innocentiæ positus erat in paradiso, vt operaretur & custodiret illum. Et post peccatum dictum est illi: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Quinetiam recipientes ad vsuram dum pecuniam promptam inueniunt facilius cōsumunt & exponunt & otio vacant, & tandem C graui pauperie per os alienum consumuntur. Veruntamen istæ & consimiles rationes deducentes ad inconuenientia, non videntur satis conuincere volentem proteruire. Quia poneret ex aduerso multos casus in quibus magna vtilitas & quasi necessaria sequeretur, tam in dante quam in recipiente, sicut allegant aliqui de mendacio officioso, & alij de simplici fornicatione. Dicerent insuper verbum Christi non esse præceptum,sed consiliū. Similiter ad illa quæ subiungit & præmittit, dum D prædictum verbum dixit: Date mutuum. Nihilominus veritas ista tenenda est tanquam ex fide & ecclesiastica determinatione, sicut & de mendacio, quod non possit bene fieri,quia per doctrinā oppositam qualis fuit apud græcos multos si admitteretur officiosum mendacium, tota scripturæ sacræ (sicut dicit Augustinus) vacillaret authoritas,immo deperiret fidelitas & fidelis conuictus apud homines. Non enim oportet propter vtilitates quæ per accidens possunt accidere, ea dicere bona quæ per se & de suo genere mala sunt, & E quę confestim nominata(sicut Aristoteles loquitur) sunt inuoluta malitia, sicut furtum quod est contrectatio rei alienæ, bene fieri est impossibile, quamuis furtum possit fieri non furtum,accedente consensu Domini. Similiter diceretur quod vsurarius contractus inualidus est per legem superiorem diuinam, & ita illegitimus est, vt sit furto similis, dum pecunia vltra sortem recepta, contrectatur inuito domino saltē principali, scilicet Deo F quæcunque sit voluntas recipientis ad vsurā, quæ verisimiliter est inuoluntaria per se, sed voluntaria per accidens, sicut est in proijciente merces imminēte naufragio,& sicut consensus in matrimonium per metum cadentem in cōstantem virum, qui consentit ne mentiatur vel moriatur. Est enim consensus iste inualidus ad matrimonialem contractum. Similiter diceretur de vsu ratio contractu, quamuis non sit euidenter ostensum, quin maneant difficultates satis multæ.

Consideratio decimaquarta.

VSURARIUS contractus sicut in antiqua lege toleratus est, ita possit in noua permitti, sed sub certis modificationibus, non quidem vt esset licitus, sed ne deterius eueniret. Exemplum de libello repudij, in antiqua lege permisso, qui nunquam fuit licitus. Sic permittebantur dare ad vsuras, non proximis suis, sed alienis, quamuis super hoc sit varia doctorum locutio, propter verbum Ambrosij. Vnde textus Deuteron. 23. sic habet. Non fænerabis fratri tuo ad vsuram, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alienis. Exemplum prætereà de meretricibus, quæ tolerantur, non approbando quod faciunt, sed non puniendo. Quocirca posset inquiri, si tolerantia talis sufficiat vt vsurarius faciat lucrum supra sortem esse suum, sic quod non teneatur ad restitutionem, licet peccet, sicut meretrix non tenetur ad restitutionem pecuniæ lucratæ per traditionem fœdi vsus sui corpus inuito domino scilicet Deo. Respōsio forte danda esset secundum duplex forum scilicet conscientiæ intrinsecum & extrinsecum duplex, vnum ecclesiæ aliud secularis politiæ.

Consideratio decimaquinta.

VSURARIUS contractus habet fieri principaliter in mutuo pecuniæ. Dicitur enim vsura quasi vsus eris. Mutuum vero dicitur, quia de meo, facio tuum. Et hoc præcipuè contigit in pecunia, in qua dominium & vsus rationabiliter distingui non possunt, quoniam vsus pecuniæ est eius consumptio, & ita dominium transit cum vsu. Propterea manifestatur iniquitas vsurarij quia de pecunia quæ non est sua, sed alterius facta per mutationem suscipit incrementum pecuniæ, quam exigit vltra sortem vel aliud emolumētum ex pacto. Vtrum autem sine pacto conmitteretur vsura saltem in foro conscientiæ distinguendum esset pro varietate casuum & intentionum. Constat enim quod recipiens mutuum tenetur per legem amicitiæ & beneuolentiæ suo mutuanti quandam amicabilem beneuolentiam, quam potest intendere & expectare ille qui mutuum dat, etiam per exhibitionem exterioris boni vel officij, vt quod in casu simili recipiet ab illo mutuum vel aliud amicitiæ bonum. Nec mirum cum in simplici & liberali dono sic inueniatur, dum tamen principalis intentio sit donare, etiam vbi spes redonationis vel redditionis nulla esset. Sic ad propositum de mutuo, vbi nihil sperandum est iuxta verbum Christi, supple principaliter vel ex pacto, quoniā pactum de recipiendo est pecunia mensurabile, & ita mutui contractus inficitur.

Consideratio decimasexta.

VSURARIUS contractus nominatur aliquando talis apud doctores vel populum vel legislatorem, qui propriè & ex suo genere nō est vsurarius. Occurrit exemplum simile de simonia, de qua solet fieri distinctio, quod quædam simonia est prohibita, quia mala, & quædam mala, quia prohibita, quæ distinctio sanum & scientificum requirit intellectum, quia iuxta veritatem nihil est malum, nisi quia prohibitum. Propterea papa non potest facere de non Simonia Simoniā, licet non Simoniam posset punire vel prohibere sub pœna veræ Simonie debita. Sic in proposito dum legislatores attenderunt contractus varios fieri, vendendo vel emendo, locando vel cōmodando

dando in detrimentum reipublicæ, & in fraudem & fauorem vsurarum propriè dictarū, prohibuerunt huiusmodi cōtractus illicitos & perniciosos reipublicæ sub pœnis vsuræ debitis, pręcipue dum satis constat ex operibus de mala & fraudulenta intentione contrahentium, vbi si constaret vel constitisset legislatori de bona & simplici & pura intentione contrahentium, aut non tulisset tales leges prohibitorias, aut à suis legibus istos tales excepisset tanquam verus epykeies & director legis.

Sequitur videre de potestate legislatoris in moderandis contractibus lege positiua sub quinto considerationum quaternario.

Quintus quaternarius.

Consideratio decimaseptima.

IVSTA lege potest institui in aliqua patria, vt nulla fiat vēditio reditualis perpetua, quin possit redimi, vno modo vel alio, ad tempus vel ad semper. Appparet hæc veritas ex dictis in sexta cōsideratione per textum legis antiquæ, quæ tunc vtique fuit rationabilis, & cuius similis potest nouiter institui. Si quis autem dixerit in antiqua lege cautum esse, vt dum redemptio fieret, deducerentur fructus recepti medio tempore, & ita deberet statuere lex iuxta, quæ redemptionem hæreditatis venditę concederet. Fatendum est quod hoc posset attamen si non fiat, nihilominus poterit esse iusta, si pro qualitate patriæ & reipublicæ cum circunstantijs cæteris videatur expedire, vt videlicet succurratur ex vna parte indigentibus pecunia prompta, & prouideatur ex altera parte ne distrahantur hæreditates & instabiles fiant de personis in personas, & de hæredibus ad non hæredes, pręsertim in feudis. Propterea repetitur vt in pluris nullam esse venditionem maximè hæreditariam, quin lege statutum sit vel consuetudine firmatum vt saltem infra annum & diem venditor vel proximus suus possit retrahere pro simili summa, non deductis etiam fructibus interim receptis. Qua in re firmatur vnum dictum prius & memoriter habendum, quod non est de intrinseca ratione venditionis vel emptionis impotentia vel non facultas redimendi.

Consideratio decimaoctaua.

IVSTA lege potest in aliqua patria prohiberi ne fiat in contractu venditionis & emptionis pactum inter partes de facultate redimendi. Posset aliqui prima facie videri repugnantia istius dicti ad præcedens, quia si lex iusta potest dari de facultate redimendi, quomodo non erit fas partibus pactum facere? Sed responsio facilis est si consideretur intentio legislatoris ad prohibitionem talium pactorum personalium, ne videlicet data libertatem abutantur in fraudem vsurariam. Interest enim legislatoris ne quilibet passim abutatur re sua. Vnde & apud paganos etiam philosophos Stoicos nominatim etiam apud Massilienses, qui sentiebant (licet erronèe) hominem seipsum licitè posse occidere propter infortuitum vel euadendum vel cauendum. Lex erat ne hoc quisquā faceret sine iudicio publicæ authoritatis. Sic in

A proposito & similibus multis dici potest, quod aliqua licent lege publica quæ non licent authoritate propria.

Consideratio decimanona.

IVSTA lege potest institui precium rerum venalium tam mobilium quam immobilium, tam censualium quam non censualium, feudalium & non feudalium vltra quod precium non liceat vēditori exigere, immo nec emptori dare maximè priuata voluntate. Cum itaque precium sit in cō-
B tractibus tanquam medium adæquatiuum, & difficile sit tale medium semper inuenire propter affectiones varias & corruptas hominum, prorsus expediens est vt illud medium capiatur prout sapiens iudicabit, sicut loquitur Aristoteles de medio virtutis. Nullus autem debet censeri sapientior quam legislator. Propterea spectat ad eum præcipuè quantum possibile est, iustum precium statuere, quale non licet transgredi priuata volūtate, quæ debet coerceri vel ligari preout reipubli-
C cæ deposcit vtilitas. Et vtinam precia sic omnibus rebus essent imposita, quemadmodum videmus in pane & vino, quod euitarentur altercationes nedum inutiles, sed periuræ & impiæ, quas experimur fieri quotidie inter ementes & vendentes, quod non fieret si vnico verbo & absoluto statim diceretur precium, vt vlna panni tantum valet, modium bladi tantum valet hæc cada vini est huius precij, hic caseus tanti, & ita de similibus, tunc daret precium qui vellet, qui nollet, abiret altercatione dimissa. Difficile est fatemur, sed tā salubri-
D ter factibile apud homines bonæ voluntatis quibus ex hoc esset pax & gloria Deo.

Consideratio vicesima.

IVSTA lege potest institui aut permitti tanquā licitum & expediens in certis casibus pro qualitate personarum, quod fiat venditio & emptio legitima cum expressione pacti de redimendo, & pro certo precio etiam minori quam res emeretur vel venderetur sine tali pacto. Ponamus exem-
E pli gratia, & rei quam agimus, duas aut tres generales circunstantias, quæ non finguntur, sed reperiuntur in multis partibus. Constitutum est à legislatore & consuetudine seruatum in vna patria, quod nemo vendat censum annualem perpetuū, quin possit redimi totiens quotiens. Statutum est præterea certum precium, vt pro denario quindecim. Hoc totum licet, vt patet ex prædictis. Sunt in illa patria sicut esse debent, ecclesiastici plures nolentes mendicare, sed de reditibus in commu-
F ni vel proprio viuere, & hoc vtique licitum est iuxta determinationem Christi & apostoli & obseruationem totius ecclesiæ. Dignus est enim operarius mercede sua. Denique detrahētes ecclesiasticæ dotationi propter hoc damnati sunt vt hæretici, etiam nouissimè in consilio Constantiensi. Et hæc est causa quæ martyrem Thomam fecit. Addamus consequenter sicut res habet, quod nō inueniunt ecclesiastici prænominati possibilitatē per se vel per alios assignationes quorumcumque redituum, nisi facta pactione de facultate redimendi, nihilominus plus cuperēt inuenire si possent, etiam cum maiori precio, cum insuper etiam

simplici intentione vacua ab omni quæstu, nedum vsurario, sed quomodo libet illicito vel illegitimo. Quæritur quid agendum sit apud ecclesiasticos huiusmodi? Si nolint emere propter scrupulum, vel ne videantur dare scandalum in fauorem vsurariorum, ipsi patientur famem, nec subsistent, sed necessario dispergentur, & ita nec missarum nec aliorum obsequiorum diuinorum cultus remanebit. Istud autem inconueniens nullus legislator ecclesiasticus vel sæcularis piè diceret tolerandum, saltem de ecclesiasticis ab antiquo constitutis & approbatis, quorum fundatio seu dotatio & si fuisset à principio sufficiens, delapsa est in diminutionem intollerabilem, nec sua sed temporum malitia. Si verò concedatur quod vtique posset contractus emptionis modo qui dictus est esse licitus, immo legitimus id est lege constitutus, tunc habemus propositum. Resoluentes igitur materiam ad paucos & claros terminos & dimissis ex industria allegationibus vt veritas nudè & apertè se manifestet in pace cordis & in lumine rationis, quod est lumen vultus Dei signum super nos. Cõcludamus ex præmissis quod fas est vnicuique vti re sua prout sua est, patet ex terminis, quia est prædicatio definitionis de definito, vel è contra. Aut sic fas est, & licet vnicuique tanto iure vti re sua prout voluerit in emendo, vendendo, locando, dando, mutuando, &c. & capitur contra abuti. Patet istud ex terminis quia detur casus in quo quis non potest vti re sua, iam respectu casus illius non est sua. Vel sic, fas est vnicuique tanto iure vti re sua, quanto iure res est sua. Vel sic, fas est vnicuique vti re sua sicut voluerit, nisi pateat prohibitio legitima, in quo casu iam res non dicitur esse sua. Hinc ductũ est ab alijs quod nihil tam naturale, quam vt quilibet vtatur re sua. Et fundatur in lege naturali de dilectione proximi, & in his duobus mandatis, quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, & quod oderis ab alio tibi fieri, alteri ne feceris. Nullus enim velle debet quod impediatur ab vsu rei suæ, nisi lex Dei sit ad oppositum in hoc vel in alio casu immeditè vel mediatè. Dicitur immediatè, propter legem euangelicam. Dicitur mediate, propter leges positiuas rationabiliter latas per gerentes vicem Dei.

SECVNDA PARS PRINCIPALIS: QVÆ PONIT CASVM ACTVM *in quodam monasterio exponens circunstantias & singula quæ in emptione redituum peracta dinoscuntur.*

POST materiam de contractibus resolutam per deffinitiones & diuisiones & modos significandi metaphysicales & theologicos vsque ad genus generalissimũ quod est iustitia, & hoc sub viginti considerationibus, descendendum videtur ad particularem casum. Deinde circunstantiæ notabuntur quò facilius & verius possit factum, vel vnde ius oritur sciri. Traditus est autem talis casus. Communitas alicuius terræ licentiam habet à Domino suo de certa impositione facienda super his quæ venduntur infra suos fines, vt pro quamlibet libra duos denarios, & quod super huiusmodi obuentionibus possit certum annuum censum vendere addita tamen facultate redimendi, precium quoque statutum est quindecim, pro vno. Quoddam monasterium emit ab hac communitate, ius recipiendi certum florenos annuatim pro duobus milibus florenorum, in numerata pecunia datis, & adiecta facultate redimendi. Quæstio est, si dictus contractus sit vsurarius, vel alius illicitus.

Nunc igitur circunstantias explicemus.

Prima circunstantia est ex parte ementium, quorum vita rationabiliter præsumere facit, quod non in fraudem vsurarum vel illiciti quæstus vellent inire contractum aliquem scienter vsurarium, etiam pro morte temporali.

Secunda quia parati fuerunt & sunt stare iudicio peritorum, sicut & ab initio & consequenter consuluerunt plurimos, tam in viua voce quam per scedulas & scripturas, quorum fuit consilium, quod licitus erat eis contractus suus, immo fortassis esse potuit quod ille vel similis erat eis debitus, ne desolaretur monasterium, cui succurrere debitum habent, nec aliter inueniunt.

Tertia circunstantia est quod vltra precium solitum per Dominum patriæ constitutum legitimè tradiderunt quartam partem, & quantum dedissent pro redditibus perpetuis. Et supponitur quod augmentum precij fuerit de consensu domini vel verè vel interpretatiuè.

Quarta quod venditio tam efficax fuit ex parte eorum tam in voluntate quam in opere translationis, quod nullam sibi retinuerint facultatem retrahendi precium datum.

Quinta circunstantia est paupertas ementium, immo desolatio si non inuenirent venales reditus, quis mallent esse perpetuos, sed non inueniunt obstante circunstantia patriæ, in qua prohibitum est lege superioris Domini, ne fiat venditio redditum perpetua, sed semper cum facultate redimendi. Sexta quod si vellent procedere vsurario titulo plano vel palliato reperirent pro pecunia data in precium venditionis longè amplior ampliorem censum annualem, vt si posuissent in cambio vsurario mille francos, habuissent centum francos, annuatim vel amplius, vbi non habent pro duobus milibus Francis nisi centum Francos. Et hinc patet neque fraudem vsurariam committere, neque scandalum vt ab alij committatur dare quod bene notandum est. Deinde possent induci ex parte vendentium certæ circunstãtiæ seu causæ pro iustificatione legis conditæ quæ dicta est ne scilicet distrahantur hæreditates, aut ne communitates perpetuis reditibus onerateæ tãdem depereant. Addita est præterea limitatio precij, sicut potuit rationabiliter institui. Data est insuper licentia communitati vendenti de qua loquitur casus, quod imponeret duos denarios pro libra ad euitandum fortassis grauius inconueniẽs de diminutione monetarum, sicut experimur esse grauiorem quam impositiones seu vectigalia, quæ sunt nerui reipublicæ secundum Ciceronem. Amplius non est leuiter præsumendũ, quod vel Dominus patriæ illius vel communitates sint immemores salutis suæ, quin bona intentione & bono fine fecerunt ea quæ fecerunt vel obseruãt, ex quo

ex quo de se non sunt illicita, sed possunt bene & salubriter fieri, quamuis etias possent abusus committi, sed super illis non est habendum iudicium temerariũ per alios, specialiter per ecclesiasticos: Illud Apostoli potius obseruandum est, nihil inquirentes propter conscientiam. Et illud Christi. Nolite iudicare. Et illud iuris. Quilibet pręsumẽdus est bonus, cum similibus multis.

Eliciuntur ex prædictis circunstantijs propositiones quę sequuntur. Et consequenter regulæ sequuntur per modum conclusionum rectificantes emptionem & distinguentes à mutuo pro decisione materiæ.

SEQVVNTVR PROPOSITIONES.

Propositio prima.

PRÆDICTVS contractus non est mutuum, nec per modum mutui. Patet ex quarta circũstantia principaliter iunctis alijs.

Propositio secunda.

Prædictus contractus non habet speciem mutui vel fauoris vsurarij. Patet ex omnibus circunstantijs, præsertim tertia & sexta.

Propositio tertia.

Prædictus contractus non est vsurarius, patet ex præcedentibus & ex vsuræ descriptione, quæ secundum doctores non nisi in mutuo inuenitur. Vnde si fiant alij contractus illicitis modis etiam peioribus quam sit vsura, non tamen vsurarij dicendi sunt.

Propositio quarta.

Prædictus contractus non est illegitimus lege diuina vel naturali. Et ita si debeat illegitimus dici, oportet legem ostendere positiuam irritantem huiusmodi contractum, quæ nondum palam ostensa est, quod si quis dixerit contractum esse prohibitum lege diuina vel naturali, ostendat illud, sibi enim incumbit probatio, sed attendat vbi reperiat. Deinde sequuntur propositiones in casibus alijs particularibus, vnde sumi possunt rationes vel similitudines ad iustificationem nostri casus. Et sit hæc propositio quinta in ordine.

Propositio quinta.

Si quis bona intentione vendere vel emere rem aliquam primò simpliciter deinde dare gratiam quod res vendita vel empta possit retrahi ad tempus, vel ad semper hoc poterit fieri nedum licitè, sed meritoriè. Patet ex terminis, quod si quis dixerit, magnum temporis lapsum requiri vt hæc fiãt, primò venditio, deinde facultas redimẽdi, animaduertat quanta sit celeritas volũtatis humanæ, præsertim in hominibus spiritualibus & abstractis, ita vt cõiũcta realiter possit intẽtionaliter diuidere & preciosum a vili separare, sicut in odio & amore peccantium peccatum separat à peccante, peccans amatur, oditur peccatum quanto magis hoc fieri poterit in his quorum quodlibet per se licitum esse potest, sicut in proposito, & maximè quoad forum conscientiæ & ad Deum.

Propositio sexta.

Si quis præstet pecuniam alicui per mutuum vsque ad certum terminum cum adiectione pœnæ,
A quod nisi soluat in illo termino, obligabitur soluere pecuniam vltra sortem, hoc in casu poterit bona intentione & charitatiuè fieri & pœna recipi. Patet in censibus pluribus talis pacto soluendis. Est autem bona intentio, si mutuans mallet habere pecuniam suam in termino quam alter incurrat pœnam in differendo, quia forte tunc indiget pecunia sua, & remanere vult indemnis.

Propositio septima.

Si quis necessitate compellatur recipere ad vsuram aliquam pecuniam, ne forte damnificetur in
B quadruplo vel in rebus siue in vita, talis potest sine peccato recipere ad vsuram. Doctores in hoc cõueniunt, saluantes quod mutuum recipiens non communicabit cum vsurario in peccato suo. Et ita erit hic contractus vsurarius, & vsuræ peccatum in vno tamen contrahente. Notetur declaratio per simile ad diuinam prouidentiam, quæ bene vtitur malis alienis. Si autem ex hac radice & prioribus possit iustificari casus noster ex parte ementium, quicquid fuerit de vendentibus, po-
C terit intelligens iudicare.

Propositio octaua.

Si quis vendat bladum vel vinum vel aliquid huiusmodi ad credentiam pro maiori precio, quam esset venditurus in prompta pecunia, & hoc faciat ex syncera & pia intentione succurrendi proximo, non vexando eum, quin mallet minorem promptam pecuniam, non videtur contractus illicitus esse vel vsurarius in foro conscientiæ. Patet ex lege charitatis & ex iure dominij.
D Nisi forte diceretur quod superior lex inualidauit omnes contractus tales propter speciem mali vel sequelam, sicut non est in potestate cuiuslibet transferre pecuniam suam in alterum per sortem taxillorum propter huiusmodi inualidationem & ita diceretur de multis contractibus. Quia (sicut dictum est) decisio finalis vnde aliquid dicitur meum vel tuum, dependet ex legibus nedum diuinis, sed positiuis. Propterea consilium habendũ est nedũ à theologis, sed à canonistis, qui si discor-
E dare videantur, lex euangelica seu theologica tãquam architectoria, iudex erit vel epikeies seu gnomica vel interpretatiua. Rursus addantur propositiones duodecim facientes ad elucidationem tam casus propositi, quam aliorum in materia contractuum, si prius hanc regulam ex prędictis elicuerimus. Contractus qui de suo genere & ex circunstantijs debet esse gratuitus sicut est mutuum non inficitur si recipiatur aliquid velut vltra sortem altero quatuor modorum videlicet si fiat aut pro salutatione sui interes-
F se, aut pro negligentiæ punitione, aut gratia beneuolentiæ, aut pro sola propriæ vexationis redemptione.

Propositio nona.

Censualis contractus de se & de suo genere licitus est in multis casibus. Patet in fundationibus ecclesiarum. Patet in concessione quam quis facit de re sua. Patet cum aliqua ecclesia eximitur à iurisdictione episcopi. Patet ex vsu quotidiano. Patet denique per confessionem aduersariorum, qui leges suas & iura ad hoc multipliciter introducũt. Sed omittitur allegatio, quia nescientibus leges

& canones vana esset, scientibus autem superflua vel arrogans videretur, maximè cum non sit præsens intentio aliena dicta carpere contentiosa argumentatione, nec positiuis iuribus principaliter inniti, sed diuinis.

Propositio decima.

Censualis contractus si fiat ad vitam, non ex eo redditur de se & ex suo genere vitiosus. Præsupponitur autem quod & intentio sit recta, sicut esse potest conformiter ad legem diuinam & precium conueniens iuxta patriæ mores & leges, attento quod ibi est probabilis incertitudo lucri vel damni, quam iuristæ multum notant.

Concurrunt etiam conditiones venditionis & emptionis quoniam pecunia est precium quod vendens recipit. Ius autem recipiendi annuatim certum reditum in pecunia vel aliare pecunia mẽsurabili, est ibi merx. Secus forte esset si censualis reditus annualis futurorum annorum simul ei statim solueretur, vbi fraus esse potest. Concurrit hæc eadem ratio pro iustificatione redituum perpetuorum, quia non simul eueniunt. Res autem minus valet dum expectatur in longum, quam dum præsens obtinetur. Dicunt igitur concedẽtes hanc partem, mirum videri si possunt licitè emi redditus in perpetuum, & nequaquam ad tempus vel ad vitam, cum ibi possit esse verus venditionis & emptionis contractus iuxta considerationes primæ partis.

Propositio vndecima.

Censualis contractus propter spem lucri maiorem vel probabiliorem in vno contrahentium quam in altero, non ideo redditur vitiosus. Fertur hoc esse legis authoritas allegata etiam per canonistas, quod res tantum valet quantum vendi potest, & quod licet in contractu se decipere, sed theologi quibus ad certam regulam loqui fas est, nomen deceptionis pro licito non libenter assumerent conueniunt tamen in hoc quod non omnis excessus lucri vel damni reddit lucrantem & lucrari sperantem reum peccati præsertim mortalis, alioquin non salua esset omnis caro. Attento quod æqualitas iustitiæ commutatiuæ de re ad rem, sicut de pecunia ad pecuniam in cambio, vel de precio ad precium, non est punctualis vel indiuisibilis, sed multam habet latitudinem, infra quã potest magis vel minus dari de precio sine iustitiæ læsione, immo & sæpe sine restitutionis obligatione. Quamuis de restitutione varius apud doctores sit sermo, dicentibus aliquibus quod nisi sit defraudatio vltra medium iusti precij, defraudans non tenetur ad restitutionem. Et in hoc satis concordant omnes dicentes verum esse in foro exteriori propter irritationem legislatoris, sed de foro conscientiæ nulli dubium quin defraudans tenetur confiteri. Vtrum autem obligetur restituere, non est ita clarum nec concordatum apud omnes præsertim theologos. Non enim videtur necessarium quod vbi concurrunt mutuæ voluntates vendentis & ementis vt res suas commutent in alterutrum quod furtum committatur vel rapina, iuxta illud: Scienti & consentienti non fit iniuria neque dolus, præcipuè dum sciens & volens est sui iuris in sua re, quod dicitur propter pupillos & similes. Et dum consensus non est lege irritatus sicut in deceptione vltra medium iusti precij. Si præterea consensus sit absolutus non solum conditionalis aut secundum quid, sicut Aristotel. loquitur de proijciente mercesin mare, & de consensu metu mortis extorto, aut per errorem fraudulentum inducto, quoniam ignorantia causat inuoluntarium, vel in toto vel in parte.

Propositio duodecima.

Censualis contractus non videtur ex eo reddi de suo genere vitiosus, quia redditur de nouo; vel propter hoc quod constituitur in rebus vel personis alijs à persona contrahente, puta quia dicit emptor. Tu constitues tales redditus in tali possessione vel seruo. Stante enim simili intentione nihil videtur referre an census sit iam constitutus, vel de nouo licitè constituitur. Vt si nouiter redditus aliquis perpetuus emitur, refert si statim cõstituatur census annuus decem florenorum plus quam si modo statutus post decem annos alteri cõtrahenti venderetur. Exemplum aliud, si communitas aliqua authoritate sui principis mota rationalibus causis constituit certam impositionem super rebus vendendis infra terminos suos quid refert si statim eodem contextu constituant centum florenos annualis redditus super huiusmodi impositionibus vel si faciant hoc lapso decennio. Et quoniam in hac materia & similibus secundũ dictũ Augustini: Tene certum & dimitte incertum conscientias multorum præsertim simplicium & timoratorum scrupulis varijs inquietat, molestat & in perplexitatem quandam trahit additur sequens propositio.

Propositio 13.

Argumentum sumptum ex consilio, vel dubio vnius doctoris, quod in vllo dubio contrahere sit peccatum mortale, non est efficax, sed temerarium & negandum.

Oportet enim in certitudinem esse non tantummodo scrupulosam, leuem & formidolosam, sed valde probabilem priusquam agere ea stante peccatum mortale iudicetur. Sic enim dictum sapientis intelligitur: Qui amat periculum, peribit in illo. Itaque non quodlibet dubium facti sufficit ad causandum peccatum mortale, si quid agatur illo dubio stante, ergo ne quodlibet dubium iuris. Assumptum patet in casu cuiusdam decretalis. Si mulier vxorata incipiat per nouam informationem dubitare an attineat viro in gradu prohibito, quo dubio stante quærat vir debitum, quid aget vxor. Si neget est in casu transgressionis iniustæ si non attineat viro suo, si concedat, est in peccato mortali luxuriæ. Ponatur alius casus qui est creberrimus, quod dubium sit apud doctores aliquos ex vna parte quod hoc debeat agi, dicentibus alijs in pari numero, quod oppositum fieri debet, sicut in facto schismatis contendentium de papatu sæpe fuit. Rursus in materia fidei cum doctores dissentiunt, licitum est ante determinationem ecclesiæ sæpe tenere vnam partem vel alteram. Rursus induci potest materia insolubilium, vt si Titius iuret se accepturum Bertam in vxorem, si primum verbum quod dixerit, fuerit verum, & nullo modo accipiet si fuerit falsum.

Tunc

Tunc dicat hanc solam propositionem, tu non accipies me in vxorem, quæritur quid aget Titius? si accipiat, periurus est, quia Berta dixit verũ. Sed hæc & similia dimittimus exercitio logicorum, dicentes quod probabilis certitudo sufficit in moralibus, vt non exponat se quis periculo, vt dicunt doctores de celebrante missam & similibus, vbi requiritur status gratiæ, quod sufficit ad hoc probabilis coniectura. Quia certitudo alia sine reuelatione non habetur, prout in moralibus dicit Aristot. sumendam esse certitudinem grossè & figuraliter, quæ certitudo non remouet in vna parte omnem probabilitatem vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad istam vel ad aliam, quod sufficit, immò scrupulosis & formidolosis conscientijs sæpè consilium est in oppositum agere, præsertim ex imperio & consilio doctorum.

Propterea consilium est quod in materia morali non ita leuiter asseratur aliquid esse mortale peccatum, dum aliquis doctor dat consilium super aliquo actu quod non fiat, maximè dum plures alij posse fieri bene dicunt, aut quod cadit sub dubio, prout in casu nostro notatum est. Vbi patet qualem labyrinthum conscientiarum timoratarum incurrimus, si quælibet opinio vel consilium doctorum sufficit ad incertitudinem faciendam, cum frequenter opiniones nedum variæ, sed aduersæ sint inter doctores, nunc propter passiones animorum, nunc propter varios aspectus circunstantiarum, modò illarum solum, modò aliarum, modò omnium, vnde ortum est illud comicum. Quot capita, tot sententia.

Denique consilium est quod non ostendantur tales scripturæ variæ cõscientijs simplicium, quoniam inde nihil proficiũt nisi ad maiorem inquietudinem conscientiæ. Sufficiat eis consilium suorum superiorum, nec in talibus legendis aut discutiendis occupent se. Postremò iuxta prædicta sumendus est intellectus Augustini, dum ait: Tene certum dimitte incertum. Superiores verò studeant prouidere pacificæ securitati subditorum, nedum per consilium iurisperitorum scriptis aut verbis, sed efficacius per authoritatem summi põtificis, vt vel tollat vel moderetur vel interpretetur dubias tot perplexitates & positiuis constitutionibus ortas, aut saltem det facultatem absoluendi transgressores superioribus monasteriorũ & Ecclesiarum, vt quando dederit Dominus spiritum compunctionis, inueniant promptum remedium, & non in desperationis præcipitium ruant, pro difficultate Papam vel suam curiam adeundi.

Propositio decima-quarta.

Argumentum sumptum ex illa regula, quod vbi est eadem ratio, debet esse eadem iuris decisio, non concludit in constitutionibus positiuis, nisi facta sit vtrobique similis constitutio. Pro cuius intellectu est rememorandum, quod in agibilibus aliqua sunt quorum ratio dependet immediatè & clarè ex primis principijs moralibus. Alia sunt sic elongata quod non apparet ratio agibilitatis plus in vno quam in altero, nisi superueniat authoritas constituentis & determinantis istã partem plusquàm alteram, vbi tunc locum habet illud satyrici: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Quemadmodum respondent grãmatici interrogati, Cur istud vocabulum sic aut sic significat? quia sic placuit impositori. Et profectò talem in operibus Dei sæpè oportet nos dare responsionem. Nũc ad propositum, stat quod duo contractus videantur similes & ad similes effectus bonos vel malos inducentes, & tamen vnus erit lege prohibitus, & alter concessus vel permissus. Exemplum in contractibus, constat quod in venditionibus perpetuorum redituum possunt prouenire plura dãna & depaupertationes per abusum vendentium vel ementium, quam sæpè veniant per mutuum cum exactione leui supra sortem, & tamen primus concessus est legibus, alter prohibitus. Et ita de pluribus sine numero iuribus positiuis. Quamuis posset assumpta regula concedi in forma, quia iam non erit eadem ratio pro decisione iuris, si vnum sit lege constitutum, alterum non, facit enim disparitatem authoritas.

Propositio 15.

Argumentum fundatum in illa regula, dum aliquid vna via prohibetur, & altera, non concludit nisi dum probetur ipsum factum, & non sola via. Exemplum ponatur tam in materia simoniæ, quam vsuræ. Martinus sacerdos vult lucrari decem francos, & Petrus etiam. Martinus recipit illam summam pro sustentatione vitæ suæ, Petrus recipit tanquam precium suæ missæ. Sicut voluit emere potestatem dandi spiritum sanctum, vt inde lucraretur. Martinus iustè habet decem francos. Petrus iniustè. Vbi manifestũ est quantum operetur intentio & directio cordis, vt aliquis euitare possit faciliter simoniam cum pari seu maiori lucro temporali, quam per damnatam simoniam.

Exemplum in contractibus. Petrus habet centum libras piperis vel alterius mercis, vendit consueto precio pro centum francis, hæc est pura vẽditio, non vsuraria. Ioannes emptor volens habere promptam pecuniam petita dilatione solutionis à Petro, vendit alteri mercatori statim suũ piper emptum pro minori precio statim habẽdo, vt pro 80. francis, sicut sibi licitum est. Constat quod per istos duos contractus Ioannes venit ad similem effectum sicut fecisset per immediatum contractum vsurarium, quia habet 80. francos promptos pro centum ad credentiam. Concedendum est tamen quod in istis cõtractibus quorum quilibet est emptio & venditio vtrobique de se licita potest interuenire fraus in fauorem vsurarum peior, quam sit vsura de suo genere, non vsura tamen propriè dicta.

Vnde concluditur sicut prius quantum sit in contractibus intentio ponderanda, præsertim in contractibus non prohibitis expressè per legem positiuam in se vel in suis circunstantijs, quia tunc intentio bona non sufficit ad rectificationem talis actus cum suis circunstantijs prohibitis, vbi tamen posset rectificatio fieri in aliquo simili contractu non prohibito iure positiuo in eadem vel alia patria vel circunstantijs variatis.

Propositio 16.

Argumentum sumptum ex tolerantia Papæ vel Ecclesiæ vel ex consuetudine & præscriptione &

abolitione locum habet in constitutionibus positiuis vt positiuæ sunt, & non in purè naturalibus & diuinis. Ad habendum verò plenam huius propositionis intelligētiam, necessaria est cógnitio quid sit de iure purè positiuo, quid de iure diuino & naturali. Cuius rei ignorantia vel inaduertentia conturbationem inuolutam & perniciosam in doctrina iurium sæpe facit. Sed quantum sufficit ad præsens (quia alibi traditum est) constat quod per easdem causas res ipsa dissoluitur, per quas opposito modo se habentes exorta est. Constat præterea quod leges positiuæ tunc solum instituuntur cum promulgantur, & vim obligationis habent, dum moribus vtentium approbantur.

Dicamus igitur quod vbi Papa vel Ecclesia vel legislator sciunt quod constitutiones suæ vel non publicantur, sed dantur obliuioni, vel non approbantur moribus vtentium, sed passim fit in oppositum constitutiones illæ desinunt habere vim obligationis tanquam abolitæ per non vsum vel consuetudinem oppositam, quæ est non legum omnium, sed positiuarum optima interpres. Alioquin tolerantia Papæ vel legislatoris esset sibimet repugnans & populis noxia, si vellet quod leges suæ haberent vim obligationis, & tamen illas neque publicaret neque exequi mandaret. Fundantur in hac radice abolitiones constitutionum, quasi sine numero positarum in decretis, quæ etiã traditæ sunt in consilijs generalibus, vt de ieiunãdo quinquagesimam, vel diem sabbati, vel quod sacerdos celebrans habeat duos assistentes, immò plus quod nullus præsumat eligere confessorem, nisi cum certa authoritate, cum tamen passim quilibet sacerdos secularis audiat in cõfessione alterum sacerdotem, quia sic est (vt dicunt) consuetudo quæ si dicatur corruptela, vix apud sacerdotes erit salutis status, quid præterea de tot constitutionibus & regulis positiuis traditis pridem, & non obseruatis, nunc in religionibus, nũc in Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis nunc in vniuersitatibus & communitatibus, nunc in ipsis etiam iuribus pœnalibus diceretur. Nisi velint assertores oppositi absque vlla miseratione homines de omni statu præcipitare per laqueos transgressionum, in damnationis interitum cum suis prælatis atque rectoribus, si cum tanta austeritate faciant arctam viam Domini, & prægrauent intolerabili iugo ceruices subditorum. Verũ de hoc alibi latius.

Propositio 17.

Lex ciuilis tolerans vsuras aliquas, non ideo semper dicenda est contraria legi diuinæ vel Ecclesiæ.

Posset hic fieri declaratio quid spectet ad legem ciuilem, & quid ad canonicam, & quid ad theologicam, super qua re alibi traditum inuenitur. Quantum verò spectat ad præsens, satis est dicere quod legislator ciuilis attendit consistentiam reipublicæ ad consecutionem pacifici conuictus inter ciues, vt quod non fiant furta, rapinæ, homicidia, & cætera humanum conuictum turbantia. Sed quia frequenter effrænata nequitia non potest ex toto compesci, agit more prudentis medici, tolerat minora mala, vt peiora vitentur. Datum est iam exemplum de meretricibus, & in antiqua lege de libello repudij, & de vsuris dandis
A alieno, sicut est textus Deuteron. 23. iam allegatus & 28. Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipiens. Apparuit autem minus malum quod vsuræ leues fierent pro succursu indigentium, quam vt inducerentur per indigentiam furari, rapere, aut passim distrahere sua bona mobilia vel immobilia vilissimo precio, cum damno longè maiori quam esset moderata receptio sub vsuris. Nec inde Iudæi viuerent in otio per oppressionem incredibilem Christianorum quibus fœnerantur. Constat autem quod
B hæc tolerantia consona est dictamini naturalis rationis, immò & diuinæ legis, præsupposito peccato. Constat præterea quod Papa sicut non est immediatus Dominus bonorum temporalium, præsertim laïcorum, sic non debet passim irritare leges vtiles pro dispensatione talium honorum constitutas, vtiles inquam ciuiliter licet fiant cum peccato, quod impedit quoad finem beatitudinis consequendæ. Sufficit quod Papa vel Ecclesia significent vel prædicent tales contractus illi-
C citos esse de iure Euangelico & in foro conscientiæ. Si autem vltra voluerit Papa procedere per irritationem etiam ciuilem omnium huiusmodi contractuum per pœnam excommunicationis & aliter, sicut videtur fecisse in quadam constitutione & concilio generali, nõ est nostrum os ponere in cœlum. Supponimus bonis rationibus & circunstantijs motum esse, & nolle moderationibus vtilibus obuiare.

Propositio decima-octaua.

D Lex antiqua prohibens, Iudæis vsuras proximis suis, sed de alienis concedens, inuenitur apud doctores habere multiplicem intellectum. Dicentes enim sic vsuram esse illicitam quod nullo modo potest bene fieri, sicut nec mendacium, ponunt consequenter Iudæos peccasse dando alienis ad vsuram, & quod Deus sufficienter edocuit eos super hoc per viros eleuatos & propheticos, commendantes eos qui pecuniam suam nõ dant ad vsuram, sicut in Psal. & in Ezechiele. 28.
E Non plus loquendo de proximo quam de alijs, quia etiam omnis homo cẽsendus est noster proximus. Exponunt vlterius quod dum permittitur Iudæis Deuteron. 28. pro benedictione quod fœnerabuntur extraneis, fœnus hic accipitur pro superabundantia, non pro vsura. Vel dicũt quod recipiendo vltra sortem, non recipiebãt nisi rem quæ aliunde erat suæ, propter tyrannidem occupantium terram suam, sicut mutuati sunt vasa ab Ægyptijs. Pro quo dicunt facere verbum Ambrosij, quod licet eos opprimere vsuris, quos li-
F cet interficere. Sed super hoc quia iam aliqua notata sunt parte prima, & nimia subtilitas non est semper expediens in moralibus discutiendis, propter abuti volentes: hæc tetigisse suffecerit, & dicere pro regula. Quod omnis contractus qui ex suo genere vel ex circunstantijs debet esse gratuitus, si interueniat pactum de recipiendo vltra sortem, efficitur vsurarius, sicut est in mutuo & commodatione. Et propriè solus talis vsura nominatur.

Propositio decima-nona.

Lex humana statuens nullos redditus posse vendi

vendi nisi cum facultate redimendi, nõ facit quod contractus aliundè licitus sit vsurarius, aut solum pignoraticius, aut quod in redemptione debeat fieri fructuum perceptorum deductio.

Ponamus itaque reditum vel fundum perpetuum, quem prius licebat emere pro mille francis. Accedat lex dans in contractu simili facultatem redimendi, qua non obstante datur simile precium, immò fortè maius: qualis quæso posset in hoc casu esse ratio contractus vsurarij, aut quod in redemptione percepti fructus debeant deduci plusquàm si in priori casu fieret vẽditio redituum perpetuorum post perceptionem fructuum decẽ aut viginti annorum.

Non est æstimandum quod legislator aliquis (sit princeps, sit communitas, sit prælatus) vellet tali modo omnes contractus redere vsurarios, & claudere viam hominibus, præsertim Ecclesiasticis, quod non possent vti rebus suis, nec habere sufficientem pro Dei seruitio celebrando sustentationem. Alioquin lex esset nedum stulta, sed impia, nequam & sacrilega, & ex consequenti per Papam & Ecclesiam cum omni seueritate tollenda. Sed non est ita præsumendum de legislatoribus & intentione sua, quin vellent etiam quandoque minus precium dari vel statui propter illam facultatem redimendi. Quocirca possunt tam ex præcedentibus quam ex modo dictis notari vel elici morales quædam regulæ.

Prima regula. Omnis contractus quo licitè venduntur vel emuntur reditus perpetui, potest similiter esse licitus, si eodem contractu similiter se habente, detur facultas mutua redimendi, præsertim in foro conscientiæ.

Secunda regula. Omnis contractus qui ex suo genere debet esse gratuitus, potest ex circunstantijs quandoque effici licite nec debitus, nec gratuitus, mutando speciem in genere moris, vt de commodatione potest fieri locatio. Super his autem vnctio, lex & ratio iudicabunt.

Tertia regula. Omnis contractus qui ex suo genere vel circunstantijs non recipit quod sit venditio vel emptio ad perpetuum, non videtur securè fieri, interueniente pacto de facultate redimendi, & hoc maximè in foro exteriori, secus est in locatione & conductione, quæ fieri solent ad tempus.

Quarta regula. Omnis contractus suspectus habetur, si appareat intentio probabiliter mala in contrahentibus, vt quia negociationem solã mercennariam, aut quæstum lucri turpis intendunt. Iuxta quod ponitur vicesima & vltima propositio principalis.

Propositio 20. in ordine.

Lex carnis contraria legi spiritus, ac perinde tyrannica, infectum habens & tenebrosum cordis oculum per cupiditatem & auaritiam, faciliter inducitur in tentationem & laqueos diaboli, quos sibimet multiplicat & inquirit per deuia contractuum. Legimus hoc proh dolor in experiẽtiæ libro, & in scriptis doctorum, qui perplexos cupiditatis modos vix sciunt euoluere, quibus se malignis adinuentionibus circumuoluit, iunctis maximè tot excommunicationis sententijs. Accipit insuper de rectè dictis & factis bonorum scã-

A dalum sibi & offensionem, quamuis scandalum tale sit à rectè docentibus & ambulantibus contemnendum, quia non datum est, sed nequiter acceptum, quare dicebat Christus scandalum esse Pharisæorum. Non enim minus agerent quæ agunt si cæteri quiescerent. Abijcienda est ergo auaritia, vt mundus simplex & lucidus haberi possit intentionis oculus in cordis directione secundum regulas iustitiæ, quas sæpè magis doceat vnctio quàm ratio. Orandus est idcirco Deus, & cum Psal. dicendum. Inclina cor meum Deus

B in testimonia tua: & non in auaritiam: Cuius verbi latentem energiam expertus est pridem vnus prout eodem teste cognitum est, qui cum dominica quadam in ramis palmarum auaritiæ morsum repente in corde sentiret, ipse collecto in fide & spe deuotionis spiritu, defigens in imaginem crucifixi, veluti in serpentem. Moysi mysticum rationis oculum, profundius ingemiscens silenti desiderio clamauit. Inclina cor meũ Deus in testimonia tua, & non in auaritiam. Nec frustra, mox enim sensit à corde velut à quadam in-

C trorsum manu refellente negotium auaritiæ perambulans in tenebris eijci. Eijciat & à nobis auaritiam Deus, vt auertat (iuxta propheticum sequens votum) oculos nostros ne videant vanitatem, sed veritatem, quæ vanitatem exufflat, & absconsas errorum decipulas producit in lucem.

Possumus autem in hac luce veritatis superaddere moralia quædam consilia, ne subintret apud Ecclesiasticos spiritus auaritiæ, tanto

D nequior, quanto palliatus & obumbrantes accedit sub specie non commodi proprij, sed communis. Tutius esse videtur apud Ecclesiasticos viuentes ex dotationibus fidelium, quod recipiant redditus iam assignatos, quam pro nouiter emẽdis numeratam pecuniam.

Tutius insuper esse videtur apud Ecclesiasticos viuentes ex dotationibus, pauciores esse in numero monasteriorum vel personarum vel Ecclesiarum collegiatarum, quam subire nimias sollicitudines & periculosas anxietates in corpore & a-

E nima, in reditibus comparandis & augẽdis, maximè si speciem vsurariæ vel simoniacæ prauitatis apud simplices habere videantur, vt si fiant de pecunijs collatis probabiliter venientibus ex rapinis, furtis, vsuris, & extorsionibus publicis nisi fieri constet hoc propter restitutiones incertas & vagas. Tutius est præterea apud Ecclesiasticos recipientes vitæ necessaria, vt obsequio diuino deseruiant in missis & obitibus celebrandis, quod eorum intentio non sit obligare se nisi quantum

F & quousque obuentiones datæ suffecerint pro suæ vitæ sustentatione competenti, vt vnctio & ratio iudicabunt.

Tutius ad extremum esse videtur (& si non fortè necessarium, sed iure supponendum) apud Ecclesiasticos viuentes (vt dictũ est) quod suã intẽtionem ita regulatã exponãt suis benefactoribus, fundatoribus & sustentatoribus, qui si ex syncera charitate, & non pomposa vanitate procedunt, non retrahentur à proposito suo, & perfectius apud Deum merebuntur. Nihilominus cõpatiendum est humanæ fragilitati, quæ rarò producit

granum virtuosæ charitatis sine multiplici palea vanitatis. Quod sub alia metaphora notauit Esaias dicens. Omnes iustitiæ nostræ tanquam pānus menstruatæ. Propterea non ex operibus iustitiæ nostræ, sed ex sola Dei gratia salus nostra.

TERTIA PARS QVÆ SEQVITVR, POSTILLAT QVENDAM TRA-*ctatum conscriptum in materia contractuum in Valentia Arrogoniæ per vnum doctorem Canonicum super his casibus qui incipit. Contractus quidam eo quod idem videtur habere zelum reipublicæ excessiue.*

POTVERANT pauciora etiam sufficere quam scripta sunt sub duplici partitione pro decisione casus traditi in materia contractuum, eorum præsertim quibus & pro quibus scriptus est statu pensato. Verum succreuit ex agitatione solius recordationis præcognitorum in lumine rationis feruor inspectionis nouæ, doctorum nedum theologiæ, sed & iurium. Et venit in mentem dictum triplex præclarissimæ memoriæ præceptoris mei Domini. P. Cardinalis Cameracensis. Expertus sum, inquit, dum in allegationibus iurium mihi veritas impugnari videbatur, si dimissis glossis super glossa recursus mihi fiebat ad nudam textus litteram: mox apertior patebat intellectus fauentibus hoc idem & mirantibus allegantibus in aduersum.

Alterum eius dictum post determinationem quam aduersus symoniam celebriter fecit, hoc fuit. Homines inquit si dirigerent intentionem suam in spiritualium datione vel receptione, multi sunt symoniaci qui non essent.

Tertium eius dictum est illud, super contractibus humanis qui præsupposito peccato sunt naturales atque necessarij, non debet leuiter reprobatio fieri seu restrictio vel ad vsurariam prauitatem reductio. Mouit me pluries dictum secundum loqui & scribere qualis esset habenda directio cordis in actibus tam dandi quam recipiendi spiritualia. Quinetiam dum fieret in consilio Constantiensi querela de tollendo symoniam, similiter & vsuram tanquam pessimas in Ecclesia pestes, motus ex hoc sæculo & ex tertio dicto, exclamare nonnunquam coactus sum. Deus æquissime, quis nesciat & symoniam & vsuram modis omnibus extirpandas esse? Sed primitus declarandum sub quibus casibus & qualibus intentionibus propriè dicta symonia vel vsura cōmittitur: ne damnetur iustus cum impio ne præterea dotationes Ecclesiæ & obuentiones omni iure debitæ pęnitus eneruentur, quasi sint (vt vulgus insipiens & malignum, & prout hæretici criminantur) symoniacè, aut ne similiter detur vsuræ titulus iustis & necessarijs contractibus.

Nunc autem induxit me dictum primum vt curiosius litteram quarumdam allegationum proprio considerarem intuitu, ne sine lege (vt aiunt) loqui videremur, vnde factum est vt ex allegationibus clarius eniteret pars prima iuuantibus ad hoc theologicorum libris doctorum.

Redeat igitur ad discussionem tractatus vehe-
A menter inuectimus contra censualistas. Sic enim nominat vtentes contractibus in casu proposito vel simili: & incipit. Contractus quidam, &c. Cæterum author non nominatur, nec opus est.

ARGVIT primitus pro parte quam absque vlla dubitatione dicit esse falsam & pessimam: nos vero veram & licitam: ita tamen si conueniamus in casu cum circunstantijs nostris. Contractus inquit venditionis & emptionis est
B de iure gentium, & vtroque iure canonico & ciuili pro licito habitus. Sic est in isto contractu, quia constituitur certus reditus annuus qui est merx ponitur etiam certum precium, & sic sunt ibi substantialia quæ complent contractum emptionis & venditionis. Allegat ad maiorem & minorem, sicut ibidem potest inspici. ff. &c. in legibus.

Rursus secundo arguit in effectu, dimissa prolixitate verborum. Prædictus contractus non est mutuum, ergo non est vsurarius. Probat conse-
C quentiam per diffinitiones vsurę datas à doctoribus, quod est lucrum proueniens ex mutui contractu. Rursus tertiò notat allegationes plurimorum doctorum pro parte censualistæ, sed quia dicta non ponit, nihil hic elici potest certum nisi libris inspectis, & ex his quæ dixit in solutione istius rationis, sunt glossæ suprà cap. Constitutus de religio. domibus. Rursus quarto sumit quod præstationes sunt approbatæ: nec reputantur vsurariæ, ergo inquit, ita dicendum erit de præstatio-
D ne annua proueniente ex dicto contractu censuali. antecedens probat per multiplicatas allegationes, sed consequentiam vbi nodus iacet, linquit vt claram, nec allegat quod euidēter pro nobis est. Rursus quinto, annua pensio potest imponi de nouo per titulum gratuitum, puta per titulum legati, & eadem ratione per titulum donationis inter viuos ergo multo fortius potest imponi per titulum onerosum, puta per titulum emptionis & venditionis. Probat consequentiam quam concedimus, per multa iura, & consequens
E similiter.

Rursus sexto descendit specialiter ad contractum qui dicitur, ad vitam, iustificando illum ex dubio & periculo quod imminet circa vitam per argumentum de vsuris cap. in ciuitate, & cap. nauiganti. & istud similiter concedimus viso textu. Rursus septimo produxit ad idem probandum glossam Hostien. in summa de vsuris quæ sententialiter licitam dicit esse venditionem rerum ad vitam certæ personæ vel personarum, ratio-
F ne incertitudinis, etiam si emptor inde lucraretur.

Rursus octauo non per modum rationis, sed inuectionis contra censualistam, dicit eum videlicet inniti tolerantiæ vel dissimulationi Romanæ Ecclesiæ tanquam valido fundamento.

CONsequenter descendens ad partem oppositam quæ secundum eum indubiè vera est, & diuino iudicio conscientiæ ocio & rationis dictamini audacter concordans, & ita determinat idipsum de quo facit quæstionem.

Primum fundamentum ponit, quia vbi est eadē ratio,

ratio, debet esse eadem iuris decisio: sed eadem ratio prohibitionis quæ est in vsura aperta & manifesta, occurrit etiam in dicto censuali contractu: igitur, &c. Deduxit vtrámque partem per rationes, exempla & dicta doctorum, super quibus in responsione aliqua tangemus.

A

Secundum fundamentum sumit ex glossa magna Domini Innocen. de vsuris. cap. in ciuitate, quam inserit & postillat & ex ea concludit conclusionem vnam sub hac forma. In casu quo pertinaciter teneretur, quod ideo Innocētius vsus est verbis consilij, quia dubium sibi erat an cōtractus esset illicitus vel non, etiam in tali dubio fidelis Christianus de necessitate salutis tenetur à tali cōtractu abstinere: nam in tali dubio contractum ipsum iniens, discrimini se supponit, & sic mortaliter peccat. Deinde nititur iustificare contractum ad vitam, dicens non sufficere dubium seu periculum quod imminet ad iustificationem.

B

Deinde obijcit contra se in quarta cōclusione, quod Innocentius locutus est de facultate redimendi. Et respondet quod verum est: sed magis improbasset si hoc intellexisset. Multis autem omissis placet inserere glossam Innocentij & admittere diuisionem illius quadrimembrem, ad quam discutiendam postmodū reuertemur: quia nisi fallat animus, multum pro nobis est glossa Innocentij.

C

Prima pars.

Ex hac decretali (inquit Innocentius) satis innuitur quod si aliquis pro certa pecunię quantitate emeret aliquem redditum grani vel vini, vel alium consimilem redditum, perpetuo sibi & suis hęredibus dandum, à venditore & suis hæredibus vel etiam ad certum tempus, vel ad tempus vitæ alicuius, quod licitus est huiusmodi cōtractus, dum modo redditus annuus communi æstimatione non excedat reditum quem haberet vel habere posset, si terram de tanta pecunia emisset. Quidam tamen dicunt quod quando in perpetuum emit, quod nunquam potest esse illicitus contractus quantumcunque sit magnus redditus respectu precij, quia licet in contractibus se decipere. ff. de mino. in causæ. 3. §. fi.

D

Secunda pars.

Alijs videtur & fortè melius, quod si quis emit redditum constitutum ante contractum vel actionem venditam, siue constitutus fuerit in re, puta in domo vel possessione vel alijs huiusmodi, siue in persona, puta serui vel liberti vel rustici vel actio vel nomen. Item siue sit certus redditus puta quia reddit decem, siue incertus, puta quia reddit quartam partem fructuum qui percipiuntur de aliqua domo vel de opere alicuius personæ. Item siue sit perpetuus contractus, puta quia extenditur ad hæredes vtriusque contrahētium, siue sit ad vitam hominis: siue sit ad certum tempus: puta vsque ad quinque annos. Item non refert si redditus sit in pecunia, siue in alijs rebus, siue in facto, semper in omnibus præmissis reputant contractus licitos, quia est ibi purus & licitus contractus venditionis, nam est ibi precium scilicet certa pecuniæ quantitas. Item ibi est merx scilicet certus redditus, vel canō, vel annona. C. de Sacro-sanct. Eccles. iubemus in princip. in authen. de reb. Eccles. non aliæ.

E

Item actio. cap. hæredibus vel acquir. per totum. Sed his videtur esse contrarium quod dicit hæc decretalis, quia non est dubium quod vsque ad illud tempus scilicet longum, plus percipiet de reditu quam sit precium, & in actione constat, quod plus est in nomine quam sit precium. Solutio licet certum sit quod vsque ad 40. annos vel 50. vel vlteriores plus accipiet de reditu quam sit precium quod dat, tamen hæc certitudo non facit illicitum contractum venditionis cum hoc etiam sit in venditione alicuius possessionis: vbi certum est secundum inferiores causas, quod plus accipietur de fructibus eius quam sit preciū quod pro ea datur, etiam sine expensis vel labore, dando eam ad victum certum vel emphiteosim. Hic enim tantum reprehenditur, quando carius vendit mercem propter terminum quem dat prolixum emptori ad soluendum pecuniam, vel quia pro minori emit mercem quia statim dat pecuniam, & prolixius tempus expectat mercem, quæ penitus sunt illicita, quia hic solum vendit tempus pro ipsa pecunia, quæ venit & iustum preciū excedit. Quod ex eo apparet, quia si vtraque parata esset, precium & merces pro minori fierent. Et in casu nostro omnia sunt præsentia nec venditur tempus, quia res ipsæ de quibus dicimus scilicet redditus vel actio tantum valebit vel ad minus creditur valere subsequentibus temporibus quātum modo valet, vel ad minus est dubium. Et hoc sufficit ad hoc vt contractus sit licitus, vt hic.

Tertia pars.

Idem intelligunt quidam, & si reditus vel nomen de nouo propter hoc constituantur in rebus vel personis alijs à contrahente, puta quia dicit emptor. Tu constitues tales reditus in possessione tali vel seruo, vel facies quod talis confitebitur se debere tibi mille vsque ad annum, & ego de illis mille, vel magis pro actione pro illis mille competente, dabo tibi quinquaginta. Nam dicunt omnes contractus istos licitos, quia non est mutuum sed emptio.

Item multi casus possunt euenire quod iste emptor amitteret in hoc contractu, puta si inops fieret nomen. Sed certè bene consulendum est omnibus fidelibus, quod ab huiusmodi contractu abstineant scilicet quod de nouo propter hoc cōstitutum reditum vel actionem emant.

Quarta pars.

Illud autem videtur penitus illicitum, quod ipse idem qui dicitur emptor, in se constituat reditum vel actionem qua se obligat ad plus dandum, vel in pecunia vel in spe, quam accepit. hæc Innocen.

F

Tertium fundamentum sumitur ex multis exemplis & allegationibus in hanc vnam sententiam cadentibus. Non dubium quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. Vel sic: Contra legem facit qui id facit quod lex prohibet.

In fraudem verò legis facit, qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit. Sed sic est in contractu censualistæ, quod in vtroque contractuum est idem effectus, excepta nominis mutatione. Sicut deducit diffusè, comparando conditiones vnius contractus ad alterum præsertim vbi datur facultas redimendi, & maximè

vbi constituitur de nouo reditus vel annua pensio. Additio quod leges veteris & noui testamẽti prohibentes mutuum sub annua pensione, essent maximo ludibrio, si hoc foramen vsurarijs superesset, quod nomen mutui mutaretur in nomen venditionis & emptionis, permanentibus eisdem effectibus. Et allegat multa capitula iuris, & sanctum Thom. & Ioann. in summa confessorum, iungens illam regulam. Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia admitti non debet. Addit verumtamen ex glossa regulæ, quod respectus principaliter habeatur ad prohibitum, & non ad viam, & hæc est rationabilis modificatio.

Quæritur consequenter à censualista, qualis resultat vtilitas si ex mutuo mille solidorum non possit pensio vnius denarij recipi & ex contractu censuali sumeretur plusquàm centum.

Quartum fundamentum assumit ex parte contractus quærendo, quomodo dum res aliqua venditur minori præcio cum facultate redimendi quam si perpetuo venderetur, talis contractus non censeatur pignoraticius, & per consequens in fraudem vsurarum exceptus, sicut allegat glossam ordinariam Hostien. Ioan. an quod talis cõtractus conditionalis est vsurarius, quod sanè inquit, videtur intelligendum, cum propter pactũ res venditur minori precio. Et post oppositionem sibimet factam, declarat quod minoritas precij si referat ad id quod ipsa res valeret in casu quo perpetuò alienaretur sine facultate luendi vel redimendi. Deinde allegat opiniones quorundam iuristarum cum suis allegationibus, & exponens doctrinaliter & bene, quid sit inter ius canonicum & ciuile, & quid sit de ratione legis. Concludit quod magis credendum est peritis in arte iuris canonici, quam peritis in arte iuris ciuilis. Sed hæc omittimus, dicentes illud bucolicum: Non nostrum inter nos, tantas componere lites.

Quintum fundamentum assumit ex vno casu legis. ff. de annu. legat. l. 3. §. vlti. De quo videtur mirandum, quod leges concedentes vsuras dixerint contractum hic commemoratum esse vsurarium qui vel eius similis sæpissimè fit apud Ecclesiasticos. Est autem casus quod si per legatum vel donationem qui est titulus, imponitur de nouo certa annua pensio soluenda Titio, quoadusque ipse donans vel legans dictam pensionem luerit vel redemerit, vel ab ea se liberauerit per solutionem vel traditionem certæ sortis principalis. Consequenter inducit (& sicut videtur coloratè) quod minus videretur hic esse vsura, quam in casu censualistæ, præsertim si detur minus precium propter facultatem redimendi, siue hoc sit in vno instrumento, siue in pluribus. Nec hoc impugnare contendimus.

Sextum fundamentum arguit, quod sit dilatio traditionis mercis facit precium diminui, contractus est vsurarius, de vsuris. cap. nauiganti. à contrario sensu. Sed in proposito diminuitur precium nec tota merx est præsens scilicet pensio cuiuslibet anni. Veritas est quod instando contra se & respondendo, fatetur quod ius petendi pensionem annuam sit merx in ipso contractu, sicut in venditione perpetui reditus. Sed semper recidit in illud quod datùs minus precium propter facultatem redimendi, & aggrauat si de nouo merx ipsa id est ipsum ius percipiẽdi constituitur de nouo in ipso contractu, vbi cõtrahentes assignant & differunt tempus prout volunt.

A

Postmodum istis totaliter interim positis & fundatis nititur responsum dare validum ad affirmatiuam censualistæ partem. Cuius responsio duplex ad primum, stat in hoc solo quod & si dictus contractus ex forma vocabuli sit emptio & venditio, tamen ad rem & effectum est mutuum, vel reducitur ad mutuum. Respondit similiter ad secundum. Ad tertium verò fundamentum per glossam de relig. do. in c. constitutus, respondet dicendo tres esse contractus. Vnus est cum Dominus alicuius rei dominium illius cõcedit alicui abdicans à seipso dominium, nihil sibi præter certum censum annuum retinẽdo. Et de isto (vt dicit) loquitur hic glossa allegata cum doctoribus. Aliter contractus est emphiteosis, concordans cum prædicto in modo constituendi. Sed in hoc differunt, quod in primo concedens nullum sibi retinet rei dominium vel ius emphiteoticum, sed in secundo retinet vtrumque. Et vtérque est licitus. Tertius contractus de quo nunc inquiritur, habet (vt dicit) cõtrarium modum ad præcedentem, in hoc quod ille qui est Dominus, ab initio ipse est qui pensionem censualem supra se & supra rem suam constituit: propterea non sequitur, si præcedentes contractus sint liciti quod iste.

B

C

D

Proinde respondendo ad quartum fundamentum, non negamus (inquit) quin ex alijs modis & contractibus, annuæ præstationes censuum possint imponi licitè, vt in fundationem ecclesiæ, vt in confessione quam quis facit de re sua, vt dum aliqua Ecclesia eximitur à iurisdictione Episcopi, vt alijs modis sparsis in iure, sicut allegat, sed sufficit nobis concessio fundamenti.

Rursus concesso antecedente quinti fundamẽti, quod per titulum gratuitum scilicet legati vel donationis, potest annua pensio de nouo constitui, negatur consequentia, vel similitudo ad casum nostrum, quoniam in titulo gratuito nulla est suspicio de vsura, nec ad mutuum vel ad effectum mutui reducibilis, secus hic.

E

Responsio præterea ad sextum fundamentum stat in hoc, quod in mutuo quantumcunque probabile dubium vel periculum, non potest concludere excusationem vsuræ, de qua in cap. nauiganti. Secus est in contractu venditionis & emptionis, de quo loquitur illud capitulum. Cum igitur in casu censualistæ de quo quæritur, si mutuum vel ad mutuum reducibile, non est similitudo, attẽto quod precium vt in pluribus est valde paruum respectu magnitudinis pensionis, & ad tempus est probabiliter satis duraturum. Posset addi (sed non tangitur hic) quod contractus talis dat occasionem machinandi in mortem alteris, vel eam optandi scilicet illius qui recipit pensionem ad vitam. Vlterius in responsione ad septimum dicit esse duos casus positos ab Hostiensi. Vnus est quod licet emere possessiones ad vitam ipsius emptoris, sed hoc intelligitur vbi non con-

F

constituitur fructus de nouo, & merx iam creata emitur, nec datur facultas redimendi, & ita non est similis casus ad nostrum. Alter casus est, cum quis tradit vel vendit oues alicui monasterio sub pacto pro qualibet oue recipiat duos solidos cum fructus cuiuslibet ouis valeat quatuor vel quinque solidos. Sed post mortem tradentis omnes oues ad monasterium pertinebunt, & hoc est licitum propter incertitudinem mortis vel multiplicationis ouium. Sed secus est in casu censualistæ, quia est mutuum vel ad mutuũ reducitur. Postremò respondet ad vltimum per illud dictum de præbendis, multa per patientiam tollerantur: quæ si deducta fuissent in iudicium, exigente iustitia non deberent tolerari.

ECce summatim collecta est sententia tractatus quantum visum est sufficere ad intentionem nostram, quæ versatur non ad impugnationem tractatus principaliter aut mordaciter, sed ad elucidationem veritatis, tam in casu proposito quam in alijs nonnullis in materia contractuum, quæ ad conscientiarum serenationem & iurium faciunt intellectum.

Attentio prima.

Attendatur in primis quod octo rationes factæ pro censualista militant pro casu nostro. Nec responsiones datæ contrariantur, sed confirmant propositum dum concedunt censuales reditus rationabiliter emi posse vel institui, si non appareat de corrupta intentione vel ex modicitate precij, vel ex mala fama contrahentium, quia consueuerunt vsuras exercere.

Attentio secunda.

Attendatur quod prima ratio sua contra censualistam, fundans se in hoc quod vbi est eadem ratio debet esse eadem iuris decisio, soluta est per quartamdecimam propositionem secundę partis. Et posset respõdendo ad formam, concedi maior in terminis, si sit eadem similitudo penitus, sed minor negabitur, quoniam in vsura aperta prohibitio legis diuinæ & humanæ est manifesta, non sic in casu censualistæ etiam vbi peccaret, quia hoc esset occultum, aliud manifestum. Addito quod præcepta non obligant vt fiant ad intentionem recipientis, nisi sub conditione hoc est, si debeat finis assequi, alioquin honorans parentes propter naturalem pietatem nõ referendo ad Deum, peccaret. Similiter & ieiunans si non efficeretur deuotior, & ita breuiter de quolibet præceptorum. Facit pro hac responsione textus expressus extra de vsuris, cap. in ciuitate, vbi sic dicit Alexander tertius scribens Ianuensi Episcopo. In ciuitate tua dicis sæpe contingere, quod quoddam piper seu cynnamomum seu alias merces comparant, quæ tunc vltra decem libras non valent, & promittũt se illis à quibus illas merces accipiunt, vndecim libras statuto termino soluturos. Licet autẽ contractus huiusmodi ex tali forma nõ possit censeri nomine vsurarum, nihilominus tamẽ venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit merces illas plus minus ve solutionis tempore valituras. Et ideo ciues tui saluti suæ benè consulerent, si à tali contractu cessarent, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari. Posset autem hòc in loco fieri perquisitio, cur cõtractus hic commemoratus ex quo non est vsurarius, sit illicitus. Si dicatur quod propter precium maius & excessiuum, hoc habet locum in foro conscientiæ, sicut etiam videtur notare decretalis, sed non in exteriori iudicio, vbi res tantum valet secũdum legistas quantum vendi potest, quod intelligitur nisi sit defraudatio plus medio iusti precij, quia tunc contractus rescinditur vt inciuilis, licet non vsurarius. Si verò dicatur illicitus esse, quia fit in fraudem vsurarum. Respondebit venditor, nequaquam, sed in fauorem conseruationis vel augmentationis propriæ substantiæ, & sustentationis domesticorum onerum. Ecce quomodo malignantibus & volentibus iniustè agere, non sufficiunt leges positiuæ contra vsurarios latæ, quin potius sunt incidentaliter aliquando in damnum reipublicæ, in laqueum conscientiæ, in offensiones & scandalum. Si autem sententiæ iuris excommunicationum vel interdictorum ligent abutentes talibus contractibus, dum fiunt in fauorem vsurarum, licet non in se sint vsurari, videant domini iuristæ an pœnæ sint vsque ad hoc amplianda, dum non constat de intentione.

Attentio tertia.

Attendatur super secundo fundamento contra censualistam, vbi assumit glossam magnam Innocent. de vsuris cap. in ciuitate, quod prima pars est euidenter quoad omnes sui clausulas pro cẽsualista, & pro dictis prius in diuersis cõsiderationibus. Similiter & secunda & tertia partes vsque ibi. Sed certè benè consulendum est. Attento quod vbi dicit in secunda parte. Alijs videtur & fortè melius, non negat priores bene dixisse, sed ponit sub dubio si sequentes melius dixerint qui loquuntur amplius pro parte censualistæ. Et modus loquendi communis notat eum sentire quod melius, licet alij bene. Deinde cum dicit: Sed certè bene consulendum est. Patet ex modo loquendi quod conformat se verbis decretalis, in ciuitate, quod non loquitur nisi propter dubium intentionis contrahentium. Et ex illo quod affirmat statim in quarta parte, dicens: Illud autem penitus videtur illicitum quod idem qui dicitur emptor, in se constituat reditum, &c. vbi notet lector de correctione quam tractatus facit dicens per vitium scriptoris factum esse, vt dicatur emptor pro venditor, quia non posset (inquit) benę exemplificari quod emptor constituat reditum in se. Sed hic cognoscitur inaduertentia magna, quoniam emptor & venditor se habent correlatiuè, & potest ille qui emit constituere se venditorem per reditum vel actionem qua se obligat ad plus dandum, vel in pecunia vel in spe, quam acceperit. Et hoc obsecro tu lector vigilanter attende, & cognosces quod affectio nimia impugnandi censualistas fecit aliter sonare verba Innocent. quam sua fuerit intentio, sicut de sonitu cãpanarum vulgariter experimur. Proinde super reliquis conclusis contra censualistas ad vitam, & de regula ista: Qui dubio stante agit aliquid, mortaliter peccat, dictum est prius in propositione tertiadecima secundæ partis.

Attentio quarta.

Attendatur pro responsione ad tertium fundamentum, quod censualista bonam habens intentionem, sicut habere præsumitur in casu nostro, non agit in fraudem legis, nec contra legem. Nec

illud quod inquiritur, quæ differentia sit si non possit recipi vnus denarius ex vsura,& ex cõtractu censuali recipiétur plus quam centum, concludit. Et patet responsio per exemplum datum in materia de simonia, quia sacerdos celebrans missas potest recipere centum francos pro sustentatione vitæ suæ, & non posset recipere vnum denarium pro commutatione missæ ad denarium.

Attentio quinta.

Attendatur circa quartum fundamentum quod supponitur illic esse fraus vsurarum, tum ratione minoris precij tum ex conditione contrahétium. Et ideo nihil contra casum nostrum vel similem, quoniam precium æquatur venditioni, nec fit ad vsurarium quæstum.

Attentio sexta.

Attendatur super casu ciuili quinti fundamenti illud quod tactum est in recitando, quod scilicet illum casum nõ vidi in textu legis, cuius suppono bonum intellectum. Vidi autem dominum de Palude, qui fuit magnus iurista & theologus, qui super tertium sententiarum dist. 37. vbi communiter doctores Theologi tractant materã de vsura, & ibi requiratur. Hic inquam doctor ponit casum legis, quod si Petrus vendat communitati aliquam domum vel hæreditatem centum francis, potest statim emere decem libras ad vitam super eadem hæreditate. Verum est quod exhibitus est mihi modò textus legis prædictæ, qui sic habet: Si cui quantitas certa legetur, & quoad præstetur in singulos annos, certum aliquid veluti vsuras iusserit testator præstari, legatum valet. Sed in vsuris hactenus valere debet, quatenus probabilem modum vsurarum non excedat. Ex hoc textu patet primò quod facit pro nobis, quia dicit quod legatum valet. Patet etiam quod nomen vsurarum hic non accipitur, prout habet malitiam sibi conuolutam, sicut est nomen furti & rapinæ, alioquin sibi contradiceret, sed accipitur vsura pro super abundantia in contractibus, prout etiam gloss. sanctus Thom. illud Deut. 28. Fœnerabis gentibus multis. Et in Euangelio Luc. 18. increpatur piger seruus qui non dedit pecuniam ad vsuram, quamuis sit hic metaphorica locutio, sicut ibi. Fœneratur domino qui miseretur pauperis.

Attentio septima.

Attendatur pro sexto fundamento non semper verum esse, quod si dilatio traditionis mercis facit precium diminui contractus sit vsurarius, quia casus est oppositus in terminis c. in ciuitate, prius allegato, & tactum est in quinta propositione secundæ partis quo pacto sit hoc factibile.

Attentio octaua.

Attendatur post discussionem aliqualem prædicti tractatus, quod pro omnibus dictis in prima parte sub 20. considerationibus sunt doctores Theologi in varijs passibus, consequéter ad legem euangelicam & naturalem, cum quibus legibus loqui non est sine lege loqui. Nominatim sanctus Thom. 2. 2. q. diuersis circa materiam de iustitia, nunc diuidendo iustitiam in cõmutatiuam & distributiuam, quærendo consequenter de contractibus emptionis & venditionis, de vsura & similibus. Sicut poterit inuenire studiosus sine quotatione ad quodlibet verbum quoniã iuxta dictum Senecæ: Non minus culpanda est nimia diuisio quam pauca, confusionem enim generat, sicut patet in puluere, si præterea causet turbationem memoriæ & intelligentiæ magnam inuolutionem, quæratur ab expertis.

Attentio nona.

Attendatur quod pro dictis in secunda parte sub 24. propositionibus sunt doctores Theologi, quantum libros habui & videre potui. Primò ad conclusionem responsalem in forma concordat Ioann. an. in summa confess. qui theologus fuit & magnus inuestigator etiã iurium positiuorum, lib. 2. titul. 7. de vsuris quomodo 25. Cuius hæc verba sunt in forma: Quid si vendidi prædium tale conditione adiecta, vt quando soluatur precium à me vel ab hærede meo rehabeam prædium ego vel hæres meus, vel quod vsque ad tot vel tot annos possim rehabere soluto precio, nunquid est vsurarius contractus? Respondetur secundum Rayn. §. 6. Item quid si. Ad hoc dico quod non est mutuum, & emptor facit fructus suos sine periculo vsuræ, licet venditor iuxta venditionis formam postea recuperet prædium. Et hoc intelligas nisi in fraudem vsurarum sit facta talis venditio vel conditio, quod præsupponitur ex his coniecturis scilicet ex eo quod modicum est precium respectu valoris rei, vt extra de empt. & vendit. ad nostram. Item ex eo quod aliquid persoluit vltra summam receptam, puta fuit vendita pro centum & est in pacto quod cum rescindetur venditio, reddantur 120. extra de pignoribus, illo nos. Item ex eo quod emptor consueuit exercere vsuras, vt in prædicta decretali, ad nostram. Idem Hostien. ver. 9. Et Bernar. in gloss. super cap. cõquæstus. Hæc ibi. Facit etiam Guilelmus compilator optimæ summæ de vitijs & virtutibus, tractatu de auaritia, parte de vsura. Dum numerans contractum censualem inter vsurarios hanc assignat rationem, quia res longè pro minori precio recipitur ad annuam pensionem propter pactum redimendi. Concluditur ergo per argumentum à contrario sensu, si non detur precium minus, non erit contractus vsurarius, saltem ex hac radice. Porrò non legi theologos alios, ponentes in forma casum nostrum, sed concluditur rationabilitas eius ex alijs dictis suis atque fundamentis, & specialiter si attendatur quid dicunt vsuram formaliter esse. De iuristis autem vidi plures allegatos, quos originaliter nondum inspexi nisi Bernard. glossatorem decretalium, cap. conquæstus, de vsuris, in gloss. 2. circa finem: ibi. Item si vendo. In qua glossa notat pecuniam numeratam posse dari ad pompam vel ostentationem, sicut etiam dari potest pro impignoratione, quo casu dicit aliquid posse sumi vltra sortem. Loquitur insuper de precio vltra sortem adiudicato in fauorem Ecclesiæ sanctus Thom. sentit idem quod prius de pecunia numerata. Vnde patet quod malignantibus vix potest claudi aditus ad vsuram. Poterũt enim fingere vel suũ interesse vel aliquid simile. Sunt alij pro casu nostro allegati, sicut dominus Hostien. in dicto c. conquæstus, sicut Henric. Boyc. qui prædictos recitat, nec improbat, sicut Bernard. in summ. de vsura, in §. 3. Cæterum de reditibus ad vitam quod liceant, tenet expresè dominus de Palude, vbi prius allegans & respõdens. Qui propterea tenet artem campsoriam licitam, non adducens

ducens aliam rationem quam quod Ecclesia tolerat eam. Doctor iste præterea ponens opinionem Durandi, qui sanctum Thom. insequitur, tenet illud quod dictum est de receptione mutui ad vsuram, ita tamen quod dans non abneget à se ius repetendi, sicut nec potest propter interesse reipublicæ. Præterea doctor subtilis in quarto ponit casum sextæ propositionis secundæ partis nostræ, approbans illum, & laudans, & addens quod legitimè præscribens rem prius alienam, non tenetur in foro conscientiæ, dum sibi constiterit eam fuisse alienam restituere, faciente hoc legis authoritate, & negligentia custodientium res suas puniente. Concordat prædictus de Palude in quarto suo.

Attentio decima.

Attendatur quod super casu particulari fuerunt inquisita plurima consilia peritorum, etiam theologorum in varijs locis & collationibus nominatim Constantiæ in reformatorio & ad partem & in scedulis subscriptis, & qui vidit, testimonium perhibuit, quod contractus prædictus & similes sunt liciti. Doctores autem viuētes non minorem habent authoritatem doctrinaliter exponendi sacram scripturam vel interpretādi iura quam mortui, & qui non scripserunt quam qui scripserunt. Et ideò frustra fit aliquādo tot allegationum multiplicatio. Confestim vt vnus aliquid scripsit & contemnitur viuentium consilium, qui sæpius attendere magis possunt circunstātias particulares, secundum quas variari iudicium sæpe necesse est, quemadmodum dicunt experientissimi medicorum in hominibus sanandis, quod regulæ generales traditæ sub arte vix inueniūtur practicabiles absque exceptione, multo magis in moralibus hoc euenit, quanto plures sunt mutationes animorum quam corporum. Propterea necessitatus est Philosophus dum medium virtutis inquireret, dicere prout sapiens iudicabit. Patet exinde quorumdam nimia humilitas vel vanitas, qui requisiti dicere, quid sentiant de aliquo casu morali, confugiunt statim ad allegationes super allegationes, & ad glossas super glossas, dimissis etiam quandoque textibus aut principijs vniuersalibus, ad quæ debet resolutio fieri, dicentes: Iste sic sentit, alter sic sentit, alter approbat eum, alter sentit cum isto, quibus rectè dici potest: Dic non quod alij scripserunt, sed quid tuipse dicis vel sentis, Dicit enim Aristot. 6. ethicorum, quod iudicia prudentium & expertorum habenda sunt pro principijs, vbi etiam nullam assignarent rationem, quoniam ex multis experientijs & studijs euenit illud. Chara (id est prætiosa) datur longo prudentia temporis vsu. Sic in medicina, sic in omni arte. Vnde orta est illa maxima à sapiente & philosophis posita. Cuilibet experto in sua arte credendum est. Vbi autem dissentiunt doctores super aliquo casu, cuius vtraque pars siue agatur siue non agatur, potest in culpam verti, prout exemplificatum est in cap. inquisitionis, extra de senten. excommuni. Oportet tunc attendere particularius ad circunstantias, tam ex parte doctorum loquentium, vt quia isti sunt plures & famosiores, sanctiores quoque, & in dictis alijs solidiores, quam ex parte illius rei quæ non agenda vel agenda proponitur. Demum ex fine & intentione agentium. Vt ex omnibus

A eliciatur de duobus probabilibus propositis, quid illorum probabilius habendum sit. Prætactum est insuper de resolutione facienda ad terminos iuris diuini, vbi humana iura dissonare ad inuicem, vel contra charitatem viderentur militare. Ita enim fieri necesse fuit pro sedatione schismatis per concilij generalis conuocationem sine Papa recepto per omnes qui conuenerant, & per iudicium consilij super vtrosque contendentium de papatu. Non obstante literali sono decretorum, quod nec consilium euocari potest sine Papa, nec Papa potest à toto concilio iudicari. Sed hæc hactenus

B protestatione subiuncta quod nihil hic vel alibi temerariè loqui propositum fuit, nihil cum conscientia vel detractionis, vel inordinati fauoris, vel amaricati cordis, nihil denique in fauorem illicitorum contractuum vel contrahentium, præsertim vsurariæ prauitatis, quam nouimus tam diuino quam humano iure damnatam.

Tractatus de contractibus finis.

C

TRACTATVS EIVSDEM DE SIMONIA.



SVPER materia simoniacæ labis in collatione beneficiorum per Papam resoluendo materiam ad radicem scripturæ sacræ, qua dimissa percurrere ramos opinionum particularium, fine caret, ponitur hic vnica conclusio. Simoniaca labes contra ius di-

D uinum vel de simoniaca specie suspectum est in conferente beneficium ecclesiasticum (etiam si sit Papa) exigere vel extorquere à beneficiando promptam pecuniam, sub titulo primorum fructuum, ac impedire possessionem & officiationem suam quousque soluerit illam pecuniam. Deducemus cōclusionem hanc primò ex septem suppositionibus fundatis in iure diuino. Dehinc respondebimus septem obiectionibus. Subinde septem considerationes vel doctrinas adijciemus.

E

Prima suppositio.

SVPPONITVR primò pro probatione, quod in beneficio præsertim habēte curam animarum sunt hæc duo scilicet officium & beneficium. Beneficium autem (sicut dici solet & verum est) datur propter officium. Vnde ad ius & obligationem officiandi competit ius beneficium recipiendi, sicut infra docebitur ex omni iure. Propterea non debet obligari quis ad officiandum per traditionem ordinis sacri vel alias, nisi beneficium, id

F est, ius recipiendi sustentationem vitæ simul annectatur.

Secunda suppositio.

Supponitur præterea, quia officium Ecclesiasticum quandoque sumitur pro iure officiandi, quandoq; pro obligatione ad officiandum, quandoque vero pro ipso actu officiandi. Est autem huiusmodi actus sic descriptibilis, quod est exercitium aliquod impensum ad vtilitatem alterius vel aliorum pro consecutione fœlicitatis æternæ & damnationis euitatione. Vnde per hanc vltimam clausulam differt officium Ecclesiasticum ab officio temporali vel ciuili, videlicet ratione

finis proximi seu principaliter intenti, quoniam finis proximus officij ciuilis est felicitas seu tranquillitas politica vitæ præsentis, officium autem ecclesiasticum habet finem altiorem videlicet salutem æternam animarum.

Tertia suppositio.

Supponitur insuper quod hæc tria purè sunt spiritualia scilicet ius ad officiandum, quod datur à superiore vocante vel eligente, quia nemo assumit sibi honorem secundum Apostolum, sed qui vocatur à Deo sicut Aaron. Similiter obligatio ad officiandum consurgit ex consensu suscipientis hoc ius vel honorem. Similiter actus officiandi spiritualis est ratione finis vel obiecti & vt frequéter, ratione ipsiusmet obsequij, sicut sunt baptizare, prædicare, ordinare, celebrare Missam, absoluere, & ita de reliquis.

Quarta suppositio.

Supponitur amplius tanquam sufficienter & expressè determinatū de iure diuino per Christum & per Apostolum, quod ad officium Ecclesiasticum sic trifariè sumptū pro iure, pro obligatione & pro ipso opere, correspondet beneficium trifariè proportionabiliter sumptum scilicet pro iure, & pro obligatione & pro ipso opere. Vnde beneficium pro ipso iure sic potest describi, quod est ius recipiendi sustentationem vitæ temporalis condecentem ratione sui spiritualis officij. Obligatio autem ad beneficium præstandum consurgit ex obligatione quæ est ad officiandum. Vnde illi qui purè sponte ministrant spiritualia, non semper obligantur illis quibus fit hæc ministratio, quin habeant curatos vel prælatos ad hoc ipsum eis ministrãdum obligatos, alioquin duplici contritione vel onere præmerentur. Cæterum actus beneficij actui officij vel exercitio correspondet, & hoc vtique de iure diuino & inseparabili, sicut deducit Apostolus ex multiplici radice sumpta, nunc à lege naturæ. Vnde sic ait vbi prius: Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundum hominem hoc dico, an & lex hoc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi. Non alligabis os bouis triturãtis. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos hoc dicit. Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminamus, non magnum est si nos carnalia vestra metamus. Si alij potestatis vestræ principes sunt, quare non potius nos? Sed non vsi sum⁹ hac potestate, sed omnia sustinemus ne quod offendiculum demus euangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altario deseruiunt, cum altari participant? Ita dominus ordinauit his qui euangelium enunciant, de euangelio viuere. Hæc Apostolus, immo per Apostolum dominus.

Quinta suppositio.

Supponitur rursus quod in his quæ sunt simoniaca de iure diuino, & non solum quia prohibita lege humana (vt ita loquamur more iuristarum) Papa potest committere simoniam, quoniam diuinæ legi subijcitur, sicut alius, & dum transgreditur illam, grauius peccat quanto maior habetur. Constat autem prohibitum esse iure diuino, vt illud quod est verè spirituale, quæratur emi vel vendi, sicut de Gyezi & de Simone mago scriptura sacra palam tradit. Et sicut Christus ad discipulos loquens determinat. Gratis accepistis, gratis date. Matth. 10. Vbi in eodem capitulo determinauerat quæ dicta sunt de iure beneficij respectu officij, dum ait. Dignus est operarius cibo suo. Et Luc. 10. dicitur: mercede sua.

Sexta suppositio.

Supponitur vlterius quod licet officio papali ratione iuris & obligationis & operis spiritualis competat beneficium trifariè proportionaliter acceptum, nihilominus ipse Papa non potest quibuscumque modis voluerit beneficium illud exigere vel extorquere, sed iuxta legẽ diuinam quod iustum est, iustè exequatur, & ab omni specie mala (sicut iubet Apostolus) semet abstineat.

Septima suppositio.

Supponitur consequenter illud iniustum esse & tale quale nemo sibi fieri vellet, quod de beneficio iure debito ipsi Petro ipse det pecuniã prius quam beneficio vtatur, ne fortè vsurarius sit. Sic autem est in casu conclusionis, cuius veritas ex his suppositionibus simul combinatis videtur esse sufficienter ostensa. Cuius deductionis applicationem omittimus, quæ virtualiter & resolutiuè stat in hoc quod ius suscipiendi temporalia quantumcumque temporalia videantur, est purè spirituale ratione & obiecti, propterea beneficium ecclesiasticum non magis potest vendi quam officium cui necessariò connexum est, quale tamen officium non esse vendibile nemo nescit.

OBIECTIONES.

Prima obiectio.

SED opponitur ex radice multiplici. Primò, quia sicut ex antiqua lege decimæ decimarum debebantur summo sacerdoti à Leuitis. Num. 18. & Deut. 16. sic non minus in lege noua debetur hæc decimatio vel sufficiens recompensatio facienda per inferiores ipsi Papæ. Hæc autem recompensatio videtur rationabilis quod fructus primi anni à quolibet nouiter beneficiato persoluantur, quoniam in hoc Papa seruit Ecclesiæ, & ita propter hoc officium in promouendo homines sibi debetur pro sustentatione condecenti status sui, & ad hoc tam personæ, quam beneficia possunt onerari.

Secunda obiectio.

Amplius non minus potest Papa recipere vel petere pecuniam à beneficiato etiam prius quam sit in possessione, quam canonici Ecclesiæ cathedralis, qui tamen canonici de consuetudine recipiunt tam pecunias numeratas quam obligationem ante possessionis adeptionem.

Tertia obiectio.

Amplius non minus rationabiliter, immo rationabilius potest Papa recipere primas annatas beneficiorum, quam recipiunt vel prẹlati inferiores, vel Ecclesiæ cathedrales, vel aliquæ religiones, quod tamen ita fieri frequentius inuenitur.

Quarta obiectio.

Amplius beneficia multa traduntur ad firmam seu pensionem annuam vel in titulo, & recipitur quandoque

quandoque pars pensionis vel tota pensio prius quam sit de reddentibus aliquid acceptum. A

Quinta obiectio.

Amplius quia non est probabile quod per tot tempora tolerasset Ecclesia in promouentibus & promotis talem exactionem pecuniarum si fuisset simoniaca de iure diuino, quia non solum qui faciunt mala, sed qui consentiunt facientibus (secundum Apostolum) digni sunt morte.

Sexta obiectio.

Amplius videretur ex his quod horribilis cõfusio fuisset hactenus in Ecclesia propter defectum tituli seu iuris in beneficijs, & consequenter in defectu administrationis sacramentorum ad populos propter defectum vel suspensionem Ecclesiasticæ potestatis in ministris.

Septima obiectio.

Amplius qualiter prouideretur sic promotis Papa, vel altero promouente simoniam committente.

RESPONSIONES AD PRÆDICTAS OBIECTIONES.

RESPONDENDO talibus obiectis dicimus primo, quod inferunt & concludunt aliquas veritates. Vt quod officio Papæ debeatur beneficium sufficiens & condecens. Et quod ab inferioribus sibi debetur subsidium. Et quod illud subsidium potest vel potuit debitis circunstantijs obseruatis accipi super fructibus inferiorum beneficiorum vbi nõ est aliter facta Papæ sufficiens prouisio: sicut prima ratio satis hoc concludit tam ex iure diuino quam naturali præsupposito diuino. Sed quod fiat exactio vel extorsio sicut conclusio loquitur, ratio non concludit.

Ad secundam rationem.

Deinde cum videtur oppositum concludi per secundam rationem de canonicis. Respondetur quod lata est differentia, quoniam tales pecuniæ non exiguntur à canonicis pro beneficio vel officio, sed pro communibus oneribus supportandis, in quibus canonicus ille particeps erit quoad emolumentum commune sicut pro fabrica, pro pane, pro pueris de choro, pro clientibus, pro cappa, & similibus. Nõ negamus tamẽ quin apud aliquos modus exigendi non sit vsquequaque purus & decens, licet non propriè simoniacus.

Ad tertiam rationem.

Deinde tertia ratio concludit conformiter ad primam. Deberet ergo similis esse conformitas de non exigendo fructus ante perceptionem eorum, sicut nec exigũtur ab illis de quibus es argumentũ.

Ad quartam rationem.

Deinde possumus de quarta ratione sicut de secunda dicere, & similiter de sequentibus quoad hoc quod valde multa (proh dolor) fiunt & facta sunt habentia malam speciem turpis quæstus & in multis simoniacam prauitatem, sicut & alia vitia regnare videmus passim apud homines, virtutes autem rarò, propterea dicit lex antiqua. Non insequeris multitudinem ad faciendum malum, hæc enim est argumentatio pessima. Multitudo facit hoc, igitur est licitum, quoniam oppositum consequentis frequenter & quasi semper stat cum antecedente.

Ad quintam rationem.

Deinde respondetur per hoc ad quintam. Addendo quod apud bonos consentiosos & eruditos, quos non excæcauit malitia vel superbiæ vel adulationis vel auaritiæ, talis simoniaca pestis reprobata est per prædicationes & doctrinas, verbis & scriptis, & nouissimè per hoc sacrum cõcilium, scilicet Constantiense iudiciali seueritate damnata fuit in capite.

Ad sextam rationem.

Denique per præmissa patet ad sextam aliqualis B responsio. Addendo quod aliqui & si non omnes, potuerunt habere verum titulum in suis beneficijs, & verum ordinẽ sicut constat, & hoc propter excusationes aliquas probabiles apud aliquos tam prælatos quam subditos. Subditos enim excusare potuit ignorantia iuris & facti, in quibus supremus Papa Christus suppleuit & supplet in talibus defectum prælatorum stante bona fide subditorum. Rursus promotos per simoniacam hanc exactionem, potuit fortassis excusare respectus redemptionis propriæ vexationis, quemadmodum dicunt C etiam in simili theologi quod vbi presbyter nollet baptizare puerũ positũ in articulo mortis nisi pecunia præaccepta, nec apparet alius potens vel sciens baptizare propter defectum aquæ vel instinctionis, parentes pueri dare possunt pecuniam, non quidem intentione emendi baptisma, sed redimendi vexationem suam & puero prouidendi. Neque per hoc dicendi sunt consentire peccato simoniæ huius curati, sicut in materia de vsuris potest aliquis accipere ad vsuram licitè in casibus certis, quamuis alteri nullo modo liceat D dare. Vnde redemptio vexationis videtur habere locum, non quidem in acquirendo ius nouum ad officium vel beneficiũ huiusmodi spirituale, præsertim apud conferentem, sed inuenitur habere locum dum tolli quæritur impedimentum quod apponitur: ne quis iure suo vel re sua pacificè potiatur vel vtatur. Sic fortassis excusabiles essent subditi respectu curatorum vel prælatorum: dum compelluntur pecuniam ante tradere quam res spirituales eis debitè conferãtur, sicut in exemplo E priori de baptismo paruulorum, de sepulturis, de ministratione corporis Christi, de absolutione sacramentali, de collatione ordinum matrimoniorum, & similium. Denique pro responsione ad septimam rationem. Consideratio sextuplex notabitur satis conformiter ad præmissa.

AD SEPTIMAM RATIONEM.

Prima consideratio.

F SIMONIACA labes sicut de per se non est hæresis sic non aufert à Papa necessario suam potestatem vel Ecclesiasticæ potestatis plenitudinem, immo nec executionem. Prima pars ideo manifesta est, quia stat aliquem esse simoniacum ex sola deprauatione affectus per auaritiam, remanente iudicio recto intellectus quod sic agere peccatum est. Non est autem hæresis sine deprauatione intellectus per errorem de his quæ recta fides tradit. Potest nihilominus præsumptione iuris vel operis simoniacus omnis haberi in fide suspectus. Patet altera pars quoniam positiuis legibus suis

non est Papa subiectus vt tales sunt. Quod autem simoniacus suspendatur ab omni exercitio tanquam excommunicatus ipso facto, positiuum est, quod non ligat Papam, cum par in parem non habeat imperium. Cum præterea sit hoc modo solutus legibus, intellige purè positiuis pœnalibus, vt supra ius hoc modo sumptum. Sic intelligenda est (prout arbitror) distinctio dominorum iuristarum dum dicunt aliquid esse simoniacum, quia prohibitum est in illo casu non posse Papam committere simoniam , planè nulla est propriè simonia nisi quia prohibita iure diuino, vbi scilicet conuenit contractus iste rerum spiritualium pro re commensurabili numismate, do si des, vel do vt des. Nihilominus apponitur in aliquibus contractibus non de se simoniacis pœna simoniæ, vbi verum est quod hoc ideo dicitur simoniacum, quia lege humana prohibitum, sicut aliquis punitur tanquam hæreticus præsumptione iuris positiui vel operis, qui veraciter est Catholicus.

Consideratio secunda.

Simoniaca labes in Papa conferendo prælaturam vel beneficium, non tollit necessario ius ad beneficium neque potestatis Ecclesiasticæ suspendit executionem. Hæc consideratio sequitur ex antecedenti, quoniam potest Papa velle taliter promotum non incurrere sentētias iuris positiui, etiam vbi veram simoniam committeret, consentiendo simoniacæ promotioni suæ, quamuis apud Deum non euaderet omnem pœnam. Patet aliunde cōsideratio iuxta ea quę dicta sunt circa sextam obiectionem de redemptione vexationis, vel etiam vbi bona fides & simplex in promoto esset, ipsúmque saluaret.

Consideratio tertia.

Simoniaca labes periculosior est, & si non quoad Deum tamen quoad forum Ecclesiasticum, in promotis per prælatos inferiores quā per Papam. Hoc perspicuum est in præcedenti consideratione. Attento quod omnis simoniacus ipso iure excommunicatus est, cum reliquis pœnis, à quibus non liberatur per ordinarium, quemadmodum de Papa tactum est.

Consideratio quarta.

Simoniaca labes quamuis posset excusari vel non inueniri circa receptionem pecuniarum, vel eorū quæ sunt numismate mensurabilia (quemadmodum sunt obsequia vel fauores & obligatoriæ promissiones circa spiritualiū administrationem in literis testimonialibus conferendis & similibus) Nihilominus expedit in his omnibus vt obseruetur Apostolica regula. Quantum fieri potest, ab omni specie mala abstinete vos. Posset de prima parte deductio fieri per plurima circa diuersos ordines & status, circa religiosos conuentus & seculares ecclesias, circa prælatos & officiarios suos, circa curatos & eorum vicarios vel subditos. Fiunt itaque plurima per tales huiusmodi quæ rectam habere possunt intentionem, licet modus faciendi scandalizet, vt quia videtur fieri pactio de temporalibus, vel negatio spiritualium, seu dilatio propter temporalia, vel ex aduerso fieri videtur propter temporalia spiritualium collatio, exercitium vel frequentatio, vt in missis dicendis, vt in horis lucrosis non alijs frequentandis. Caueatur igitur hæc multiplex mali species per boni speciē appositam quantum fieri dabitur, quia non est nostrum posse scandalis omnibus acceptis occurrere.

Consideratio quinta.

Simoniaca labes commodius euitari potest per rectificationem intentionis, desiderando scilicet vel ponitur ne quis iure suo vel re sua pacificè accipiendo temporalia, non vt sunt precium spiritualium vel cupiditatis nutrimentum, sed necessariæ sustentationis corporalis adiumentum. Sic itaque saluabitur illic non esse commutationem simoniacam, vbi tamen concurrit hoc, do si des vel do vt des, quoniam hæ dictiones conditionales & causales, si, vt, propter & similes, non notabunt causam principalem, sed consecutiuam & minus principalem, seu motiuam vel adminiculatiuam seu meritoriam, vt ibi: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem. Quæ vtique retributio referebatur ad Deum per prophetam, sicut finis sub fine. Vbi autem vnum propter aliud (vt dicit philosophus) vtrobique vnum.

Consideratio sexta.

Simoniaca labes potest quoad præterita suscipere prouisionem & medelam per hoc sacrum concilium propter serenationem conscientiarum & animarum salutem, taliter quod aboleantur edicto generali quælibet pœnæ vel sententiæ iuris positiui contra simoniacos æditæ, cum habilitatibus ad beneficia iam obtenta, dando licentiam insuper pro præterito, vt quælibet possit eligere confessorem idoneum, qui eum super omnibus dubijs vel scrupulis in foro conscientiæ absoluat. Videtur fortassis hæc prouisio nimis lata vel laxa, iuxta seueritatem Ecclesiasticæ disciplinæ, sed habeatur respectus ad immensitatem misericordiæ Dei, & humanam fragilitatem, quæ mallet sæpe saluti propriæ, quam beneficio vel statui renunciare, & tolerabilis apparebit ista prouisio, aut si de necessitate cupiendi sunt aliqui nimis notoriè scandalosi, nihilominus de salute communitatis atque plurimorum cogitetur.

Consideratio septima.

Simoniaca labes poterit pro futuro præseruationem habere. Cogitetur per hoc sacrum concilium (ne passim & licenter vt hactenus introeat consuetudo, leges debitas vel iam institutas renouando, mutando vel interpretando circa collationem omnium spiritualium tam à capite quam à membris, cum tali moderamine, quod neque fiat strictior prohibitio temporalium quam oportet in capite vel in membris, sicut factum esse pluries existimant in quibusdam. Neque rursus permittatur talis laxatio quæ vel veram simoniam vel scandalosam simoniæ speciem introducat, hæc autem particulariter sit eorum qui ad hoc particulariter cōmissi sunt. Cæterū generale conciliū in qua potestate possit leges huiusmodi præscribere, præsertim summo pontifici sine læsione plenitudinis suæ potestatis, vtilis est practicatio, de qua si annuerit Deus, aliàs & alibi videbitur, concordando plenitudinem potestatis papalis cum ipsa plenitudine potestatis concilij.

AD RATIONABILEM CONTRA SIMONIAM ET SIMONIACOS REformationem, *offeruntur propositiones quæ sequuntur quarum declaratio tam scriptis iam editis quam viua voce poterit apparere.*

Prima propositio.

FINIS principaliter intentus recipiendi temporalia pro ministratione spiritualium, reddit hominem propriè simoniacum in foro conscientiæ & ad Deum, & si hanc intentionem apertis ad extra monstret indicijs, censendus est in ecclesiastico foro simoniacus, vel de simonia vehementer suspectus.

Secunda propositio.

Finis principaliter intentus accipiendi temporalia pro administratione spiritualium, tanquam ibi sit adæquatio vera precij ad precium, sicut est in commutatione temporalium adinuicem, reddit hominem propriè simoniacum.

Tertia propositio.

Finis principaliter intentus vt prius, reddit hominem propriè hæreticum, si faciat hoc ex deprauato intellectus iudicio, quasi tale aliquid possit de facto, aut debeat de iure fieri, & hoc si pertinacia concomitetur.

Quarta propositio.

Obligatus ministrare spiritualia, sicut sunt sacramenta beneficia ecclesiastica, potest rationabiliter & licitè habere respectum ad temporale commodum, mercedem & præmium, quamuis minus principale & secundarium.

Quinta propositio.

Obligatus ministrare spiritualia, & ministrans ea, habet verum ius & potestatem recipiendi temporalia, absq; hoc quod mendicet ea. Et sub hac intentione (licet minus principali) potest vel potuit obligare se ad ministrãdum spiritualia, & pro mercede vel stipendio vel cibo & sua sustentatione recipere temporalia, sicut exemplificari posset in omni statu ecclesiasticorum, tam secularium quam religiosorum, à maioribus ad infirmos.

Sexta propositio.

Obligatus ministrare spiritualia & ministrans ea sub spe vel expectatione vel intentione quod recipiat temporalia pro sustentatione ministri, & mercede vel cibo operarij, non ideo conuincitur simoniacus, sicut nec ille qui dat temporalia sub spe recipiendi spirituali, immo staret quod peccaret non tradendo ea, sicut in casu ministrans peccare posset abijciendo vel reprobando talia dona, seu potius mercedem & stipendia.

Septima propositio.

Ecclesiasticus ministrans ex debito suæ prælationis vel officij baptisma, confirmationem, eucharistiam, confessionem, ordines, extremam vnctionem, sepulturam, & ita de reliquis spiritualibus, non ideo conuincitur simoniacus, si ante vel post ministrationem recipiat temporalia ab illis quibus ministrat spiritualia.

Octaua propositio.

Ecclesiasticus officians ex debito beneficio suo

A sicut frequentando horas canonicas, vel exequias mortuorum, non ideo conuincitur simoniacus, si recipiat aut recipere intendat distributiones temporales assignatas illis qui talibus assistunt officijs etiam dum aliquando sub hac intentione mercedis vadit ad aliquod officium ecclesiasticum, aliàs pro tunc non iturus. Exempli gratia, si cuilibet etiam religioso qui interesset magnæ missæ in ecclesia Constantiensi quotidie distribueretur vnus florenus; constat quod multi interessent nec aliàs interessent, nec ideo simoniaci essent iudicandi.

Nona propositio.

B Ecclesiasticus prælatus aut alius conferens beneficia ecclesiastica, non ideo conuincitur simoniacus, si recipiat à beneficiatis aliqua temporalia.

Decima propositio.

Extirpatio simoniæ non ita debet procurari quod ducantur homines in maiora pericula & scandala per nimiã simoniæ restrictionem vbi nõ est, vel potest non esse simoniacus, si habeatur intentionis vera directio. Nec ita quod eccle-

C siæ vel ecclesiasticorum dotatio debita iure diuino, euacuetur vel defraudetur sub hoc reformationis prætextu, velut à dæmonio meridiano.

Undecima propositio.

Extirpatio simoniæ primò facienda est cordibus hominum, ostendendo qualiter in corde vel intentione simoniaca prauitas committitur, & qualis debeat haberi cordis intentio, dum in ministratione spiritualium fit vel expectatur temporalium receptio.

Duodecima propositio.

D Extirpatio simoniæ ab ecclesia sancta Dei in capite & in membris, salubrius facienda est, inducendo homines ad timorem Dei, & ad custodiam mandatorum suorum secundum legem euangelicam, quam per solam iurium pœnalium constitutionem, quorum multiplicatio forsitan magis esset restringenda quam augenda, multa enim reputant vel puniunt tanquam simoniaca, quæ simoniæ rationem propriè non includunt, & ita faciunt viam Domini arctam magis quam

E oportet.

PONitur ad declarationem præmissorum pro nunc aliàs posita hæc vnica distinctio. Resoluendo materiam de simonia, possumus inuenire distinctionem quadruplicem de intuitu vel respectu commodi temporalis pro spirituali. Potest enim intuitus ferri ad temporale cõmodum. Primò tanquam ad precium rei spiritualis quasi sit adequatio valoris vnius rei ad alterã, sicut inest emptione & venditione ciuilibus. Potest 2. ferri in-

F tuitus ad commodum temporale tãquam ad motiuum principale dandi spiritualia, vel ad finem vltimum, in quo consistit intuitus spirituale cõferentis. Potest tertiò ferri intuitus commodi temporalis tanquam ad motiuũ minus principale, vel ad finem subordinatum sub vltimo fine. Potest quartò ferri intuitus cõmodi temporalis tãquam ad rem debitam iure diuino pro sustentatione illius qui spiritualia subministrat, iuxta doctrinam Christi & apostoli quod dignus est operarius mercede sua. Tunc ad propositũ dicimus pro responsione succincta & solida, quod 1. intuitus & 2. sũt verè simoniaci de iure diuino & humano. Etsi

concurrat error intellectus quod sci. talia possunt fieri sicut in primo dicitur, vel quod licitè fiant sicut ponitur in vtroq; modo, tunc incurritur hæresis propriè dicta, & habendi sunt simoniaci tales hæretici propriè dicti, si sint pertinaces. Dicimus consequenter quod si feratur intuitus tertio & quarto modis, ille potest esse licitus, immò laudabilis & meritorius ac debitus. Hoc tamen attento quod obseruetur illud apostoli. Ab omni specie mala abstinete vos, hoc est, quod administratio spiritualium facta sub altero tali intuitu non appareat fieri ex modo suo intuitu primo vel secundo, vt si non exercentur spiritualia, si non primò dentur temporalia, aut si turpiter exigantur, & cum scandalo & auaritiæ nota, in quibus casibus possent haberi suspecti de simoniaca prauitate sic agentes, & hoc præsumptione iuris vel facti, & possent in hoc casu ipsi tanquam tales iudicialiter euocari. Finis.

OPVSCVLVM EIVSDEM DE SOLLICITVDINE ECCLESIASTICORUM *ad fratres Cœlestinos, continens 68. particulas.*



QVÆRITVR responsio super dubijs sequentibus vnde crebrò sollicitudines conscientiarum in ecclesiasticis & religiosis oriuntur.

Primum dubium. Si liceat ecclesiasticis, maximè religiosis dum conferuntur eis temporalia, se & successores suos obligare ad certa & determinata suffragia in missis vel alijs officijs ecclesiasticis, sicut habet vsus communis? Solutio particula 13. quæ supponit alibi tractata de simonia.

Secundum dubium. Si liceat omittere tales obligationes sine reatu peccati mortalis, præsertim quando videntur grauiores quam oportet ex euentu vel aliunde? Solutio particula 12. & a. 19. vsq; 32.

Tertium dubium. Si melius esset quod conferentes temporalia starent in sola generalitate pro suffragijs habendis, & si ad hoc, & quomodo monendi sunt? Solutio particula. 17. & 18.

Quartum dubium. Si in casu secundi dubij necessaria sit & secura dispensatio superioris prælati vel papæ vel ordinarij? Solutio particula 28. vsque 32.

Quintum dubium. Si liceat ecclesiasticis bene & sufficienter fundatis recipere nouas obligationes cum augmento seruitij? Solutio particula 33.

Sextum dubium. Si liceat sine augmento seruitij, ita quod non plures dicantur missæ vel obitus &c. quamuis hoc intédant temporalium collatores? Solutio particula 49.

Septimum dubium. Si liceat admittere super fratres iam fundatos, alios qui habeant speciales cellas & obligationes ad suos institutores aliàs quàm reliqui fratres? Solutio cum 8. 9. 10. & 12. dubijs: particula. 34. 35. 36.

Octauum dubium. Si liceat se obligare quod omnis fructus spiritualis in missis & alijs quæ obligatus dicet, cedat in vtilitatem temporalia A conferentis?

Nonum dubium. Si tantum prosunt suffragia dum fiunt pro pluribus, quantum si fierent pro vno vel paucis, & præsertim illi qui facit?

Decimum dubium. Si debens vnam missam possit alios adiungere, sine defraudatione illius qui missam petijt aut instituit?

Vndecimum dubium. Si necesse sit semper pro specialibus fundatoribus orationes facere speciales, maximè dum hoc instituerint, licet non specificando ad modum, & quis modus tenebi- B bitur? Solutio particula 39. cum 5. sequentibus.

Duodecimum dubium. Si liceat pro solemniori in sepulturis vel pro alijs pompis exequiarum, pacisci verbo vel intentione de maiori temporalium collatione?

Tredecimum dubium. Si discretè faciunt obligantes se ad suffragia pro alijs, quando inde minus valent vt videtur pro seipsis, & non est comparatio temporalis commodi ad spirituale? So- C lutio huius & 14. particula 45. cum tribus sequentibus.

Decimumquartum dubium. Si cautè faciunt religiosi qui leuiter admittũt ad participationem omnium beneficiorum per illos qui bene faciunt eis vel qui petunt.

Decimumquintum dubium. Si obligatus ad orationes vocales, sit solutus ab obligatione, dum eas dicit sine attentione vel deuotione vel affectione aut sollicitudine, nam attẽtio est quædam D sollicitudo. Solutio istius & sequentis, particula 55. vsque ad finem.

Decimumsextum dubium. Si sufficit generalis intentio qua vult ecclesiasticus vel religiosus orare specialius pro benefactoribus quam pro alijs, super qua specialitate quantificanda se refert ad Deum qui ponderator est meritorum.

Prima particula.

E NOlite solliciti esse, Matth. 6. Lucæ 7. Iubet hoc supremus abbas noster Iesus Christus, in cuius spiritu salubriter instituti, clamamus. Abba pater. Consonat apostolus eius magnus, prior in religione Christiana dicens Corinthijs in persona omnium. Volo vos sine sollicitudine &c. Sed mox subintulit vtilem & necessariam de sollicitudine distinctionem, ne vel sibijpsi vel alijs consortibus suis cõtrarius videretur, quorum sermo frequenter ad sollicitudinem contra desidem inertiam exhortatur. Ait enim: Qui sine v- F xore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ mundi sunt.

Particula secunda.

Ecce habemus sollicitudinẽ & sollicitudinem. Vna est Dei, altera mũdi. Vna spiritualis, altera tẽporalis. Vtraq; siquidem bona. Alioquin culpata fuisset vxoratorũ cum sua sollicitudine conditio, 1. tamen melior atq; diuinior, adeò vt vacatio dici possit, & dicatur eã hic quam ab Apostolo 1. Cor. 7. Volo vos inquit, sine sollicitudine esse. Et alibi ad Philip. 4. Nihil solliciti sitis. Et per Psal.

Dominus:

Dominus: Vacate (inquit) & videte, quoniam ego sum Deus.

Particula tertia.

Felix illa sollicitudo vacans & vacatio sollicita qualem habere licet, decet & expedit illos præcipuè qui cœlibes esse sine tribulanti iugo vxorum nedum elegerunt sed vouerunt, quales vos elegit & assumpsit abbas noster Christus (ô patres & fratres cœlestini) quos ad præsens alloquitur sollicitudo dilectionis meæ, quã suis impulit quæstiunculorum stimulis zelus vester religiosus, sollicitus iuxta verbum propheticum 6. ambulare cum Deo suo.

Particula quarta.

Sensit itaq; vester in Domino timor, cuius vis est secundum philosophum, reddere timentem sollicitum. Sẽsit inquam, quemadmodum frustra fuisset assumpta sollicitudo vacans Deo, si quadam retrospectione seu tergiuersatione corrueret in mundi sollicitudine, & iam non tantum vana esset quasi finem non assequens vacationis, verum damnabilis iudicaretur & reproba si in damnabilem reprobamq; sollicitudinis peccatricis foueam præceps laberetur; qualem dissuadet maximè sermo propositus: Nolite, ait Christus, solliciti esse &c.

Particula quinta.

Quæreret forsan nouitiorum aliquis, quæ sit & qualis hæc sollicitudo culpabilis. Nam de tolerabili mundanorum satis insinuatum est, & de quadam altera otio sancto condiuisa videtur admonita, sed non criminata fuisse illa Mariæ sedentis ad pedes Iesu soror Marthæ. Martha, inquit Iesus, sollicita es & turbaris erga plurima, porrò vnum est necessarium. Atverò tota commonitionis Christi series cum expositoribus suis in illa prohibitione sollicitudinis, sicut Matthęus & Lucas referunt, dat intelligi sollicitudinem malam esse quæ non est prudentis & sagacis prouidentiæ neque necessitatis, sed est vel diffidentiæ vel perfidiæ vel cupiditatis curiosæ & anxiæ, de quibus non est modo per singula disserendum.

Particula sexta.

Veniamus igitur per compendium statim ad piæ sollicitudinis vestræ in Domino quæstiones, quæ sollicitudinem reformidant impiam, dum piam immo necessariam coguntur amplecti. Manet apud vos (ô patres & fratres) profundo corde firma monitio apostolica Hebr. 13. Sint mores sine auaritia contenti præsentibus. Nihilominus aspicitis illa esse necessaria quæ concedit idem apostolus 1. Timo. 6. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Bene suades ô magne prior apostole, placet id quod apponis, his contenti simus. Attamen alimenta & eã quibus tegamur, oportet habere. Non autem hoc ipsum totum vel labore nostro, qui diuinis mancipamur officijs vel ostiatim mendicando, qui nequaquam discurrere per vicos & plateas instituimus, obtinere fas nobis est. Denique nihil æquius secundum omnem legem esse deducit apostolus 1. Corinth. 9. quam qui altario deseruit, de altario & viuat.

Particula septima.

Væ væ mundo ab scandalis, væ scandala spargentibus vbilibet dæmonijs. In via hac qua ambulabam, conqueritur propheta, absconderunt superbi laqueum mihi. Et rursus: Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Electa est ecce sub triplici religionis voto via paupertatis, vt sollicitudo noxia diuitiarum cruentans & enecans vitaretur. Electa via castitatis perpetuæ, cõtra sollicitudinem alligantem vxori cum tribulatione huiusmodi. Electa via derelictionis propriæ volũtatis per obedientiam, contra sollicitudinem tot dubitationũ, tot scrupulorum, tot discriminum, qualia propria voluntas se dum ducere vult, se seducens incurrit. Pudet heu pigétque recordari quantis & qualibus apud nonnullos detrimentis omnia sunt in oppositas exorbitationes euersa subuersáq;. Iam heu nimis apparet veritas parabolæ Christi, quæ modo dum hæc relegerentur, lecta est in ecclesia de immundo spiritu, qui cum exierit ab homine, tandem redit & adducit septem spiritus nequiores se, dum inuenit domum vacantem, non quidem verè, sed sola simulatione, sicut & solis extrinsecæ professionis scobis fictè mundata est.

Particula octaua.

Est vtique nequam & immundus spiritus cupiditas, quæ radix omnium malorum & idolorum seruitus ab apostolo, & mãmona dicitur iniquitatis à Christo. Sed nõne nequior est simulata paupertas, quæ sub voti velo latens tota diuitijs inhiatur, tota sollicitudinibus earũ pũgitur, & intus & extra cõtinuis mirisq; modis laceratur, cruentatur, dissipatur: Cui namque poterit esse dubium solerter attendenti, quin spiritus auaritię nequam iam secum adduxerit septem spiritus. i. vniuersitatem vitiorum nequiores se? Simulata quippe (sicut ait August.) æquitas duplex est iniquitas. Non secus hoc loco dic quod ficta & vota paupertas, non est paupertas spiritus, non paupertas virtus, non amica bonis motibus frugalitas, sed duplex iniquitas, quia & verè cupiditas est & simulatio. Nec hic sistitur, sed progrediens istic voti fractionem, fundatorum defraudationem, proximum factis dictis & exemplis scãdalizationem inuenies. Demum subit illud væ Christi dictum pharisæis pro talibus in religione penitus lapsa versantibus, quales hic solos plangimus. Circumitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum. i. nouicium in religione, & cum factus fuerit facitis eum filium gehennæ duplo quam vos, Ecclesia. 5. quoniam displicet Deo infidelis & stulta promissio, & melius est non vouere quam post votum non reddere.

Particula nona.

Siste tandem anima, siste calamum quem indignatio tua rapit vltra longè quam inchoando proposueras. Et quæ doctrinam bonam datura es, distraheris satyra, quæ nulla vnquã oratione, nulla declamationis acrimonia satis erit reprobanda. Reuertamur ad progressum finis intẽti, resumentes illud vnde arripuit nos malorum recogitatorum (præsertim apud non paucos nostri temporis religiosos) anxius Dei timor, Christianáque pietas & miseratio fraternalis. Illud erat aperire quo pacto paupertas religiosa vacaret absque sollicitudine victus & vestitus. Interueniunt fateor (& vos interrogando fatemini)

plures crebrò pungitiui conscientiarum scrupuli, non sinentes timorosos fratres implere cum pace verbum Christi cum apostolica monitione, nolite solliciti esse.

Particula decima.

Sunt autem in genere tres in conquisitione victus & vestitus nequam stimuli. Vnus simoniæ, alius vsuræ, alter fraudulentiæ. Sollicitatur nimirum timorata mens ne forte misceat se inter dantem temporalia pro spiritualibus recipiendis, & è contra labes simoniacæ prauitatis,& hoc vtique frequenter (væ væ) prouenit dum non habetur directio dum lumen intentionis nostræ quæ dicitur oculis corporis omnium actionũ nostrarum, est tenebræ. Sollicitatur præterea ne in reditibus comparandis (quia non semper inueniuntur ad perpetuum) reddatur contractus vsurarius ex adiecta conditione seu pactione de facultate totiens quotiens redimendi. Super hac verò duplici quæstione sollicita scrupulosáq; possunt haberi quædam opuscula nostra nuper edita, si tamen cum magnis talium tractatoribus visa fuerint numeranda.

Particula vndecima.

Superest ad præsens inuestigare & inuentos tollere (quantum iuuerit sator boni seminis Christus) zizaniorum fraudulentorum aculeos, quos latebrosa nocte dum dormiunt per negligentiam homines, superseminat inimicus homo sub obtentu conquisitionis victus & vestitus. Hoc etiam præcipuè vestra per quæstiunculas sollicitudo scire desiderat. Et quoniam defraudatio directè cõtrariatur iustitię, tot modis inueniemus defraudationem quot iustitiam fieri, oppositorum quidem eadem est disciplina. Dicitur autem iustitia virtus ad alterum vel sicut ad alterum reddens vnicuiq; quod suum est. Porrò iustitia amplè sumpto vocabulo comparatur ad Deum & ad proximũ, immo ad seipsum sicut ad alterum prout in pœnitẽtia fit dum spiritus carnem subijcit seruituti. Sic erit defraudatio vna ad Deum, altera ad proximum, tertia quasi metaphoricè dicta ad seipsum. Et primitus de proximi defraudatione(quia notior est) videamus,& conclusiones deinceps inseramus.

Particula duodecima.

Conclusio prima.

Sollicitudo pia conferentis temporalia, defraudatio si sua intentio à recipiente nõ seruetur, hoc enim propriè sonat fraus & dolus, dum prætenditur vnum & fit alterum. Sic dicitur de testatore quod fraudatus est, si sua differatur aut non impleatur intẽtio, neq; tamen accipiẽda est de quauis intentione. Non enim cadit sub obligationis recta lege nequã intentio, si saluti contraria, si moribus absona, si in deteriorem exitum eius obseruatio sit ventura, qualis esset intentio palam simoniaca vel vsuraria, vel iuri præiudicans alieno, vel Deo sanctisque suis non honesta.

Particula decimatertia.

Conclusio secunda.

Sollicitudo pia cõferentis temporalia dirigi debet ad sustentationem ministri illius temporalem facienda à quo spiritualia requiruntur. Iste siquidem iustus, proprius & vetus est titulus suscipiendi spiritualia. Et hoc supponatur ad pręsens tãquã deductum sufficiẽter in materia de simonia, dum de directione cordis forma daretur. At verò plerũq; fit vt mentiatur iniquitas sibi, nunc per ignorantiam affectatam,& ideo culpabilem, nunc per negligentiam quæ non tanta sollicitudine quærit agendorum veritatem. Expedit igitur ad particulares descẽdere casus, nõ quidẽ ad omnes aut singulos, hoc enim nobis est impossibile quoniã varij sunt sine numero & ita varij quod vna circunstantia quandoq; posita, quãdoq; deficiẽs iudiciũ sapientis variare compellit, & hoc cũ admiratione parum sapientis, nec ad omnia circumspicientis. Quæsiuit vnus anachoretarum à quodam patre. Pater, debeo tentationes admittere aut protinus eas abijcere? Admitte inquit. Accessit alter cũ eadem petitione. Abijce inquit nec admitte. Nõne contraria videri possunt, admitte, non admitte? Sic apud sapientem Prouerb. 26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam. Et ibidem. Responde stulto iuxta stultitiam suam. Sic in euangelio de monstrandis & non monstrandis operibus bonis habes.

Particula decimaquarta.

Qua in re colligitur vnde tam frequens error in mortalibus iudicijs venit. Sunt qui solis intendũt generalibus regulis, vt sunt prouerbia & auctoritates sanctorum. Sunt qui ad sola singularia dant se totos, nullam ad prima principia resolutionem facientes, quia vel nesciunt vel negligunt, aut toti literales & sine spiritu carnales sunt, vel excæcat eos propria malitia hæc aut illa. Sunt alij circumspecti simul & prudentes, qui singularia cautè colligunt, & sapienter ad regulas resoluunt generales, colligentes pariter quæ fuerit ratio datæ legis quandoque per eleuationem mentis ad regulas diuinas, quandoque ad humanas. Primum fit per virtutem quam vocat Aristo. gnomicam. Alterum per epikeiam quam dicere possumus bonam æquitatem. Et quoniam rarissimi sunt tales circumspecti, requiritur enim cum eruditione longus experientiæ vsus, non expedit passim ab omnibus quærere solidum pro moralibus consilium, neque similiter præsumere illud dare quisque debet, præsertim non habita cum suis circunstantijs omnibus vera casus forma quæ quæritur.

Particula decimaquinta.

Et certè frequens istic ab inquirentibus solet interuenire defectus. Et cum ius ex facto oriatur, quid mirum, si in responsione fit deceptio? Non quidem semper ex respondentis sed ex inquirentis vitio, aut crebrius propter phantasiã parum instructorum, qui se paralogizant, decipiunt & sophisticant, putãtes casus aliquos esse similes, quos ex vnica quandoque circunstantia addita vel remota, vel non attenta constat prorsus esse dissimiles vel aduersos. Exempla tacta sunt. Et apud medicinam dandam patet hoc vitium, dum vnus sibi visus arroganter peritus in hac aut hac medicina danda, applicabit vnam receptam ad morbos ex causis oppositis ortos, nõ attendens quod aliud quod sanat calcaneum, non sanat sed excæcat oculum.

Particula decimasexta.

Omittamus narrationes super hac re vulgares, nec referamus quam iuste proinde rationem vel non valeant aduocati prętendere dum casum omnem

omnem ad se delatum iustificandum suscipiunt. Et veniamus ad alias conclusiones cum suis modificationibus, inuestigando præcipuè de intentione sustentantis ministrum ecclesiæ quę & qualis sit tenenda, per eum qui sustentatur & recipit, siue sit vnus siue sint plures, secularis aut religiosus.

Particula decimaseptima.

Conclusio tertia.

Sollicitudo pia conferentis temporalia si vult, potest in sua generalitate suffragia requirere. Et sub hac intentione sola stando non minus merebitur sæpe apud Deum, quam particularius exigendo. Non habet prima pars dubitationem. Secunda pars vtinam spiritualibus oculis (quales sunt oculi columbini sponsi & sponsæ in canticis) aspiceretur, quoniam apud illos perspicua esset qui cognoscunt omnia benefactorum omnium quantumlibet occultorum præmia reposita apud Deum, propter quem & in quo fiunt. Verum pauci sunt spirituales huiusmodi qui non miscere curent grano purissimo charitatis illud seminando quædam zizania vanitatis. Fitque illud Virgilianum:

Infelix lolium & steriles nascuntur auena.

Audi conformiter illud euangelicum quod simul exortæ spinæ suffocauerunt semen verbi & fructum boni operis.

Particula decimaoctaua.

Conclusio quarta.

Sollicitudo pia conferentis temporalia potest & debet admoneri clam aut palam per prædicatores aut alios super præmissa veritate pro directione puriori intentionis suæ. Suadenda quippe sunt bona cum dissuasione malorum. Nihilominus obseruetur illud antiqui prouerbij: Ne quid nimis, quia qui nimis emungit, elicit sanguinem. Nimis exacuens ferrum, quandoque vel hebetat vel consumit ipsum. Satagens denique totum quicquid seuerit aut messuerit purum esse, non habens aliquid zizaniorum neq; palearum, quidni frustra, quidni stultè sæpe conetur & damnosè fatigetur. Nunquid eligibilius est granum aliquod vel impurum quam nullum colligere? Quocirca dicamus consequenter.

Particula decimanona.

Conclusio quinta.

Sollicitudo pia conferentis temporalia potest cum bona venia, immo & cum gratia conditiones certas apponere explicatiuas intentionis suæ. Sufficere in primis debet ad consensum huius veritatis vsus totius communis ecclesiæ, qui sic habet & recipit, cui si quis detrahit, imprudenter se decipit. Sunt autem tres conditiones propter quas piè potest conferens apponere limitationes certas. Vna concernit personam recipientem. Altera personam conferentem. Tertia personam affinem vel attinentem.

Particula vicesima.

Attende & videbis expediens esse personæ recipiēti quod limitetur ad certa suffragia, quatenus reddatur animus eius magis sollicitus debitum soluere, & intentionem suam in Deum dirigere. Quatenus præterea maneat eius conscientia securior, quo poterit agnoscere quod obligatione soluta quietus manet. Nec paruipendendę sunt duę

Gerson. Secunda pars,

rationes istę. Quibus additur tertia. Constat namq; apud Deum qui nouit omnia, qui & dicit: Ego
A Deus & non mutor, nihil esse necessitatis aperire nostras intentiones & affectiones exponere. Hoc ergo requiritur propter nos orantes, vt sc. exhibeamus nos tales nobisipsis qualem cupimus esse Deum nobis pios, amicos, sedulos, compatientes, & ita de reliquis affectibus. Sed quis nesciat quod orans plus mouetur & afficitur in seipso dum ad particularia respicit, dum benefactorum munera, dum obligationes, dum intentiones, dum necessitates considerat, quam in quadam vniuersitate se tenendo?
B

Particula vicesimaprima.

Videbis rursus circa personam conferentis expediens esse frequenter & necessarium aliquando suffragia limitare. Primo si ad illa suffragia teneatur vel ex voto vel ex sacerdotis iniuncto, vel ex alterius testamento legato vel mandato. Certum est proinde suffragia ecclesiæ vel singularis personæ non tantum valere pro mille aut omnibus quantum si pro vno fiant, & hoc ad præsens
C supponatur ex alijs opusculis. Nec est controuersia qualiscunque apud doctores de suffragio satisfactionis & redemptionis, sicut exempla ciuilia & quotidiana concurrunt de debente centum francos, qui liberaretur centum pro se solutis, sed additis secum decem socijs in participatione liberationis, propria eius tātum dē liberatio tardaretur.

Particula vicesimasecunda.

Videbis denique circa personam affinem vel attinentem personæ conferentis referre quam plurimum si viderit & senserit per successores tem-
D porum & generationum, quod talis parens eius vel affinis talis fuit piæ sollicitudinis, vt pro se & suis talia fieri constitueret pietatis officia. Nonne mouetur ac commouetur proinde preces cū gratiarum actione & laudibus ad Deum referre? Nōne probabile est eidem animādum fore, vt quemadmodum ille fecit, ita & ipse faciat? Deductio latior patet aduertenti.

Particula vicesimatertia.

Conclusio sexta.

E Sollicitudo pia conferentis temporalia potest cum bono corde nedum in suffragijs conditiones apponere, sed cum hoc loca certa & honorabilia suæ sepelitionis eligere, cum appensione insigniorum seu titulorum conscriptione iuxta sui status qualitatem, sic de pompa funeralium diceretur. Sequitur hæc conclusio per deductiones præcedentes. Et quoniam inueniuntur sanctissimi patres talia curasse, nam piè recognita cedunt omnia ad honorem magnificum Dei & ecclesiæ tam militantis quā triumphantis, & ad fidē, spem
F quoq; resurrectionis astruēdam, & ad incredulorum confutationem proficiunt. Veritas est talia omnia conuerti nunc in bonam nunc in malam partem, pro facientium, pro conferentium, pro recipientium, pro inspicientium, pro interpretantium, diuersa & aduersa qualitate, neque omnino aliter inuenies in operationibus humanis extrinsecus exhibitis. Ad quod adduci potest illud comicum: Talia sunt omnia qualis est animus vtentis. Quemadmodū de diuitijs aut paupertate dixit sapiens, quod substantia pauperis secundum cor eius.

Particula vicesimaquarta.

Fundamentum suscipit hoc loco salubertimum illud Christi præceptum ab apostolo repetitum: Nolite iudicare. Quod vtiq; de talibus ad vtrumlibet indifferentibus intelligitur esse præceptum, vt qui manducat, non manducantem non spernat, & è contra. Qui offert temporalia, non offerentem non spernat. Hinc abbas pastor dic inquit, semper tibi, tu quis es, & ne iudices quemquam. Sic & saluabitur humilitas, & curiositas superba, periculosa, temeraria & inquieta confundetur.

Particula vicesimaquinta.

Conclusio septima.

Sollicitudo pia conferentis temporalia defraudatur, si non impleatur obligatio vel promissio, vel conuentio secum facta, cessante causa legitima non implendi. Conformiter ad primam conclusionem est hæc septima conclusio. Restat solum difficultas in assignatione causarum seu casuum, quibus & quando potest prætermitti à recipiente illud quod conferens instituerat. Vna causa est necessitatis. Altera maioris vel vrgentioris vtilitatis. Tertia per dispensationem superioris auctoritatis. Quæ duplex est, vna suprema papæ, alia ordinaria prælatorum.

Particula vicesimasexta.

Necessitas incumbit nunc ex impotentia vel infirmitate recipientis, tunc ex fortuitis demolitionibus ecclesiarum, ex dissipationibus hæreditationibus hæreditatum atq; redituum, quibus sustentandus erat minister ecclesiasticus cuius beficium quod dabatur propter officium, si prorsus deperijt, non videtur astrictus remanere seruitio nisi fortassis obligatio remaneat aliunde.

Particula vicesima septima.

Porrò maior aut vrgentior vtilitas prouenit quandoque per temporis successum. Vbi oportet (iuxta illud iuristarum) quod alia ratio reformet pactum. Nec est illud mirabile insolitum vel impossibile, cum in iuramentis & votis generaliter emissis de futuro plerumque sic eueniat, vt quæ generaliter promissa bona esse videbantur, fiant in casibus particularibus vel non obseruanda vel mutanda, quia noxia sunt, vel inutilia moribus, vel dissona ecclesiasticis ritibus, seu boni maioris impeditiua. Suppetunt exempla frequẽter si quis aduerterit, vt si quotidie dicenda sit missa de requiem, veniet dies natalis domini, dies resurrectionis eius, dies pentecostes. Conueniũt parochiani ad auditionem missæ quæ tunc forte non habetur ab alio, puto nullus diceret tunc cantandum esse de requiem.

Particula vicesimaoctaua.

Attenderent vtinam conferentes temporalia quid plus honoris & celebritatis affert circa diuinum religionis cultum & viderent quod aliquãdo fructuosius esset pro suffragijs habendis, fundare die obitus sui missas vel alia seruitia quæ de sanctis sunt, aut de tempore, quam si in solis funeralibus seruitijs sisteretur. Quemadmodum si fiat vnum annuale iuxta ritum & significationem missalis quotidie videtur habere plus deuotionis in suscipiente, quoniam natura sic habet vt identitas vel assidua similitudo causet fastidium. Nihilominus oportet iuxta & propter præmissa pias

A conferentium & recipientium conuentiones non leuiter abrumpere, sed tractare reuererẽtur. Quamuis non est arbitrandum omnes huiusmodi cerimoniales institutiones obligatorias esse sub pęna peccati mortalis si transgrediantur, quia nec de alijs constitutionibus longè essentialioribus ordini monastico hoc est sentiendum. Contemptus autem nihil sollicitus super impletionẽ talium crimen habet tam apud monasterium seu collegium, quam apud singulares.

Particula vicesimanona.

B Cæterum de dispensatione superioris additum est pro tertia causa, quoniam nõ omnium est passim tales casus descindere sub regulis generalibus emergentes, sed ad prælatos spectat interpretatio iuridica, ad doctores scholastica, præsertim quando potest esse rationalis dubitatio de duplici casu priori, necessitatis videlicet & maioris & vtilitatis. Grandis verò nunc aperiri possit discussio super hac materia dispensationum & commutationum, tam in respectu dispensationum quam in ordine dispensationem quærentium & recipientium, quę specialem postulat separatumq; tractatum, sicut & quædam alia cursim hic pertransita.

C *Particula 30.*

Dicamus vnum hic & nunc pro expedienti tutius esse semper assumere dispensationem superioris seu commutationem, quæ vt haberi commodius possit, procurãdum est ab auctoritate papali, præsertim in religionibus exemptis, quod detur aliquis ab eo substitutus, sit de religione, sit alius, qui facultatem habeat totiens quotiens videbitur dispensandi, ad quem facilis pateat accessus.

D Hoc consilium in alijs etiam casibus conscientiæ scrupulosis salubre est, sint illi casus occulti, sint publici, sint super peccatis, sint super pœnis & irregularitatibus peccatorum.

Particula 31.

Demum papa ritè consultus non se reddat difficilem concedere talia, quando & vbi non apparet fraus vel laqueus ista quærentium, non in velamen falsæ libertatis malitiæ, sed serenationem conscientiæ & dilationem viarum pœnitentiæ.

E Qua in re colligitur ex consequenti de particularibus exemptionibus à prelatis ordinarijs: quod frequenter noxię sunt: nedum pręiudicium iuris alieni: nedum propter conturbationem ordinis ecclesiastici & hierarchici, verũ propter incõmodũ collegij sic exẽpti. Cur ita? quia nimirũ pręcludit sibi recursum facilè ad prælatum ordinariũ, dũ quæsiuit quasi libertatem excutiendo iugũ suum.

Particula 32.

Conclusio octaua.

F Sollicitudo pia temporalia conferentis si ordinauit missam esse dicendam (exempli gratia) die lunæ pro seipso, defraudatur per recipientem sic obligatum, si det talem missam pro altero, siue fiat hoc ex priore, siue fiat ex obligatione vel susceptione subsequenti. Ratio perspicua est per deductionem ad impossibile vel inopinabile. Da siquidem ita esse quod vna missa sufficiat pro duobus, dabis obsequenter quod sufficiat & liberabit pro tribus, pro decem, pro centum, pro mille, & ita pro quolibet & pro toto mundo. Dabis vlterius quod non erit melior conditio procurantis sibi missam peculiarem. Dabis denique quod

quod pro vna missa potuerunt centum habitæ sub voto, sub promisso, sub iniuncto per forum pœnitentiæ vel alterius iustitiæ solui. Cur ergo tot presbyteri, tot missæ constituuntur: cum vnus sacerdos cum sua missa vnica satis est pro omnibus?

Particula tricesimatertia.

Vellet addere forsitan aliquis, quod recipiens dum habebat prius ad sufficientiam pro sustentatione status sui, vel ex beneficio vel patrimonio vel piè collato, fraudat & peccat tam proximum quam se, cum tota ratio conferendi temporalia ministris ecclesiasticis videatur esse sua sustentatio nõ diuitiarum accumulatio, vel ornatus pompaticus. Sed hęc assertio durior est quam oportet, super qua memini pridem in quadam lectione quæsiuisse. Denique qualis & quanta sit mensuratio sufficientiæ status, non potest sub arte tradi. Nam quod vni parũ est, fit alteri nimium, immo fit in eodem pro varietate temporum & circunstantiarum talis varietas quandoque rationabiliter, quandoque verò culpabiliter, dum quis accipit & ascendit statum sibi moribusque suis meritis improportionatum, faciens sibi non de necessitate virtutem, sed de vitio necessitatem. Adde quod recipiuntur aliquando temporalia præter vel vltra necessitatem præsẽtem, aut non pro solo statu recipientis, sed ad aliorum prouidam piamque reuelationem.

Particula tricesimaquarta.

Conclusio nona.

Sollicitudo pia conferentis temporalia procurando sibi missam iuxta casum priorem non defraudatur, si presbyter recipiens adiunxerit alios in orationibus suis publicis aut secretis, vt memento, aut si offerentes (vt solet) post euangeliũ recipit. Moderatur hæc conclusio præcedentem, ritum simul ecclesiæ conseruat, & exercet charitatem quam rursus à terrena cupiditate discernit. Denique doctorum consiliat apparentem in aliquibus discordiam, cuius aspectus ad diuersa, huius ad hæc, illius ad ista vertebatur.

Particula 35.

Quæramus à conferente temporalia quæstiones aliquas vt ex sua responsione veritas magis emineat. Et primò vis ô frater vt in missa quã pro te dici constituis, nulla dicatur locis suis alia penitus oratio quam pro te? puto respondebit sicut respondere debebit, quam hæc fieri nõ prohibet.

Vis rursus ô frater quod in memento tam pro viuis quam pro defunctis nullus commendatus habeatur, nisi tu & tui? Respõdeat, oportet quod hoc non intendat, quoniam institutioni ecclesiæ iam ipse repugnaret. Vis præterea quod volentes ad offertorium venire quatenus ipsi missæ participes sint, repellantur? certè nec hoc dicet, si ritũ ecclesiasticum plenè cognouerit. Quid vis igitur tibi frater fieri pro peculiari missa tua? Si responderit, volo tota mea, tota cedat in spiritualem vtilitatem meam, tota valeat ad remissionem peccatorum meorum & satisfactionis debitæ vel iniunctæ redemptionem. Sed an hoc ita vis frater, quod sacerdos nihil sibi mereatur, nihil seipsum iuuet, nihil pro seipso satisfaciat, nihil demum re-

A pendat obsequij parẽtibus, nihil benefactoribus, nihil commendatis? Similiter & tu conferas nihil ecclesiæ toti militanti? Nolo dicet, & iure dicet. Quid superest igitur nisi referre quantitatẽ suffragij Deo quæ & qualis tibi data debita est? nolito murmurare, sciet profectò, sciet ille qui montes ponderat in statera, tua similiter dona mensurare. Adde quod in oblatione tua fortassis alij sunt melioris conditionis vt participent quam tuipse. Quomodo petes? hoc inquam modo, quia de bonis eorum vno modo vel alio malè quæsitis facis eleemosynam, facis fundationẽ, dilatas pom-
B pam tuam, facere vis nomen tibi, aut modestius sentiendo loquendoque, tu debitor es parentibus, patriæ benefactoribus, denique vniuersæ cõmunioni sanctorum. Patet igitur sub hoc interrogationis & responsionis typo conclusio declarata.

Particula 36.

Conclusio decima.

Sollicitudo pia conferentis temporalia non de-
C fraudatur si iuxta consuetudinem ecclesiæ quam ipse scit, apponatur vnus obitus (exempli gratia) cum suo certo die fundato. Da oppositum, damnabis omnes ferè cathedrales & collegiatas & parochiales, immo & monasteriales ecclesias. Contra dices insuper rationi: quæ non vult vt cuilibet conferenti aliquid pro suo obitu fiant semper exequiæ speciales, quoniam sæpe modicum & insufficiens est quod offertur ad sustentationem ministrorum. Et obligatio de obitu faciendo cõ-
D ditionem recipit (& si non semper explicetur) implicitam. Item nec dies anni sufficerent, si cuilibet soli certus dies obitus aut etiam aliunde instituentis esset seruandus. Si verò talis conferens temporalia nesciret consuetudinẽ ecclesiæ, prout ipsimet de collegio seu corpore suo nesciunt, & fertur intentio sua, quod obitus annuatim fiat pro se solo tali die nihil tamen explicat super hoc, tunc adhuc bona fides & æquitas recipientium saluatur in sua cõsuetudine. Si autem fiat mutuus & expressus consensus inter dantem & recipien-
E tem, non apparet quod consuetudo militet vt alter obitus coniungatur iuxta modum septimæ & & octauæ conclusionum.

Particula 37.

Conclusio vndecima.

Recipiens defraudat crebrò semetipsum in receptione temporalium. Quamuis videatur esse regula iuris, quod nemo sibiipsi sicut nec volenti
F aut consentienti faciat iniuriam aut fraudem, nihilominus inuenitur per metaphoram hominis ad ipsum fraus, sicut & iustitia. Et hoc ad præsens supponatur, & tangamus in facto modos aliquos. Primò si mentitur iniquitas sibi & proximo dum non implet, nec implere proposuit quæ promisit, satis est ei si pecuniam vndecunque collegerit, quasi dicens sibimet illud metricum.

Promittas facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis diues quilibet esse potest.

At verò dum lucrum quærit in bursa, damnum acquirit æternum in anima, sententia est Augustini.

Particula 38.

Facit aliam sibi defraudationem sub interpretationis cuiusdam velo latétem, dum se iudicem constituit in causa propria suæ obligationis, commutans illam pro voluntatis arbitrio. Aut dum suffragia non plus agit pro benefactoribus & fundatoribus, quam pro cæteris quibuslibet dicens sibi satis esse suam in generalitate sola intentionẽ continere quoniam sciet distribuere Deus prout volet, & quibus volet & quantum volet. Exemplum de paupere, debitis insolubilibus obligato, qui liberat se cedendo corã iudice suo omnibus bonis suis. Posita videtur hæc doctrina sub fine cuiusdam opusculi de valore orationis, addito de de quadam Melania nobili Romana exemplo. Verum non ita sub vniuersali regula sermo factus est, quin distinctionem discretionemq; recipiat. Propterea dicamus viceuersa casus aliquos quibus expedit & quandoque necesse est intentionem ad particularia traducere.

Particula 39.

Constat in primis quod licet Deus non egeat intentione nostra vel oratione particulari, sicut nec aliis bonis nostris vt aliis bene faciat, nihilominus vult secũdum ordinem suæ sapientiæ dare aliqua dum specialiter ad ipsum dirigamus orationes nostras, qualia non esset daturus sine illis, vt non sint vacua sapientiæ suæ opera iuxta verbum sapientis. Constat insuper quod nouit Deus ponderare merita, intentiones & corda conferentium temporalia, dat tamen aliqua conferentibus dum fiunt orationes & suffragia post modũ pro ipsis, quæ & qualia non daret si dimitterẽtur, nec fierent. Patet in illis qui constituunt in suis testamẽtis aut aliunde certas pecunias restitui vel dari pauperibus, qui licet sic ordinando possint mereri, non tamen proficit eis & aliis tantundem hæc voluntas non sequente effectu sicut sequente, quoniam in casu maneret iste ordinans adhuc ad restitutionem posterius obligatus.

Particula 40.

Concedimus vltra quod recipiens temporalia potest habere aliquotiens orationes feruentiores & Deo placentiores dum non facit eas in particulari pro his aut illis personis immo tradit Hugo de sancto Victore in suo de oratione & trahitur satis ex verbis sancti Antonij, quod oratio tunc est acceptissima Deo, dum omnium & suijpsius obliuiscitur, nec scit quid petit, propter quendam in Deo raptum & subleuationem vel ascensum. Non autem modo loquimur de oratione tali, sed potissimè de vocali, super quam & de qua cadit vt plurimum obligatio, dum pro suffragijs temporalia conferuntur.

Particula 41.

Quamuis ô vtinam persuasum haberent homines sæculi, quantum sit acceptior oratio talis per deuotos silentes & quietos quantum preterea sua ad Deum eleuatio etiam iocundissima prorsus & suauissima plus impetrat apud Deum, plus eundẽ placat, plus soluit de pœnis debitis, plus de meritorum gratijs impetrat, quam sola talis exercitatio corporalis in vigiliis supra modum, & cãticorum multiplicationibus, quæ sæpe plus exturbant cerebrum & tædium gignunt, quam deuotionem inducãt. Qualia per prophetam notauit aliquãdo Dominus dicens: Aufer à me tumultum carminum tuorum. Non ideo tamen vt culpemus ita loquimur, sed vt rationabile fiat obsequium, & bono vni melius aliud præferatur, neque semper animalis homo præualeat, & spiritualem ordine non recto dijudicet. Sed quid? vt homines sunt (ait quidam) ita morem geras, priuilegium quoq; paucorum, officia, leges & instituta non mutat plurimorum.

Particula 42.

Addamus quod in certis casibus non expediret vt recipiens temporalia haberet ad conferentes particularem nimis aut frequentem recogitationem. Docet hoc exemplum patris Arsenij, qui rogatus à quadam nobili matrona, vt sui recordaretur. Ora inquit, Deum vt Deus deleat ex animo meo memoriã tui. Possunt itaque tales aliquando recordationes plus orantem suis phantasijs impedire quam deuotionem augere vel puram efficere reuoluendo.

Particula 43.

Subiungamus consequenter quod ex humilitate laudabili potest fieri coram tali aliqua cessio omnium bonorum spiritualium in manibus suis proportionabiliter ad forum extrinsecũ de temporalibus bonis ratione debitorum, & hoc ex cõsideratione tot exactorũ quibus obnoxij sumus, & quibus nos præmunt & quodammodo suffocant, dicentes ex omni parte. Redde quod debes, vt sunt creatio, recreatio, redemptio debitorum totiens facta remissio, præterea tam crebra nunc vno modo, nunc altero immediatè & mediatè facta receptio. Quo casu pauper homuncio sic deprehensus & angustiatus, dicere potest ad Deum. Domine vim patior, responde pro me. Tu inquã, qui precium nostrum es, nostra iustitia, nostra redemptio, redde creditoribus meis quomodo vis & scis, tantummodo vita gratiæ in paupertacula hac me sustentes, & satis est.

Particula 44.

Porrò nullus debet in dubitationem vertere quin particularis intentio & attentio directa Deo pro istis aut pro illis sit efficacior & laudabilior plerumque. Primò & gratitudinis virtute & ingratitudinis euitatione. Secundò ex augmento deuotionis affectualis quam naturaliter habet parere beneficiorum recordatio si gratia Dei coniungatur. Dici solet & verum est, quod particularia magis mouent, immo consilium est pro duris & indeuotis, vt per cogitationes tales semetipsos afficiant, & durum cor emolliant. Tertiò quia fit obligationis certior impletio, & ad serenationem conscientiæ satis valens, dum experitur homo se fecisse vel facere quod tenetur ex conuentione. Demum non impeditur ex hac particulari recogitatione cessio fieri generalis qualem notauimus, sed iuuatur.

Particula 45.

Conclusio decima.

Recipiens temporalia potest iterum defraudare seipsum dum maledictionem incurrit, qua dicitur: Maledictus qui partem suam facit deteriorẽ. Verum est itaque quod opus spirituale factũ pro satisfactione, non valet tantumdem pro multis sicut pro paucis cæteris paribus. Obligans igitur se

se ad satisfaciendum pro aliis, non tantundem facit pro propriis suis debitis in hoc mundo vel in purgatorio, quantum si propriæ liberationi totus insisteret. Stabit ergo quod pro receptione sustentationis huius vitæ mortalis laborabit in purgatorio pœnas luens multis annis. Quamuis in casibus multis charitas ad proximum exhibita piè, recompensare valet huiusmodi dilationem liberationis propriç in augmento prçmij vitæ æternæ. Dum præterea fecit se homo pauperem propter Deum & salutem propriam, dum rursus fecit aliunde sibi amicos de mammona iniquitatis, dedit quoque vt reciperet & recipit vt daret.

A

B

Particula 46.

Caderet hoc loco materia de mendicitate corporali, vtrum videlicet obligetur recipiens eleemosynam sub titulo mendicitatis, hoc est solo titulo & respectu naturalis defectus absque alia recompensatione seu redditione mutua temporali vel spirituali, alioquin non esset vera mendicitas sed commutatio qualis est in cæteris ecclesiasticis redituatis. Vtrum inquam, talis mendicans tutius & liberius viuat apud Deum & homines, quam alij qui nolunt esse contenti solo huiusmodi paupertatis titulo, sed obligationem iuri diuino & naturali consonam voluntariè coniungunt, immo consequenter laberetur hæc inquisitio si stāt isti duo tituli pariter in eodem & pro eodem, mēdicare & orationum vicem sub obligationis pacto rependere. Deinde profundius fodiendo aut agitando pulcher veritatum thesaurus & fulgor apparet oculis non infectis, sed ad exitum propositæ conquisitionis iam sermo festinat.

C

D

Particula 47.

Conclusio tredecima.

Recipiens defraudat se dum accipit officium intercessionis ipse qui Deo displicet & est in peccatis totus. Fuerunt qui dixerunt multa & terribilia circa materiam istam de peccatoribus ecclesiasticis, vt quod sunt fures & latrones in tractatione & dispensatione & receptione temporalium, quod non faciunt fructus suos & quod tenentur ad restitutionem, nec possunt inde eleemosynam facere, cum multis similibus, quorum aliqua sūt expresè damnata, quæ erant de errore Albigensium & Vvaldēsium, & nouissimè Vvicleffistarū & Hussitarum, qui sumpserunt occasiones errādi ex odio & zelo, non secundum scientiam, contra discolos mores ecclesiasticorum, quos intuebantur magis detestando & cum indignatione quam miserando cum pia oratione & modesta redargutione. Arguendo præterea per similitudines dispensationis temporalium ad spiritualia, quæ non semper eisdem pedibus currunt.

E

F

Particula 48.

Concedimus autem quod ecclesiastici peccatores possunt in multis casibus facere fructus beneficiorum aut religionum suos, quamuis ad cōsecutionem vitæ æternæ nō sunt digni pane quo vescuntur, quamuis insuper non ita satisfaciant Deo sicut iusti. Sed multa Deus concedit ingratis. Nonne potest existens in peccato debens. x. solidos proximo satisfacere sibi, nec obligatus remanere? Nonne posset etiam nomine alterius debitoris quasi mediator solutionem hanc offerre? Possumus ita iudicare de peccatoribus ecclesiasticis, quod tam nomine proprio quandoq; quam in persona ecclesiæ, cuius ministri sunt possunt se & alios adquitare quamuis non stat eos esse tales & saluari vel mereri.

Particula 49.

Conclusio decimaquarta.

Recipiens temporalia se defraudat & proximū, dum superinducit ad redditus iam constitutos nouas pro alijs obligationes prioribus incompassibiles, aut earum distractiuas. Sunt qui super priorem fundationem (exempli gratia) decem fratrum sic recipiunt nouos, vt seruitium nō hinc augeatur. Sunt qui recipiunt sub tali pacto quod in omnem euentum debeat semper fieri seruitiū pro collatoribus vltimis, etiam vbi deficerent ea omnia quæ tradiderunt. Constat in his casibus & similibus defraudari priores, qualiter ipsi posteriores defraudantes non vellent sibi fieri per eis consequentes.

Particula 50.

Conclusio decimaquinta.

Recipiens temporalia dum defraudat se & proximum dicitur interpretatiuè defraudare Deum, quoniam Deus est princeps supremus curam habens hominum, & reputās sibi bene vel malè fieri quod eis fit, & inde consurgit meritum nostrum apud ipsū. Facit ad hoc parabola illa de operibus misericordiæ commemorandis in die iudicij. Verumtamen appropriatius dicitur aliquid in defraudationem Dei fieri, dum directè & immediatè dimittitur illud quod ad gloriam suam celebrandam & recolendam fuerat institutum.

Particula 51.

Conclusio decimasexta.

Recipiens temporalia præsertim communitas pro se & successoribus debet cum bona fide & sagaci discretione diligenter in recipiendo considerare primò quid licet, secundò quid decet, tertiò quid potest & expedit, nedum ad prçsens, sed etiam ad futurum. Euenit itaque sicut in agentibus iter longum, quod paruum pondus in se, in principio aut pro pauco tempore sit tolerabile, quod per successionem continuam redditur velut importabile. Sic de paruis & paucis suffragijs dum vel iunguntur alijs vel perpetrantur, possumus inuenire.

Particula 52.

Adde quod memoria hominū labilis est. Quod præterea superuenientes non de facili suam attentionem applicant ad insolita. Quod insuper custodienda est quantum commodè fieri potest vniformitas apud fratres, sicut in cibis, vestibus alioque conuictu, sic in officio & cantu alioque ritu, & ita de cōsiderationibus huiusmodi. Fiunt nihilominus frequenter obligationes in oppositum, aut propter inaduertentiam inconsiderationemq; recipientium, aut vrgēte penuria, aut propter complacentiam conferentibus faciendam, aut quia non audent recipientes apponere conditiones pro seipsis licitas, decentes & expedientes. Quare sic? quia non placerent conferentibus, quales sunt corporales & spiritualium non capaces, maximè eorum quæ regularis disciplina constituit aut requirit. Deniq; fit hoc propter auaritiā recipientium & eorum turpem quæstum, qui casus palā statim habet culpam, siue fiat in augmen-

tum præter necessarium iam fundatorum cœnobiorum; siue multo amplius si quęratur noua fieri fundatio per fas perq; nefas, ad faciendum sibi sub religionis augmento famam, vbi potius ignominia dici debet, quæ fœdis innititur fundamentis.

Particula 53.

Sunt alię intentiones vitiosę quas non oportet omnes hic enumerare, sicut de publicis raptoribus, de vsurarijs, de obligatis ad restitutionē certam, qui putant per fundationes se quitare; quod apertum est potius semet inuoluere; non aduertētes verbum illud tremendū sapientis. Qui facit eleemosynam de substantia pauperis, quasi qui victimat filium ante patrem: Constat autē quod recipientes ipsos, par pœna constringit, si nō maior aliquando; quanto spiritualiores & exemplares sapientiores insuper & timoratiores esse debent. Proinde quoad restitutiones incertas tutior est receptio maximè dum superioris auctoritas iuncta erit. Quamuis sit hoc in loco aliquid monstro simile circa debētes restituere, cum sciāt quibus & qualiter quos citius induci videbis dare cētum titulo fundationis alicuius quam decem restituere. Adeò prona est vanitas diligere vanitatē, adeò cor humanū pronū est quęrere mēdacium.

Ecclesi.34.

Particula 54.

Verum quia de præteritis nisi pro quanto faciūt ad cautelam futurorum, non est cōsilium, superest vnum inter cætera remedium generale iam tactum, videlicet superioris interpretatio. Pro futuris verò sedula & crebra recogitatio cum mutua collatione seniorum, vt deinceps ab omni specie mala quantum possibile fuerit, semet abstineant, quoniam Deus non eget fraudibus aut dolis nostris, vt vel colatur crebrius vel abundantius suos alat, aut cultores hos vel illos multiplicet, quæ multiplicatio non magnificet lætitiam. Sed dum facit de superfluitate aut supererogatione necessariam obligationem, affert inquietam & sæpe damnabilem sollicitudinem contra præassumptū verbū quasi pro themate, Nolite solliciti esse &c.

Particula 55.

Addamus ad præterita pro vberiori doctrina de sollicitudine, quod prima & vera sollicitudo est quærere regnum Dei & iustitiam eius, ac proinde (iuxta Petri admonitionem) omnem sollicitudinem proijcere in Deum, quoniam ipsi cura est de nobis. Attamen in quærendo regnum Dei & iustitiam eius quæ aliter in regula monachali videtur appellari opus Dei, opus diuini seruitij, multæ se scrupulorum sollicitudines ingerunt, tres nominatim: Vna quoniam affligitur quandoque supra vires corpus. Altera quod remanet ariditas quædam mentis. Tertia quod euagatio cordis compesci non potest; ac exinde videtur omnis fructus perdi vel peccatum committi.

1.Pet.5.

Particula 56.

Nutrit hanc sollicitudinem scrupulosam verbum beati Ber. de modo psallendi, qui non satis videtur apud multos explebilis propter tres istas rationes. Dicit enim sic. Moneo vos dilectissimi purè, semper ac strenuè diuinis interesse laudibus: Strenuè quidem: vt sicut reuerenter ita & alacriter Domino assistatis, non pigri non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præscindentes verba dimidia, non integra transilientes non fractis & remissis vocibus, muliebre quoddam balba de nare sonantes, sed virili vt dignum est, & sonitu & affectu voces sancti spiritus depromentes. Pure verò vt nil aliud dum psallitis quam quod psallitis cogitetis. Si spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit quicquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes obtuleris, psalmodiam nō multum protrahamus, sed rotunda & viua voce cantemus, metrum & finem versus simul intonemus, & simul dimittamus, punctum nullus teneat sed citò dimittat; post punctum bonam pausam faciamus; nullus; ante alios incipere & nimis currere præsumat, aut post alios nimium trahere vel punctum tenere, simul cantemus, simul pausemus semper in auscultando. Hæc ille.

Particula 57.

Confitemur expediens esse propter minus instructos & nimis literales aliqua dicere. Et primò quod hæc est exhortatio, non perceptio. Moneo vos inquit. Sed tamen aliqua videntur asseri quæ diuinam obligationem insinuant, vt illud: Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit &c. In quo dicto difficultas maior pendet, quoniam de non parcendo vocibus nec remittendo constat quod constat quod corporalis excusat debilitas. Illa præcipuè quæ turbationem capitis in læsionem iudicij rationis affert, cui periculo superiores tota vulgantia tenentur in vniuersis & singulis occurrere, quo facto non oportet in alia vexatione vel corporali nimium pios esse. Sed de labore & dolore & de vexatione corporali lætari in spiritu propter mercedem quam vnusquisque recipiet secūdum suum laborem, ad quem homo nascitur sicut auis ad volatum.

Particula 58.

Non parcentes inquit, vocibus. Certè non ideò suadet vocem clamosam, non talem quæ venarū, quæ cerebri, quæ vitalium ruptiua sit. Non denique comprehendit debiliores, qualium numero scribens Bernardus sæpe fuit ascriptus. Alioquin tanta scribere eum vel dictare, clamor ille continuatus non tulisset.

Particula 59.

At verò de vocalis orationis attentione multi multa dixerunt, multa scripserunt, tentauit verò nostra sollicitudo si posset hæc difficultas ad pauca, claraque resolui. Et occurrit nobis distinctio talis. Sunt in oratione vocali tria, vnum per modum materiæ, aliud per modum formæ; tertium per modum finis qui cum forma sæpe coincidit. Materia orationis consistit in verbis, formam in sensu verborum, finis in eleuatione mentis ad Deum. Et hic finis duplex est, vnus fundatus conformiter ad sensum verborum, qui potest dici finis proximus, alius est fundatus vndecunque per diuersa, licet non contraria. Ex qua distinctione eliciuntur propositiones quæ sequuntur.

Particula 60.

Materia orationis cadit principaliter sub præcepto, sic quod orans absoluitur siue cogitet actualiter siue non, siue vagetur mente vel corpore, dum proferat orationis verba, vel proferentes audiat iuxta qualitatem orationis. Alioquin non esset salua omnis caro. Et patet exemplis & explanatione præceptorum diuinorum, vt de ieiunio

&

& honore parentum, quæ non ideo sunt peccata si non fiant ex gratia, si non impleatur semper intentio præcipientis & finis, sicut alibi patet latior deductio. Sic enim dicimus quod agẽs opus pœnitentiale per confessorem impositum, quamuis hoc fiat in peccato, non tamen tenetur iterare, vt exempli gratia, dare iterum sex solidos, vel ieiunare, vel orationes certas repetere, verũ est quod talis satisfactio non est reconcilians Deo propter impedimentum peccati, & tamen ratione operis est adquitans, hoc est ab obligatione soluens, & si non sit Deo reconcilians, tamen agens non ideo peccat quamuis sit in peccato.

Particula 61.

Sensus orationis non cadit sub præcepto vt recogitetur semper vel intelligatur. Patet de illiteratis & idiotis, patet de canticis in tubis & organis, patet de passibus obscurissimis canticorum, maximè prophetalium, de quibus accipitur mysticè quod tenebrosa aqua in nubibus aëris. Et iterum: Nubes & caligo in circuitu eius. Patet insuper de multis scripturis habentibus in superficie verba carnalia, quæ plus incitarent recogitata mẽtes imperfectorum ad lubricitatem (quia nondũ spiritualis sensus capaces sunt) quam ad spiritualem deuotionem. Sunt aliæ narrationes quædam valdè steriles in superficie literali, habentes tantũ aliquid suauitatis spiritualis, si non apud illos, apud tamen alios perfectos qui forti meditatione sciunt suggere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, quales inueniuntur paucissimi. Cæteris verò quid nisi fastidium vel nauseam vel mentis ariditatem talium discussio & ruminatio sola proferret vel afferret.

Psal. 96.

Particula 62.

Propterea dicamus consequenter & conformiter ad sanctum Thomam & rationem, quod finis in oratione principalis est eleuatio mentis in Deum mediatè vel immediatè, directè vel indirectè, principaliter vel occasionatiuè. Orans verò qui non potest consequi finem istum per recogitationem attentam sensuum orationis particularis quæ profertur, & hoc propter aliquam ex causis tactis, qui tamẽ finis dicitur proximus, & quasi proprius huic orationi debet cum omni libertate spiritus & absque scrupulorum sollicitudine contentus esse, si finem vltimum meditationibus alijs consequatur. Felix si dicere posset? Oculi mei sẽper ad Dominum. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Felix si non datur ei contemplando volare si potest, vel repere, vel more locustarum semet excutiendo vicissim saltus dare.

Particula 63.

Monitio præmissa cantãdi Bern. non repugnat huic propositioni. Patet, quia sic efficiens se ad Deum per alias cogitationes non elicitas ab immediato sensu litteræ, quæ canitur non facit aliud quam debet, neglecto eo quod debet, immo facit omnino quod debet conformiter ad finem à spiritu sancto præscriptum. Veritas est quod cæteris paribus expedientius est affectionem suam exercere iuxta litteram; quæ profertur propter quatuor in speciali rationes. Vna est scripturæ veneratio, in qua spiritussanctus semper loqui credendus est. Altera est particularior eruditio circa mysticos sub arido literæ nucleo clauso sensus. Tertia est suauior assuefactio circa quotidianos cantus. Quarta est maior stabilitio circa determinatos affectus, quam circa vagos & iugiter nouos. Addatur oratio quæ petat reuelari sibi suauitatem mellei sensus in literæ fauo latentis, & hoc per compressionem meditationis quæ prorsus non fiet nisi dederit Deus paruulis intellectum, aperiens thesaurum suum aquæ viuæ.

Particula 64.

Denique plurimum confert si prius ante tempus orationis fuerit cohibitio sensuum exteriorum, quoniam Dominus ianuis clausis dedit pacem & spiritum sanctum discipulis. Sit insuper continua muscarum inutilium à facie cordis effugatio manu fortis attentionis. Non ita tamen quin aliquando sit expediens nihil pendere suam importunitatem plus quam importunius eam abijcere conari, licet perdituræ sint ad horam suauitatem vnguenti. Hoc confirmauit vnus patrum exemplo de retentione venti in pallio alius de catuli latratu, alius de aucarum sibilo, alius de muliere litigante, alius de riuo qui violentior fit obice posito, alius de cachinnantibus terrere pueros volentibus, alius de blasphemiæ spiritu, alius de pruritu curiositatis, qui non scalpendo curatur, sed per ramusculos accenditur. Est autem curiositas studium ea sciendi quę nos vel non decent vel non expediunt vel non ædificent. Hanc compressit Christus in apostolis die ascensionis. Hanc in Petro quærente de statu Ioannis. Quid ad te, ait. Vnde sub hoc metro cohibebat se vnus, dicens: Clause quid ad te? sta, quis tu, duc cor in alta. Fac opus iniunctum deinde vacato tibi. Placuit ad confirmationem præcedentium ponere per expressum verbum sancti Thomæ super. 4. dist. 15. materia de oratione. q. 2. art. 4.

Particula 65.

Attentio inquit, in oratione potest esse triplex. Primo enim est attentio ad verba quibus petentibus, & ad petitionem ipsam & ad quæ petitionem ipsam circunstant, sicut est necessitas pro qua petitur Deus qui rogatum, & alia huiusmodi. Et quæcunque harum attentionum adsit non reputanda inattenta oratio, vnde etiam illi qui non intelligunt petitionis verba, ad orationem attenti esse possunt. Sed tamen vltima attentio est laudabilior quam secunda, & secunda quam prima. Et quia anima non potest esse vehementer attenta ad diuersa, ideo prima attentio potest nocere vt minor sit orationis fructus si secundam euacuat, vel secunda si tertiam omnino tollat, sed non è conuerso. Tamen attentio communiter accipiendo. i. ad aliquod trium prædictorum non nocet, sed multum prodest. Hæc ibi.

Particula 66.

Porrò circa finem opusculi possumus addere distinctiones magistrales de attentione & deuotione & affectione quæ alibi seorsum notatæ sunt:

PRIMA DISTINCTIO. XII. MEMBRORVM.

A DEVOTIO in oratione quandoque non admittit alias quascunque cogitationes nisi solius Dei, & hoc est in præsenti vita rarissimum vbi vix hora vel dimidia sit in cœlo mentis silentium. Secunda. Deuotio quandoque recipit alias cogitationes, sed pertinentes & ordinatas, & solum tales, & hoc est rarum & bonum. Tertia. Deuotio recipit cogitationes impertinentes & quasi superfluas, & hoc est quotidianum. Quarta. Deuotio recipit contrarias & aduersas cogitationes, vt sunt vitiorum, & hoc periculosum. Quinta. Cogitationum impertinentium vna quandoque est vehemens & suffocans actualem deuotionem, sed non auferens virtualem, nec habitualem nec vocem, & hoc potest esse virtutis exercitium. Sexta. Alia vehemens est tollens virtualem deuotionem, sic quod iam virtus deuotionis non imperat aut continuat orationem, sed consuetudo vel alia ratio, & hæc non necessariò tollit laudem ab oratione. Septima. Alia est cogitatio vel affectio quasi fluctuans, quæ nec excedit & suffocat deuotionem nec exceditur totaliter ab ea, & hæc stat cum laude. Octaua. Alia est leuis & vento similis, licet videatur importuna, sed superatur aut contemnitur, & hæc non tollit laudem sed exercet mentem. Nona. Cogitationum contrariarum vna est absolutè & directè contraria, qua scilicet orans detestatur orare & deuotionem habere, sed timore disciplinæ prosequitur, hæc omnino vituperabilis. Decima. Alia qua orans habet displicentiam conditionalem, sic quod non oraret nisi vouisset, non tamen detestatur se vouisse, sed placet, & hæc est sufficiens atque laudabilis, licet non excellens, & habet deuotionem habitualem & originalem. Vndecima. Alia est vitiosa circa peccata, alia vt propter commotionem iræ vel illecebræ, quæ non displicet nec acceptatur consensiuè, licet velit nolit homo sentiatur, & hæc potest esse materia virtutis exercendæ, & ad expulsionem expediret quandoque magis niti quam ad orationis continuationem. Duodecima. Alia vitiosa criminaliter cui non sufficienter resistitur, sed ei verè vel interpretatiuè consentitur, & hæc est damnabilis. Quis autem dicatur verus, quis interpretatiuus alibi dictum est. Consentire siquidem dicitur aliquis malo dum non fecit quod in se est, neque facit vel vtetur. Subiungitur alia distinctio de attentione sub triplicitate multiplici.

Prima triplicitas.

Attentio orationis triplex est.
- Recta habens aliud obiectum quam se.
- Reflexa habens pro obiecto se.
- Coniuncta recipiens alias quam se.

Secunda.

Attentio orationis recta triplex.
- Generalis vt quia vult orare tota die.
- Specialis, vt quia vult talé orationé dicere.
- Indiuidualis, quia vult particulis singulis intendere.

Sic de affectione posset esse distinctio.

B Tertia.

Attentio orationis quolibet modorum dictorũ triplex.
- Actualis, cuius actus inest, mouens immediatè.
- Virtualis; cuius virtus inest; mouens actu cessante.
- Habitualis vel aptitudinalis; cuius solus habitus inest, non sufficiens id mouere.

C Quarta.

Attẽtio orationis recta & simplex rursus triplex.
- Circa sola verba quasi materiam.
- Circa solũ sensum quasi formam.
- Circa solũ Deum quasi finem.

D Quinta.

Attentio orationis reflexa sicut & recta triplex.
- Generalis.
- Specialis.
- Indiuidualis vt supra.

Sexta.

Attentio orationis reflexa quocunq; modorũ triplex.
- Actualis.
- Virtualis vt supra.
- Habitualis.

E Septima.

Attẽtio orationis recta & coniũcta seu mixta triplex.
- Circa cõtraria positiuè.
- Circa opposita priuatiuè.
- Circa velut indifferentia ad vtrumque.

Octaua.

F *Attentio mixta circa positiuè contraria triplex.*
- Consentiens.
- Dissentiens.
- Pigra vel dormitãs siue sint à carne vel mundo, vel dæmone, vel talia contraria.

Nona.

Attentio mixta consentiẽs contrarijs triplex.
- Absolutè voluntaria.
- Conditionaliter volũtaria, quia renititur, sed vincitur.
- Interpretatiuè voluntaria, quia tenetur esse vigil & non est.

Decima

Decima.

Attentio priuatiuè opposita triplex.
- Tollens omnem circa verbum & sensum & Deum recogitationem. A
- Tollens duo præmissorum & non verbum.
- Tollens tantúmodo vnum sensum, scilicet vel verbũ vel Deum.

Vndecima.

Attentio iuncta velut indifferens triplex.
- Totaliter interrupta actu virtute & habitu. B
- Partialiter interrupta sola actu & virtute.
- Partialiter interrupta solo actu: non virtute nec habitu.

Duodecima.

Attẽtio orationis qualiscumque triplex secundum quod oratio.
- Obligatoria sub pœna peccati mortalis.
- Obligatoria solo consilio bonæ æquitatis.
- Obligatoria solius causa societatis, vt dum quis tenetur nõ orare vocaliter, sed orantem attendere. C

Tredecima.

Attẽtio orationis mixta & interrupta triplex.
- Quandoque per vnam aut tres dies vel mensem ex consuetudine, patet in peregrino.
- Per magnas moras sine renisu forti vel frequenti. D
- Per morulas cũ renisu quasi per saltum animi crebrum contra muscas cognitionum importunas.

Decimaquarta.

Attentio orationis abigentis has muscas triplex.
- Quædã impossibilis & vana & conturbatiua.
- Quædam difficilis, nec pro tunc vsquequaq; necessaria.
- Quædã facilis, licet importuna, tamen meritoria. E

Decimaquinta.

Attentio qualibet præmissarum sub debito triplex.
- Circa verbum bona & necessaria sit vt dicatur à se vel à socio.
- Circa verbum & sensum beneplacens.
- Circa verbum sensum & Deum perfecta.

Et similes fieri possunt distinctiones de affectione qui dicitur affixio quædam. F

Decimasexta.

Attentio qualibet præmissarum triplex.
- Habitualis bona, dum manet in attentione ex decem annis non criminaliter interrupta.
- Virtualis melior, dum manet in operatione.
- Actualis optima cęteris parib' dũ manet in toto homine, toto corde, tota anima, tota mẽte, tota virtute.

Decimaseptima.

Attentio reflexa in bonum triplex.
- Facilis in cõtemplatiuo & spirituali qui volat libero velut cœlo.
- Difficilis in meditatiuo & rationali qui nititur sursum rependo.
- Vaga vel inutilis in solo animali qui serpit in humo.

Decimaoctaua.

Attentio reflexa in bonum triplex.
- Rarissima primo modo tam duratione quam visitatione.
- Rara secundo modo, nec semper necessaria vel cauta in vocali oratione.
- Quasi nulla tertio modo, & sufficit quod cum asina Hierusalem talis ambulet.
- In simplicitate quasi vitula Effraim docta diligere trituram atque muscas acres cogitationũ quantum valet toleret, nec ita velit abigere per impatientiam, quod sessorem suum Spiritum sanctum deijciat.

Decimanona.

Attentio reflectens se super attentionem præteritam in verbis orationis vocalis in se vel cum socio triplex.
- Vna quæ vehementer ęstimat verba non protulisse.
- Alia quæ istud timet velut ad vtrumque.
- Tertia quæ vehementius opinatur se dixisse vel alium quam omisse.

Vicesima.

Attentio reflexa iudicans triplex.
- Primo modo compellit ad repetitionem vel pœnitentiam, secus de non attentione circa sensum vel Deum.
- Secundo modo suadet repetitionem, & aliquãdo cõpellit propter oportunitatem habitam.
- Tertio modo dissuadet repetitionem potius quam impellat, & hoc propter innatam mentis euaginationem, quæ non recordatur faciliter eorum circa quæ non actu reflectitur sicut nec oportet.

Exhortatio conclusiua.

Attendite vobis igitur & attentioni vestræ in orationibus debitis ô Ecclesiastici, vos præcipuè patres & fratres Cælestini, quorum intuitu res hęc agitur. Attendite cum pia sollicitudine quæ prauam expellat tanquam clauus clauum. Attendite vt sciat vnusquisque donum esse Dei, non plus

nec minus sapere quam oportet, & hoc vtique non poterit faciliter consummari, cum prauum sit cor hominis & inscrutabile, nisi sermo Dei viuus & efficax adsit, discretor cogitationum & intentionum cordis nostri, quod vt fiat, orandus est, & in ipsum iactandus noster cogitatus, vt tandem verbis Apostolicis concludamus. Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deũ. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu domino nostro.

CONSIDERATIONES DVODECIM EIVSDEM PRO VOLENTIBUS condere testamentum.

Consideratio prima.

BEATVS ille seruus quem cum venerit dominus & pulsauerit ianuam eius, inuenerit vigilantem. Sic vigilabat qui dicebat. Velox est dispositio tabernaculi mei. Et alter: Anima mea in manibus meis semper. Quales præterea sunt qui mortem habent in desiderio, & vitam in patientia.

Consideratio secunda.

Vigilat ille seruus qui cogitat quotidie quomodo spiritus suus redeat ad dominum, qui dedit illum per integram pœnitentiam. Qui præterea non negligit Ecclesiasticam sepulturam. Qui denique non omittit ordinare bonorum suorum abundantiam. Quoniam in istis tribus consistere testamentum reputamus.

Consideratio tertia.

Vigilans seruus licet principaliter intendere debeat de spiritu suo, & de corpore plus quam de exteriori possessione. Nihilominus exterioris possessionis dispositio multum facit ad hoc quod spiritus redeat liber ad dominum qui dedit illum. Sic etiam dixisse fertur tempore nostro quidam nobilis moriens, qui postquam interrogauit si temporalia sua fuerant omnia bene disposita soluendis. Et responsum esset ita esse. Conuersus ad dominum dixit. Ecce domine sum positus extra manus hominum. In manus tuas commendo spiritum meum.

Consideratio quarta.

Vigilans igitur seruus, qualia considerare debeat circa dispositionem bonorum temporalium suorum, maximè dum diuitijs abundans est & heredibus caret, annotemus. Et in primis recogitet illud. Viuens viuens ipse cõfitebitur tibi. Et quod in nullo maiorem de distributione bonorum suorum quam in seipso gerere debet fiduciam. Quia rursum sibi maius meritum inde certiusq; resultat. Euadit denique rapacitatem tyrannicam aliquorum qui solent post mortem diuitum causas confingere confiscationum, aut de facto tollunt illa quæ non fuerunt in tutissimis manibus collocata. Nimirum quia nonnunquam insidiantur viuentibus, vt ipsorum diripiant facultates ex fama diuulgatis. Vnde consurrexit illud horridum. Multi propter diuitias perierunt. Dicebat vnus ex prudentibus seculi. Nollem habere centum mille francos si super hoc esse deberent famæ per mundum. Multos certè saluauit inter medias tempestates æstimatio paupertatis, quæ nihil persequentibus affert vtilitatis.

Consideratio quinta.

Testaturus ante omnia habeat gloriam Dei præ oculis suis, non vanitatem seculi, non memoriam nominis protinus morituri. Meminerit semper Apostoli dicentis: Omnia in gloriam Dei facite. Et illud Psal. Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Consideratio sexta.

Testaturus ex isto principio consideret, non quod vtilius sit reipublicæ seu bono communi dum ordinat de rebus suis, sed quod insuper cedet amplius ad honorem Dei & cultus Christiani.

Consideratio septima.

Testaturus exinde consideret, quod reparatio seu restauratio vel continuatio rerum iam institutarum per alios in collegijs, in cœnobijs, in Ecclesijs, in parochijs, in ædificijs, plus cederet ad honorem Dei & vtilitatem populi cum minoribus expensis quam nouæ fundationes nomine proprio seu titulo faciendæ.

Consideratio octaua.

Testaturus aduertat, quoniam Deus qui pugillo continet cœlum & terram, sciet ponderare quid & quantum offerat, & de quanto. Quemadmodum quidam sanctorum patrum respõdit cuidam nobili matronæ, 300. solidos offerenti, & ingerenti respicere quanti essent. Quemadmodum præterea definit Christus de paupercula offerente duo minuta.

Consideratio nona.

Consideret testator, si vult fundare collegia vel Prioratus aut hospitalia, quod ex talibus modicis & imperfectis fundationibus plura sequuntur incommoda sicut expertũ est in religionibus varijs, & nominatim in collegijs studij Parisiẽsis. Melius enim reguntur, continuantur & permanent communitates magnæ quã modicæ. Sit hoc in monasterijs, sit in alijs collegijs Ecclesiarũ vel studiorũ.

Consideratio decima.

Consideret testator, si libros habeat distribuendos qualiter & quibꝰ & quomodo distribuet iuxta qualitatem recipientium, aut committat distributionem seu venditionem, si opus est illis de quibus confidit, quatenus vno sicut dicitur, ictu se expediat.

Consideratio vndecima.

Consideret testator iuxta verum cõsilium euangelicum Christi. Si vult ædificare domũ aliquam, quomodo perficiet eam, quia multi conati sunt facere nouas fundationes qui tot exposuerunt in domicilijs ædificandis quod pro habitaturis nihil relictum est, nec ædificia perfecta sunt.

Consideratio duodecima.

Consideret ad extremum testator, quoniam Deus bonorum nostrorum non indiget, faciet ipse nutrire pauperes, faciet Ecclesias, faciet collegia, faciet monasteria, faciet conuentus & hospitalia quando & quomodo & vbi placuerit ei, & non glorietur ante ipsum stulta præsumptio omnis carnis. Vult nihilominus & dignatur, quod coadiutores eius simus ad vtilitatem non suam sed nostram.

EPISTOLA

Esa. 38.

Psal. 113.

EPISTOLA EIVSDEM SVPER TESTAMENTO LIBRORVM, suorum ad Cælestinos in Auinione.

VENERABILIBVS patribus & fratribus Cælestinis Ioannes de Gerson sacerdos sacræ Theologiæ professor gratia pax. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, dicit cœlestis noster doctor Christus. Est autem sapientia thesaurus infinitus hominibus, quo qui vsi sunt, participes effecti sunt amicitiæ illius. Repræsentant hanc sapientiam & docent instrumētaliter libri sacri. Propterea disposui in senectute mea thesaurizare iuxta paupertaculam meam de libris salutaribus. Visum est autem mihi commodius in Cælestinis velut in quibusdam cœlis aut cœlestibus habitaculis thesaurū hunc reponere, maximè quia duos in illa religione germanos habui professos. Suscipiat igitur propositum meum cum bona gratia deuotio vestra patres & fratres charissimi, re vocéque cœlestes. Sit thesaurus iste peregrinus dum venerit ad manus vestras custodiendus in sacro conuentu vestro apud Auinionem, non quidem alienandus, sed nec prorsus abscondendus, immo communicandus hinc & inde, prout superioris industria iudicabit. Ita tamen quod semper tandem recolligantur sub propria claue, vel armiolo ad hoc ipsum specialiter instituto. Denique nomina librorum & tractatuum tam ab alijs quam à me compositorum disposui colligere in speciali scedula domino concedēte, ad quē effundite preces pro mea finali salute in gratia & gloria sempiterna. Scriptum Lugdun. anno gratiæ 1428. in Nouembri, anno ætatis dierum vitę peregrinationis meæ, qui parui sunt & mali sexagesimoquinto, & incipiet, 66. annus die 14. Decembris, festo sancti Nicasij Remensis, qua natus sum & renatus in domino Iesu Christo, in quo det idem ipse nos omnes bene mori, Amen.

EPISTOLA EIVSDEM AD CARTHVSIENSES SVPER ACCELERATIONE suffragiorum sibi post obitum eius oblatorum.

FACITE vobis amicos. Docet hoc amator hominum Iesus, subdens causam finalem, vt inquit, recipiant vos in æterna tabernacula. Causam verò materialem tangit esse mammonam iniquitatis, non quin illa sit potior quæ de materia venit æquitatis, qualis est charitas gratuita, qualem vos honorandi patres & domini concedere placuit pridem mihi villico inutili, qui fodere non valeo, sed certè mendicare non erubesco cum illo qui dicit: Ego autem mendicus sum & pauper. (Psal. 39.) Est itaque mihi pro copia, pro diuitijs & opibus spiritualis mendicitas, prout dudum sororibus scribens latè satis exposui. Et quoniam posuit in mendicitatis meæ sacculo, immo sacco permaximo & inani, largitionem liberalem & grandem de participatione bonorum spiritualium preciosi, prędiuitisque ordinis vestri beneuolentissima charitas vestra, venit in cor meum fiducia petendi qualemcumque

A que accelerationem me viuente suffragiorum illorum quæ post obitum sunt oblata. Mouet me consideratio præcipua, quatenus impetrent spirituales amici, viuere & mori me in gratia Dei. Non quin oretur Deus, vt transeat à me calix purgatoriæ pœnalitatis, si possibile est secundum ordinem diuinæ voluntatis, sed quia planè mihi gratia Dei si comitetur vitam & obitum meum, qua deficiente nulla esset vlterius redemptio. Mouet altera consideratio, quia videtur facilior pro patribus & dominis paulatiua quasi per tempus & tempora distributio suffragiorum, quam statim post B obitum continuata solutio. Denique iustorum assidua deprecatio proderit spero mihi ad meritum proprium cumulandum in via, qualiter esse non poterit extra viam quæ meriti nullius statum habet. Rogo igitur patres & in Christo fratres charissimi, vt charitas vestra in me magis ac magis abundet, vt in æterna tabernacula vobiscum recipiat, fiat, fiat. Scriptum Lugdun. Vester alumnus in Christo Ioannes de Gerson Theologiæ professor indignus, & Parisiensis Cancellarius.

C FINIS.

DE ANNIVERSARIO QVOD SIBI FIERI PROCVRAVIT IN Ecclesia sancti Pauli Lugduni Galliæ, vbi & sepultus iacet repertum est quod sequitur in libello quodam, manu sua propria conscripto, sicut & præcedentes duæ Epistolæ.

D NOMINE Patris & Filij Spiritus-sancti primitus inuocato. Notum sit omnibus quorum interesse poterit, quod anno Domini, 1428. die 21. Octobris. Nos P. camerarius & capitulum Ecclesiæ sancti & gloriosissimi Pauli Lugdun. concessimus & concedimus per præsentes ex certis & legitimis causis, venerabili magistro & domino Ioanni de Gerson, sacræ Theologiæ professori & Cancellario Parisiensi, & sacerdoti Remensis diocesis, anniuersarium panis & vini perpetuum more solito per nos E annuatim in dicta Ecclesia faciēdum & celebrandum die decimoquarto Decembris, in crastina videlicet sanctæ Luciæ, quia die festum est celebre sancti Nicasij Remensis Episcopi, & in tali natus est mundo & renatus Christo prædictus Ioannes (vt dicit) Anno Domini 1465. Concessimus præterea eidem Ioanni liberaliter locum sepulturæ in nostris locis ad hoc deputatis, nec iam occupatis eligendi pro se facultatem. In cuius rei testimonium sigillum nostrum duximus præsentibus ap-F ponendum, anno & die quibus supra. Benedictus Deus, fiat, fiat.

TESTAMENTVM QVOTIDIANVM PEREGRINI, EIVSDEM Cancellarij Parisiensis.

DISPONE domui tuæ, quia morieris tu & non viues. Esa. 38. Sicut homo peregrè profecturus in longinquam regionem, solet condere testamentum & copiam secum ferre, sic agere non conuenit,

qui non habemus hic ciuitatem manētem, sed futuram inquirimus. Sit igitur sub orationis typo quotidianum peregrini testamentum.

Testamentum peregrini.

PATER: Ecce positus sum hic & nunc velut in articulo mortis, quoniam media vita in morte sumus. Compareo coram curia misericordiæ tuæ, cui me submitto iugiter & adeo cum fiducia thronum gratiæ, vt misericordiam consequar & gratiam inueniam in auxilio oportuno, dum tempus est miserendi & hora comparendi. Da continuè mentem sanam, da pœnitentiam veram, da saltem in affectu cōmunionem sacram, da similiter vnctionem sanctam, da remissionem plenam, da sanctorum contra potestates contrarias consolationem, da in exitu vitam æternam. Et quoniam nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Temporalia temporalibus relinquo prout specificauero. Et reuertatur puluis in terram suam vnde erat, precor ad Ecclesiasticam sepulturam. Et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Domine Iesu suscipe spiritum meum.

SEQVVNTVR MODO CONSIDERATIONES SVMMARIÆ, *per quatuor partes super quotidiano peregrini testamento.*

PRIMA PARS PRINCIPALIS.

Consideratio prima.

TESTARI suadet illud ad Ezechiam, Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non viues. Illud præterea quod ait Iacob. Iustum est, & cæt. vel aliquando disponam domui meæ. Denique ne præoccupatus homo moriatur intestatus, & vt vigilans inueniatur, nec procrastinet. Quia qui non est hodie, cras minus aptus erit. Et qui pollicetur veniam pœnitenti, non dat securitatem cras viuendi.

Secunda. Testando curare solent homines de bonorum exteriorum relictione, de sui corporis sepelitione, de suæ animæ commendatione.

Tertia. Temporalia verò linquuntur, vel ad certos vsus sigillatim designando, vel ad aliquos vsus summatim sine specificando, vel ad ea pro derelictis saltem in animi præparatione reputando.

Quarta. Sepultura autem quandoq; præconstituitur, præeligitur Deo & hominibus relinquitur.

Quinta. Testari volentibus obstāt spes & amor diu viuendi, sicut in diuite, cui dictum est. Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te. Horror mortem cogitandi. Iuxta illud, O mors quam amara est memoria tua, & cæt. Zelus se & suos vel se vindicandi, nec ablata restituend, nec libidines suas deserendi. Sexta. Testando pro dispositione domus conscientiæ, post domum corporis & substantiæ corporalis, prodest frequens mortis instantis recogitatio, prodest humilis à iustitia ad misericordiam appellatio & oratio, prodest diligens eorum quæ in morte fieri solent prædispositio seu præuisio. Pro quibus attendatur sedula meditatione quæ sequuntur.

Luc 12. *Eccl. 41.*

Septima. Dat itaque viuax memoria mortis contemptum mundi, vnde facile contemnit omnia qui se semper cogitat moriturum. Dat euitationem peccati. Vnde sapiens. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Dat scientiam & securitatem benè moriendi. Nemo enim secundum Vegetium id timet facere quod se nouit benè didicisse. Hinc Ambrosius. Nec mori timeo, cum bonum dominum habeamus. Et alius: Si aliquando moriendum est, cur non modo? Rursus memoria mortis ponit hominem velut ad ostium tabernaculi, exemplo Abrahæ, & filiorum Israel in castris. Et sicut ad os speluncæ vt videatur dominus, exemplo Heliæ. Et velut horizonte mundi futuri ad introitum suum, & ad exitum carceris mundi, vt videat homo quò tendere iugiter debeat. Hinc benè iussum est, vixeris hic & nunc, velut hic & nunc moriturus. *Eccles. 7.*

Secunda pars principalis.

CLAMAMVS in Spiritu sancto Abba pater. Ex diuina institutione & dignatione, ex creatione & recreatione & gubernatione, ex amore & reuerentia, & pro necessaria subuētione. Scimus autem pater mi. Pater, ex quadam appropriatione, & inamissibili (nisi per hominem stet) possessione. Vt præterea studeat homo Deum tanquam filius imitari ne degener sit, diligere, ne ingratus, reuereri, ne superbus sit. Ecce veniet hora dicit Christus, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & hoc fit in morte cuiuslibet altero trium modorum, secundum triplex Dei forum vel iudicium. Vnum horrendum, vbi sedet iustitia damnans. Alterum durum, vbi sedet iustitia purgans. Tertium pium, vbi sedet misericordia indulgēs. Considerabat Dauid hoc triplex iudicium dum orabat: Domine ne in furore arguas me, in primo, neque in ira corripias me, in secundo. Miserere mei domine, quoniam infirmus sum, in tertio. Conformiter ad hoc triplex iudicium, audietur triplex vox filij Dei in morte. Vna ad damnationem. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Altera ad purgationem. Mittite eum in carcerem donec reddat vniuersum debitum vsque ad nouissimum quadrantem. Tertia ad saluationem. Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.

Ecce notat certitudinem & ostensiuam præsentialitatē, grādem in bono vel in malo nouitatem, aut admirationem, stuporem & terribilitatem. Et secundū hoc benè dicimus. Ecce mors. Quia nihil est morte certius, nihil præsentialius, quoad ineuitabilitatem & necessitatē rei. Quia nihil in bono vel in malo plus nouū aut subitaneum propter inchoationē status immutabilis & æterni. Quia nihil admirabilius & terribilius propter incertitudinem finalis iudicij, quoniā vltimum terribilium mors, præsertim æterna. Positus est homo in articulo mortis, per considerationem intellectualem, per quendam sensum affectualem, per præsentiam effectualem. Vnde & si aliqua sit dilatio, pro nihilo & pro puncto reputatur. In respectu æternitatis, in respectu ineuitabilitatis, in respectu quotidianæ defectibilitatis, præsertim in senibus.

Quando

Quando aduesperascit & inclinata est iam dies huius temporalis ætatis, aut quando iam senij nox **A** est in altera vigilia noctis, serò, aut media nocte, galli cantu, aut mane. Quando de proximo debet sol æternitatis iustis oriri, purgandis obnubilari, damnandis penitus eclipsari, vbi cadet homo à se per desperationem, & sub se per damnationem, & per abyssalem absorptionem.

Tertia pars principalis.

PRÆVENIENS igitur faciem domini, ego pauperculus & peccator adeo cũ fiducia ad thronum **B** gratiæ Dei, vt misericordiam consequar & gratiam inueniam in tempore oportuno. Dum adhuc tempus est miserendi & tempus acceptabile, & annus benignitatis. Dum insuper adhuc hodie cognominatur & dies est salutis. Dum rursus est hora comparandi in curia misericordiæ, quæ superexaltat iudicium seueritatis. Ad quam sicut ad superiorem prouoco & appello, cõfugio & compareo. Dum nondum accepi à te Deus tempus iustitias iudicandi, sed hora est secundum Ezech. ingemiscendi salubriter, secundum Hiere- **C** miam reuertendi susceptibiliter, secundum Christum in arbitros compromittendi pœnitentialiter. Adeo inquam cum fiducia, quia Christus dixit: Eum qui venit ad me non eijciam foras. Quia nostra soror & aduocata mater est gratiæ & regina misericordiæ, quæ defendit iura huius iurisdictionis & curiæ, quia rursus Hierusalem tota cœlestis, quæ est mater nostra, assistit nũc & intercedit pro confugientibus ad hanc curiam misericordiæ. Adeo rursus hic & nunc cum fiducia ad **D** thronum gratiæ, quoniam offero me voluntarium stare iudicio suo & parere iudicato. Offero me subijci velle legibus huius curiæ quæ sunt, Dimittite & dimittetur vobis, prout continetur in euangelio scriptum. Offero me nolle discedere contumaciter ab hac curia secundum voluntatem superioris rationis & vltro, quicquid inferior sensualitas remurmuret, quam supplicio violenter etiam compelli & ligari, atque flegellari ne discedat.

Quarta pars principalis.

POSTREMÒ supplicationem formo septuplicem ad te Deum patrem nostrum. Prima. Da pater mi continuè mentem sanam. Ne seducatur phantasijs insanis & illusionibus. Ne absorbeatur curis aut concupiscentijs corporalibus. Ne obsideatur dæmoniacis oppressionibus. Secunda. Da pœnitentiam veram. In contritione per detestationem peccati & amorem iustitię. In confessione per apertionem peccatorum, & cuiuslibet necessariæ circunstantiæ. In satisfactione per exercitium abstinentiæ, orationis & eleemosynæ. Tertia. Da communionem sacram, realiter, sacramentaliter, aut saltem spiritualiter & effectiuè. Quarta. Da vnctionem extremam. In actuali sacramento, in effectuali voto, aut saltem in effectuali dono. Quinta. Da remissionem plenam. Ex tua immensa liberalitate, ex clauium Ecclesiasticarum potestate, ex sanctæ matris Ecclesiæ & charitate. Sexta. Da sanctorum contra potestates contrarias cõsolationem. Dum acrius insidiabuntur nequissimi calcaneo me, dum tota malignitate accusabunt in mortis porta vel ostio, dum occurret fortè vehemens aut noua peccatorum recordatio & infestatio. Tunc adsis virgo benedicta, in auxilio oportuno & vltima necessitate iuuans. Vel intercessiuè impetratiuè, vel commissiuè & imperatiuè, vt potes præsentialiter & cooperatiuè, iuxta quod orat Ecclesia: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & in hora mortis suscipe. Adsis & tu Angele meus, adiutor præcipuus. Adsint & cæteri sancti quos sæpius & familiarius viuens & sanus inuocaui & inuoco. Ne quæso deseratur pauper vester, si fortè virtus sua defecerit, si mens conturbata nihil cogitauerit, si corpus velut mortuum languerit. Sed confortate virtutem illuminate mentem, seruate sensualitatem. Septima. Da in exitu vitam ęternam, quę patria est, ad quam suspiro, quam desidero & desiderare concupisco, quam velut in caligine quadam aspicio & à longè saluto, quam in lumine rationis & fidei contemplor, quasi cœlis apertis videns illic filium hominis, & inde frater meus est & præsidium, amor & desiderium, susceptor, virtus & præmium. Denique redeat spiritus ad Deum qui dedit illum, tanquam ad donum æternitatis, claritatis & fœlicitatis. Domine Iesu Christe suscipe spiritum meum, qui vtique tuus est iure redemptionis, adoptionis, gratuitæ desponsationis. Ac perinde dat spem firmam bonitas adoptantis, veritas promittentis, potestas coronantis, ipsi gloria in secula, Amen.

FINIS.

TESTAMENTVM PEREGRINI METRICVM.

GRatia cui nomen confert insigne Ioannes,
Aduena cognomen Gerson habere dedit.
Scire velit si posteritas quo tempore natus.
Quóque renatus sit, calculus iste docet.
E *Mille quater centum vigintiquatuor annos,*
Quatuor adijciens dinumera domini.
Sitque Decembris lux mensis bisseptima, sextus
Et sexagenus inchoat annus ei.
Solus porro Deus obitus scit tempus & horam.
Propterea secum rumina ista frequens.
Tu dispone tuæ domui, morieris, neque viues,
Plenè testare & vigilans morere.
Vixeris hic & nunc, velut hic & nunc moriturus
Orans dic, redeat spiritus ad dominum.
F *Ecce nouum grande stupidum videt exul & horret,*
Mortis ad aspectum cor tremit, ecce venit.
Ecce pater mi nunc & hic articulus meus instat,
Quo morior, pater & vt pater esto pius.
Esto pius satis est, dederis te, diues abundo.
Te sine deficio pauperior nihilo.
Tempus adhuc venia, sedes adeo pietatis.
Terret iustitia, subueniat pietas,
Mens vigeat, cor pœniteat, sacra hostia pascat,
Crux olei liniat, plenáque sit venia.
Sancti quos colui viuens, morior, meus ad vos
Spiritus aspirat, ferte iuuamen ei.

Quæ mortalia sunt, mortalibus vltro relinquo.
Corpus humum redeat, spiritus ad dominum.
Spiritus iste Iesu meus à te suscipiatur.
Spes mea tu Iesu es, gratia, non opera.

Aliud carmen super eodem.

Ianua morte patet cœlestis, & inde cupiui
Iugiter, ad mortem posse venire piam.
Sors mortis prout & vita dependet ab illo,
Cuius sunt manibus omnia deposita.
Diuite mausæolo datur his pulchróque recondi
Absque sepultura depereunt alij.
Plebeo recipit alios defossa parumper
Tellus insutos paupere linteolo.
Sunt & qui dicunt, facilis iactura sepulchri,
Sunt quibus & pompa nulla placet tumuli.
Vestibus indutos sacris deuotio quosdam
Spectandos offert religiosa prius.
Presbyteros sanctus loculo deferre parato
Mos habet, infodiens signa sacerdotij.
Cum placet iste modus electio chara sepulchri,
Libera si data sit ambitione procul.
Arbitror exemplum pietatis obinde daturum,
Vita fidelis erat, christicolus morior.
Erubuit nunquam Christum mea vita fateri:
Quamquam peccator, morte fatebor eum.
Iste mihi titulus, hæc spes mihi sola salutis.
Non confundat me spes mea Christe Iesu.
Baptismus genuit Christo, nec erant meritorum
Vestimenta mihi, gratia pulchra dedit.
Gaudens gaudebo, quoniam Deus induit istam,
Desponsans animam, clara monilia dans.
Taliter ornatam cupio tibi reddere sponsam,
Christe benigne tuo semine progenitam.
Neu quæras operum vestes, confusio vultus
Illa mei, sordent sanguine cum sanie.
Qualis & ex vtero genitricis spiritualis
Prodijt, hanc recipe dum redit abba pater.
Namque redit primo signata charactere sacro
Regalique superuncta sacerdotio.
Tradita signa fero fidei, vexilláque belli
Mundi cum carne dæmonijsque feris.
Libera christicolum resonat vox armáque tote
Spectanti mundo defero Christe tua.
Te duce blasphemos hæresum falsóque suasus
Credendo vici, pace fruens fidei.
Confiteor donum fructúmque tuum manifestè
Gratis, non meritis retribuisse meis.
Paule fidem, neu quis insane magnificet se,
Scripsisti donum solius esse Dei.
Nescio si quod sit inter miracula maius,
Scandala per tanta pace frui fidei.
Iure beatus erit in me non scandala passus,
Christus ait, signum qui fuit obloquijs.
Ecce fremunt, rident, subsannant, mortibus vrgent
Dæmon, philosophi, vis inimica potens.
Talibus impulsum perstare fide requieta,
Non hominis, sed dic hoc opus esse Dei.
Bella tot experti, totiésque pericula passi,
Felices quando non abiere retro.
Gratus eris domino, fidei petra stabilitus,
Petri vox tua sit, non alium petimus.
Coram patre suo Christo vocitante, fideli
Seruo dicetur, tu meus euge veni.
Gaudia, delitias aue benedicte perenni,
Sedibus æthereis regna parata cape.
Concipe qui legeris, tumuli causam faciendi
A *Ædibus & sacris cur monumenta paro.*
Bassa patet platea, baptismi proxima fonti,
Riuus ibi, recolens funde preces domino.
Viuere sis monitus velut hic & nunc obiturus
Orans dic, redeat spiritus ad dominum.
Perpetuo coniunge Iesu tibi fœdere mentem:
Cælitus ad cœnam dic benedicta veni.
Ianua cui cœli crudelibus ignibus vsto
Laurenti patuit, hospes adesto meus.
Iungat se socium Stephanus, qui vidit apertos
B *Cœlos, patronus sit mihi præcipuus.*
Et Paulus raptus ad æthera.
Angelicus custos comitetur, vterque Ioannes,
Virgo Ioseph, tota cœlica turba faue.

Diem natiuitatis & baptismi canit.

Pars animæ Gerarde meæ doctissime salue.
Finis & initij do monimenta mei.
Fausta dies rutilat tibi consecrata nicasi
Et tibi virgo soror martyr & entropia.
Luce sub hac mundo natum me, denuo natum
C *Fons sacer ex vtero protulit Ecclesia.*
Annus erat Domini millesimus, adde trecentos
Sexaginta tres, tunc data vita triplex.
Ira vita prior fuit, iram gratia dempsit,
Viuificans animam, consociánsque Deo.
Tertia vita licet est in spe, vita perennis,
Æterna vita gratia principium est.
Vita peregrinus, vsu rationis ab ortu,
Quarta subest operum, quæ vehit ad patriam.
Hæc operum vita non permanet absque secunda,
D *Gratia viuificat, nutrit & auget opus.*
Quatuor hinc vitas, totidem dicas & amores,
Vita quadruplex est, ergo quadruplus amor.
Omnes ille meos qui viuificauit amores.
Vendicat, ille habeat, continuétque precor.
Gratus ego primos semper complectar amores,
Qui si defuerint, quid nisi mors superest?

EPISTOLA CONSOLATORIA

E IOANNIS GERSON CANCELLARII *Parisiensis, ad Ioannem Germanum suum monachum, in cœnobio sancti Remigij Remensis, super morte alterius Germani sui Nicolai, ordinis Cœlestinorum, & sororum suarum.*

EPIGRAMMA.

Monice, quem mihi dat fratrem natura sequendum,
Nostri sint generis quæ monumenta vides
F *Arnulpho Charlier, cui nupsit Elizabeth olim.*
Gerson origo fuit, aduena voce sonans.
Dotauit Deus hos bissena prole, puella
Septena numero, quinque fuere mares.
Primus Theologus, monachi tres, mortuus alter
Infans, & nupsit filia sola viro.
Frater Petre rapit te mors, & te soror Agnes
Infantes, viuit purus vterque Deo.
Ægra Iabina soror viuens mala sustinuisti
Iugiter hinc moriens reddita dona capis.
Chara soror Raulina vale, quæ commeruisti
Consors esse Iesu, cuius eras famula.

Hospita pauperibus & mystica Martha fuisti,
Te vocat inde Iesus, tu benedicta veni.
Tempora complesti consummatus cito multa,
Frater cordis amor tu Nicolae mei.
Cælos credo equidem ta Cælestinus adisti;
Cælica semper amans dum peregrinus eras.
Sors lugenda manet nobis, quos vita superstes
Septem seruat adhuc, torquet & exilio.

Monice cur quereris fratrem tibi morte perisse?
An tua sit prudens ista querela vide?
Spiritus astra petit, linquens miserabile corpus,
Carcere seu tetro carne solutus abit.
Cuius erat regimen grandis labor, asper, amarus,
Blandicijs fallens, excrucians stimulis.
Assiduus conflictus inest, victoria rara.
Audi quod linguam nemo domare potest.
Quid faciant aures, oculi? quid membra pudoris.
Quidve manus, gula, cor, vis quid odora petit?
Bruta sub imperium videas descendere freni,
Nautæ gubernandi dirigat arte rates.
Et rigida ceruice caro sua frena remordens
Se rapit, & dominum deijcit excutiens.
Opprime mille modis, surget tamen vsque rebellis
Nemóque perfectè suppeditabit eam.
Intro semper inest membrorum dira tyrannis
Fomentum sceleris, omnis origo mali.
Allicit illecebris, acres exaggerat iras,
Miscet tristitias, gaudia, spémque metum.
Plurimalis, pax nulla diu, securáque nunquam
I nunc, & tale plangito mancipium.
Mancipium quod obest animæ, quod sarcina dura,
Quam crebrò stimulis exagitare studet.
Congaude potius prægrandi fasce leuato.
Fratris spiritui monice, si sapias.
Dices, quis nouit si spiritus alta petiuit?
Vel barathri procul hoc corruit in puteum?
Aut medio positum si purgatorius ignis.
Exurat, scoriam purificans scelerum?
Certum te faciat vita respectus honesta,
Inde salutis spem concipe, te recreans.
Collige vel firmum solamen in hac ratione
Lucenti speculo, quam docet alma fides.
Omnis in hac vita peregrinans tendit ad illam
Cælestis patriæ perpetuam requiem.
Scis quam gaudendum, quanto plausu iubilandum,
Tali dum requie perfruitur, morieris.
Si purgandus adhuc retinetur, lætificeris,
Præmia cælorum quod sibi certa manent.
Nil vltra peccare potest, nullo discrimine vitam
Perdere cælestem, fine suo stabilis
Iudicio Domini iusto si forte, quod absit,
Perditus est, cur fles? fletus inaniter est.
Cor tenerum forsan, pietas, naturave pungit
Rumpi consueta fœdus amicitiæ.
Bos & iumentum iuga se socialia plangunt
Perdere, nonne magis est socialis homo?
Te minus hinc miror Raulinam flere sororem,
Assiduis quæ te fouet in obsequiis.
Eijce tristitiam sæculi, causat quia mortem,
Pro solo sapiens crimine ritè gemit.
Aspera sit sors, sit vel prospera, nil nocet vlli.
Si per peccatum desit abusus ei.
Adde, voluntati tua sit conformis oportet.
Diuina, quid aget murmur in oppositum.
An bona mors fratris carnalia vincla resoluens,
Quo caperet cælum liber & emeritus.
A *Fraternalis amor dedit hanc mortem, quia peste*
Dum fouet infectos, contagione perit.
Hac de valle Deus eduxit eam properanter.
Vlterius ne fraus hostica deciperet.
At varijs nostra versatur vita periclis
Omne repletur iter retibus & laqueis.
Tendimus ad patriam suspiramúsque gementes
Quam Raulina soror, quam Nicolaus habet.
Hactenus hac volui tibi frater scribere, quo mens
Fortis & æqua suam nostra petet patriam?
B *Illic cernere nos dare viuas reddere voces*
Fas erit, & quicquid cor petit, illud habet.
Oremus tandem pro defunctis, vt & ipsi
Sint memores nostri, cum bene fiet eis.

FINIS.

TRACTATVS EIVSDEM DE PRÆPARATIONE AD MISSAM, *& pollutione nocturna.*

C

DVBITATVM est apud me frequẽter & diu, præsertim post susceptum sacerdotiũ si quis nocturno pollutus somnio à celebrando missam cessare deberet. Expertus sum similiter multos, præsertim religiosos & nouissimè quendam præ ceteris, tali dubitationis scrupulo non parum turbatos, dum ex vna parte eos ad celebrandum trahit deuotio, ex altera timor offensæ reprimit. Tandem effe- D ctus super hac re certior, tum ex doctorum sacrorum lectione, tum expertorum & virtuosorum consultatione & exemplo, tum postremò ex ipsa rationis & experimentalis cognitionis attestatione, inductus sum vt considerationes aliquas breues & non prorsus inutiles super hac celebrationis materia componerem, eas iudicio melius & sincerius sapientium supponendo. Considerationum huiusmodi quædam erunt accessoriæ, quædã per directum responsiuæ. Precor autem dari veniam, si forsan impurius loquendum erit, quoniã E morbus talis est, qui vix aliter detegi, vix pulchrioribus medicamentis sanari potest.

Consideratio prima.

NVLLVS habet certitudinem euidẽtem absque Dei reuelatione speciali, quod sit sufficienter dispositus & dignus ad celebranda missæ mysteria. Patet, quia tunc posset aliquis euidenter cognoscere se esse in gratia gratũ faciente, & quod sufficienter fecit quicquid requiritur ad hoc quod Deus sibi gratiam hanc infuderit, quod insuper F nullum ponit obicem ex parte aliqua ad huiusmodi gratiæ susceptionem. Denique sciret euidenter, quod ritè constitutus est sacerdos ad habendum potestatem nullatenus impeditus, & similia multa, quæ sunt purè contingentia, & quæ sciri non possunt infallibiliter absque Dei reuelatione speciali. Præterea quis nesciat posse fieri, vt homo detur in reprobum sensum ex demeritis præcedentibus, vt non videat peccata sua, & ita nihil sibi cõscius sit, non tamen in hoc est iustificatus, prout Apostolus formidando testatur. Forsan est talis comparatus ipsi Amon superbo, qui ad conuiuiũ Hester venit, reputans hoc sibi ad honorem esse

præcipuum, quod sibi erat ad suspendium. Quis scit si auditurus est. Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Forsan deniq; talis annumeratus est inter illos, de quibus propheta non tam imprecatiuè quam prænunciatiuè dixit. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsa eorum semper incurua. Effunde super eos iram tuam,& furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Videtis quam extimescenda sententia, si mystico sensu vtimur, cõtra quosdam ad sacram Eucharistiæ mensam accedentes indicatur, præsertim cum dicitur. Obscurentur oculi eorũ ne videãt. Et conformiter ad illud Apostolus intonat & minatur. Qui indigne inquit, manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit. Et rursus. Propter hoc inter vos multi infirmi & imbecilles, &c. Hæc imbecillitas & hæc dormitio magis ad animam quam ad corpus referendæ sunt puto. Constat autem quod hæc omnia certitudinem euidẽtiæ tollunt ab aliquo super sua ad celebrandum dignitate.

Consideratio secunda.

AD dignè celebrandum, & absque temeraria præsũptione & imputabilitate ad nouũ peccatum, non requiritur talis euidentiæ certitudo super celebrantis dignitate. Patet, quia nullus tunc quantumcunque iustus & purus deberet celebrare, nec hoc posset absque discrimine, si nõ fieret ei reuelatio specialis. Sufficit ergo certitudo talis qualem in materia morali consueuimus expetere & capere. Quæ certitudo potest appellari certitudo moralis aut ciuilis, sicut prudenter loquebatur philosophus primus ethicorum 3. ca. dicens. Disciplinati enim est in tantum certitudinem inquirere secundum vnum quodque genus in quantum natura recipit. Ad hãc certitudinem moralem sufficit vt plurimum, quod homo accedens ad missam discusserit conscientiam suam, sicut fecisset pro magna re lucranda, aut incommodo graui euitando, & quod non sit sibi conscius post hãc discussionem de peccato mortali, aut de proposito peccandi mortaliter, quod insuper nõ cognoscat se aliud impedimentum legitimum per excommunicationem aut irregularitatem habere. Consentio itaque in hoc cum Durando 4. sententiarum dist. 9. quæst. 4. quod talis etiam si esset in peccato mortali nescienter, nec de eo expressam ageret confessionem, reportaret vnum è duobus. Aut sibi remitteretur tale peccatum virtute sacramenti, quia videtur facere quod in se est ad eius delectionem, non enim Deus requirit vltra posse. Aut fieret sibi diuinitus illustratio & recognitio sui peccati, quatenus per pœnitentiam illud dilueret, quemadmodum multis contingere probatissimum est, qui in initio sui sacerdotij dum celebrationem continuant, in rememorationem redeunt plurimorum & occultissimorum peccatorum. Similem inueniunt gratiam illi, qui nouiter ad frugem melioris vitæ toto corde se præparant. Porrò talia peccata in recordatione venientia, ex irradiatione superioris luminis in profunda abysso animæ, non ideo tales confiteri tenetur, quod non prius deleta esse potuerunt modo prædicto, sed fit hoc ad obediendum præcepto, de confitẽ-
A do semel quodlibet peccatum nostrum, quod & dum distinctè cognoscimus.

Consideratio tertia.

NON omnis scrupulus aut dubitatio de peccato mortali, neque omnis indeuotio aut deordinatio, aut non attentio, impediunt de necessitate celebrantis dignitatem. Patet, quia certitudo moralis qualem prædiximus sufficere, cõpatitur secum vacillationem quandam animi aut hæsitationem quandam vel suspicionem seu scrupulos, quod homo non sit sufficienter dispositus
B aut quod impedimento aliquo ligatus est. Compatitur etiam deordinationem aliquam, præsertim virium inferiorum & legis tyrannicæ mẽbrorum, quæ non est sæpè subdita nostræ potestati. Ex qua causatur in deuotio quędam, quã non plena & actualis semper attentio consequuntur, nec obinde peccato maculari necesse est, nec peccatur. Et si quis opposuerit, quod dubitans de aliquo an sit illicitum, & stante dubio illud agens peccat, quia se discrimini scienter obijcit. Respõ-
C deo cum Domino Guillelmo Anthissiodorẽsi regulam hanc magistralẽ intelligendam esse de dubio tali quod est vehemens & magis, aut saltem ęquè inducit mentem credere quod est mortaliter illicitum sicut quod est licitum. Secus est vbi mens plus inclinatur & iudicat quod est licitum quam illicitum, quamuis nõ habeat vsquequaque certitudinem euidẽtem aut fixam, quia nec hoc ipsum requiritur. Sunt itaque nõnulli & plures qui fortis sunt phantasiæ, qui præterea sæpè trepidant ti-
D more vbi iudicant etiam non esse timendũ. Tales debent inniti consilio superiorum & prudentiũ, & contra talem ipsorũ vacillationem audacter operari. Sic enim plerumque vincetur, abibitque. Qui verò renuunt credere superiorum & prudentum consilio ad tales scrupulos deponendum & agendum contra eos, errant multipliciter. Primò per superbiam & arrogantiã, præponendo iudiciũ suũ & prudentiam aliorum iudicio. Rursus talis vix aut nunquam deuotionem habebit solidã, nec pacem conscientiæ à talibus, ac proinde carebit
E locus animæ suæ hospite illo, de quo propheta dicit, quòd in pace factus est locus eius. Dicunt doctores aliqui, quibus assentio, quod aliquando nõ est tam meritoriũ credere sicut velle credere, nec dolere sensualiter de peccatis, sicut velle dolere & non posse. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus (inquit propheta) præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Deus itaque iudicat nos & nostra, secundum superioris rationis arbitrium, voluntatem & iudicium, & non secundum
F ea quæ nobis inuitis atque contradicentibus portio sensualitatis inferior aduehit & producit, qualia sunt volubilitas imaginationum & phantasiarum, stimulus insuper carnis illecebrosus & vindicatiuus, vacillationes præterea timidæ & incertæ super agendis aut super eis credendis, quæ nostris nequaquam sensibus attingimus & similia.

Decipiuntur in hoc multi ex simplicibus, distinguere nescientes inter ea quæ portio animæ superior agit per consensum, & ea quæ portio animæ inferior patitur absque superioris assensu. Darent idcirco sæpè alijs salubre consilium, qui nesciunt illud præstare sibi. Quare sic? certè ob turpẽ hanc passio-

passionum simul irruentium tumultuantem & rixantem. Quocirca memorandum est beati Bern. super hac re consilium. Erat ex discipulis eius quidam tantis inquietatus scrupulis, vt ad celebrandum nullo pacto auderet accedere. Dixit ei deuotus & circunspectus Bernardus postquam hoc accepit. Vade frater & in fide mea celebres. Obediuit discipulus, & scrupulus omnis ille perpetuo discessit. Laudanda prorsus & imitanda tam illius patris industriosa fiducia, quam istius fratris fidelis obedientia. Dicet aliquis ex simplicioribus, vtinam talis mihi esset Abbas aut prior, qualis erat beatus Bernardus crederem faciliter imperanti. Nunc verò dum superioris mei paruam sapientiā inspicio, non audeo meam conscientiam & salutem suæ fidei tali pacto committere. Quisquis ita dicis & sapis erras & desipis. Non enim commisisti te & salutem tuam in manus hominis, quia prudens est & plurimum literatus aut deuotus, sed quia tibi est secundum regularem institutionē præpositus & prælatus. Quamobrem obedias sibi non vt homini, sed vt Deo iubenti, si tamen nō contra Deum. Et sæpè tanto erit obedientia tua placentior Deo, tibíque fructuosior, quanto est indignior ille cui propter Deum subijci non refugis. Caueas ad extremum, ne dum quæris securitatem, nec illam adipiscaris, in grauem ruas dijudicationis & præsumptionis foueam.

Consideratio quarta.

Contingit vt possit aliquis eodem tempore ad celebrationē laudabiliter accedere, posset nihilominus ab eadem laudabiliter abstinere. Quo casu primum de se laudabilius est quam secundum.

Patet prima pars, quando aliquis est sine conscientia peccati mortalis aut alio impedimento, & non est obligatus ex officio vel aliter celebrare, tunc habet vtrumque in sua potestate facere licenter atque laudabiliter, vt vel cum Centurione dicat: Domine non sum dignus, &c. vel cum Zacheo Dominum fidenter inuitet.

Secundam partem probo, cum Durādo. 4. sententiarum distinct. 12. q. 6. Celebratio quippe est de per se opus bonum, abstinere autem ab ea si sit bonum, magis est in ordine ad indeuotionem suscipientis quam de per se. Rursus celebratio habet efficaciam magnam ex virtute operis operati, propter quā non tantumdem valet voluntas sola celebrandi, sicut par voluntas actu celebrans. Addit itaque opus hoc exterius aliquid bonitatis ad bonitatem volūtatis, propter meritū passionis Christi. Propterea dici solet opus priuilegiatum. Amplius ille qui celebrat, in operis executione magnam adipiscitur deuotionis pinguedinem, & diuinius solet occupari. Ducitur insuper à virtute nobiliori sic agendo, videlicet à charitate & dilectione huius sacramenti, quam non celebrans, qui timore potius se contrahit. Quod si quis dixerit vacationem à celebratione ideo fieri, vt ipsa postmodū reuerentius & deuotius, quanto rarius impleatur. Fatemur posse sic euenire. Sed ex aduerso contingere potest, quod talis subtractio remouebit habituationem ad bonū, cuius effectus est secundum philosophū delectabilis. Signum, inquit, acquisiti habitus est delectatio in opere. Euenit insuper plerumque illud dictum Nasonis: Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Distraheris hodie parum deuotus es, parum recollectus, plurimum tentatus à carne, mundo vel dæmone. Credo equidem. Sed agnoueris quod non dormiunt qui te persequuntur, & cras ijdem erunt aduersantes tibi hostes, tuæque deuotioni insidiantes, quales sunt hodie. Quocirca non irrationabiliter contulit Sapiens: Quodcunque potest inquit, manus tua, instanter operare. Nescis enim quando tale tempus ad laudabiliter celebrandum tibi concedetur quale modo habes. Et si vtrumque habeas, vtrumque melius est. Esto fueris in hac vel in illa re defectuosus, cur nouum defectum in non celebrando superinducis? Sed frigidus sum dicis, aut tepidus. Sæpè suscipit initium celebrationis hominem parum deuotum & frigidum, quē in fine calescentem dimittit & feruidum. Corpus Christi ignis est spiritualis, accede fiducialiter ad hunc ignem, calesces facilius. Audiamus orantem Ambros. & Deum alloquētem: Graue est est quod ad mensam tuam mundo corde & innocentibus manibus non venimus, sed grauius est si quia peccata metuimus, sacrificium non reddimus.

Refert narratio sanctorum patrum de quodam Euagrio, qui non nisi semel in anno communicādum esse censebat. Contra quem sancti patres repugnabant argumentantes quod aut dignum se putabat & dispositum qui semel in anno communicaret, & ita præsumptuosus erat aut indignum se tunc fatebatur, & nihilominus accedebat. Cur non ita poterat alius similiter pluries hæc sacramenta conficere, quamquàm de se se sciret indignum? Si fas est itaque semel in anno cum timore Dei celebrare, cum eodem timore poterit sæpius similis esse ad celebrandum licentia. Fuerunt (nec ignoro sanctorum aliqui, quos certa ratio compescuit, ne celebrarent in æternum. Sed particularia hæc facta quorumdam, veneranda magis sunt pia interpretatione quam in exemplum agēdi trahenda. Postremò non sum nescius diuersa esse dona & vocationes in diuersis, prout Spiritussanctus voluerit, & alius indisponitur per interruptionem celebrationis, & sese vix postmodum recolligit, alius ex eadem frequentatione redditur indeuotior, & ex tali familiaritate promptior ad contemptum. Quamobrem suā interroget vnusquisque conscientiam, & tūc per experientiam & prudentioris alicuius consilium, id quod opportunius competerit, exequatur. Hinc dicebat egregius doctor Augustinus: Quotidie celebrare nec laudo, nec vitupero. Ipse tamen & alij consulunt sic viuere, vt quotidie digni simus accedere.

Consideratio quinta.

Nvlla pollutio inchoata & perfecta in sōno peccatum est mortale. Patet ex famosa Augustini regula, quod peccatum adeò voluntarium est, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum, & intelligitur de actuali. Rursus ista est expressa determinatio eiusdem 1. de Ciuitate Dei cap. 25. loquentis de violēta corruptione virginis alicuius. Quanto magis inquit, absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis. Dicentes oppositū contradicunt non solum theologicæ, sed etiam

philoſophicæ determinationi, nec habẽt quid reſpondeant, ſi fiat eis argumentum de furioſis & infantibus & alijs non vtentibus ratione, quos pro tunc non peccare noua tranſgreſſione, concors eſt omnium ſapientium rectè ſententia. Notanter dicimus, ſi pollutio inchoata ſit & perfecta in ſomno, quoniam poſſet aliquis vigilans impurum habere deſiderium ſe polluendi, quò vigẽte caderet in ſomnium, in quo ſua pollutio compleretur. Poſſet ſimiliter pollutionem in ſomno cœptam, expergiſcens malè conſummare. Conſtat in his caſibus radicem pollutionis eſſe liberam atque flagitioſam, propter quam illud opus obſcœnum imputabitur ad culpam. At verò ſi vtrobique fuerit in principio & fine carentia vſus rationis, & conſenſus liberi arbitrij, erit vtique talis actus (etiam ſi vigilando compleretur) abſq; culpa mortali. Palam eſt ratio, quia libertate carebit. Poterit forſan aliquis peccare poſtmodum, complacendo ſibi in tali voluptate probroſa quam habuit. Non obinde tamen redderetur prior actus pollutionis culpabiliter vitioſus. Poſſet etiam aliquo modo placere ſecũdum ſanctum Thomam non quod voluptas eſt, ſed quia ſanitatem, & naturæ affert exonerationem abſque ſui, qui patitur procuratione vel aſſenſu. Denique non conſulunt ſancti, quod debeat violenter fluxus ille dum euigilãdo ſentitur, iam effluens coërceri, quia vel eſſet fruſtra conatus ille, vel naturæ ſupra modũ grauatiuus. Confirmatio omnium iſta eſt, quod actus exterior nullum peccatum eſt niſi denominatione extrinſeca pluſquàm vrina, quæ non dicitur propriè ſana. Si nullũ ſit igitur in animo propriè dictum peccatum, dum libertate non vtitur, nullus erit pro tunc actus exterior vitioſus. Neq; tamen negabimus, quin per crapulam aut damnabilem illecebram vigiliæ, poſſit aliquis in hanc illabi ſordiciem, ſed culpam tunc vigilia, non ſomnus habet, quamquam & crapula & cogitatio voluptuoſa lætali crimine ſæpè carent, & poſſunt ante ſomnum dilui pœnitendo.

Conſideratio ſexta.

POLLVTIO corporalis in ſomno contingere poteſt non ſolum abſque peccato mortali præcedente, immò & ex merito. Patet ex diſtinctione famoſa data per Gregor. & alios tam theologos quam naturales. Euenit itaque nonnunquã hæc immunditia ex infirmitate aut debilitate naturæ exonerare ſe volentis, aut retinere non valentis. Namque eſt præterea aliquis fluxus ferè talis in viris aliquibus, qualem fœminæ patiuntur in menſtruis, & fit cum nulla aut tenuiſſima voluptate, etiam vigilando. Fit aliquando inſuper aliquis fluxus tanta lubricitate & facilitate in quibuſdam viris aut fœminis, quod ſolo aſpectu aut alloquio aut leui cogitatione prouocatur. Quis ergo dixerit apud tales inuitos & renitentes, aut nullo modo conſentientes ab initio vſque ad finem, peccatum mortale committi? Non omniũ vna eſt complexionis harmonia. Quoſdam videmus è naſo leuiſſima aut nulla occaſione defluere ſanguinem, alios cum violentia multa id non pati ſcimus. Cognoui hominem ſeptuagenarium ſecularem, & valde crapuloſum, qui nunquam ſe pollutum fuiſſe dormiendo teſtabatur, & hoc in alijs mirabatur. Alium vidi religioſum & ſobriũ, A qui per decennium & amplius ferè quotidiana hac paſſione vexabatur. Quidam vix ſomniant dormientes, alios ſomnia iugiter exagitant. Sed omittamus hæc & ſimilia, quorum determinatio medicos plus aſpicit, & ſimiliter remedia, quamquam mihi faſſus fuerit vnus ex medicis famatiſſimus, ſe pridem ad medendum tali nocturno fluxui in alijs ſtuduiſſe diligenter, ſed fruſtra laboraſſe. Nos autem moralia ſeu theologica loquentes, declaremus quo pacto poſſit ex merito præcedenti pollutio nocturna contingere.

B Primò quidem ex arcta abſtinentia in pane & aqua, hoc euenire perſpicuum fecit experientia. Amplius volens aliquis hoc vitium carnis prædicando deteſtari, nonne ſuper illo cogitare poſſet, aut ſimiliter confeſſiones audiendo? poſſet vtiq., & cum merito magno. Nihilominus occurrere videbit in ſomno nonnumquam præcogitatarum impudicitiarum ſimulachra, & ipſum ex illis ſicut in alijs ad pollutionem concitari poſſe quis negauerit? Addunt ſancti patres, quorum fuerit oculus mentis apertus & terſus ad fallaces inſidias C dæmonis intuendas, nonnunquam has ſordes fieri illuſione ſua, vel ad terrendum & inquietandũ timoroſæ conſcientiæ puritatem, vel pro boni operis (vt celebrationis) impedimento, vel vt vigilanti placeat quod ſomnians pertulit, vel vt abſtinentiam periculoſam, & indiſcretum vitæ rigorem ſuadeat, & in inſaniam præcipitet, vel vt Deo propitio & permittente deuotã mentem, ſic exerceat, & ex tali fœditate ſtimulatam in humilitate D cuſtodiat. Hoc in loco duo ſunt dicta Gregor. memoranda. Primum eſt, quod ſæpè tales illuſiones ſeu pollutiones animus neſciẽs pertuliſſe magis dolendus eſt quam feciſſe. Secundum quod, bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere vbi culpa non eſt, ſic tamen agnoſcatur culpa, vt nõ indiſcretè impediatur operatio iuſta, neque corporis debita ſuſtentatio deſeratur. Ne præterea aliquis conſcientiam ſibi fabricet & nutriat erroneam, ne cadat in ſcyllam, cupiens vitare charybdim. Patietur fortaſſis aliquis hæſitationes varias, E dum ad comedendum vel dormiendum acceſſerit dicẽtque ſic, pollueris ſi hoc & hoc non omiſeris, ſi non tibi præcauebis, contemnat talia neceſſe eſt, qui diſcrimen magis immmere circunſpicit, ſi non parem cum alijs viuendi formam prudenter inſequitur. Scrupuloſis ergo contra ſcrupulos agendum eſt, & fixo operis pede certandum.

Hac arte prudẽter vſus eſt ille qui turbato cuidã iugiter ſuper repetitione horarum ſuarum, ſi non F aſſiduè & actualiter attenderet ad eas, iniunxit pœnitentiam hanc ad tempus, ne quomodolibet horas ſemel dictas iteraret. Neque enim requiritur actualis ſemper attentio, ſufficit habitualis ſeu virtualis non interrupta ſcienter & à propoſito per deliberatam attentionem circa aliud penitus incompatibile. Mille ſurgunt apud aliquos tales ſcrupuli, more canum oblatrantes & laceraremi nantes, ipſos ambulantes per viam mandatorum Dei, quos euincere & compeſcere melius quam per contemptum nequimus. Tantummodo ſit contemptus iſte timoratus & regulariter nõ abſque præuio alterius, præſertim ſuperioris conſilio,

lio, alioquin timor immoderatus facit casum, aut præcipitat inconsulta præsumptio.

Consideratio septima.

NVLLA corporalis immunditia de per se est impeditiua celebrationis, sed bene de per accidens ratione concomitantiæ alicuius (vel sequelæ in anima. Hanc considerationem deducit Bonauentura in 4. sententiarum dist. 12. quæst. 3. Et patet satis prima pars ex verbis Christi, si bene perpendatur dicendi ratio Matth. 15. Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem. Et ratio est, quia nulla passio talis aut immunditia exterior de per se peccatum est, aut de necessitate peccato coniuncta, vel inducens ad peccatum. Præterea talis est immunditia sordidior & abominabilior corporalis vt corporalis est, quam sanies leprosorum, hæc tamen non impedit celebrationem, præsertim si fiat in occulto. Idem sentiunt doctores de menstruis mulierum, & de fluxu perpetuo aliquorum virorum. Secunda pars declaratur distinguendo, quia quædam immunditia corporalis coniuncta est immunditiæ, spirituali secundum veritatem, sicut in vigilia habent fornicantes. Alia est coniuncta tali immunditiæ spirituali tantummodo secundum quandam similitudinem aut conformitatem, prout est in somnijs sordidis & impuris, quando non peccatum est, sed similitudo peccati. Aliam videmus immunditiam quæ horrorem & abominationem quandam, visa vel recogitata generat, vt in leproso & alijs plurimis, quamuis nullam sciamus inesse peccati veritatem aut effigiem. Postremò alia indifferens, sicut in pedibus lutosis, aut facie puluerulenta, & sudante.

Prima & secunda generant vt frequēter in anima hebetudinem quandam, discrassiationem & deordinationem atque indeuotionem, quoniam sicut gustato spiritu desipit omnis caro, sic è contra, & amplius, gustata carne desipit spiritus, & fit carnalis ad tempus, longius aut breuius, secundū diuersas habituationes atque complexiones. De his in figura dictum est antiquis vt taliter immundi separentur ab alijs vsque ad vesperam & vestimentorum lotionem hoc Gregor. sic exponit, vt nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi vsque ad vesperam cognoscat. Cōstat enim nullas tales institutiones quæ cerimoniales erant atque figurales, vllatenus ad obligationes nostras trahendas esse, nisi iudaizare velimus. Propterea vespera in hoc ioco & lotio materialis, non ad literam accipiendæ sunt, sed tandiu reputet se homo immundum, vt extra castra sanctorum mysteriorum secedat, quamdiu tales in eo vigent peccati reliquiæ, hebetudo scilicet mentis, carnalitas & deordinatio atque indeuotio. Purgantur alij tardius, alij confestim lugent humiliati, quia prōptis lachrymis diluunt & exterminant quicquid carnalitatis concretum erat, & omne eius vestigium breui lamento delent & abolent.

Sordes tertiæ propter scandalum vel horrorem, quorum vtrumque de per accidens nocere potest deuotioni animæ, possunt de per accidens celebrationem impedire, dum videlicet scandalum vel horror, & ex consequenti indeuotio celebrātis aut assistentium vehementer præsumuntur accessuræ. Secus vbi sunt homines exercitati & perfecti, apud quas tale nihil timendum est.

Consideratio octaua.

POSSIBILE est absque vlla reprehensione & cum merito aliquem somno pollutum sacro-sancta mysteria contingere atque celebrare. Patet consideratio ex deductione præcedentium. Ad dignam itaque celebrationem sufficit præparatio talis, quæ non relinquat conscientiam peccati mortalis, aut impedimenti legitimi, & quæ deuotionem atque reuerentiam ad sacramentum penitus non excludat. Sed pollutum modo dicto possibile est ista in se sentire, non longè post talem passionem, immò quod humilior, deuotior & ordinatior & reuerentior ad sacramentum accedet. Constat enim quod obscœnitas humoris istius cū suis reliquijs non perpetuò durant nec perpetuò à celebratione impediunt, & si datur spacium 24. horarum sicut Albertus determinare videtur, poterit aliquis vna hora purgatior effici quam alius in centum. Cur non ita fiat ad celebrandum similiter aptior? Porrò si timeatur reuersio talium illecebrarum & passionum tempore celebrationis, possunt vtique & in omnibus contingere, vel ex aspectibus solis prioribus, vel ex corruptela naturæ, vel diabolica operatione. Hæc nostra consideratio maximè locum habet in religiosis viris & contemplatiuis, quorum est ad Deum facilis conuersio propter fortem habituationem, propter etiam carnis subiectionem dum vigilant. Rarò autem apud seculariter viuentes, aut nouā bene viuendi formam inchoantes, talis repentina seu leuis recollectio deuotionis inuenitur. Cessare eos idcirco aut tardius accedere ad sacramentū hoc reuerendissimè tractandum conuenit. Habet præterea locum nostra consideratio, vbi illusio dæmonis nostrā deuotionem impedire volentis, perspicitur aliquibus indicijs, neque cedere debemus eidem, sed obniti potius. Vbi subinde timet aliquis sacerdos de scandalo si non celebret. Vbi deinceps tenetur aliquis celebrare, vel ex suscepto officio, vel ex commissione vel mutua vicissitudine & conformitat ad reliquos cū quibus viuit, quemadmodum sunt religiosi penè omnes.

Attendendum hic, quod nullus palàm tenetur proprium defectum vel infirmitatem occultos prodere, vt plurimum cautius est atque discretius contegere. Prodit autem seipsum talis non celebrans, scandalizàtque frequenter, & cogitationes varias ascendere facit in corda aliorum.

Nolo tamen præiudicare, nec possum, nec debeo per hæc dicta mea quibuscunque institutionibus religiosorum si aliqui sint ad oppositum. Verum est nempè illud apostoli? Quilibet in suo sensu abundet. Sed dixi interim, quid mihi dicendum posse videtur, si nuda cogitetur veritas apud habentes libertatem legis Christi.

Opponat forsan aliquis de fornicarijs, quod similiter in breui possent recolligere se, & ab omnibus peccati reliquis animā extergere, possent igitur statim celebrare. Opponeret alius de coniugatis, apud quos possibile est peccatum in sua cōiunctione non committi, qui tamen de communione separandi videntur. Ad hæc dicere possumus.

Primò ad vltimum, quod doctorum famosorũ sententia est, tales coniugatos si accedant ex deuotione, præsertim diebus solemnibus, non peccare, quando vel affectu prolis gignẽdæ, vel reddendi debiti, aut incontinentiæ vitandæ causa cõmixti sunt, nec obstaculum aliud est. Ad primum non aliud pro nunc diximus, nisi quod rarissimũ hoc esset, de his autem quæ vix aut nunquam eueniunt, doctores parum tractant. Si tamen immineret graue scandalum pro omissione, si præterea grandis contritio concurreret, si denique magis ex surreptione diabolica aut vehementi tentatione tale flagitium apud se rarum commisisset, audeat qui profundius sapit talem prohibere, fateor non audeo. In hoc casu & alijs (sicut perspicuum est ex præmissis) relinquendi sunt multi suæ conscientiæ & iudicio, circunstantijs omnibus quas prudentia circumspicit indagatis.

Consideratio nona.

PRæcipuè ex diuino munere, & non ex nostra industria seu præparatione reddimur digni mysteriorum participatione sacramentorum.

Hæc consideratio si cum sapore intimo masticetur, humiliabit nos vehementer. Et profectò humilitas sola est quæ disponit ad dignificationẽ & præparationem pro talis tantique hospitis in animæ cœnaculo susceptione.

Scio hominem qui taliter in veritate comperit, nunquam potuisse ad quietam & serenam dispositionem celebrandi pertigisse, quousque diffidens de omni sua industria & labore & sollicitudine & præparatione per confessionem aut alias, immolauit in ara cordis bouem superbiæ, dixitq, in animo contrito & humiliato cum Daniele: Domine non in iustificationibus meis prosterno preces meas ante te, sed in tuis miserationibus multis & magnis. Et rursus cum propheta: Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo, & similia quædam, quorum aliqua scriptis inseruit. Planè industria nostra & præparatio quales agere conuenienter possumus, requiruntur, eis tamen si innitimur, fallimur & cadimus, aut tanquam si quis baculo arundineo sustentetur, vacillamus, neque habitamus in adiutorio altissimi, dum nostris meritis fidimus, vel in peccatorum sola recordatione torquemur. Nimirum si tunc in protectione Dei cœli nequaquã commoremur, qua deficiente protectione quis subsistet?

Fuit cuidam per somnium ostensa visio talis. Præcipitatus in cloacam erat, & à quodam baculo stercoribus infixo sustentari, ne profundaretur satagebat. At verò baculus ille fundotenus demittebatur assiduè cum fœtore intolerabili. Sentiens ille periculum, tota mente ad Dominum conuersus, relicto baculo, confestim ereptus est. Sanè conscientia nostra quantumlibet munda, est cloaca quædam plena stercoribus fœdis defectuũ quotidianorum. Baculus ille nostra est industria, per quam emergere quærimus, sed proculdubio quousque leuemus oculos in cœlum, vnde veniat auxilium nobis, quousque fiduciam nostram totam in Deum iactemus, quanto plus innitimur solo nostræ industriæ baculo, tanto in profundiorem abyssum nostræ prauitatis demergimur, & non nisi fœtorem tetrum & horridum reportamus.

A Quid ergo? (diceret aliquis) tentabimus ne Deum, aut pleni conscientia peccatorum, indeuoti, sordidi, distracti, & distemperati ad sacramentum hoc salutiferum sub spe misericordiæ solius accedamus? Dixi iam, vt agat nostra industria quod poterit vt sit absque conscientia peccati mortalis. Sed in illa nequaquam speremus, alioquin superbimus, alioquin maledictionem incurrimus, qui ponimus fiduciam in homine, & carnem brachium nostrum. Agnoscamus quod omnes iustitiæ nostræ sunt vt pannus menstruatæ, aut velut leprosi fasciæ super quibus stillamus quotidie saniem peccatorum. Qua fronte igitur, quave audacia infectionem ad placandum Deum audebimus ostendere. Caueamus ne potius irritetur. Planè sic est. Si mille annis valeret aliquis se disponere ad dignitatem celebrationis, nec sic per se attingeret. Quid idcirco in breui morula facere poteris coniectura? Interrogat se frequẽter ille cuius supra memini, si dignus est accedere, si sufficienter præparatus. Hæsitat primum, tremiscit, reformidátque. Tandem sic respondet sibijpsi. Interim quantum in me est, nihil Deo propitio de certo mihi sum conscius super peccato mortali aut peccandi proposito, peccata etiam venialia non confessa nequaquam obsistunt. Scio etiam ex aduerso, quod iustus est Dominus, qui si velit exquirere vehementer debita mea, si iniquitates obseruare, si mecum in iudicio contendere, neque sustinebo, neque potero respondere vnum pro mille, quantumlibet lotus fuero, attritus, confessus, lachrymosus? Quid ista sunt? væ mihi, si non cum misericordia magna valde dijudicet, quid scire possim, si fortè lateant me vitia mea, merui quidem excæcari, qui visu meo spirituali primitus supra modum abusus sum, dum videns bonum id adimplere contempsi. Hoc vnum scio, quod apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio, quod pietatis eius fontem nulla potest nostra iniquitas euincere vel siccare, quod si decreuerit saluare, nemo est qui condemnet. Præcipit vt sperem in eo, & me totum in suas manus proijciam obedio vt possum. Non est crudelis aut mendax, venientem ad eum non eijciet foras prouolutum suis pedibus non indignanter abijciet, præuenit me demum in benedictionibus dulcedinis, dum mihi displiceo. Spero equidem ipse qui cœpit, perficiet & illuminabit abscondita tenebrarum, ne vnquam obdormiam in morte.

F Fornicata es ô anima mea cum amatoribus tuis. Iubet pios sponsus per os propheticum vt reuertaris, modo etiam te suscipiet. Et si milies abscesseris, contempseris, irriseris, te venientem non repudiabit, pœnitentem non aspernabitur. Si quis ex hominibus talia diceret, crederes & aspirares & accederes, Deus hoc dicit, Deus hoc pollicetur, immò Deus hoc imperat, & tu diffidens non accedes. Non est aliud consilium ô anima mea. In sua igitur veritate, non tua vanitate fidens, voluntariè sibi sacrificia.

Immunda es, accede mundãda ad fontẽ puritatis incontaminabilem. Esuris, accede pascenda ad

ad panem viuificum & indefectibilem. Ægrotas, erit hoc efficacissimum tuę inualetudini medicamentum. Fluxum pateris, ne sanari potes à medicis tuis scilicet exercitijs, tange plena fide cum hæmorrhoissa Martha secundum Ambrosium fimbriam vestimenti Iesu, sacrosanctam videlicet hostiam, vt purgeris. Si percussam te sentis à serpentibus peruersarum tentationum, quid restat nisi vt serpentem Christum eleuatum inspicias? Si dicis cum propheta. Quoniam vnica & pauper sum ego, particeps esto sacrosancti huius ministerij: habebis Christum comitem fidum & hospitem ditissimum. Cæcam te fortassis, debilem & claudam conquereris, memineris quoniam tales ad cœnam magni regis inuitãtur, & intrare compelluntur. Lubrica sum inquies & instabilis, sed hic panis confirmat cor. Tristis es & anxia, sed vinum hoc lætificat. Inquietant te & turbant plurima, adhære ei qui turbidos fluctus sedat, qui est pax nostra, qui ait: In mundo pressuram, in me pacem habebitis. Peregrinaris à Domino, sed in fortitudine cibi huius ambulabis vsque ad montem Dei. Quid ergo tãdem formidas? Quid expauescis ô anima mea? Quare & quousque conturbas me? Spera in Deo, & liberabit te, & enutriet te, & non confundet te. Suspiranda forte quæris, vbi est Deus tuus? In hoc certè conuiuio in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis, mens impletur gratia, & futuræ glorię nobis pignus datur. Crede hoc bona & simplici fide, nec curiosa discusseris existẽtiæ modum, sufficiat tibi quod non est hic modo aliorum corporum suis locis commẽsuratorum, propterea vanè (ne dicam stultè) quærunt aliqui vbi caput, vbi pedes, qualis situs, qualis ad hostiam partium coordinatio, vbi Christus esse dicitur, quare & quomodo. Quoniam facta est in eius corpus transsubstantio panis omnipotenti virtute diuinitatis. Si non hoc comprehendis, neque profectò quantulamcumque rem aliam quoad infinitas eius habitudines & proprietates comprehendis, da locum fidei vt meritum habeas & eam quam sine merito das naturæ fidem da cum laude reuelatori, & in eius obsequium volẽs te captiua.

Consideratio decima.

NOn propter timorem contaminationis corporis Christi illud cum mundicia corporali monemus contrectare, sed ad indeuotionem aut scandalum in nobis vel alijs deuitandum. Consideratio ista parum etiam instructis manifesta est, valet tamen non mediocriter apud scrupulosos, vt si forte corporalis aliqua sordicies ipsis nolentibus aduenerit, recogitent ad Christi corpus nihil hanc attinere, seruata in animo munditia & reuerentia sanctitatis.

Fuerunt qui dixerant ipsam hostiam consecratam nullo modo in ventrem nostrum comedendo demitti, sed statim in cœlum rapi, contra experientiam quotidianam atque catholicam veritatem, quæ ponit corpus Christi verè comedi. Fefellit eos huiusmodi considerationis obliuio, dum putant indignum sentire, vt corpus Christi vel hostia sacra in fœtulentum sto-

A machum nostrum deueniat, quasi videlicet polluatur aut fœdetur plusquam radius solaris aut spiritualium substantiarum aliqua. Dicant ergo si sic iudicant more carnalium Iudæorum aut paganorum, cur Christi corpus in maternis visceribus, & secundina pellicula mensibus nouem obseruatum & obuolutum fuerit? Debet vtique ratio corrigere sensuale iudicium, ne blasphemiam impiam reputemus ipsam rei syncerissimam veritatem. Caueamus à tali spurcicia recogitanda per timorem crebrum, quoniam inficit hæc rememoratio plus quam purget. Assuescat homo spiritualiter spiritualia diiudicare & sentire, sic enim multis & varijs phantasmatum inquietantium impudicitijs semet absoluet. Sic ea minus curabit, quæ reuera minus curanda sunt, corporales loquor sordes. Sic denique magis in conscientiæ quam corporis puritate confidet. Concludamus tandem epilogantes, vt nemo celebraturus euidentem sibi quærat certitudinem super dignificatione sua vexaretur in cassum, habeat illam quæ dicta est præparationem, & sufficit. Non confidat in multitudine virtutis suæ & in repetitione confessionis aut deuotionis aut recollectionis serenitate. Potest enim fieri vt confessio crebra super venialibus obsit de per accidens. Quomodo sic? Dicam. Reddit quippe animam plus iusto sollicitam & pauidam, & omnia etiam minima timentem vt de ipsa etiam confessionis imperfectione trepidet & vrgeatur iterum confiteri. Dabo tamen documentum per quod nulla confessionis multiplicatio inquietationis causa erit. Si videlicet fiat non tanquam reputetur pro tunc ad salutem necessaria, aut ad celebrationis illius dispositionem requisita. Sed quia opus bonum & priuilegiatum, ad indulgentiam quoque aut gratiæ augmentationem non parum proficiens. Porrò diligat anima Deum aliquando necesse est, & se in manus eius proijciat, alioquin se expelli à facie Domini & repelli iugiter timendo & habendo Deum seueritate suspectum, iugiter recurua erit ad commodum suum, nec vnquam ad alta se subuehet. Quamobrem ascensura in montem anima, & gaudium suum immolatura cum Abraham, relinquat inferius asinum suum cum pueris suis. Rudiat ibi asinus, perstrepent pueri, fœda sint illic omnia, nihil ad se quæ in monte stat (hoc est in vertice rationis) pertinebit.

Non impertinenter hoc loco visionem inseremus quam beato Petro cœlestino monstrasse memoramur ille qui docet homines etiam per somnia scientiam, visum est idem patri soporanti quod aulam regiam præcellentissimam cum asino suo inuitatus ascenderet. Hic asinus tributum ventris per viam soluit, exhorruit vir purissimus & abominatus est hanc non iniquitatem, sed inquinationem, & progredi formidans, regredi moliebatur quousque benigniter admonitus est voce de throno lapsa, nihil ad sui vel aulæ regiæ spiritualis contaminationem pertinere id quod se non conscio naturalia necessaria quæ suus asellus corpulentus & irrationalis expulerat.

Planè sic est & dicam amplius. Euenit nonnunquam vt turbationes, pugnæ, deordinationes

& felicitates inferius sensualiter agitatæ succrescere faciant superius meritum nostrum, sicut è contra magna vtrobique serenitas superbiæ ventum omnia funditus euertentem, repente nonnunquam inducit. Tantummodo exinaniat se anima quantum poterit, nec ob aliud contemplationi vel studio aut quieti cuilibet insistat, nisi vt apud se exaltetur Deus, ac perinde magis ac magis humilietur, & in suam paruitatem, immo nihileitatem resiliat, & resiliens cadat, & Deus suscipiet eam. Hæc via tuta est, regia & secura.

Demum finem loquendi omnes pariter audiamus. Deum time, de te desperans, in se fidens, & mandata eius obserua, quod in te est non omittens, hoc est omnis homo. Finis.

TRACTATVS EIVSDEM DE POLLVTIONE DIVRNA.



SCripsi pridē aliqua super præparatione ad missam sub decem considerationibus, occasione sūpta principaliter ex materia pollutionis nocturnæ. Nunc autem de pollutionibus quæ videntur accidere vigilando, quæsita sunt à me aliqua, quæ solent timoratas conscientias plurimum turbare, sicut frequenter ex diuersis personis vtriusque sexus tam in confessione quam extra potui perpendere, propterea consului nedum doctores in scriptis eorum super hac re, sed etiam colloquium habui cum exercitatis & discretis in confessionis materia, immo & à medicis huiusmodi multiplicis & variæ pollutionis causam inquisiui. Denique præparet se lector audire castè id quod pro castitatis cognitione necessitas cogit aperire.

Primum notabile.

PRæsupponendum est igitur in primis, quod à corpore humano defluit multiplex humor per meatus membrorum pudendorum, quæ generationi deputata sunt. Vnus est verè seminalis, alius verè vrinalis, alius quodammodo medius, qui potest appellari salivalis vel sputalis, alius additur humor (præsertim in mulieribus) qui nominatur menstrualis, & huic similis quandoque masculo accidit ex infirmitate.

Porrò facile est satis cognoscere patientibus secundum & vltimum fluxum, quando scilicet ille est verè vrinalis vel verè menstrualis. Habet enim suam distinctionem in colore & liquiditate & talibus, exeunt præterea vt cōmuniter sine multa delectatione in membris genitalibus, præsertim nisi coniungantur aliæ causæ delectationis, sicut infra docebitur.

Cæterum humor propriè seminalis & humor ille medius non ita faciliter secernuntur propter similitudinem in albedine & viscositate seu tenacitate & quadam spissitudine. Habent nihilominus distinctas proprietates & diuersos ortus & meatus vnde defluunt, quod dearticulatius cognoscere spectat ad medicos.

Est itaque humor seminalis superfluum vltimæ digestionis, superfluum non in qualitate, sed in A quantitate. Habens enim natura sufficientem cibum pro alimento corporis mittit ex omnibus membris quod superest ad vasa genitalia, nunc plus, nunc minus. Et quando superabundat ipsi naturæ, conatur expellere tandem illud superfluum, quod fit vel in actu generationis seu concubitus, vel per euaporationes similes sudoribus, vel per aliquas fœdas distillationes, quandoque in somno cum somnijs, quandoque sine somnijs, aliquando cum delectatione, aliquando imperceptibiliter, nonnunquam in vigilia similiter quiB busdam euenit tam voluntariè quam inuoluntariè modis valdè multis, nunc ex vitio naturæ, nunc ex vitio culpæ. Rursus humor ille medius fit ex quadam superfluitate alimenti, nedum in quantitate, sed & in qualitate, quia scilicet ineptus est nutritioni ineptus similiter generationi, velut in saliua videmus & alijs superfluitatibus defluentibus à cerebro, tam per os quam per nares, istis parum & rarius, & aliis abundantius & crebrius. Immiscet autem se talis humor medius C aliquando cum vrinatione, aliquando per se defluit sine cogitatione & sensu, quandoque verò fit cum delectatione & pruritu quodam plus quā in vrina, quæ tamen vrina quandoque cum inordinatione quadam exit. Puto etiam nihilominus quod vix aut nunquam causat iste fluxus humoris medij talem motum delectationis & concussionis, quasi totius corporis, specialiter in pudendis, nec ita perstringit aut obnubilat in suo exitu iudicium rationis, sicut venit in humore D verè seminali, quoniam & ille humor seminalis magis digestus est, & ad causationem libidinosæ delectationis, nisi per infrigidationem aut aliūde corruptus sit, proportionabilior inuenitur. Habet insuper humor iste medius quod ex leuioribus causis ac maiori facilitate mouetur ad exitum quam seminalis præsertim in mulieribus, adeò quod ex leuissimo motu corporis de loco ad locum vel inclinatione, absque aliqua cogitatione & absque sensu proueniat. Ex effectu verò percipitur per sordidationem quandam viscosam in E carne sua vel in pannis. Euenit autem facilius & non sine aliquo sensu concomitante vel præuio, dum personam dilectam, siue pulchram, siue turpem, siue iuuenem, siue senem, siue secularem, siue religiosam, & quandoque deuotam aspiciunt aut tangunt, aut ei arrident, aut cōfabulantur, aut iocantur, etiam vbi nihil de opere carnali volunt aut putant, nedum dicam peragere, sed nec cogitare.

Secundum notabile.

F ATtendendum est secundò principaliter circa hanc materiam, quod delectatio seu cōmotio libidinosam, pruritus seu titillatio prouenit in membris quæ loquimur, frequenter absq; fluxu quocunque. Sunt enim fumositates aliquę, quas medici vocant spiritus, & supercalefaciunt & inflant & distendunt venas & neruos in membris illis, fit que stimualtio quædam & pruritus vel titillatio, quæ dum quæritur extingui vel sedari per attrectationem, amplius sentitur, & quandoque completur delectatio libidinosa sine

sine quouis fluxu. Patet hoc in parua adhuc ætate, quæ nondum apta est seminationi propter defectum seminis vel arctationem venarum. Suscitatur autem huiusmodi pruritus ex talibus fumis seu spiritibus tam ab intrinseco per vina fortia & species, maximè autem per imaginationes libidinosas & turpes, quam ab extrinseco per allocutiones prauas, aut per aspectus lubricos, aut tactus impudicos, per se vel aliunde prouocatos. Quod si per complementum delectationis ex talibus absque omni seminatione corrumpatur verè ipsa virginitas, iuxta sententiam quorundam magistrorum, heu prohdolor quam in paucis maneret virginitas, cogitare stupor est nisi forsan in pueris & puellis hanc excuset defectus sufficiens iudicij rationis.

Dicendum est præterea quod non omnis pruritus circa membra pudenda debet iudicari propriè libidinosus, nec etiam cessatio eius vel extinctio per fricationem aut aliter, debet appellari luxuriosa delectatio. Videmus itaque quomodo in alijs membris crebro pruritum sentimus, quem vnguibus scalpendo (vt iuxta vulgare loquar) sopimus vel extinguimus. Est autem hæc passio nonnunquam ita vehemens, vt etiam cum vulneratione carnis per vngues & effusione sanguinis vix recedat, quæ passio si membra illa genitalia inuaserit, cadit prorsus in magnam angustiam qui hoc pati cogitur, ne dum contra huiusmodi pruritum remedium quærit (quale fieret in alijs membris) ipse in pollutiones fœdas, & verè libidinosas atque culpabiles prolabatur.

Tradunt insuper medici quod in membris illis aliquando euenit quædam passio consurgens ex quibusdam fumis distendentibus venas membrorum istorum & neruos, adeò quod sedari non potest etiam per vsum carnalem vel aliam attrectationem, quemadmodum narrat Iuuenalis de quadam matrona nobili Romana. Est igitur in hoc casu vel similibus tanquam de vera ægritudine ad medicos recurrendum.

Denique patet ex istis quod pueri & puellæ cum sobrietate & disciplina in cibis & potibus atque societatibus custodiendi sunt, ne ab intrinseca causa vel extrinseca consuescant habere libidinosas huiusmodi commotiones peccati in sua carne. Alioquin prouenit ex consuetudine velut in quandam necessitatem hoc agendi, præcipuè dum ætas grandior aduenerit, delectatior insuper improbior & vehementior sentietur. Qua in re confessores vel parentes commonitionem aliquam debent facere pueris & puellis, vt à talibus abstineant, nec à se nec ab aliis turpiter se tractari permittant.

Attendat quilibet discretus ex præmissis quid agendum, & videat ne dum nimium seruatur loquendi pudicitia, sequatur operum maior inordinatio, & confessio de talibus nulla fiat. Attendat ex aduerso ne dum prohibitio sit expressa, ipsa conatum adaugeat, verum namque est illud poëtæ: Nitimur in vetitum. Porrò si parentes prohibent filias suas ab osculis virorum & adolescentulorum, similiter & filios à puellarum contrectationibus, cur non poterunt filios coarctare verbis aut verberibus, ne seipsos aut seipsas inuicem malè contrectent, cum

A sit vtique hoc flagitiosius quam alterum, & eò plus habens periculi quò minor est illic verecundia, & licentia maior. Sileo hic de stultis immò nefariis parentibus erga suos & suas nimia familiaritate conuiuentibus. Sileo de cæteris vel seruis vel ancillis vel aliis, qui perniciem hanc contagiosissimam inducere sub quadam ludi specie non verentur. Væ væ mundo ab hac corruptione viarum omnis carnis.

Tertium notabile.

B Attendamus tertiò principaliter quod in Theologico vel morali negotio, dum inquisitio fit de aliquibus effectibus vel operibus an sint vel qualia sint peccata, facienda est resolutio principalis & finalis ad libertatem consensus vel dissensus in talibus. Et inde peccatum dicente Augustino adeò est voluntarium, quod si non esset voluntarium, non esset peccatum. Et iuxta communem doctrinam actus exterior super interiorem nihil addit malitiæ C vel mortalis culpæ. Eapropter circa pollutiones vel fœdas distillationes ex membris genitalibus plus inspicere conuenit originem moralem quam naturalem, licet consideratio naturalium proficiat ad moralium cognitionem pleniorem, quemadmodum circa iram, inuidiam, gulam, & circa alia vitia, præcipuè carnalia, quæ materiam vel fomentum trahunt à corpore, satis patet.

D *Quartum notabile.*

Præsupponamus igitur quartò pro decisione materiæ præsentis ac similium conformiter ad doctrinam Augustini de processu tentationis in nobis sicut in Adam fuisse scriptura commemorat. Et dicamus quod commotio libidinosa consurgit pro statu naturæ corruptæ, nobis etiam inuitis. Et sæpissimè etiam præuenit omne iudicium rationis, neque per consequens subest arbitrio aut consensui libero. Iuxta Au- E gustinum dicentem: Non est in potestate nostra quibus visis tangamur, sed est in potestate nostra respuere vel acceptare. Intellige similiter de auditu & olfactu, de tactu & gustu.

Prouenit autem hæc inuoluntaria præuentio ex corruptione naturæ per peccatum originale pro statu naturæ lapsæ, pro statu verò naturæ primitus institutæ & integræ talis præuentio vitiosa nequaquam contigisset. Fuisset enim regnum hominis taliter ordinatum, quod ratio suum dominium supra sensualitatem absque vlla F præuentione vel rebellione seruasset.

Propterea reputatur omnis commotio talis libidinosa præueniens iudicium rationis esse peccatum, saltem veniale, quoniam ipsa consurgit præter vel contra iudicium dominæ suæ rationis. Verificatur proinde dictum illud Sapientis. Nullus est absque peccato, etiam infans vnius diei. Proueniunt quippe in quolibet filio Adæ non priuilegiato commotiones huiusmodi præter vel contra iudicium rationis. Et ita sumendo largè peccatum veniale, absque tali diu viuere non valeamus.

Dicitur autem talis commotio voluntaria magis à peccatrice voluntate primi hominis quam à propria, propterea si debeat propriè appellari peccatum, etiam veniale, oportet vt aliquo modo propria voluntas sit in causa.

Quintum notabile.

NVnc quintò accedendo ad inuestigationem principalis dubij, quando talis commotio libidinosa est peccatum mortale, & quando non, quoniam de veniali attentis præmissis non est facienda perscrutatio scrupulosa vel dubia. Consideremus qualiter ad illam commotionem seu tentationem se habeat libera voluntas & hoc fieri potest multipliciter.

Volũtas vno modo se habet purè priuatiuè tam directè quam indirectè hoc est absque omni actu suo volitiuo, pro omni differentia temporis, quod nec ante voluit quod illa commotio fieret, nec aliquid disponens per se ad illam voluerit dum fit, aut postquam facta est, non aduertit, & ob hoc circa eam non consentit nec dissentit aliunde forsitan occupata vel in somno.

Voluntas alio modo se habet purè positiuè, tam directè, quam indirectè, hoc est cum actu volitiuo vel nolitiuo, sic quod antea voluit deliberatè, vel noluit quod illa commotio fieret, aut dum fit vel facta est, placet sibi vel displicet deliberatè, sic quod habet consensum vel dissensum liberum in tali commotione, acceptando illam vel deacceptando, cum aduertentia quod ita vult, vel quod ita non vult.

Voluntas aliter se habet circa commotionem illam libidinosam quasi medio modo, sic quod neque se habet purè priuatiuè, nec volendo scilicet illa, nec nolendo, & similiter se non habet purè positiuo, volendo deliberatiuè illam vel nolendo, & ad eam actualiter se conuertendo, sed habet se quasi dissimulando vel dormiendo vel non curãdo, ita quod nec expressè nec actualiter consentit in illam commotionem libidinosam, nec dissentit expresè, sed dissimulat & dormittat dum attendere & vigil esse teneretur, aut dum aduertit periculum, nec tamen obuiare vel resilire conatur.

Sextum notabile.

QVocirca dicamus sextò consequenter quod distingui solet in voluntate duplex consensus. Vnus completus, deliberatus & directus. Alter incompletus vel interpretatiuus & indirectus.

Primus fit dum voluntas sufficienter & actualiter aduertit per iudicium rationis reflectentis se super se, quod sic vel sic agit, vult nihilominus sic agere, & hic consensus est communiter satis notus, etiam apud parum eruditos vel in moralibus vsitatos, quia plenus est & directus. Alterum verò consensum quem dicimus interpretatiuum, difficilius est aduertere. Nam fit multis modis. Vnus modus est, quando ratio debet esse peruigil circa aliquod reprimendum vel repellendum, dum iam insurgit actualiter, sed omittit & negligit repellere quasi tacens. Iuxta illud vulgatum. Qui tacet, consentire videtur. Sic nauta negligens dicitur causa submersionis nauis.

A Notanter verò dicitur quando ratio debet esse peruigil circa aliquod reprimendum, quia si actus esset indifferens, vel talis circa quem ratio non deberet laborare ad repellendum seu reprimendum, quia scilicet non imminet periculum peccati per silentium suum, tunc non dicitur voluntas in tali silentio consentire, vnde potius aliquando deberet dici dissentiens, sicut fit in tentationibus blasphemiæ & multis alijs, quæ melius vincuntur silendo siue non aduertendo quã

B pugnando, & directè contraconando. Sic in ciuilibus quandoque verum est, quod qui tacet, non statim videtur consentire, immo verius dissentire iudicatur. Alia regula dicit: Qui tacet, non concedit, nec negat. Amplius verò fit consensus iste secundus nonnunquam indirectus, quando scilicet voluntas aliquid vult vel agit ad quod solet sequi aliquid quod est peccatum, vt cum aliquis inebriat se voluntariè, ad quod sequitur dormitio, & ex dormitione omissio surgendi ad officium diuinum ad quod obligatur,

C dicitur hæc omissio surgendi voluntaria indirectè, scilicet ex primario consensu modo dicto, actus verò consequentes inde tantum habent de vitio quantum de consensu in principali actu præuio, nec amplius si non adderetur alius consensus.

Possumus alijs verbis distinguere de consensu voluntatis, & similiter de dissensu. Vnde proposito aliquo obiecto culpabili, voluntas potest

D se habere circa illud septempliciter. Vno modo, quia verè vult obiectũ illud. Alio modo quia vult interpretatiuè seu reputatiuè. Item vult illud directè vel indirectè. Item vult illud plenè & perfectè, aut vult illud semiplenè & imperfectè. Item postremò habet se suspensiuè & quodammodo neutraliter, quasi scilicet nullum habens actum volendi vel nolendi circa illud, sed tenet iudicium rationis in suspenso, vel ad aliud se diuertit.

E Et hæc distinctio si bene concipiatur clauis est in omni negotio morali, ad experiendum exitum difficultatibus innumeris.

Septimum notabile.

DIcamus vltra septimò, quod circa actum carnalem aut aliquem huiusmodi actum propositum voluntati ipsa se potest habere multipliciter.

F Vno modo, quia consentit in opus si facultas adesset aut nisi pudor vel timor humanus impediret. Alio modo quia licet refugiat & horreat consentire in opus tale nefarium, ipsa nihilominus versat & reseruat in animo suo cogitationum de illo. Et hoc iterum potest fieri multipliciter.

Vno modo vt deliberatè, plenè & directè in hac cogitatione delectetur, & hoc peccatum est in illo cui prohibitus est carnalis concubitus, secus in vxoratis. Si enim aliquis actus prohibitus est prohibetur consequenter delectatio de actu illo. Similiter si actus permittitur, permittitur simul delectatio consequens directè

&

& de per se ad illum actum. Notanter additur, de per se & directè, quoniam inspicere mulierem non est de per se peccatum; sic nec delectatio de per se consequens actum illum, sed de per accidens consurgit crebrò delectatio illa libidinosa in incontinente, quam continens non haberet. Hæc autem regula multum notanda est, contra scrupulosos ex vna parte, & ex altera parte contra periculum, & pro licitis etiam cautè dimittendis. Cogitat alio modo talis circa carnalem delectationem vt eam posset satagendo & conando quasi per vim vel industriam repellere, & non semper expedit, sicut nec pugnare cum venenoso serpente, dum aliter potest declinari. Cogitat alio modo ex quadam sola curiositate, quæ sæpe noxia est & criminalis. Cogitat alio modo, quia non aduertit periculum imminere sibi pro tali cogitatione, sed in exercitium virtutis sibi conuertitur, & hæc esset virtuosa, si caueatur sufficienter periculum. Cogitat alio modo, quia vult & cogitur de hac materia docere alios, vel de ipsius conditione plenius edoceri, & si hæc agit cum appositione inculpatæ tutelæ, non peccat mortaliter, etiam vbi pollutio sequeretur. Sic diceretur cum homo cogitur audire confessiones, aut equitare, & si qua sunt similia.

Denique voluntas quandoque se habet ad actum talem propositum quodammodo neutraliter vel suspensiuè, quia non expedit circa hæc deliberare, vt si sit loci & temporis importunitas, aut si proponatur sibi quid mallet, vel in actum illum consentire, vel perpetuò ardere, tutè facit si non deliberet de vtraque parte propter periculum incidendi, vel in præsumptionem falsam si eligeret perpetuò ardere, vel in peccatum mortale si eligeret in actum illum consentire. Hæc est cautela conueniens multum & expediens aduersus interrogationes quæ vel intus vel exterius curiosè fieri solent vel proponi vbi periculum imminet quicquid eligatur, & ita relinquitur verificatio illius prouerbij vulgaris: Silere melius est quam stultitiam dicere. Sic agebat qui dixit: Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Octauum notabile.

Veniamus nunc octauo ad respondendum quibusdam interrogationibus, quæ fieri possent in hac materia de pollutione quæ fieret vigilando, & propositiones aliquas annotemus quæ ad materias alias deductæ præbere poterunt occasionem cognoscendi veritatem de peccatis.

Propositio prima.

Nulla pollutio diurna vel nocturna plus habet de peccato quam fuerit de consensu circa illam in libero arbitrio. Sic de ira, inuidia, gula & similibus dicitur.

Patet propositio ex tertio notabili. Vnde si nullus fuerit consensus verus vel interpretatiuus, directus vel indirectus, perfectus vel imperfectus, nullum prorsus erit pollutio illa peccatum. Ista est expressa Augustini sententia de

ciuit. Dei loquentis de corrupta per violentiam. Dicit enim quod illa delectatio nullum est peccatum in corpore dissentientis, sicut nec in corpore dormientis & Bonauentura dicit eum loqui etiam de peccato propriè veniali. Si autem fuerit alter istorum consensuum, tunc iudicandus erit de qualitate & quantitate peccati proportionabiliter ad consensum. Consensus itaque verus plus habet culpæ quam interpretatiuus cæteris paribus, & consensus directus plus quam indirectus, & consensus plenus plus quam imperfectus, immo consensum verum dum imperfectus est ex fragilitate vel ignorantia, sæpe reputatur solum venialis, qui si perfectus esset, mortalis diceretur. Similiter consensus indirectus non plus causat in sequentibus actibus de malicia quam ipse sit malus. Et ita pollutio veniens ex solo consensu in crapulam venialem, dicenda est solum venialis. Exemplum de incestu Loth secundum doctores. Et hoc valet ad materiam de pollutione nocturna cognoscenda, immo si iam peccatum sit deletum per pœnitentiam, non oportet sequenter actus esse nouas culpas ex ista ratione.

Propositio secunda.

Nulla pollutio diurna debet propriè dici mollicies nisi fuerit per consensum liberum vno modo vel alio prouocata vel extorta. Patet ex præcedenti, quoniam sicut non fuit pollutio hæc in potestate patientis, ita nec peccatum mollicies autem sonat in peccatum, quoniam dicit Apostolus quod neque molles regnum Dei possidebunt.

Propositio tertia.

Nulla talis pollutio debet reputari casus reseruatus sub nomine molliciei, immo nec peccatum, vt dictum est. Patet, quia non est mollicies, & magis dolendus est qui huiusmodi est, tale aliquid pertulisse quam egisse vel voluisse, sicut contingit in erectione pudendi cum renisu voluntatis. Additum est sub nomine molliciei, quia forsan in casu posset superior casum talem sibi ad horam vel quo ad aliquos reseruare, non quia peccatum sit: sed vt magis instrueretur & instrueret si sit peccatum vel disponens ad peccatum seu ad peccati periculum, & si sit pollutio propriè dicta. Hoc tamen generaliter & pro semper fieri durissimum esset, immo stultum.

Propositio quarta.

Nullus fluxus ex membris generationi deputatis reputandus est de se pollutio vel mollicies, si non fuerit verè seminalis. Vnde fluxus vrinalis vel menstrualis vel alterius humoris medij nequaquam appellandus est mollicies siue pollutio. Et ex consequenti patet quod nec isti casus reseruari deberent sub nomine pollutionis, sicut propositio præcedens exponebat. Sed dictum est in propositione quod isti fluxus non sunt reputandi de se mollicies, quoniam de per accidens vel propter adiunctum aliquod, potest secus euenire, sicut propositio sequens docet.

Propositio quinta.

Nulla pollutione vel fluxu contingentibus

stat hominem grauiori & inordinatiori fœditate animam suã maculare, quam facit alius verè pollutus, aut per molliciem, immo per fornicationẽ, immo per adulterium vel sacrilegium vel incestum superatus. Deducitur hæc propositio per illa quæ de causa delectationis & pruritus in secundo notabili prædiximus. Vnde & propter hoc spado dicitur deflorare virginem. Dicuntur insuper tam pueri quam puellæ ante annos nubiles exardescere in inuicem. Dicuntur etiam frigidi & maleficiati, non potẽtes seminare, nefarijs nequissimisque nonnunquam illecebris semet inquinare, & eò flagitiosius ista fiunt per contrectationem illicitam, aut aliter, quò diutius durat, viget & ardescit absque sedatione per effluxum seminis hæc ignominiosa labes passionis.

Propositio sexta.

Pollutio vel fluxus qui vel nihil habuerunt de consensu, nec per consequẽns de peccato, non impediunt hominem de per se à celebratione. Dicimus de per se, quia de per accidens aliter est, vtpotè quia patiens, scrupulosus & timidus est in hac parte, & faciens sibi conscientiam inquietam & dubiam. Aut quia patiens sentit se ex hac fœditate discrassiatum in animo ac deiectum, aut quia nequit sufficienter cogitationes lubricas aut turpes inde consurgentes depellere. Vnde notandum quod sicut imaginationes voluntariæ & lubricæ disponunt maximè ad huiusmodi fœdas commotiones, ita viceuersa somnia nonnunquam de nocte vel cogitationes in vigilia præueniunt ex huiusmodi commotione & carnali stimulatione, quemadmodum iratus aliter & alia cogitat quam mitigatus, & timens quam securus. Dicamus præterea circa principale, quam de illo de quo loquimur, licet inuoluntarius fuerit in patiendo, remanet tamen in anima quædam carnalis degustatio, quoniam sicut gustato spiritu desipit caro, ita gustata carne id est carnali voluptate, etiam inuitus desipit omnis spiritus id est omne spirituale exercitium.

Addunt alij innitentes dictis Bonauenturæ & similium, dicentes impedimentum generale esse, eò quod requiritur ad celebrationem mundicia nedum spiritualis à peccato, sed corporalis ab huiusmodi fœdo humore. Hoc qualiter habeat veritatem putamus aperuisse, dum in tractatulo de pollutione nocturna loqueremur. Vnde doctor Petrus de palude, eruditus in legibus tam canonicis quam ciuilibus, pariter & diuinis, dicit de pollutione nocturna. Si causam non habuerit culpabilem quod debet homo cessare à celebratione, debet inquam, de consilio, non de præcepto, sic quod peccet mortaliter si celebret. Sic videtur loqui Augustinus de quotidie communicãtibus, quod nec laudat nec vituperat, sed eos suo sensui & deuotioni derelinquit. Vnde si aliter coniugum reddens debitum non arcetur à communione secundum Bonauenturam videtur quod illa macula corporalis non impedit communionem, immo nec impediret celebrationem in sacerdote Græco, qui similiter vxori reddere debitum tenetur postulanti.

Propositio septima.

A Sicut non omnis illecebrosa cogitatio consurgens in anima, etiam cum aliquo consensu dubio vel interpretatiuo vel imperfecto. Similiter nec omnis pruritus vel titillatio vel stimulatio consurgens in membris genitalibus ex hac illecebra, impediunt à celebratione. Sic nec fluxus inde consequens de per se impedit dum ratio non consentit vel dum renititur, nec plenè consentit in illum.

Primam partem vt arbitror, concedunt omnes. De secunda verò parte similis est ratio, si propositio præcedens attendatur. B Consilium tamen est in hac parte, vt vitentur diligenter occasiones, & satagat homo nemorosam & sensualem cogitationem in se, qualemcunque sic figat de aliquo & circa aliquid, quin eam dum vult possit euellere. Itaque accommoda te rebus (dicit Seneca) & non da.

Propositio octaua.

Cogitationes carnales & fluxus inde sequentes absque consensu voluntario, vincuntur C plerumque salubrius, tutius & efficacius, si ratio se habet circa illas per modum non curantis vel diuertentis voluntatem ad alia, quam si sollicitetur, tristetur, turbetur, & conetur tales expellere. Notetur in hoc loco tractatulus in Gallico de remedio cõtra tentationes blasphemiæ compositus. Auget itaque cogitatio vehemens vel imaginatio conatum, ac proinde nutrit cogitationes huiusmodi multiplicat & efficaciores reddit ad fluxum consequendum. Quod si dissi-D mulauerit, neque curauerit plus quam alterius humoris naturalis fluxu, conquiescet. Posset aptari circa rem hanc exemplum de timentibus, qui trabem in alto positam nunquam absq; casu transirent, quam audaces per consuetudinem aut aliunde tota securitate transilirent. Fit autem diuersio talis multipliciter. Quandoque per impressionem signi sanctæ crucis in pectore vel in fronte, quod aliqui reputant efficacissimum, sicut illud signum est triumphale atque salutiferum, summæ præterea humilitatis, vincit autem humi-E litas laqueos diaboli, dicente Antonio. Fit hæc diuersio aliquando per læsionem aliquam corporalem in lingua, vel alibi. Quandoque per quandam exprobrationem & allocutionem seueram suarum cogitationum, tanquam esset aliquis apparens tentator exterius sic dicendo. Phy phy de vobis cogitationes vilissimæ procul hinc abite, in malam horam veneritis, sum alijs occupatus. Non do vobis auditum, non visum, discedite ab hinc syrenes vsque in exitium dulces. Fit & hæc diuersio nonnunquam per F irrisionem quandam talis illusionis consurgentis tam multipliciter in animo & turpiter. Fit denique per vitationem otij, per confessionem puram & nudam, & supra modum per spem & implorationem diuini auxilij, sine quo continens nemo planè esse potest.

Propositio nona.

Difficile est vel impossibile absque diuina reuelatione cognoscere generaliter & certitudinaliter radicem & causam pollutionis diurnæ,

næ, si videlicet proueniat ex consensu verò vel interpretatiuo, aut consensu directo vel indirecto, aut à consensu pleno vel imperfecto, aut si absq; vllo consensu superioris rationis vel inferioris prouenerit.

Puto propositionem hanc considerantibus esse notā. Ex quo consequenter infertur, quod quia beatus est vir qui sēper est pauidus, & quod bonarum mentium est facere conscientiam, vbi de necessitate non esset aliquando facienda expedit de talibus confiteri, & non sine consilio prudentum & expertorum talia nihili pēdere vel cōtemnere in seipsis. Talis autem confessio sit pura & deuota: in qua manifestet se homo, & occulta cordis sui sacerdoti discreto & prudenti vel experto, qui nouerit qualitatem morbi discernere, & consilium salubre confitenti tribuere secundū conditiones eius & particulares circunstantias, & cui meritò fides adhibeatur omnimoda à confitente. Hoc de confessione pura facienda, nō tantum in prǽsenti materia locum habet, sed in omni morbo spirituali est efficacissimum remedium. Expedit autem quod post consilium acceptum à prudentibus, expertis & deuotis dimittat homo scrupulos: & timores nimios, alioquin caderet in superbia spiritus, nolens captiuare intellectum suum ad consilium seniorum. Caderet nihilominus in pusillanimitatem quandam & inquietudinem spiritus, quæ non posset sufficienter recipere illum, cuius in pace factus est locus. Nec ascenderet vnquam talis anima in perfectionis sublimitatem. Debet verò superior & expertus, cuius in hac re quæritur consilium à subditis, postquam explorauerit omnia, dicere definitiua & solida responsione, tu fac ita, quoniam si medicus in medendo vacillauerit qualis in ægroto speranda erit secura stabilitas? Hinc Tragicus ait: Qui dubiam salutem dat afflictis, negat.

Propositio decima.

Ad obuiandum periculis & scrupulis qui consurgunt ex fluxu fœdo diurno, considerandę sunt diligenter causæ & radices, vt eis agnitis fiat diligens & discreta prouisio. Discretam verò dicimus prouisionem, quæ nec velit abscindere causas cum maiori detrimento periculi, & scandalo quam huiusmodi fluxus, qui quandoque non est nisi venialis, præsertim dum humor ille est medius quem diximus, nec ex aduerso permittit ea licentiosè fieri quæ de se culpanda sunt, & resecari faciliter possunt, cuiusmodi sunt lubrici aspectus, visus inepti, societas plus quam decet amicabilis, in se gerens delectationem, & si non de per se libidinosam, periculosam tamen & plus sensualem, quæ nihilominus aliquando sub officijs aliquibus spiritualis ædificij (vt est confessio vel lectio vel eruditio) colorare, immo verius obscurare se conatur. Sed & caueas aliorsum superior sibi à suspicionibus nimijs, à quadam (vt sic loquar) inutili zelotypia circa subditos se cōtineat, non indicens scilicet ieiunia excessiua, vel separans eos ab inuicem inutiliter, & spiritualia colloquia vel officia vetans. Serua denique comicum illud: Ne quid nimis: Et illud Sapientis: Noli nimium esse iustus, quia qui nimis emungit, elicit sanguinem. Prou. 30.

A Difficile est fateor in hac re se aurea mediocritate tenere, sed spiritualis omnia dijudicat, velut in aëre splendido radiante sole, velut præterea in fonte lucido & illimi: iudicat insuper omnem diem. Carnalis verò iudicat velut in aëre tenebroso sole non radiante, aut velut in fonte turbido & limoso, non discernens de grossis, etiam reptilibus venenosis immixtis, velut pręterea in domo caliginosa, vix attrectando discernens hæc ab illis. Iudicat postremò vix inter diem & noctem, & ita frequentissimè sese fallit & impingit in die velut in tenebris. Sed saluare illum debet spiritualis B ductrix manus. Quod si renititur, si ducem spernit, si præmōstrator sibi, si prior & abbas suus mauult esse, dum it per tenebras & abrupta, portabit quidem ille damnationem suam, & dux liber euadet?

Propositio vndecima.

Pollutionem corporalem quandoq; præcedit consensus, quandoq; comitatur, quandoq; sensus est circa eam, non consensus, quandoq; verò sensus eam operatur, & ita fit non solum cum cōsensu vel sensu, sed ex cōsensu. Vltimum horum grauius C est, & reddit propriè pollutionem culpabilem. Deniq; tria prima licet non reddant propriè & de per se pollutionem culpabilem sunt tamen ipsa culpæ & peccata. Alterum verò, quando scil. pollutio fit cum sensu, non tamen cum consensu, non est de per se peccatum immo frequenter auget meritum tanquam materia virtutis, dum resistitur violentiæ passionis, quæ dum sentitur, ipsa magis & magis allicit & impellit, quare similiter resistentia habet plus virtutis. Addamus quod etsi D pollutio corporalis & verè seminalis, diurna vel nocturna nullo modo debet scienter extorqueri, etiam pro sanitate vel alleuiatione corporis, vel iudicij rationis consequendi. Si tamen dum sine tali consensu procurante eam vel extorquente prouenit, ipsa placeat: non quia delectatio est, sed quia alleuiationem corporis operatur, hæc non iudicatur esse peccatum. Videat tamen homo prǽsertim nouitius ne huiusmodi complacentia se seducat, prætendens vnum & agens alterum. E Salubrius est itaq; cogitationes & iudicia circa rem hanc diuertere quam habere.

Propositio duodecima.

Pollutio diurna vel nocturna dum sentitur effluere non debet violenter prohiberi, si probabiliter æstimetur quod huiusmodi violentia frustra esset, nihilominus pro exercitatione virtutis & pro euasione periculi videtur expediens, vt homo conetur prohibere quantum sentit vel experitur commodè fieri posse. Quoniam etsi hæc retentio F nocere debeat corpori, proderit animæ. Natura deniq; postmodum vno modo vel alio talem humorem à se eijcit. Patet in mulieribus puerperis, quibus siccantur mammæ dum non elicitur lac, alioquin semper fluere paratum est. Sic pollutiones istæ, immo & pruritus, tutius non vtendo vel non exercendo, sed abstinendo vincuntur. Sciunt experti etiam in pruritu sensuali. Hæc autem pollutio etiam in vigilia, si in principio vsq; ad finem habeat iugiter rationem & voluntatem renitentem quantum potest iuxta casum negotij, voluntas reputabitur nedum non peccasse mortaliter,

sed multipliciter meruisse. Iuxta illud B. Luciæ. Si me inuitam corruperis, mihi castitas duplicabitur ad coronam. Potest autem casus diurnæ pollutionis euenire circa eos qui habent de necessitate audire confessiones, vel aliqua talia cogitare vel agere ad quæ sequitur aliquando renitentibus eis toto posse, & sibi præcauentibus ab initio vsque ad finem, talis passio fœditatis. Quod si quis dicit, omittat talis qui tam fragilis est & lubricus, audire confessiones & prædicare & similia. Respondetur quod in multis casibus non oportet hoc fieri, propter necessitatem consilij, & euitationem scandali, & obligationem officij. Sed quales sunt isti casus, non potest generaliter arte determinari. Referamus hoc ad illud quod sapiens iudicabit circunstantiarum conditione pensata. Consulo tamen vt auditurus confessiones in huiusmodi periculo accedat præparatus cum timore & tremore. Auertat insuper quantum potest faciem seu oculum carnis, & nō minus oculum mentis ab aspectu sensuali illius qui loquitur vel confitetur, sed ascendat in arcem rationis. Illicque recogitet animam illius velut ægrotam & sauciam, quia caro non prodest quicquam. Deniq; celebraturus si potest officium hoc differre post missam suam, tutius agit, quoniam recens huiusmodi fluxus plus impedit celebrationem quam vetus. Constituat se pręterea confessor in illo statu corporis in quo minus stimulabitur, vt stet vel flectat genua vel alicubi se prosternat. Sit insuper sermo suus dum ad talia ventum fuerit, breuis & rigidus, præsertim vbi confitens paratus est non retinente verecundia, sponte totum virus euomere, sed vbi per affabilitatem quādam oportet à confitente nimis verecundo nuditatem suę fœditatis extorquere, profectò maius inest periculum. Sed si charitas ad hæc fœda scrutanda descendat non curiositas aut lubricitas, iuuabit charitatis author Deus, faciens cum tentatione prouentum. Notentur ad intellectum pleniorem pręmissorum primò summa confessorum tit. 3. l. 3. de bigamis, vbi quæritur, quomodo perditur virginitas. Item tractatulus qua ascribunt aliqui sancto Thomæ, sed magis apparet ex stylo & materia, quod sit Bonau. qui incipit: Quoniam fundamentum & ianua, & est vtilis multū. Finis.

DIALOGVS SOPHIÆ ET NATVRÆ SVPER CÆLIBATV SIVE *castitate ecclesiasticorum, per eundem Cancellarium compositus Lugd. Anno Domini 1413.*

DIALOGVS apologeticus pro cœlibatu ecclesiasticorum, cuius collocutores sunt sophia & natura, continet actus quatuor principales. Primus inuestigat finem humanæ conditionis, qui non est principalis vt generet, sed vt felix viuat. Secundus ratiocinando concludit ipsi naturæ, quod castitas moralis, nedum matrimonialis, sed etiam virginalis atq; vidualis, in multis est laudabilis. Tertius hoc idem deducit de heroica castitate, qualem naturæ discipuli vel coluerunt, vel beatificauerūt

A vel consuluerunt. Quartus specialiter insistit circa diuinalem castitatem, qualis imponitur ecclesiasticis viris vltro, cum perpetua matrimonij negatione, cum dedicatione ad Deum, cum celebri rebus sacris applicatione, vbi tandem naturæ pax est cum sophia. Alloquitur in primis sophia (quę & sapientia phronesis aut theologia dicitur) naturam, quā ex inspectione cuiusdam dialogi, per egregium militem doctorem Guillermum Sayguer nouiter editi, indignatam senserat contra votum castitatis sacerdotum occidentalium ex constitutione concilij Nicen. Est igitur princi-
B pium verborum suorum veritas euangelij.

PRIMVS ACTVS. SOPHIA.

SVnt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, qui potest capere, capiat Matt. 19. Ne murmuraueris igitur aduersus castitatem soror natura, quoniam summus magister & Dominus noster protulit hoc verbum in grande præconium voluntariæ castitatis.

Natura. Quis potest ô sophia capere verbum
C istud? Quis cum verbis summi patris nostri concordare? qui prima mei constitutione dedit legem talem, nedum hominibus, sed animantibus omnibus, vt crescerent & multiplicarentur, nec dubium quin per generationē. Crescite (inquit) & multiplicamini, & replete terrā. Hinc dictum est à discipulis meis philosophis, quod sūm ego natura vis insita rebus, ex similibus similia procreans. Eunuchorum verò quis generat, quis multiplicat, quis deniq; terram replet? Nonne dum
D sponte id fecerint, meis, immo diuinis legibus se quasi præuaricatores opponunt? Nonne fiunt inutile lignum non afferens fructum, & propterea iure maledictum? *Sophia.* Nolito putare soror natura, sumus enim vnius patris filiæ, qui Deus est vnicus. Nō putaueris inquam Deum nostrum patrem dissensionis esse spiritum, in quo sit, est & non, qui dictis suis dissonus sit in lege & euangelio. *Natura.* Nequaquam ita prorsus errauerim, sed inde rapior in admirationem, quomodo fiet istud quod tu dicis. Vt cum mea lege stet in euangelica
E veritate laudabilis & vltronea castratio eunuchorum, qui terram replere non possunt. *Sophia.* Vide ne sis tu & tui illorum de numero de quibus magister meus Iesus Christus, vtique Deus tuus præmisit quod non omnes capiunt verbum istud. Deinde facta distinctione de triplici modo eunuchorum, subiunxit de vltimis. Qui potest capere, capiat. Forsitan & tu capere nō potes. *Natura.* Cur illud non potero te doctrice, quam fateor meam esse magistram? *Sophia.* Si magistram me cogno-
F scis, te discipulam exhibe, te credulam præbe. Nā oportet omnem qui discere vult, credere, in tuis etiam disciplinis, quanto plus in meis, quæ superant in multis tui facultatem ingenij, quamuis in nullo vero tibi prorsus contraria vel aduersa. Sed est veritas quæ supergreditur veritatem. Prima cernitur in lumine fidei seu reuelationis descendentis à patre luminum. Alteri conspiciendæ sufficit tuum lumen naturale. Non aliter in doctrinis iudica quam in operibus, qualia sæpe esse cognoscis effecta supra vires tuas, vt quod sol stetit, quod virgo peperit. Quibus ideo miraculorum

rum nomen indidimus, quia non potes ipsorum contingere rationem.

Natura. Si penitus ita sit, vt nullo pacto capere valeam quod inquiro, quid oro nisi silere relictū est, & ponere digitum ori meo? *Sophia.* Bene sperauoris, quære cum humili pietate, non animositate proterua. Conabor tibi ostendere concordiam euangelij cum lege celibatus, cum matrimonij castitate, cum fœcunditate gratiæ celibatum. *Natura.* Gratum id effeceris mihi. Ecce tibi me discipulam exhibeo docilem, dicito quæ vis. *Sophia.* Quærendum in primis est, ne nos propriè vocis ignorantia seducat, quis sit intellectus huius tuæ, immo diuinæ legis. Crescite & multiplicamini, & replete terram. *Natura.* Nimirum talis, vt per copulam maris & fœminæ species in se remaneat per propagationem indiuiduorum continuam. *Sophia.* Oportet ne quippiam aliud attendere, præsertim circa genus humanum, quod ratione regi debet? *Natura.* Quid vis si attendatur aliud? *Sophia.* Est ne precor finis altior hominis, quam vt viuat hic in terris more brutorum, & se per generationem multiplicet. *Natura.* Si sit alius, tu commone vel edoce. *Sophia.* Rectè petis, quoniam ignorato fine cuiuslibet rei, nihil solidum de eadem fieri potest. Dixerunt itaque discipuli tui, quod secundum exigentiam finis cætera debent moderari. Est enim causa causarum mouens aliàs omnes, sicut efficientem, formalem & materialem. Cum ergo scire, sit rem per causam cognoscere, superest in hac conquisitione nostra, vt prima potissimàque causarum non lateat. *Natura.* Superest, agnosco. *Sophia.* Sumamus in primis à fine compendium prout suadet discipulus tuus Plato, & dicamus quod finis hominis est cognitio intuitiua, & fruitio summi boni in vita perpetua. Quid refugis? Quid attonitam te stupor inuadit? Sentio te non capere mortales fieri immortales, nec terrenos in cœlestes commutari. Veruntamen Deus noster communis pater ita sanxit, ita mihi meisque sua diuinitus illustratione retexit. Respirraueris autem. Ego familiarius interea tecum agam, sciscitans à te quem esse finem proprium hominis vt homo est, discipuli tui (quos dicunt philosophos) posuerunt, quem finem appellauerunt felicitatem. Et ne gratis per diuerticula tot opinionum vagabunda pererres, volo mihi narraueris sententiam illam quæ tibi probabilior æstimatur & verior. *Natura.* Faciam vt petis, gratiam habens tali cōdescensione beneuolæ. Nam ad illa quæ præmisisti prærupta, modò scandere vires non sufficiunt. *Sophia.* Conualesces tandem me duce meoque lumine, sicque potens fies. Dic interim de petito. *Natura.* Magnus inter meos cultor Aristoteles. Nec à mearum semitis rationum deuians hac & illac more plurimorum, conclusit & constituit in ethicis suis, felicitatem hominis in contemplatione primæ causæ, quoniam illa est operatio optimæ potentiæ hominis circa optimum obiectum suum. De hinc quid Stoici, quid Epicurei, quidque Platonici senserint de fine hominis, sum prompta referre. *Sophia.* Sta: Sufficit ad præsens hoc vnicum pro re quam agimus, verbum Aristotelis tui, quoniam per omnia consonum est mihi meisque disciplinis. Sed altiora nostra migrare non valuit, deficiebat sibi creaturarum scala, per quam semper enisus est ad veritatem non habens ex te natura viam alteram. Propterea me dedit Deus filijs hominum, quatenus deducere eos ab illa felicitatis arce in qua stetit Aristoteles, ad principium felicitatis æternæ supra modum sublimioris, quam Christus noster credendam per me meosque infallibili reuelatione firmauit. *Natura.* Sit ita. Quid valet tandem iste circumitus ad rem primò propositam de concordia castitatis eunuchorum sponte castratorum, cum mea lege de multiplicatione filiorum quales vtique gignere nequeunt qui manere volunt aut forte coguntur eunuchi vel castrati, prout apud tuos quos ecclesiasticos nominant, copiam videmus ingentem. *Sophia.* Certè per omnem modum ritè processimus, dum finem inuestigauimus humanæ conditionis, quia finis est qui rebus omnibus necessitatem legis imponit. Ad quem non aspicientes circa humanum genus delirant intolerabiliter, simile de hominibus vt de iumentis & brutis ferentes iudicium. *Natura.* Perge vltra. *Sophia.* Pergo docens ex concessis tuis, quod laudabilis nedum mihi, sed tibi tuisque castitas esse debet. Non dicam in omnibus & singulis, alioquin periret successio, sed in nonnullis, nec paucis. *Natura.* Miror si poteris hæc ostendere. *Sophia.* Ostendam ne dubites, desit tantummodo auida temerariæ contradictionis proteruia. Natura. Deerit spondeo.

SECVNDVS ACTVS PRINCIPALIS SOPHIA.

NObis de castitate locuturis oportet ne fallat æquiuocatio, cognoscere tam descriptiuè quam diuisiuè conditionem castitatis. Est autem castitas virtus moderatiua passionum partis concupiscibilis circa venereas voluptates, sicut sobrietas circa delectationes gustus in cibis & potibus moderatur. Hoc Aristoteles tuus. Hoc tota discipulorum tuorum schola proclamat.

Natura. Nec reclamo. I quo vadis. *Sophia.* Castitatem sic descriptam triplicamus seu tripliciter diuidimus. In castitatem moralem, heroicam & diuinalem. Et quidem de morali (quia notior est) prior erit sermo, deinde de heroica, postremò de diuinali tractabimus. *Natura.* Placis, vt vis. *Sophia.* Castitas moralis quemadmodum cæteræ morales virtutes, consistit in medio. Est enim virtus habitus electiuus, in medio consistens quoad nos, vt sapiens iudicabit. Coniecturatur verò medium castitatis: vt nec excedat castus ne deficiat circa venereos actus secundum sex circunstantias in generali, quæ sunt persona, locus, causa, tempus, modus, materia, vt fiat scil. per quem oportet, cur oportet, vbi oportet, quando oportet, quomodo oportet, & circa quod oportet, alioquin laude carebit. Quis, quid, vbi, quando, cur, quomodo cernere debes. *Natura.* Et quo pacto plus in homine quam in cæteris animantibus? Cur non hominibus meæ legis instinctus primum insitus sufficit, vt multiplicentur

& crescat, & repleat terram? *Sophia.* Cur non ita quæris rationem: Quare Deus omnia subiecit sub pedibus hominis, oues & boues vniuersas insuper & pecora campi, volucres cœli & pisces maris, & non cuiuis animantium cæterorum, si parem æstimas legem vtrorumq;? Sed planè datum est & insitum hominibus liberum arbitrium, quo reliqua carent omnia. Est autem liberum arbitrium facultas rationis & voluntatis, quasi liberum de ratione iudicium. Hinc dominium accepit super irrationabilia quælibet, quasi seruilia sub libero. Hinc semetipsum per illud liberum arbitrium regere debet sub quo est appetitus suus sensualis, vt dominetur illius. Hinc illa consurgit aurea mediocritas debita suis actibus. Hinc deuiando per plus & minus debito iure culpatur. Tu verò natura per te solam sub Deo patre summo regis & dirigis omnia, quæ rationem huiusmodi non habent sibi coniunctam. A te denique plus aguntur quam agant, nec in suis monitionibus crimen habēt, sicut nec propriā qua regantur, cōiunctam obtinent rationē. Propterea neq; castitas, neq; sobrietas neq; generaliter virtus aliqua moralis reperiuntur in brutis, nisi forte per metaphoricā locutionē, vt turtur casta, castus elephas, canis prudens, leo fortis, mansueta columba nominantur. Et ex opposito per similitudinem vitiorum, superbus equus, astuta vulpes, vorax lupus, sus luxuriosa. *Natura.* Animaduerto quæ dicis, nec à meis sunt aliena principijs. Iam insuper velut à longinquo quid moliris odoro. *Sophia.* Itaq; molior ostendere, quod castitas perpetua nō tibi semper est aduersa. *Natura.* Immo certe iuxta deductionem tuam & descriptionem, nulla mihi castitas, sicut nec aliqua virtus moralis existimanda est contraria. *Sophia.* Rectè sentis & concludis. Vnde submurmuras ergo, si sint eunuchi qui se castrauerunt propter regnum Dei? *Natura.* Nunquid non iure conqueror de talibus, qui se totos & pro semper ab officio generationis abdicant? Nonne peccant in extremorum altero, qui tanquam agrestes vel insensibiles, omni dant operationi venereæ repudium? Nonne subiectum proprium speciemque destruunt? *Sophia.* Quid si palam ex concessis tui monstrauero tale aliquid fieri posse multis casibus cum suis legibus & virtute? Quid si videas equos ad libidinē pronissimos ex equarum vsu debilitari, quibus abstinentia totalis dat sicut ex multis alijs robur & incrementum vsq; in senectam & senium? Adeò vis æstimatiua circa venerea phantasiam quam abstinentia magis lædit. Sed quærenda sunt rursus aliqua quatenus efficiatur processus lucidior. Concedis absque scrupulo, quod opus generationis non est passim ab hominibus exercendum, nisi quando oportet, & vbi oportet & de reliquis ita circunstantijs. *Natura.* Concedo. *Sophia.* Des igitur oportet regulas ad istarum cognitionem circunstantiarum, quales tui discipuli Aristotelis potissimè tradiderunt. Etsi nullus eorum eorum ad supremam, puram & liquidam conspexerit veritatem, quia tuo lumine, non meo (quod supernaturale est) suum exercebant mentis intuitum. Propterea diuersa in sectas & scismata partiti sūt, quarum multas tuus coarguit Aristotel. Vt quod mulierum debebat esse communitas in vsu more brutorum quorundam animalium. Neque enim

A sunt omnia talia intemperatæ conditionis, sed sociali quodam indiuidualique vinculo mas & fœmella coniunguntur, sicut in auibus plurimis cernere est. Dicebant alij debere passim homines cū fœminis in publico misceri velut canes. Inde cinici, id est canini dicti referuntur. Laudauerunt alij coniugium, sed hoc pacto, ne plures essent vnius, aut quod concubinatus non inde tolleretur quasi culpabilis, quamuis honoris legitimi minus habens. Addiderunt nonnulli fornicationem soluti cum soluta non esse peccatum, immo

B crudeliter agi questi sunt cōtra genus humanum, si nō liceret vti liberè proprio corpore sine cuiuspiam iniuria quærendo voluptatem. Sileo de barbaris nationibus, recto rationis iudicio carētibus, vel propter indispositionē corporis, vt cernimus in naturaliter fatuis, vel ob peruersionem consuetudinis. Nō loquar de bestialibus, non de melancholicorum mille speciebus in subuersione recti iudicij. Deniq; nolo totam hic & nunc materiā, (quæ latissima est) de castitate prosequi. Satis

C mihi fuerit centrum illud attingere, circa quod nostra præsens collocutio versatur & voluitur. Quod vt fiat compendiosius, conueniamus precor in aliqua positione vel certissima vel probabiliore. Alioquin vagari per omnia satagentibus nusquam finis. *Natura.* Conueniamus assentio, memor sponsionis meæ prioris; discipulam me docilem, non proteruam esse velle. *Sophia.* Modestè facis. Coarctetur idcirco sermo noster ad illos & pro illis, inter quos est hic & nunc no-

D stra conuersatio, ad Christianos loquor, qui nullo pacto damnant coniugia legitima, sed honorant & colunt, tradentes pro relatione partis generatiuæ circunstantias sex debitas, quod concubitus ille tibi naturæ consonus, concessus insuper, immo iussus est à summo patre nostro Deo, qui fit inter illas personas quas ipse coniunxit, exemplo primorum parentum, dans mulierem in adiutorium viri, vt relinqueret patrem & matrem, & adhæreret vxori suæ. Itaq; iam sunt duo in carne vna, ad opus commune filiorum, vt crescāt & mul-

E tiplicentur, & repleant terrā. *Natura.* Et si sint plurimæ nationes nescientes vel non admittentes relationem huiusmodi, sic arctam, nihilominus terminis his concludi non recuso, quia multiplicationem generis humani non annullant, videntur potius honestare ipsam per sacra coniugij fœdera castitatem. *Sophia.* Honestant certè propagationemq; filiorum reddunt eis vtiliorem, quam vagus incertúsque concubitus. Qua in re statim colligo non tibi displicibilem esse castitatem coniugij limitibus astrictam, eò quod fœcūda est hu-

F iusmodi castitas generans, quādo oportet & vbi, cum cæteris circunstantijs. *Natura.* Nullo pacto displicet. Sed qualis me molestat castitas, intelligis, videlicet quæ se totam eunuchizat & castrat quæ valefacit omni cōcubitui, quo sine prolificat nullus. Talis est castitas illa quam nominant virginitatem. Hæc perpetuam carnis integritatem, omnis expertem actus coniugalis semper retinere gloriatur. Aliam dicunt vidualem, differentem in hoc à virginitate, quia iam experta venereos actus, vel in coniugio licitè vel illaudabiliter extra coniugium nihilominus habet hoc cum virgini-

tate

tate commune, nūquam generationi filiorum intendere velle. *Sophia.* Distinxisti subtiliter triplex genus castitatis moralis, coniugalis sci., virginalis atq; vidualis, extenso nomine qualiter expressisti vidualem accipiens. Nobiscum verò conuenis de castitate coniugali, nōdum de virginali & viduali mecum sentis. Et hoc superest vt probemus, hic axis est, hic cardo præsentis discordiæ. *Natura.* Sic esse cōcedo. *Sophia.* Teneamus quæ præmissa sunt omnia, protinus in concordiam veniemus. *Natura.* Tenebuntur. *Sophia.* Si dedero tibi casus plurimos, & apud multos homines quibus non potuerunt ipsi coniugalibus vti commercijs, vel de facto vel de iure toto tempore vitæ suæ, consequens est vt castitas in eis perpetuæ continentiæ à generatione filiorum permaneat. *Natura.* Consequens est. *Sophia.* At verò facilis est antecedentis deductio tribus modis in generali. Vnus est facti, alius iuris, & tertius electio conditionis melioris. Et quidem hunc tertium modum separatim post tractabimus nunc de duobus primis pauca de tot exempla tangemus. Quis impedimenta facti negauerit, quæ se coram assiduè ponunt, vt corporalis castratio, vt inualitudo & naturalis frigiditas, & incarceratio perpetua, vt defectus aptæ mulieris. Sic viceuersa de fœmineis obstaculis. *Natura.* Nūquam istos negauerim casus, quos nobis oculus indicat. Sed quid de necessitate, cum loquimur de virtute? *Sophia.* Multum per omnem modum, quando fortis & solers animus facit de ipsa necessitate virtutem, quando detrimentum vertit in meritum. Rursus vbi defuerit aliquando necessitas huiusmodi naturalis quæ facti dicitur cōcurrere potest altera quæ iuris est, quando de iure nō de facto negatur omnis ab homine mare vel fæmella cōiugalis associatio, ac perinde prolificatio. Exemplum in seruis emptitijs, quos nubere Domini vetant. Exemplum de pauperibus & egenis, non habentibus vnde tolerarent onera coniugij, vel prolem conuenienter educarent. Exemplum de leprosis, piè nolētibus progeniem similiter eis inficiendam gignere. Exemplum de fœdis & turpibus, tam visu quam victu non satis tolerabiliter in matrimonio conuicturis. Exemplum de viduis & viris & fœminis, habentibus pueros iam vix educabiles ab eis, quibus beneuolentia prouidenti nolunt superinducere copulam nouercalē. Quidni casibus omnibus istis & similibus eligatur castitas perpetua, seu virginalis, seu vidualis? Quamquam mala quæ premunt hanc inducant, nihilominus ideo voluntaria dici potest atq; moraliter laudabilis, quia volūtas inducta voluntas est, quēadmodum tuus ostendit Aristoteles de proijciente merces in mare, ne pereat. Postremò si passim casus inueniuntur in omni sexu, ætate, gradu, quibus potest, immo debet vacatio fieri ab actu generationis ad tempus, nunc magnum nunc maius, quandoq; maximum, cur non poterit hoc concedi cadere posse per totum tempus vitæ. Habes igitur demōstratam tibi quam præassumpsimus propositionē, quod laudabilis sæpe est ex circunstantijs castitas, seu virginalis seu vidualis, generationi nunquam vacans. *Natura.* Negare non valeo, nisi memet in præconcessis negauero. Veruntamen mea non tollitur exinde querela super illis quos à

A talibus impedimentis liberos (qualia nominasti) voluntas (nescio quæ) spontanea (nisi potius obstinata vel agrestis, vel innaturalis dicenda est) remouet ab actu procreationis liberorū. Hoc est cur de tuis ecclesiasticis stomachabar ob Niceni cuiusdam constitutiones cōcilij de perpetuo talium celibatu. *Sophia.* Senseram, volui tamen vti circūlocutionibus ante dictis ad introductionem sequentium. Subiungetur insuper ratiocinatio de castitate heroica post moralem, priusquam de diuinali, quam adeò grauem censes, verbum fiat.

B Beneuolam te dederis, & attentam & docilem. *Natura.* Laudabis videns.

TERTIVS ACTVS PRINCIPALIS.

Sophia.

Recorderis oportet eorum quę prior actio cōcludit de fine conditionis humanæ. *Natura.* Nimirum ille est contemplatio primæ causæ secundum deductionem Aristotelis mei, quamuis

C de felicitate politica & æconomica quædam alia sed non aduersa tradiderit, reponens eam in tranquillo conuictu ciuium per se sufficienti, & in dispositione bona domus. *Sophia.* Loquamur interim de felicitate monastica seu speculatiua hominis vt homo est, ad quam practica seu politica vel æconomica tandem habet ordinari. *Natura.* Age prout vis, etsi cur ita facias, non satis agnosco. *Sophia.* Agnosces, nam interrogo te, si felicitas hominis, qua nihil ei melius, nihil optabilius, nihil honestius, vtilius, delectabilius est, acquiritur sæpe

D melius per castitatem heroicam quam per copulam coniugalem, castitas talis erit præferenda seu amplectenda. Ita enim dictum est, quod secundū exigentiam finis media sunt accipienda, quę nullam prorsus habent bonitatem, si non ex fine, quemadmodum veritas conclusionis in speculabilibus dependet ex primis principijs. Est enim finis principium primum in practicis. *Natura.* Vellem exponeres quid per nomen heroicę castistatis intelligis, ne processus forte fallat, ignoro.

E *Sophia.* Rectè cupis, & iam pauloante reliqueram insinuandum quo pacto castitas nedum de facto vel de iure poterat iugiter amplecti per non paucos, sed quod hoc fieret seu fieri persuaderet conditionis electio melioris. Et hic stamus pensandum, dicentes heroicam castitatem ex duobus maximè, primitus ex fine felicitatis, de hinc ex electione continentiæ virginalis seu vidualis ad semper & pro semper propter adeptionem faciliorem huius finis possem dictis & exemplis cul-

F torum tuorum deducere. Nihil credo plus obesse veritati, vel acquirendæ vel speculandæ (potissimum de causis altissimis) quam voluptatem veneream, quam contactum illorum corporum, sine quo vxor cum liberis haberi non potest vbi sorbetur & absorbetur rationis iudicium, vbi nihil virile, nihil altum, nihil cœleste mens quæ tali se dederit passioni, finitur meditari. Quid igitur si senserit adolescens vel tuo vel diuino munere, vel alterius commonitione perpetuam huius furoris carentiam conferrere plurimum felicitati capessendæ, ad quam conditus est homo. Nonne po-

terit consulto velle iugiter continere, mortificando tyrannicam huius moribundi corporis rabiē, ne reuocet aut retrahat aut deturbet ad alta tendente? *Natura.* Ecce in modico suades continentiam sicut & felicitatem omnes homines debere complecti. Sic perinde qualis poterit superstes esse posteritas? *Sophia.* Non hæc formidaueris, quia sicut non omnium est heroicos esse id est diuinos, & super communem hominem conditionem eleuatos, ita nec taliter castos existere. Propterea dicit magister noster & Dominus. Qui potest capere, capiat. Non est omittenda laus libertatis, non liberalium collaudatio studiorum, formidando ne serui remaneant nulli, ne præterea mechanicis nemo deditus inueniatur exercitijs. Rara sunt excelsa omnia, semper quoque vilium aut mediocrium maior erit numerus, suasione optimorum non extante. *Natura.* At verò difficilis, ne dicam impossibilis est hæc heroica vel horrida castitas. *Sophia.* Difficilis est fateor, sed tendit ad ardua virtus. Difficilis, sed apud plurimos adolescentes & adolescentulas inuenta est. Denique non ego sola cum meis, sed tui virtutem heroicam posuerunt, quasi supra hominem, sicut in solitarijs bene compositis, sicut è contrario deprimit sub homine incomposita solitudo. Solitarius quippe vel Deus vel bestia. *Natura.* Recolo dicta meorum. Sed moderatus venereorum vsus quin aptus sit ad virtutis, & consequenter felicitatis adeptionem, non palam cognosco. Nec intemperatum laudo, sed nec prorsus nullum approbare valeo, propter diuinam sui similis generationem, immo & propter vrgentem mei iuris necessitatem. Et quidem propterea separo semen à superfluo tertiæ digestionis, ego debitis in vasis illud condo, ego meatus ei conuenientes adapto. Denique mulcebrem indidi desiderabilemque supra modum delectationem, quæ continuè stimulat, quæ si non effluendo sedetur, lædit & molestat, aut aliquando mortificat. Hic est omnium communis amor, vincens omnia, de quo Virgilius noster:

Omne adeo genus in terris hominumque ferarum.
Equorumque genus, pecudes pictaque volucres.
In furias ferrumque ruunt amor omnibus vnus.

Sophia. Declaraueris & aggraueris quantumlibet volueris, nunquam obtinebis vt impossibilis heroica castitas iure putetur apud homines strenuæ voluntatis, quos æquus amauit, non falsus Iuppiter, sed Deus verus, & quos ardens euexit ad ęthera virtus, qua virtutem mei gratiam dicunt atq; charitatem. Fassus est quippe meorum, vnus, vt sciui inquit, quia non possum aliter esse continens nisi Deus detur, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum, adij Dominum. *Natura.* Quid mihi nunc de miraculis, quæ solis innitor legibus meis. *Sophia.* Neque sanè leges tuæ diuinum secludunt auxilium, sine quo iuxta Platonis tui verbum, nullum ritè fundatur exordiū. Nihilominus agam tecum proximius, dicam vnde fortassis tu stupeas tuique mirentur. *Natura.* Expecto. *Sophia.* Facilius est apud hominem qui bona voluntate zelat castitatem illam perpetuam quam interpolatam sine vitio custodire. *Natura.* Papè quid ais? *Sophia.* Id quod audis, quod vt melius accipias, constituo duos homines, vnum vxoratum, alium celibem, continebit dico celebs facilius ab omni voluptatis illicitæ sensu deliberato vel experientia, quam vxoratus vtetur moderatè sine quauis impudicitiæ maculantis culpa. *Natura.* Vellem certis id approbationibus confirmares. *Sophia.* Sumuntur rationes ex consideratione sextuplici, ex allicientis ablatione, ex febrili similitudine, ex pruritus curatione, ex humoris desiccatione, ex iocunda consuefactione, ex virtutum associatione.

Natura. Nolo moreris per singula, sed te ad pauca resolue. *Sophia.* Fiet. Difficultas continendi causatur ex imaginatiua virtute præsentante obiectum appetitui tanquam delectabile, vel directè, quia mulcet, vel indirectè, quia tristitias stimulantes aufert. Cuius rei signum est, quod imaginatione cessante super venereis actibus, cessat & eorum concupiscentia vel appetitus. Perspicuum fit hoc in irrationalibus quantūcunq; pronis ad luxuriam, sicut in equis, tauris, & canibus. Hoc expressit Virgilius tuus in georgicis de custodia equorum, docens eos separatim ab equabus alendos esse, & causam addit cum experientia, dicens:

Carpit enim vires paulatim, vtique videndo.
———Fœmina.

Natura. Negari non potest sensu repugnante. *Sophia.* Cæterum causatur imaginatio vel actuatur ex duobus. Vnum est obiectum exterius placibile, perceptum visu tactu vel auditu, vel etiam olfactu. Hinc Naso:

Fortis equus visa semper adhinnit equa.

Hinc magorum vnus apud Athenas adeptus est modico nasi adiumento vel odoramento regnū, ait Valerius. Quoniam equum suum ex memoria odoris equę mouit primus ad hinnitum. Alterum imaginationis excitatiuum, est humor seminalis quærens exitum. Qui si negetur, stimulat vt vrina superabundans, vt vapor colericus & igneus, causatque pruriginem circa partes alias non minus circa genitales calida ventositas prurit, irritat & vrit. *Natura.* Voluit hoc & ingeniauit summus author meus, prouidens ne desiderium propagationis per generationem sui similis languesceret. Nam vt comestio saluat indiuiduum, sic speciem carnalis commixtio. *Sophia.* Voluit fateor, sed ita voluit in hominibus, vt motum huiusmodi ratio sibi data regeret. Quod & effecisset absque omni difficultate rebellionis, si non suo primitus creatori ratio rebellasset. *Natura.* Transcendit hæc assertatio limites meos, de peccato tali perge quo cœpisti. *Sophia.* Nemo dubitauerit quin coniugatus habeat obiectum principaliter & iugiter alliciens, quod est vxor sua, plus quam celebs habere cogatur. *Natura.* Quis hoc negat? Sed præsto simile est remedium per vsum consortis legitimi. *Sophia.* Præsto est, sed an plus æquo succendat, inflammet & ardeat, inebriet & abducat viderint coniugati. Dicit enim Satyricus:

Quid enim venus anxia curat?
Inguinis & capitis quæ sit distantia nescit.

Quot inde Deus altissime, quot intemperantium fœdissimarum & inconcessarum bulliant riui,

ui, quot flagitia, quot contumeliæ, quas turpe nefasque dicere sæpius erumpant, tu nosti omnium cognitor occultorum. Celebs interea rebus honestis intendens ac intentus noctéque dieque poterit auertere tales, quales isti patiuntur inflammationes. *Natura.* Cessant hæ passiones dum explentur. *Sophia.* Si cessauerint ad momentum, protinus acriores irruunt. Quia libidinis vsus non satiat, sed irritat, more febrilis ardoris, quem potus nutrit, auget & inflammat. Sic pruritus in corpore, scalpendo dum mori videtur augetur. Sic fōs lactis in nutrice, sugendo continuatur, qui dimissus arescit, in alios versus humores & exitus. *Natura.* Sic ingeniaui multis in rebus & modis. Sentio denique similem tibi de seminis humore argumentationem sumere velle. *Sophia* Iure sentis, ac proinde cernis causas incontinentiæ præcipuas longius à celibe fieri quam à coniugato, quæ sunt obiectum alliciens exterius, & semen interius ex abundantia stimulans, & exitum quærens, quod in celibe per sudores, aut aliter sine quauis impudicitiæ culpa defluit, exit aut euanescit. Quid quod consuetudo vim tuam habeto natura? Propterea Cicero tuus bene consulit. Optima inquit forma viuendi eligenda est, quam iocundam reddit consuetudo. Sunt qui venereas voluptates etiam licēter exhibitas aspernarentur, vt viles, vt indignas, vt nauseam spiritui dantes, quoniam gustato spiritu desipit omnis caro, ait Gregorius vnus meorum. Talis olim noster Augustinus qui prius Ambrosij statum beatum prædicabat, nisi quod celibatus suus onerosus sibi videbatur. At nesciebam inquit, quales, quantasque suauitates sentiret ipse bene olentis castitatis sententia est, si verba non teneo. His accedit virtutum aliarum comes ipsis castè viuentibus societas, quæ longè sunt à sollicitudine coniugatorum, curarum cessatio mordacium celestis conuersatio, sobrietas, frugalitas, studium liberum, colloquens cum toto seculo secum, præsens ego Sophia in allocutione tædij sui. Rursum habet super se iugum Christi suaue & leue, putrescere faciens iugum multiplex & ferreū mundi. Non vlla sibi paturientium fastidia, non educatio contumacium sæpe liberorum. Postremò locum istum multi mei & tui super oneribus coniugij copiosissimè vehementerque prosecuti sunt, præcipuè noster Hieronimus, qui laudes nūc virginitatis, & aduersum Iouinianum nuptias æquantem celibatui, vbi quicquid ex historijs & sententijs veterum cum sacris litteris exhauriri potest, induxit. Quo fit vt repetitione nostra (quoniam habentur in promptu) non egeant, nec te latent. *Natura.* Mallem laterent méque omnesque præsertim in hoc quod laudem virginitatis in improperium reprobationemque vertit nuptiarum. Nec defuerunt qui tale quid ipsi dum viuerent, opponerent. *Sophia.* Opposuerunt. Sed respondit, coniugium sanctum & nuptias sanctas esse, de quibus hic dicendum non est per singula. *Natura.* Si talis esset omnium celibum conditio, qualem descripsisti, tolerabilem mihi non nego fore quandam ipsorum multitudinem, dum plures aliorum intenderent quantum sufficeret generationi filiorum. At verò de mille vix vnum talem inuenies amplius, quia laudem fundas heroicæ castitati ex

A fine quia præparat ad contemplationem altissimę veritatis, quid de tot meis, de tot tuis eleuatissimis & doctissimis vsque ad prophætiæ spiritum viris, quos scimus vxores habuisse? *Sophia.* Non tollimus omnem ab vxoratis cognitionem perspicuam veritatis, illam specialiter quæ lucet in speculatiuo intellectu, qualem tui vel solam curiosius inuestigant. Amantes veritatem magis vt lucentem, quam vt redarguentem & corrigentem mores peruersos, quos non ita deserere curauerunt. Propterea traditi sunt velut ingrati in reprobum

B sensum & obscuratum est insipiens cor eorum, & in stultum finem deducti sunt. Datur altera conditio non declaratiua & illustratiua vt præcedens, sed in experimento consistens & affectu, quam nemo nouit nisi qui accipit. Et hæc si datur vxoratis, profectò fit dum vacant ab amplexibus, & rarissimè fit, quia nec nunc confertur prophetiæ spiritus, neque suauissimus odor ille sapientissimaque iocunditas, quam ego sapientia confero secundum nomen meum, quod plus sumitur à sapore qui est gustatio spiritus affectualis quam à sa-

C pore quod respicit intellectum. Porrò si pauci sunt celibes & electi & eleuati perfectique, multo rariores sunt (cæteris paribus) nuptijs dati qui sine contaminatione se custodiant. *Natura.* Foues meam aduersus continentes querimoniam, dum continendi difficultatem causas, mecū quoque sentis, quę dixi vix vnum vel vnam de mille reperiri. *Sophia.* Immo verius debilito compescoque dum castitatem in celibatu faciliorem trado, dū possibilē in omni ætate, sexu, gradu, ordine

D (quamuis difficilem) multis ipsam prædico. Alioquin peccatum non haberent, aut ad impossibile tenerentur. Viderint qui non credunt, si omnibus in commune non vxoratis detrahunt peruersa temerariaque dijudicatione proximorum etiam in matrimonio coniunctorum, quos & quas esse constat frequenter mutuo separatos per tempus & per tempora & dimidiū temporis vel distantia locorum, vel impedimento morborum, aut religionis sacramento. Quos si continere dixeris eo tunc posse, cur non & celibes tanto spacio saltem

E poterunt idem immo pronius ex deductis? Eos verò si suspicatus fueris per incontinentiam superari, damnas omnes, teque ipsam tuosque domesticos, parentos & alienos. Itaque regrediendum est ad hanc veritatem quod sub rationis imperio est sensualis appetitus, & carnalis executio, difficultate vel inclinatione nitente in cōtrarium non obstante. Ad quod astruendum valet respōsio Hipocratis secundum aliquos, vel secundum alios Socratis, quem dum physionomia inspecta

F diceret physionomus corruptorem esse puerorū discipulos valentes irruere in eum, compescuit dicens: Sum sed contineo. *Natura.* Modestè ciuiliterque persuades. Sed quid de multitudine dicis vxorum. *Sophia.* Nolo putauerit aliquis multitudine vxorum (dum etiam legaliter multis fas esset vti) libidinis ignem, furorem, fomitem, tyrannidem excutere, sed crebrius in malū augere. Docet hoc spurcissima saracenorum secta, quos à fœdissimo àteque natura dānato masculorū cōcubitu, pluralitas vxorum non auertit, sed inuertit,

peruertit & subuertit. Quid insuper de Romanis scripserit apostolus noster in epistolæ principio, quid ipsi pœnitentiæ sui cecinerunt, quid historici narrauerunt de muto hoc vitio, cognitum est. Quo palam fit, venereum furorem plus cedendo fugiendoque vitari quam vtendo. Habet proinde castitas heroica Deum finem, quærens expeditum à mille sollicitudibus animum, quibus nequaquam caret coniugium. Fit proximior Deo, fit auxilij sui capacior, eam idcirco licet, decet & expedit amplecti. *Natura.* Cur non vtuntur corporali castratione, qui mentalem eligunt seruare perpetuam. Tunc itaque nec ipsi peccarent concupiscendo fœminas, nec eas in peccatum traherent, & à suspicionis macula de consortio mulierum manerent immunes. *Sophia.* Multum aliter sentit vnus de meis, dicens quod concupiscentia spadonis deuirginauit adolescentulam virginem. Apud comicum insuper dicuntur amatores esse mulierũ maximi, verum nihil posse. Adeò verus est sermo magistri nostri, quod ex corde procedunt adulteria, fornicationesque, torpeat quamuis corpus. Cæterum nefas est authoritate propria se castrando mutilare, sicut & se occidere, præcipuè dum non seruatur inde totum corpus, sed debilitatur, alteratur, vitiatur, vnde consequenter anima passiones morbidas subit & in moribus tetras. Neque in hoc Originis mei probatur exemplum vel zelus, non secundum scientiam castitatis se carne castrantis. *Natura.* Quid agat igitur aduersus stimulos carnis integer corpore si talia patiãtur mutilati. *Sophia.* Arbitrium in eis liberum cum timore Dei configet carnes eorum, sagittis gratiæ potentibus, cum carbonibus virtutum desolatorijs, si quærantur bona fide & toto corde remedia furoris huius, quæ plurima sunt, & præcipuum fuga inertis otij, quod vidit qui ait: Omnia si tollas, periere cupidinis arcus. Adsit sobrietas, familiaritas absit. *Natura.* Certe non meum est audire modo generationem cohibentia, cuius est incentiua procurare. Te transfer ad alia si qua supersunt, quæ post aliquantulam si vis, pausationem prosequere.

QVARTVS ACTVS PRINCIPALIS ISTIVS DIALOGI APOLOGETICI, Sophiæ ipsius scilicet & naturæ, tractans de castitate diuinali.

Sophia.

AN satis ô natura soror pausatum est? *Natura.* Satis. *Sophia.* Terminemus ergo quod super est. *Natura.* Terminemus expecto. *Sophia.* Hactenus in actione superiori triplici versata est oratio nostræ quasi præparatoria pro quarto hoc (qui & vltimus est) actu potissimum intento, non supergressi sunt termini capacitatis tuæ. Nunc in altiori supra non contra te regione colloceris oportet, vbi ne Christianorum moribus ac ritibus agendũ est, qui non tua traditione, sed mea per Deum & ex Deo supernaturali sunt reuelatione suscepti. *Natura.* Hoc tanto mihi facilius erit, quanto causam vnam esse præstantissimam, optimam & supremam non dubito. Est enim vox mea apud omnes A talem esse quam appellant Deum, de qua post inquisitionem solertissimam dixisse fertur Aristo. meus. Inuenite causam primam, fac me tibi placentem. Demum quæ gens tam effera, quæ natio tam barbara, quæ non aliqua religione teneatur? At vero quis & qualis sit verus cultus, per reuelationem specialem aliter quam ex creaturis meis acceptus, fateor super me est, (non vt bene dicis) contra me est. *Sophia.* Date interim mihi meæque fidei credens, vt intelligas vnicum christianæ religionis verum esse cultum Dei nostri. *Natura.* B Credo quatenus ad intelligentiam docendorum per te pateat via. *Sophia.* Collocabimus ergo principium docendorum, vbi dictorum finis fuit. Istã quippe legem esse diuinitatis vt supremum inferiorum iungatur principijs superiorum, tradit ille magnus olim tuus Areopagita Dionysius, quem prædicatio cum miraculis meum fecit & extulit. Diximus de heroica castitate, quam non aduersam tibi, nec impossibilem monstrauimus. *Natura.* Monstrati confiteor. *Sophia.* Coniungitur huic in C ascensu castitas diuinalis, prout moralem heroica sibi sternit castitatem. *Natura.* Castitas hæc diuinalis qualis est, & quid superaddit edissere. *Sophia.* Ritè petis. Et quidem ex finis consideratione cognosces. Nam moralis castitas habet proximum finem se continere secundum dictamen rectæ rationis per te naturam hominibus inditæ. Ast heroica tendit altius in primam causam se reuoluens & exaltans. Diuinalis verò finem attingit eũdem qui Deus est, sed eminentiori modo, propter D tria præcipuè. Primò quia voto firmatur. Secundò quia fide, spe, charitatéque dedicatur Christo, qui simul in vnum Deus & homo est Dominus, & proximus, frater, amicus & sponsus. Tertiò quia sacrosanctis mysterijs hæc castitas applicatur. Propter hæc tria plurimum distat hæc castitas à castitate idolatrarum. Fuerunt quippe virgines inter eos dæmonijs vt Vestæ & Palladi & Telluri, non Deo sacratæ, immo execratæ, sic & apud diabolicos Manichæos. Porrò moralis castitas est velut incipientium & purgandorum. Heroica velut E perficiendorum & illuminandorum. Diuinalis tertia tanquam perfectorum in æterna beatitudine consummandorum, talis esse debet castitas ecclesiasticorum, præsertim sacerdotum & maximè præbatorum. *Natura.* debet esse dicis, sed an sit, tu videris ô Sophia. *Sophia.* Nondum agimus de castis, sed de castitate, quam absolutè consideratam personalis abusus non sordidat aut violat, sed effugat, quemadmodum te naturam vitia quantumlibet enormia, qualia nominantur fieri cõ- F tra te, non te polluunt quin digna iungi veneratione subsistas. Conuenio te nunc igitur, an præsupposita fide laudabilis tibi sit huiusmodi castitas diuinalis? Quid differs? Quid mussitas? Si castitatem heroicam conuincit apertissima ratio te laudandam concedere, quo pacto superesset aliqua dubietas de præconio castitatis diuinalis, qualis descripta est vota Deo, dicata Christo, dedita cultui sacro. *Natura.* Vincor veris, nec effugium video, si non ad abusus culpandos querelam meam receperis. *Sophia.*

Abusus ego non minus quã tu culpo, criminor, abominor

abominor, damno. Verumtamen dic quales reperis intolerabiles in castitatem professis exhorbitationes. Sunt quippe nonnulla quamuis vitiosa locis temporibusque & personis toleranda, alioquin tollantur omnia bona, tam tua quam mea necesse est. Quoniam nulla sunt quibus non contingat abuti. Cognoscit Deus figmentum humanum, scit homines circundatos infirmitate à summo vsque deorsum, ideo propiciabilis est super malicia. *Natura*. Iure mihi tibique displicibilis esse debet tanta multiplicatio indignorum, tanta frequentatio præuaricationis votorum, tanta contaminatio sacrorum mearumque legum horrenda peruersio, maximè cum videas ipsa tot scelera, flagitia, iniquitates, peccata, delicta, abominationes, quas vel nominare vel etiam cogitare turpe est, in meum reuerti propaginis debitæ præiudicium. Hinc regiones vacuæ derelinquuntur absque habitatore. Hinc cultus tuus iste Christianorum penè deperditur, multiplicatis per generationem hostibus suis ethnicis & saracenis. Subinde quid obesset nouæ legi tuæ plusquam veteri similiter tuæ si honestissimo matrimonij sacraméto ministri religionis vterentur? Nunquid sapientior aut sanctior quam olim effectus est Deus? Fuerit ipse Christus virgo, fueritque natus de virgine, virginali desponsata viro, fuerit præfiguratus in virginitate Hieremyæ & Heliæ, suaserit ipse virginitatem paucis qui capere possent idoneis. Vnde quæso præceptum ortum est, vt non solum iam sit castitatis consilium, & hoc sine delicto iuuenilium personarum & adolescentularum, immo puerorum, puellarumque sub velo religionis quorum quarumque mille furores aut similium esse dicit Horatius? Quid de prouectioribus, quos incontinentes fuisse prius ambigit nemo, nec forte posterius continentes sperat vllus? Vincit indignitas rei meam certè conquestionem, quæ longè plus operibus se loquitur, se clamat & prodit, quá meis posset vocibus, nisi sponte quis obsurdescat. *Sophia*. Si tam acerba fers animositate facinora vouentium castitatem. Respice quæso, respice trabes ingentes defectuum in oculis, atque colluuiones fœditissimas in omnibus membris generationi vacantium. Sed quia non apte probrum probro diluitur, ad id respondeo quod quæris amarius, an sapientior fuerit Christus filius in noua quam pater in veteri lege. Eadem crede mihi, prorsus eadem fuit sapientia quæ ad perfectum duxit imperfectum, pueritiam ad perfectionis ætatem timoré ad amorem & spiritus libertatem. Porro cur non inspicis in sacerdotibus veteris legis quanta super alios sanctitatis quanta castitatis imponebatur arctatio? Vxorem non nisi virginem non nisi semel & vnicam non repudiatam non sordidam, fas erat accipere. Vacabant ab vxorum quolibet amplexu tempore vicis suæ sub mortis interminatione. Si moriebatur vxor in adolescentia, continendi necessitas incumbebat. Et quoniam assiduè nostri sacerdotes sacris occupantur mysterijs, quid diuinius quam vt continua polleant castitate? Vacant lege Dei, quam ab eorum populus ore requirit. Hæc autem lex sicut immaculata est immaculatum speculatorem doctoremque vult. Quod si græcorum Christianorum, opponitur

A coniugium, fortassis ideo priuati sunt illa qua prędíti fuerant legis peritia, & in varios iam supra modum corruerunt errores dissonos Romanæ veræque pietati. Quid quod apud eos vigent adhuc calogeri monachi celibes sub regula magni patris Basilij, quos ferè solos de clero populus habet in precio? Huc accedat quod ministri gratiæ reuelatæ fiunt per electionem non hæreditariam vt olim successionem. Debent insuper liberiores quam olim à seculari seruitute viuere. Debent rursus in re familiari minus esse solliciti, deditique minus

B auaritiæ seu rapinæ thesaurizare volenti pro filijs & filiabus instar Iudæ, quinimmo pro nepotulis, quos vnus e pontificibus datos à dæmonio loco filiorum, quos Deus subtraxerat ab ecclesiasticis querulus loquebatur. Attende quæso quemadmodum hæc tria quæ sunt electio, libertas, vacatio, fundant rationabilitatem celibatus perpetui sacerdotum, iuncto quod nullus ad votum sicut nec ad sacerdotium cogitur, nullus ante discretionis annos dum est arbiter sui, nullus qui non auxiliante domino, sine quo nihil facere possumus,

C votum suum possit implere. Tantummodo volútas bona adsit cum gratia, nec ei desit vel obex sit arbitrium. Quod si cadant aliqui, præsto est per pœnitentiam subleuator Deus. Denique ô natura ne glorieris adeò magnificans multitudinem hominum, quomodo melior est vnus timens Deú quam mille filij impij. Maximè si timor sit coniúctus animæ continenti, cuius non est condigna ponderatio, quæ diligens múditiam propter gratiam labiorum, habet amicum regem Deum. Ad-

D de quod virginitas implet cælum, fœcunditas carnalis mundum. Denique tuus Aristoteles polítias instituens, notauit moderatam debere esse puerorum multitudinem. Quod à nónullis accipitur, quasi necandi sint superflui. Quod practicasse Græcos comicus aliquando insinuat. Verum rectius intelligatur, vt sit hominum pars generationi non intenta vacans altioribus. Soluitur perinde quædam tua oppositio de virginitate, quia non medium tenet, sed extremum. Tenet vtique medium quoad nos, quoniam abstinet quando

E oportet, & quantum oportet & vbi oportet, omnium circunstantiarum qualitate pensata prout sapiens iudicabit. Quamobrem parce iræ tuæ soror natura, solerter animaduertens quod per celibatum salubriter prouisum est statui ecclesiasticorum de beneficijs viuentium. Quibus si darentur vxores, si liberi nascerentur, quis post eorum mortem suas pasceret vxores & filios? Non successor in beneficio, quod sibi vix sufficit, non alius si non casualiter, & ita mendicitate vilescerent, vel

F inedia faméque perirent, attento & hoc quod sacerdotes multi sibi soli vix viuere satis habét, quid si familiam addideris sumptuosam. *Natura*. Parcam iræ ô Sophia. Vis igitur vt siccis oculis, duro corde, visceribus congelatis, sine compassione, sine pietate prætercam silentio tuarum mearumque præuaricationes legum, multiplicatas super numerum. *Sophia*. Nolo equidem, sed pari fœdere tu meum prouisionem implores accómodam. *Natura*. Quem inueniam misera consolatorem? quis tantis, feret opem malis? Cur creata sum videte tanta mala meæ sublimis creatu-

ræ? quæ nunc cladibus & pestilentijs infecta deperijt, nunc bellis horridis attrita corruit, núc per nō A vsum vel abusum virtutis generatiuæ prorsus naturalissimæ diuinæque & perfectæ quasi sterilitate consumitur & arescit. *Sophia.* Desuper est prouidus super omnia Deus, communis mihi tibique pater, creator & rector, sperandum de sua misericordia, cuius copiæ non est numerus, petendum est eius subsidium, quærendum, pulsandum. Denique principes populorum dum erunt congregati cum principe summo vicario Dei Abraham commonendi erunt, orant, contestandi ferre præsidium rebus lapsis, hominum defectus reficere, B deformata reformare, nominatim circa tot propaginis obstacula non afferentia Deo gloriam, nō ecclesiasticæ religioni decorem, propter tria quæ tuæ miscuisti querimoniæ. Quorum vnum est nimia vouentium maximè adolescentium multiplicatio. Alterum creberrima votorum sine fructu legitimæ prolis effractio. Tertium contaminatio sacrorum tuæque constitutionis abominãda subuersio. *Natura.* Cur non adijcis tollendum esse votum à sacerdotio, cum non sit ei diuina & essentiali vt inseparabili societate connexum, quicquid sit de monachis? *Sophia.* O quasi stet in non C vouendo tota reformatio, quasi non peccet vxorati. Sed nec refert magnopere, si votum nequaquã sit annexum essentialiter sacerdotio, postquã ita coniunctum sibi est, vt omnis illud suscipiens nedum voueat, sed votum etiam solemnizet, matrimonium dirimens iam contractum non minus quam in monachis. Sed nec plus habet dispensabilitatis vnum quam alterum, nisi quod facta monacho dispensatione, desinit esse monachus, quoniam status importat tria vota de sui ratione. Sa- D cerdoti vero concessa dispentione voti, sacerdos tamen manet. Altero hic non versatur reformatio principalis, sed per alia media, qualia nunc & hic aperire non est consilium. Hoc dicimus quod de duobus malis minus est incontinentes tolerare sacerdotes, quam nullos habere. Sicut abutimur bonis Dei, sic vtitur ipse malis nostris ad electorum salutem, nominatim in sacramentorum ministratione quod olim figuratum est in pastu Heliæ per coruos, in quibus peccatorum nigredo figuratur. Non expectet aliquis quod area dominicæ ministrationis tanta possit sollicitatione purgari, quin plures sint paleæ vitiosorum vt luxuriosorum, inter quos latent & fouentur tanquã grana purissima cultores castitatis. Quis scit si plures nunc ecclesiastici custodiant in celibatu castitatem illibatam, quam si iuncti coniugio maritalem integrè conseruassent. Quis nesciat in multis & de multis desiderabilibus facilius esse totaliter abstinere, quam vsum moderari? Vidit hoc Epicurus assertor voluptatis, qui teste Seneca dicit: Vis diues fieri, non diuitijs adijciendum, sed cupiditatibus detrahendum, similiter in omnibus eiusmodi. Vis voluptuosè viuere, non voluptatibus adijciendum, sed cupiditatibus & concupiscentijs detrahendum adeò vel diuitem vel voluptuosum fieri non in exterioribus situm est: sed intra nos. Quid quod non humana præsumptione regitur ecclesia, sed spiritussancti directione, prout omnia tempus habent? Fuit ecclesia primitus sine dotatione temporalium, qualiter postmodum per Siluestrum & alios sanctissimos spiritussanctus largè sic aliquando per coniugatos regebatur ecclesia, vt in antiqua lege, nunc per celibes in noua. Concludimus tandem nos interea contentos esse debere remediorum postulatione, qualia qualiterque tetigimus, vt tranquillè concorditerque maneamus sororeo nexu iunctæ natura cum Sophia. *Natura.* Fiat precor ita.

FINIS.

CARMEN CONTRA PVLCHRITVDINEM CORPORIS, QVOMODO sæpe est occasio ruinæ in anima.

Pulcher Alexi, decor tuus vrget
Glorius vt tibi sis, tamen audi,
Te speciosa ligant velut auri
Vincula, retibus & nimis arctis
Stringeris implicitus magis, ex quo,
Roboris est vegeti caro candens
Passio liberior viget omnis
Subiuga fit ratio, iacet excors
Te fleo, nam tua sors miseranda.

OPVSCVLVM EIVSDEM CONTRA IMPVGNANTES ORDINEM *Carthusiensium quoniam pauca in eis reperiantur miracula, quasi exinde viliores censendi sint.*

Miracula communiter fiũt ad probandam sanctitatem illius qui ea facit, de qua dubitatur. Vel fiunt ad confirmandam & conuincendam infidelitatem alicuius vel aliquorum. Vbi autem per scripturam sacram vel euidentiam constat de sanctitate talis personæ, ratio fiũt per illum miracula, quia iam habet aliquod genus probationis suæ sanctitatis. Sic & iniustè dicunt, quod vbi vno modo legitimè constat de intentione partis, non requiritur vel exigitur, immo esset superfluum aliud genus probationis. c. j. extra de proba. Et ideo martyres de quorum sanctitate nullus dubitat, rarò fecerunt miracula respectu aliorum, specialiter in vita. Confessores vero plura, in vita & in morte. Ex quo dubio antiquitus confessores vsque ad Siluestrum papam publicè non colebantur vt sãcti, nec aliquis in canone missę est positus cum tamen virgines, immo & corruptæ mulieres, sed tamen martyres ibi sint positæ, sicut Perpetua & Fælicitas. Inter ipsos confessores sanctos hæc fuit differentia. Nam qui scripserunt multa ad fidei illuminationem, & magna sententia & doctrina pollebant, pauciora aut quasi nulla fecerunt miracula, præcipuè in vita, quia habebant probationem sanctitati in eminentia doctrinæ. Sic Augustinus Grego. & similes. Vnde cum in canonizatione sancti Thomæ de Aquino opponeretur, quod non fecerat miracula in vita, vel non multa, dictum fuit per papam, non esse curandum. Nam tot miracula fecit, quot quæstiones determinauit. Alia quoque inter confessores differentia fuit Nã aliqui

aliqui vixerunt in eremo in asperitate vitæ, perseuerantes in pugna cõtra vitia & tentationes, elõgati à cõuersatione hominum vsque ad mortem. Hi quia oderunt patrem & matrem, possessiones &c. & secuti sunt Christum portantes crucem per abnegationem sui & suorum iuxta euangelium, sufficit eis pro sanctitatis testimonio verbũ Christi. Sic & Paulus primus eremita (respectu cuius Anthonius clamauit se solum monachi gerere nomen) nullum legitur fecisse miraculum. Coruus autem portabat sibi quotidie panem per diuinam dispensationem, sicut & Heliæ. Et ne in tam lata materia diu immorer, tam martyres quam confessores viri & mulieres fecerunt & faciunt miracula multas ob causas, vt scilicet prædicatio eorum, & nomen Iesu Christi in quo tãtum est salus, efficax probaretur. Sic Petrus claudum, & per illum octo milia Iudæorum sanauit, illos in anima, istos in corpore & anima, sic & cæteri apostoli non ad ostensionem suæ sanctitati sed ad exaltationẽ nominis Christi. Aliquando ne prædicatio propter ministros contemnatur, eò quod inter homines communiter viuunt, sanctitatisque alia testimonia non habent, ex doctrinarum excellentia, sicut Nicolaus Martinus cæterique pastores sancti in populo conuersantes. Aliquando ad confirmationem Christianorum nondum plenè in fide fixorũ quia de facili abscederent, vel saltem in fide errarent. Aliquando in certis mundi partibus maiora & plura fiebant miracula. Tum propter loci vel hominum qualitatem, quia cæteris paganis & infidelibus erant propinqui, & sic per consequens difficilius inducendi ad fidem, & procliuiores ad recessum, aut quia ex paganis propagati, & sic paternas consuetudines difficillimè reliquissent, nisi crebris signis roborati essent, vel propter eorum stoliditatem & ruditatem tam in moribus quam ingenijs ac sensibus, vel alias innumeras conditiones Deo notas. Alij fecerunt signa in vita & faciunt, nec tamen ob hoc sanctiores, immo peiores & damnabiliores etiam euangelio teste sunt & fuerunt. Multi dicent mihi, ait Christus: Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Tũc respondebo illis: Amen dico vobis, nescio vos vnde sitis. Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Sic Iudas traditor fecit signa, quia cum ceteris potestatem accepit eijciendi dæmonia &c. Qui & reuertebantur gaudentes, ecce inquiunt Christo, Etiam dæmonia in nomine tuo subijciũtur nobis. Sed veritas æterna non esse in miraculis gloriandum ait: Nolite in hoc gaudere. In quo ergo magister bone tuis electis est guadendum? Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Vnde Iudas proditor & filij Iudæorũ & vsque hodie multi eijciunt dæmones cum tamẽ sint dæmoniacis forte deteriores. Sed vt Christus ostendat nominis sui virtutem, & sacrorum verborum quæ illi proferunt efficaciam, vel vt deuotarum precum in humilitate oblatarum exauditorem se monstret, hæc fieri sic, vel vt sanctorum suorum magnificet nomen & gloriam, in quorum ecclesijs vel coram quorum reliquijs ista fiunt, vel alijs de causis sibi notis. Non ergo appetenda sunt miracula, quæ cum malis habentur communia. Miracula sanctũ ostendunt, non autem faciunt. Vbi ergo non est necesse ad confirmationem fidei, vel vbi homines essent ingrati, vel vbi emendatio vitæ & Dei gloria non subsequitur, aut vbi sancti ex testimonio sacræ scripturæ, austeritate vitæ cum sancta conuersatione, temporalium abrenunciatione, Christi imitatione, siue alia causa secundum Deũ eorum sanctitas nota est, ibi (vt præmisi) miracula per homines expetere superfluum videtur. Si vero Deus faciat miracula absolutè, ipse nouit quare cum etiã quotidie eius mirabilibus plena est terra. Probatio autem sanctitatis per miracula tamẽ, plurimum est suspecta, quia (vt supra dictum est) malis sunt communia, & multa non Christianæ, sed magicę artis ostentamenta sunt, quæ à simplicibus quasi sanctitatis miracula acceptantur. Deinde notandum quod in legis tempore per moysen fiebant signa ingentia, quibus magi quidam per incantationes fecerunt similia. Decem plagis terra Ægypti fuit attrita. Virga Moyses diuisit maria, eduxit aquas de petra. Dominus de cœlo populo suo pluit manna. Transiuit populus sub Iosue Iordanis fluenta. Sonitu tubarum & clamore populi corruerunt muri Hiericho. Sol non occubuit duorum dierum spacio. Superque hostes lapides pergrandes ceciderunt è cælo. In mandibula asini percussit Samson mille viros. Sitienti de morali dente eiusdem mandibulæ, egressæ sunt aquæ largissimæ. Tempore prophetarum Helias mortuum suscitauit, pallio Iordanem diuisit, curru & equis igneis raptus est. Heliseus eodem pallio Heliæ præfatum flumen pro suo transitu siccauit. Sale aquas dulcorauit atque fæcundas fecit. Mittenti lignum in aquas, ferrum securis natauit. Naaman syrum verbo Domini in Iordane à lepra mundauit, eiusque lepra Giezi adhæsit. Mortuum puerum suscitauit, eoque mortuo, cum per hostium fugam cadauer à quibusdã in eius sepulchrũ proiectum esset, sacrorum ossium contractu reuixit. Innumerabilia sunt alia miracula post creationem cæli & terræ, angelorũque ex nihilo, & hominis ex limo, tam tempore legis quam prophetarum facta, sed illis temporibus erant apta, plurimaque eorum non solum corporaliter exhibita, sed & magnis sacramentis obumbrata, sicut etiam miracula Christi quæ fecit in terris in persona propria. Hæc autẽ antiqua miracula quotidie in mysterio renouãtur in ecclesia, quæ etiam tanto maiora sunt, quanto non corporalia sed spiritualia. Primo maius est iustificare impium quam creare cælum & terram, vt dicit Augu. Item quotidie per Dei gratiam ex nihilo scilicet peccatoribus fiunt angeli, & ex terrestribus fiunt cælestes. Mare rubrum per quod submersis Ægyptijs transimus, baptisma est, Christi sanguine rubricatum, quo euasis vitijs cælum introimus. Manna non figurale, sed reale edimus. Agnum paschalem Christum tollentem peccata mundi, in veritate manducamus. Visum, auditum, gustum, cæterosque sensus & membra inuicem sanamus, cũ ad verbũ Dei audiendum, ad Deũ diligendum, ad eius præcepta seruandum, ad eleemosinas dandum, peccata fugiendum, cœlestia appetendum, atque ad cætera Deo placita alternatim prouocamus, ac per hoc mortuos suscitamus. Hæc sub breuitate contra eos qui impugnant ordinem Carthusiensium quia non fiant in eis miracula, immo nec

vellent, potius verò facientes occultarent, sicut sæpiùs repertum est. Quod autem similiter dicitur quod nec habeant canonizatum nisi vnum scilicet sanctum Hugoné Linconiésem episcopú. Respondeo quod nec idem ex eorum voluntate, sed regis Angliæ & suorum instantia est canonizatus, quamquam sanctissimæ fuit vitæ, magnis miraculis claruerit, & procurator carthusiæ magnæ, professusque extiterit. Credendum quoque est in infinitum plures mortuos sanctos & quotidie mori quam hi sint qui canonizati sunt. Neque enim antiquitus canonizabantur, sed ex certissima vitæ sanctitate colebantur vt beata Maria Magdalena, Ioannes baptista, apostoli, cæterique plurimi. Sed ne passim populus in errorem iret, ecclesiæ censura canonizationis moderamen adhibuit. Nam populus falso rumore vel simulato signo, vel naturalium impressionú, quocirca corpora occisorú, vel patibula de nocte ardent quasi candelæ, ignarus facillimè seduci posset, vt latronem pro sancto honoraret, sicut in aliquorum sanctorum legendis factum reperitur. Virgo Maria nullum legitur in hac vita fecisse miraculum, nec apostoli in euangelijs & epistolis de eius sanctitate & vitæ excellentia mentionem fecerunt, nisi sicut prophetæ cecinerunt virginem parituram Christum, ita illi eam peperisse Christum filium Dei. Vnde ex consequenti in hoc solo verbo quod esset mater Dei, omnem expresserút excellentiam & supereminentiam totius puritatis & sanctitatis, super omnem creaturam corporalem & spiritualem. Quærere ergo eius sanctitatem per miracula, non esset sanæ fidei. Nec miracula quæ per eam quotidie fiunt, ad probationem suæ sanctitatis exhibentur, nec sanctitati eius aliquid addunt, sed ad manifestandam eius erga nos immésam charitatem & pietatem quam habet ad deuotè eam implorantes & venerantes.

Contra impugnantes Carthusienses quomodo non sit ordo confirmatus.

ADHVC plerique eosdem impugnant quomodo primo non fuerit confirmatus eorú ordo à sede apostolica. Est planè confirmatus & sæpe, vt patet in pluribus priuilegijs & ipsis statutis. Tamen demus locum huic obiectioni, & sub paucis verbis dicamus sufficere ad confirmationé cuiuscumque religionis, collegij seu congregationis spiritualis vitæ sanctitatem, hoc est in seruitio Dei virtuosam perseuerantiam, absque etiá approbatione sedis apostolicæ. Et hæc est approbatio seu confirmatio inuisibilis spiritus sancti, & ipsius vnctio quæ docet de omnibus. 1. Io. 2. Et hoc est quod dicitur Act. 5. c. Si opus non est ex Deo, dissoluetur. Neque ecclesia primitiua, immo iam per multos annos adulta, his confirmationibus & approbationibus vtebatur. Tandem ecclesia videns confusionem in religionum multiplicatione, & hæresum pullulatione, strictius admouens manum tanquam mater sollicita, reprobauit omnes religiones, mendicantium quatuor exceptis. Neque amplius aliqua religio instituetur, nisi approbatione sedis apostolicæ. De religionibus autem antiquis non legimus aliquá approbationem expressam sedis apostolicæ, sed eorum vita sancta ecclesia sciente, & eis vt viris
A sanctis & approbatis communicante & multa & varia priuilegia concedente, erat eorum plena cófirmatio. Est autem carthusiésis ordo cæteris omnibus antiquior exceptis Benedicti & Augustini ordinibus. Fuit enim circa annos. 20. ante ordinem Cistercienscm, & per centum. 30. annos ante prædicatores & minores, cæterosque mendicantes.

FINIS.

B

TRACTATVS EIVSDEM CANCELLARII PARISIENSIS DE NON esu carnium carthusiensium contra eos qui eosdem ex hoc statuto tanquam indiscretos & inhumanos iudicant, rationibus approbans indispensabilem apud eos seruari solitam carniú abstinentiam.

EPISTOLA.

C EGREGIO viro Ioanni de Gonnant, qui olim in seculo miles, nunc in Christi seruitute cum præclara Carthusiensium familia militans illustrius, suus Ioannes cancellarius indignus Parisiensis triumphú beatitudinis adipisci.

Tua sicut opinor, meminit prudentia, quemadmodum ab inclito præceptore meo nunc episcopo Cameracensi pridem postulasti, vt per tractatum aliquem ex iure diuino & valida disputatione compesceret ac refelleret carnales, quæ cæcis oculis ac spumanti ore latrant in religionem carthusiensem tanquam irrationabilis sit & impia ob perpetuam eorum de non esu carnium obseruantiam. Attentauit hoc agere idem præceptor meus, cui in cancellariatus officio & in cathedra successi immeritus, non tamen ad fundum difficultatis vsquequaque præuenit, quod agnouerim, plura enim sibi iugiter superirruebant impediménta. Quamobrem tui tuæque petitionis non immemor, tandem aliquando sumpta occasione in vna ex lectionibus meis, conatus sum (licet viribus imparibus) satisfacere pio & feruido religionis tuæ zelo. Quod si perfecerim id quod optaui, gratias illi à quo omne donum optimum & perfectum, si minus attigerim suppleant aut corrigant imperfectum meum tui fratres patres mei, & alij profundius sapientes. Bene vale, memor mei in orationibus tuis. Et si latini forsan eloquij non satis es idoneus auditor, nolito conqueri, quoniam habes copiam interpretum abundantem, prædictos patres loquor, quorum genibus prouolutus, orationum suarum suffragia egens & mendicus expostulo.

Incipit tractatus.



RANDIS & mira est nobis Ioannis abstinentia & sobrietas recitata, cum dictum est, locustas & mel siluestre edebat. Sed horrere de facili solent abstinentiam, qui voluptatibus defluunt, quorum Deus venter est, & sobrietas

& sobrietas ab eis austeritas inculpatur, ex sua infirmitate vitiosa in malaque radicata consuetudine alienam vitam mentientes, iudicant mirabile esse aut superstitiosum, aut indiscretum, attenuare corpus duris ieiunijs. Concessis insuper cibis quos Deus inquiunt creauit ad percipiendum cũ gratiarum actione, irrident non vtentes. Non aduertunt aut capiunt quam læta sit, quam salubris & expedita, & ex bona consuetudine quam facilis & iocunda reddatur deuotorum sobrietas, qui cum apostolo castigant corpus suum, & in seruitutem redigunt. Qui demum corporali ieiunio vitia comprimunt, mentem eleuant, virtutes acquirunt & præmia. Subinde ista est infamis palma vitiorum & extrema quorundam criminosorum impudentissimaque peruersitas, sancta polluere, calumniari bene acta, & quæ imitari non possunt, saltem volunt ea detestari. Hinc blanditur iniquitas sibi si de sanctitate confinxerit probrum aliquod si contra bene viuentes infames sententias protulerit, & alienæ vitæ reprobationem, suã laudem & solamen esse arbitratur. Experimur hanc carnalium hominum insaniam, tum in multis, tum nominatim erga venerabiles patres & fratres de ordine carthusiensium apud quos reperitur sicubi in ecclesia quicquam vestigij reliquerit prædicanda illa priscorum patrum deuotio, admirabilis feruor, & sua prope modum incredibilis continentia. Hos namque carthusienses, exagitant nonnunquam imbuti sapientia terrena, animali & diabolica, dicentes contra charitatem denegare sibijpsis, præsertim in infirmitate positis, esum carnium. Vox ista vox planè illorum est qui suspirabant ad ollas carnium Ægypti, fastidita mãna. Subijt itaque pluries animum aliquid de hoc scribere, vt veritatem funditus eruere, & cortice sublato medulitus perscrutari: id quod difficultatem affert in præsenti materia. Nunc tandem occasione sumpta ex contextu præsentis lectionis quæ de abstinentia loquitur Ioannis baptistæ, conabitur idipsum peragere tenuitas ingenij mei absolutè quidem & breuiter, quoniam veritas lux est, & intuetur nunquam melius quam dum nuda breuitate monstratur, folijs aut phaleris verborum non magnopere eget obumbrant ipsam quãdoque & obfuscant veritatem potius, quam illustrent & expediant.

ERIT igitur triplex conclusio, Vna directè responsalis. Duæ sequentes difficultatum nodos tangent & euoluent. Hæ difficultates præcipuè & summatim duæ sunt. Vna de casu necessitatis extremæ. Alia de infirmitatibus & abbreuiatione vitæ. Prima conclusio. Potest rationabiliter in ordine carthusiensium lex vel generale statutum vt nullus frater illius ordinis comedat vnquam carnes immo si petat, quod sibi non ministretur. Et ad huiusmodi obseruationem fas est disciplinam grauem contra transgressores institui. Secunda conclusio. Non obstat rationabilitati præfatæ legis vel statuti, quod dabilis est casus in quo frater carthusiensis etiam professus obligaretur vesci carnibus, & alius sibi ministrare teneretur.

Tertia conclusio. Abbreuiatio vitæ corporalis

aut sanitatis debilitatio non auferunt rationabilitatem præfatæ legis aut statuti.

SVADETVR per indirectum prima conclusio, quoniam nisi sic liceret generaliter ordinasse nullo modo sentiendum est quod per tanti temporis cursum .s. per trecentos annos & amplius, talis fuisset lex interipsos carthusienses promulgata & seruata, inter quos tot hactenus floruerunt summæ religionis & eximiæ discretionis viri in iure ciuili, canonico & diuino non mediocriter instructi. Nequaquam insuper tolerasset illud ecclesia, alioquin dedisset laqueum suis fidelibus filijs, quoniam eos damnabiliter errasse sciuisset neque tamen eos ab errore reuocasset. Alioquin præterea non laudassent vitam talium sanctissimi viri, quemadmodum deuotus & circunspectissimus Bernardus ad fratres de monte Dei eiusdem ordinis scribens, eos collaudasse reperitur, immo & ad abstinentiam multam inuitasse, oblectans fratres illos in horrendis frigoribus magnæ carthusiæ manentes. Rursum per directum sic arguitur. Licitum est vni vel pluribus per totam vitam à carnium esu prorsus abstinere, quoniam ita fecerunt plurimi laudabiliter, & quotidie faciunt. Et apostolus satis innuit dicens: Quod si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Quod non posuisset, si non potuisset licitè compleri. Potuit ergo irreprehensibiliter fieri lex siue statutum quod illud licitum iugiter seruaretur, quoniam infra docebitur nil obstare quo minus illud fieri fas existat. Cæterum lex illa rationabilis censenda est quæ religioni conuenit, quæ disciplinæ congruit, & quæ saluti proficit, quemadmodum trahitur ex dictis Isidori. Sed lex talis de non comedendo carnes est huiusmodi, prout experientia longa doctrix est. Etenim sub hac lege & secundum eam religiosi viri & disciplinati & de salute sua solliciti, vixerunt vsque ad senectam bonam & plenam dierum incolumes in anima & corpore, plus quam in locis alijs plurimis, vbi cõceditur esus carnium ad saturitatem. Denique constat eos imitatores esse antiquorum prophetarum & eremitarum Heliæ & Helizei, ac Ioannis baptistæ, aliorum quoque sanctorum patrum per Ægyptum olim degentium. Inter quos (prout refert Hiero. in epistola vna ad Eustochium) non solum carnes, sed & coctum aliquid comedisse, luxuria erat. Pro conclusionis huius corroboratione faciunt ea omnia quæ scripserunt de sobrietate & abstinentia doctores catholici quæ plurima sunt valde, nec egent hic inseri. Legatur Hiero. in li. contra Iouianum, vbi ex vetustissimis gentilium historijs sobrietatem stabilit. Videatur idem in vitis patrum, & Cassianus in suis collationibus & institutis. Et perspicuum erit qualiter sanctorum patrum, immo virginum & mulierum abstinentia fuit & in sanitate & infirmitate constanter mirabilis. Habemus de venerabili Paula cui in vltima qua obijt ægritudine sibi persuaderi non potuit vt vino modico vteretur. Proinde discretores ciborum refellit Bernar. in homil. 30. super Canti. Et multa in hunc modum relicta sunt à sãctis & celeberrimè disputata. Denique veritas huius conclusionis ex deductione sequentium velut ex nubiũ obiectarũ depulsione magis elucescet.

IN secunda conclusione vnum supponitur, quod dabilis sit casus in quo frater carthusiẽsis etiam professus obligetur vesci carnibus, & alius sibi ministrare teneatur. Superadditur ad hoc quod istud non obuiat rationabilitati legis antedictæ. Probatur suppositum in casu necessitatis extremæ, quoniam dabilis est casus infirmitatis, vbi medicorum expertorum iudicium, & conscientia fratris infirmantis & aliorum sibi ministrantium, dictabunt quod ipse ægrotus absque dubio morietur, si non adiuuetur per esum carnium, & edendo carnes conualescat. Nec satis esse videtur ad negandum possibilitatem necessitatis huius extremæ illud quod scripsit quidam medicorum magister Arnoldus de villa noua, pro dissolutione dubietatis propositæ. Ait enim quod in ægritudine qualibet curabili humidum radicale sufficienter restaurari potest per vitella ouorum absque esu carnium requisito. Hæc euasio non vsquequaque sufficit, nec difficultatis radicem euellit. Stabit itaque quod languens de quo est sermo, omnem abominabitur vtilem cibum præter carnes aut ius earum, & præsertim vitella ouorum fastidiet, ita vt comedere illa salubriter aut absque vomitu nõ valeat. Sed tamen ne controuersia aut calumniæ materia in longius procedat, dabo casum possibilem vbi aliquis carthusiensis etiam sanus morietur absque remedio nisi carnibus vti cõsentiat, vt puta si deductus sit in manus tyrãnorum vbi vel ex nequitia vel aliunde, nihil permittetur sibi offerri ad vescendum præter carnes. Quærendum est ergo in hoc vel consimili casu necessitatis, an huiusmodi carthusiensis tenebitur carnes comedere? & si sic, habetur intentum. Si diceret aliquis quod potius eligere habebit mori fame, dicere eundem oportebit ex consequenti, in seipsum manus inijciet & sui met erit occisor. Iuxta illud vulgatum Ambro. Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti, nec ad se minus quam ad alios præceptũ hoc extenditur. Præterea consuetudo aut constitutio generalis ecclesiæ de non comedendo carnes in die veneris, non obligaret ad sui obseruationem in casibus prioribus extremæ necessitatis, immo nec excusaret aliquem ab homicidio, qui cum posset saluare vitam per esum carnium, se vel alium mori spontaneè permitteret abstinendo. Secludendo tamen semper casum grandis scãdali in fide, de quo dicetur postea. Porrò de votis idem est argumentum. Est autem fundamentum radicale prætactæ rationis in hoc, quoniam à lege diuina nulla lex aut obligatio purè humana, potest absoluere aut excipere vel instituere quod nõ obseruetur. Sed hæc est lex diuina: Non occides. A qua lege non legitur per aliquod aliud diuinũ ius facta exceptio ista vt pro obseruatione constitutionis aut obligationis purè humanæ superuenientis eam transgredi liceret, & se mori sinere fas est. Vnde reclusus aliquis, qui vouit non egredi, videns aliquem in extrema necessitate famis aut periculi mortis, si non exeat & succurrat cum possit, pro occisore criminabitur, quanto magis si sibimet in articulo mortis vel talis necessitati subuenire contempserit. Proinde confirmatio eorum quæ dicta sunt sumitur ex hoc quod nulla constitutio contra charitatem potest robur obtinere, quoniam lex pro charitate semper fertur dum bene fertur, quia est præcepti finis & plenitudo legis secundum apostolum. Est autem cõtra charitatem cum in deteriorem vergit exitum, se vel alium dimittere mori modis tactis, quando ex concessione diuina licitus ad vitam patet exitus. Denique præceptum inferioris seu constitutio præiudicare posset præcepto superioris Dei videlicet iubentis ne quis se perimat, quod quam falsum sit non videt nemo. Obijciet forte aliquis de Machabæis, qui prius elegerunt horridã mortem perpeti quam carnibus suillis vesci. Similiter de quibusdam alijs in veteri testamento & nouo, qui vel ad exemplum virtutis vel ad euitandum Dei iniuriam, vel pro castitate seruanda, aut in vltionem inimicorum vt, Samson, semetipsos peremerunt. Sed ad multa istorum respondet Augustinus diffusè. i. de ciui. Dei. Cuius sententia finalis est, quod nisi ex reuelatione diuina, aut ex speciali instinctu Dei dispensante (habet enim deus potestatem vitæ & mortis) non potest quisquam manus licenter sibi inijcere, quamuis de castitate seruanda specialior est difficultas quæ tangetur inferius. De Machabæis insuper alia est ratio, quoniam lex diuina ipsos tunc obligabat non comedere carnes porcinas. Ideo fatendum est quod citius mortem quam esum talem debeant eligere. Non enim transgredienda est lex Dei pro corporalis vitæ saluatione. Secus est nunc vbi talis legalis obseruatio cessat. Secus præterea vbi non consurgit obligatio, nisi ex constitutione purè humana. Intellige vigilanter quod dico de constitutione purè humana. Fiunt enim quotidie leges de malefactoribus occidendis, sed non sunt solũ humanæ, immo fundamentum principale & auctoritatis robur sortiuntur à lege diuina, iubente vt populus suus tollat malum de medio sui & mẽbrum quod scandalizat, abscindatur. Nolo tamẽ dicere quod iudices possint pro quolibet peccato ad arbitrium suum licenter mortem statuere aut statutum infligere, sicut de furto merè simplici deducit quidam doctor. Cæterum lex diuina habet, Non fornicaberis, non periurabis, & similia præcepta. Idcirco quantumcunque posset aliquis prolongare vitam suam per fornicationem, aut periurium, nullus ad talia consentire deberet. Sed instabit aliquis rursus & dicet quod omnia vota & leges omnes de quibus loquimur, fundãtur in lege diuina, in hac scilicet, Redde altissimo vota tua, & humanæ institutiones in illa auctoritate prælatis data. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me &c. Et iterum. Quę dicunt facite &c. Respondetur quod in talibus votis aut legibus positiuis ista sẽper exceptio subintelligitur, nisi vbi contra Dei superioris præceptum cuius finis est charitas, militarent. Inde emersit consiliũ istud: In turpi voto muta decretum. Quod si aliquod votum fieret, aut aliqua lex iuberetur ab hominibus absque omni exceptione tali expressa vel implicita, irrationabilitatem manifestam & non tolerandam lex & votum continerent. Quo pacto sic? quoniam euenire possunt casus qui legem Dei in sui obseruatione violarent, prout supponitur declaratum esse satis. Et arbitror illud quod in hac secunda conclusione supponi dicebatur, dabilem esse scilicet casum in quo frater carthusiensis etiam professus obligaretur vesci carnibus, & alius

alius sibi ministrare teneretur. Et iste casus est necessitatis extremæ, seu per infirmitatem, seu per temporis, aut loci, aut tyrannidis importunitatem contigerit. Ista tamen necessitas quo pacto posset forsan non semper obligare ad vtendũ carnibus, præsertim in casu grandis scandali, sequens conclusio declarabit. Nunc accedamus quod reliquum est in hac conclusione argumentis stabilire, vt declaremus ea quæ dicta sunt super isto casu necessitatis extremæ, non obuiare rationabilitati legis vel statuti Carthusiensum de non comedendo carnes. Pro quo rememorandum est, quod ad hoc nullum votum expressum habent, sed est duntaxat quædam ordinatio siue institutio positiua, ne hoc quisquam eorum præsumat attentare, quod si fecerit, subiacebit disciplinæ ordinis, & certas pœnas illic expressas sustinebit. Et ita fuisse olim institutum apud quosdam alios ordines, vt apud fratres prædicatores, sub pœna carceris, referente quodam accepi. Adde vnum circa quod præsens difficultas versatur, & quod præcipuè causat apud nonnullos scrupulum. Fateor itaque quod nullus casus in ordinatione prędicta excipitur, neque casus infirmitatis, neque alterius necessitatis extremæ. Quæ exceptio si facta fuisset, apponerent plures digitum ori suo, qui nunc in ordinationem talem oblatrant. Sed respondeo quod exceptionem hanc addere nequaquam oportuit, immo nec congruum fuit. Quod non oportuit ostenditur primò, quia lex naturalis & diuina sufficienter excipiunt. Nunquid leges omnes tam ecclesiasticæ quam diuinæ, quamuis ferantur vniuersaliter, suscipiunt tamen exceptionem prout à philosopho traditur, & ex earũdem inspectione cognoscitur, illam verò exceptionem continuò ad legem subiungi nulla est necessitas, sed nec eiusdem expressio requiritur. Quæ est ratio? Quia plerumque hoc esset impossibile, nimirum & plerumque superfluum propter numerosam & infinitam particularium circunstantiarum emergentium varietatem. Rursus exceptio quæ sufficienter datur intelligi aut aliunde satis trahitur, non eget exprimi. Sic est de casu extremæ necessitatis respectu legis aut constitutionis de qua loquimur. Trahitur quippe talis exceptio à lege diuina & naturali quantum sufficere debet. Quoniam per similitudinem ad alias leges conditas, vbi similes subintelliguntur exceptiones, instruitur quilibet etiam parum doctus ita posse & debere fieri circa institutionem præsentem, quantumcunque generaliter lata sit, dummodo illam quæ subintelligenda est, exceptionem per expressa verba nequaquam excludat. Si enim diceret constitutio illa quod in nullo casu etiam cuiuscũque necessitatis extremæ, liceret comedere carnes sub mortali peccato, nescirem fateor constitutionem istam ab iniquitate defendere. Sed ita non esse docet textus institutionis quem inspexi, vbi nec obligatio fertur sub pœna peccati mortalis, sed solummodo sub pœna disciplinæ ordinis. Nec etiam casus talis necessitatis extremæ secluditur. Interrogati siquidem eorum aliqui excellentes viri per meipsum, quid agerent vbi in deserto aliquo vel carcere nihil haberent præter carnes ad vescendum. Responderunt se comesturos fore absque omni scrupulo priusquã se mori permitterent. Audite narrationem. Contigit vnum

A ex Carthusiensibus dum equitaret, in tantam semel famem & sitim incidere, quod de sanguine equi sui bibebat ne periret, aliud quippe quo tunc sustentaretur, non habebat. Delatum fuit hoc ad reliquos fratres, qui necessitatem circunspectè attendentes quæ legem non habet, eundem absque disciplina vel quauis pœna velut innoxium susceperunt, maximè quia sufficienter constare poterat omnibus de necessitate sua, alioquin fortassis subiacuisset disciplinæ ordinis, non quidem ex culpa propria, sed ad euitandum scandalum aliorum, ne deinceps licentiam & exemplum alij

B traxissent ad comedẽdum carnes pro libito. Meruisset autem frater ille illam disciplinam ordinis humiliter & innocenter tolerando, quemadmodũ sentiunt doctores de illo qui per ecclesiasticam censuram cogeretur habitare cum illa quæ ad veritatem non est vxor sua legitima, quamuis ita decerneret ecclesia, quæ non de occultis, sed de manifestis determinat. Casus alibi est expressus. Sic dico quod non esset quandoque inconueniẽs

C innocentem carthusiensem pro esu carnium aut eorundem ministratione disciplinæ ordinis ad aliorum terrorem & regulæ inuiolabilitatem subiacere. At verò dicit aliquis. Cur non expressus est & exceptus casus iste necessitatis extremæ? Dixi iam & repeto quod illud fieri non oportuit, vt probaui, immo nec congruum apud eos fuit, vt deduco. Sensus certè hominis, quia proni sunt ad malum ab adolescentia, quantumcunque in freno & chamo constringantur, vix edomari pos-

D sunt quin effluant & effrenes fiant. Dum ergo paruula eis aperitur rimula licentiæ aut frenum eis tantisper laxatur, fiunt confestim occasione assumpta ex ipsa licentia deteriores. Omnes enim deteriores sumus licentia, vt Comicus dicit. Quãobrem si casus aliquis fuisset in institutione præfata concessus expresse de comedendo carnes, formidandum erat ne paulatim succedentibus temporibus magis ac magis dilatata fuisset, & extensa huiusmodi licentia, & tandem plus ad voluptatem quam necessitatem deseruisset. Totum hoc

E declarabunt amplius sequentia, & experientia teste defenditur.

TERTIAM postremò conclusionem posui quod abbreuiatio vitæ corporalis, aut sanitatis debilitatio non tollunt rationabilitatem præfatæ legis aut statuti. Non penitus inutiliter tractandum hic esse arbitror & declarandum, quemadmodum licitum est agere multa siue temporalia siue spiritualia sint, per quæ & in quibus abbreuiat homo vitã suã, aut infirmitatis debilitatẽ incurrit.

F Secludo tamen in primis quod intentio talis hominis citius naturæ consumentis cursum .i. periodum ætatis suæ non feratur directè & immediatè super eo quod est abbreuiare vitam suam, vel corpus in ęgritudinem trahere, tanquam super fine principali, aut quod non fiat pro fine prohibito & nequaquam, quemadmodum multi desperatorum & fortunas suas ferre non valentium fecisse leguntur, & vt Stoicorum error facere consulebat. In hoc siquidem casu tales grauiter peccant, & per leges merito dehonestantur. Hic habet quoque veritatis locum illa Hieronymi sententia quod non refert si quis per immoderatam absti-

nentiam se paulatim interficiat, aut subitò. His præmissis probo quod assumptum est: licere A scilicet plerúque abbreuiare vitam suam in varijs occupationibus, studijs & artibus. Ad oppositam enim assertionem sequuntur absurditates innumeræ, inter quas illa non mediocris est quod quilibet teneretur vacare studio medicinæ, aut medicorum consilijs atque regiminibus continuè vti deberet. Quare sic? Constat nempe quod ex ignorantia medicinarum præseruatiuarum ab infirmitate & conseruatiuarum sanitatis, ex omissione insuper medicinalis regiminis irruimus in crebras ægritudines, & vitæ abbreuiatione incurrimus. B Rursus quilibet obligaretur desistere ab operibus & actibus, ex quibus veniunt communiter debilitationes in corpore, & eiusdem corruptio velocior subsequitur, præsertim dum tempora sunt intemperata, & ex nimio gelu vel ęstu feruido discrasiant harmoniam debitæ sanitatis. Quid proinde? Sic certè agricolæ colere terram, opilio pascere gregem, vindemiator vuas colligere, ruralis falcare fænum vel segetes, cursor legationem explere desisteret. C Et ita passim in omnibus huiusmodi pœnalibus operibus, & debitæ valetudini non parum aduersis, valebit argumentum. Cæterum posito isto, condemnarentur omnes diuites qui delicatis ac preciosis alimentis non occurrũt morbis pauperum, si semper modis omnibus licitis & possibilibus sit sanitas in se vel alijs de necessitate seruanda, vel ægritudo pellenda. Porrò cui dubium esse potest, quin militaris exercitatio secum plurima accumulet corporis incommoda, nunc in ipso belli apparatu nunc in tentorijs aut castris, aut sub dio, D demum in ipso hostili conflictu, quis neget in his abbreuiari vitas multipliciter corporalem? Quid enumerem labores, æstus, frigora, famẽ, sitim, curas, vigilias & vulnera, quibus ipsa plerũque vita funditus extinguitur? Quis tamen dixerit propter hæc repelli à militando reges & alios reipublicæ rectores tanquam iniustè agant, & in seipsos manus inijciant? Denique de ipsis mercatoribus quid dicturi sunt nostræ positioni aduersantes? de quibus ait Flaccus.

Impiger extremos currit mercator ad indos: E
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Quis non videat quod tam ipsi quam innumerabiles huiusmodi, hæc & similia agendo, patiendoque vitam abbreuiant? Quis nesciat quod ægritudinibus varijs atteruntur? Veruntamen temporalia solummodo numeramus, pro quibus adipiscendis, conseruandis aut recuperandis non dico infirmitati, sed vitæ periculo & morti licenter nos exponimus. Concludamus igitur arguentes à minore ad maius, F quod pro bonis spiritualibus acquirendis, conseruandis, aut recuperandis seu restaurandis, vel pro malis depellẽdis, nõ est quomodolibet illicitum vel irrationabile similia perpeti. Quamobrem ipsi carthusienses possunt subijci regulæ vel statuto, ad cuius nihilominus obseruationem sequitur quandoque abbreuiatio vitæ corporalis, vel debilitatio sanitatis incurritur. Sed opponet forte scrupulosior aliquis & quæret si liceat omnino medicinam spernere? Si præterea in enumeratis temporalibus exercitijs fas sit qualitercumque & quomodocumque vitam consumere? Et si sic dicatur sicut dictum fuisse videri potest licebit cuilibet absque vitio tentandi Deum, omnibus se periculis morborum & mortis improuidum obiectare. Istud verò mundum quisquam dixit. Respondeamus, dicentes quod in præsenti materia sicut & in reliquis omnibus conseruare conuenit prouerbium illud poeticum à Terentio commemoratum: Ne quid nimis. Quod Horatius plus expressit dicens:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Hoc dicit philosophus describens virtutem esse in medio non quidem indiuisibili, sed in certa latitudine prout est signum ad sagittã. At vero qualiter accipiendum sit medium huiusmodi si quisquam vlterius pergat inquirere. Respondeat pro me idem philosophus, quod medium illud est quo ad nos, & vt sapiens indicabit. Neque enim potest aliter sub generali regula vel arte notificari tale medium. Idcirco virtus quam multa gignit experientia, certius quam ars sola, tale medium coniecturat. Et quia attendit particulares circunstantias omnes clarius & solidius operatur, quamquã ars & doctrina multam afferant commoditatem virtutis exercitium quærentibus. Sufficit ergo nobis pro nunc verificasse id quod assumptũ est, & ostendisse quod medium sobrietatis & abstinentiæ in proposito nostro non sic iudicabitur à sapiente quod omnis debilitatio corporis & omne discrimen mortis seu malæ valetudinis euitetur.

Sed veniamus ad bona spiritualia, bona virtutum postquam locuti fuimus de bonis temporalibus vbi longè minus videretur excusabilis pro acquisitione earundem abbreuiatio quantalibet vitæ corporalis. Enumeremus ergo aliquas radices, causas vel rationes spirituales, propter quas licitũ est vitæ huius moribundæ detrimentũ subire vel pati. Et primò quidem ad obediendum Deo. Deinde ad satisfaciendum pro peccato. Rursus pro iuuamine charitatiuo proximi. Cæterum pro euitatione grauis scandali. Porrò ad acquirendum virtutes in se vel in alio. Et ad extremum pro extirpatione vitiorum & carnis ad spiritum subiectione.

Constat enim quoad primum, quod obedientia potest licitè imperare vt homo subeat mortẽ corporalem pro fide sustinenda, exemplo martyrum, vel vbi Deus homini reuelaret, quemadmodum de Sansone & alijs multis sentit Augustinus de ciuitate Dei. Habet enim Deus vitæ & mortis imperium. Addo adhuc quod etiam vbi non obligaretur quis semetipsum prodere qui quæritur ad necem, quoniam Christianus est, potest tamen in casu publicis tyrannorum aspectibus præsẽtare se & spontaneæ morti tradere se in attestationem & laudem fidei suæ. Sic enim plures ex martyribus fecisse narrantur, qui vel non cesserunt persequentibus, vel eos cum potuissent, nulla vi à se repulerunt, vt sancta legio Thebeorum, aut denique veritatem eis inuitis & furentibus vltra publicauerunt. Attamen necessaria est in hoc loco consideratio particularium circunstantiarum & vnctio spiritus docens quando & vbi hoc fas existit. Si enim hoc fieri semper liceret, nec fugisset Christus, nec dixisset apostolis: Cum vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliã. *Mat. 10.* Secũda ratio sicut & sequẽs rei accommodabilior est quam agimus. Satisfactio itaque & iustitia sæpe iubet multa fieri,

per

per quæ abbreuiationem sequi vitæ perspicuum est. Videmus hoc in iustitia forensi, & pœnitentia A publica tam in carceribus quæ in alijs vindictarum & punitionum modis innumeris, per famem, per sitim, per nuditaté, ciuiliũ verbera, exiliũ, reclusioné in aëre pestiléti & feculéto, & per similia horũ pro peccatis enormibus. In foro etiã pœnitẽtiali quotidianum est. Et quis in dubiũ reuocet quin liceat istas punitionum afflictiones deuota voluntate suscipere, & susceptas pro satisfaciẽdo iustitiæ & Deo pro peccatis laudabiliter tolerare? Est quorundam opinio de condemnato iustè ad mortem B per suspendium per carcerem aut famem, quod potest absque delicto subterfugere, si nihil obstet euasioni suæ, cuius oppositum non improbabiliter tradunt alij, dicentes quod manere tenetur ne violet iustitiam & sentẽtiam publicam in se latam. Nihilominus quocunque modo se habeat veritas de obligatione ad vnum istorum vel ad alterum, neminem dubitare arbitror, quin condemnatus aliquis talis ad extremum supplicium, meritoriè posset non fugere, cum pateret exitus liber per negligentiam custodum, & potest vltro subire & ex- C pectare sententiam quam scit à se meritam, & à iusto iudice fulminatam. Sed & videri posset non esse penitus improbabile hominem criminosum posse adiudicari vt seipsum per se muniret, quemadmodũ per alios iustissimè fit, siue per morté siue per famis inediam. Ex hac consideratione forensis & publicæ, iustitiæ rationabiliter colligitur iustificatio religionis carthusiensis immo & alterius austerioris. Cur enim non poterit aliquis peccatorũ suorũ & flagitiorum conscius quæ demeruerunt D mortem æternam, immo & temporalé si publicarentur, cur inquam non poterit talem regionem vitæ à suo iudice secreto cui confessus est, impositum tolerare aut consultum suscipere, quãquam multo minus præuideat se victurum & infirmitatibus fatigandum? Legatur Ioannes eremita montis Synai qui climacus dicitur, in illo gradu scalę mysticæ in quo de pœnitentia loquitur. Refert profectò stupenda & fortè magis admiranda quã imitanda super voluntario carcere quorundã Deũ placare sibi volentium. Ex horũ perspectione sedula liquet quam rationabilis sit pro peccatoribus E carthusiensibus in viuendo seueritas, immo & pro iustis quatenus Deo satisfaciant pro peccatis proprijs vel alienis tempore misericordiæ, ne seuerius puniat incomparabiliter ille purgatorius ignis aut gehenna. Tertiam rationem assignauimus charitatem erga proximum. Potest nimirum charitas fraternalis imitatrix esse Christi, qui peccata nostra ipse tulit, & languores nostros ipse portauit. Sic venerabilis & sanctus Paulinus Nolanæ vrbis epi- F scopus pro filio viduæ duram seruitutem barbarorum sponte subijt. Sic venerabilis Sanctulus pro diacono morituro semet præbuit mortis discrimini. Sic denique olim fieri & nunc in ecclesia prospicimus. Nam & ob hanc præcipuè rationé fuerunt religiones institutæ ad satisfaciendũ pro peccatis fundatorum, & generaliter omnium. Sunt nempe aliqui in statu plangentiũ sicut alij in statu actiuorum iuxta varietatem donorum & officiorum corporis Christi mystici, quæ distribuit spiritus sanctus prout vult. Si fas est (sicut fas est, immo merces magna, pro aliorum delictis satisfactionem in corpore proprio substinere, licebit vtique consequenter vitam in hoc exercitio breuiare. Laudatur imperatoris illius iustitia & charitas, qui pro filio viduæ ad excecationé amborũ oculorum adiudicato, oculi vnius ad saluationem in filio proprio, alterius oculorum suorũ iactura redemit. Collaudatur postremò illius amoris pax & vinculum insigne apud philosophos, vbi vterque amicorum vicissim pro altero concertabat occũbere. Simile de virgine quadã Antiochena & milite tractat Ambrosius declamatoriè. Cur ergo careant præconio ipsi carthusienses, cur non magis attollantur laudibus super eorum charitate, qui quãdoque à proprijs peccatis immunes & expurgati, nihilominus ferunt super se crimina aliorum in abstinentijs & infirmitatibus plurimis, & quodammodo animam suam pro alijs ponunt? Collaudandi profectò sunt obtrectatores eorum opprobrio digni, præsertim si ecclesiastici sunt. Nam quæ impietas est, eos illud in alijs inculpare quod suum deberet esse officiũ? exercere scilicet semetipsos in talibus abstinentijs, & si non omnino taliter, pro salute fidelium & diuina placatione promerenda & aduersis potestatibus debellandis. Nã arma clericorum sunt ieiunia, planctus & lachrymæ. Cæterum in quarta ratione posuimus euitationé scandali. Pro quo non dico mala valetudo, sed ipsa etiam mors subeunda nonnunquam est. Audiamus apostolum: Si esca inquit scandalizat fratrem meum non manducabo carnes in æternũ. Sit secundum hoc aliquis positus in vltima necessitate famis corã idololatris, nõ alijs cibis vesci permittunt eũ quã idolothytis, nũquid nõ subibit talis prius mortem famelicus quã comedat in scandalũ suę fidei apud idolatras aut apud fratres christianos simplices, si ex hoc esu pati scandalum probaliter formidetur? Puto insuper apostolum magis ad euitationem scandali pusillorum quam ad propriam corporis refrenationem aspexisse, cum dixit: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo. Cur hoc agis Paule? Ne inquit, cum alijs prædicauero, ipse reprobus inueniar. Nolo dicant auditores mei. Iste plenus ventre, de ieiunijs prædicat. Iste repleta bursa aut arca argento, auro & vestibus plurimis, frugalitatem nobis liberalitatemque & indumentorum parcitatem suadere conatur. Medicus est, curet primò seipsum. Videtis hic magistri & fratres, quam necessaria est amplior vitæ austeritas in prædicatoribus, in prælatis & curatis quam in alijs, & si non ob aliud, ob hoc tamen quia alioquin inefficax reddunt verbum suũ, aut oblocutiones à subditis suis patiuntur. Nec excusantur penitus, quamuis edomitam sentiant carnem suam, aut si obinde pati vitæ carnalis dispendium pertimescant. Traducamus nunc ad ré quæ tractatur, rationem huiusmodi. Sit aliquis carthusiensis vir probatus, in vltima ægritudine constitutus, à qua liberabitur si carnibus vtatur, & sciat hoc ipse seu per reuelationem seu per medicorum finalem attestationem, seu quia tale est suum dictamen conscientiæ. Animaduertat nihilominus quemadmodum verisimile est quod comestione sua fratres alij vel præsentes vel absentes ad quos fama volauerit scandalizabuntur, tũ quia insolitum est, tamen quia non sufficienter erunt informati de casu necessitatis suæ extremæ. Deni-

que quia tentabuntur vehementer ad exemplum illius assumere sibi carnis in cibos, etiam præter & extra necessitatem extremam. Formidabit proinde vir huiusmodi non absque ratione, ne rigor ordinis paulatim laxatus tandem funditus euanescat neque remedij locus habeatur. Quæ ratio? Quia nimirum semel lapsa religio (vt experti scripserunt) nunquam aut vix reparari potest, noua facilius à fundamentis conderetur. Possunt quemlibet super hoc certum reddere aliena facta multarum religionum, quæ ab initio summæ disciplinæ fuerunt, sed per licentias & laxationes primitus modicas, deinceps maiores, in hanc tantam effrenationem corruerunt vt nihil plus abstineant à secularibus, nulla in silentio, in ieiunijs, esu carnium & alijs disciplinis diuersitas inuenitur, in tantum quidem vt apud multos stupor sit, si cum professionis suæ & voti integritate & statu salutis tales viuere arbitrentur. Sed relinquens alios sibijpsis. Quarto si carthusiensis ille quem loquimur teneatur aut saltem iure possit in casu nostro abstinere à carnibus, dum talia piè recogitat, reuoluit & formidat? Æstimo planè neminem sanè intelligentium vnquam dubitaturũ quin hoc possit, & plures spero dicturos fore quod ad hoc pro scandali vitatione obligatur. Siquidem plus est anima proximi quam corpus proprium aut esca, quanto plus ergo æstimandæ sunt tot animæ præsẽtes & futuræ, immo tota carthusiẽsis religio, tota securitas, totaque disciplina. Vt quid probatus vir pro modicis vitæ diebus iam velit nolit perituris, tale religioni suæ discrimen afferret? Vt quid prętereà pro restauratione membri pereuntis & paulopost necessario deserturi, totum corpus mysticum in cæteris sanioribus membris detrimentum patiuntur? Quomodo dabit totum vitæ florem pro fratribus iste qui tanta cupiditate particulam ægram & marcidam cum eorum nocumento retinere conatur? Non est ad extremum fidus miles & strenuus ille qui plagas suas statim refoueri aut sanari quærit, cum totius sui exercitus deordinatione periculo vel strage. Puto certè gloriosus ille confessor Martinus non fecisset in hac re scrupulum, qui suadentes corpus in vltimo agone constitutum stramentis mollioribus confoueri, magna grauitate compescuit. Sinite inquiens, fratres sinite, ego si aliud exemplum vobis relinquo, peccaui.

Esto quod homo singulari voto perpetuæ alicuius abstinentiæ constrictus, soluere illud pro vltima necessitate deberet. Esto similiter, quod carthusiensis aliquis ad hoc teneretur, vbi sufficienter sibi constaret de nullo subsecuturo fratrum vel ordinis scandalo. Nihilominus quia rarissimè & quasi nunquam circunstantiæ tales pariter concurrunt apud carthusienses potuit cum omni rationabilitate ferri suum generaliter de nõ comedendo carnes statutum. Nouissimè sermonem abbreuiantes, tractemus simul postremas duas rationes, acquisitionem scilicet virtutum & extremum vitiorum, propter quas debilitare corpus & abbreuiare vitam plerumque fas est & aliquando necessitas.

Proposuit Salomon à vino abstrahere carnem suam vt animam suam transferret ad sapientiam. Daniel & cæteri prophetarum vt diuinis reuela-

A tionibus essent idonei, penè supra vires corpus sub abstinentia macerabant. Amplius tradunt in contemplationibus experti, non posse animam ab Ægypto tenebrosæ carnalitatis nisi per desertum fortis contritionis carnalis, corporalemque abstinentiam faciat non solum à superfluis, sed à multis etiam necessarijs. Ad hoc traduci potest etiam illud Grego. Nemo potest apprehendere quod supra ipsum est, si prius nescierit mactare quod est. Bernardus hoc in seipso & proprio corpore expleuerat, qui propter hoc in ægitudines perpetuas inciderat. Hanc esse causam opinor

B præcipuam, cur tanta est raritas tempore nostro eorum qui contemplationis arcem ascendant & illic stent. Exigitur quippe ad hoc sobrietas non illa tantummodo quæ seruat mandatum & peccatum eximit, sed multo asperior ab initio atque rigidior. Tribulationes itaque corporis dilatant animam ad superiora, & ad inferiora ne dilabatur, stringunt. Sic non inueniens anima vbi suæ affectionis pes dilatetur aut quiescat, quoniam inundauerunt aquæ tribulationis super terram sen-

C sualitatis regredi, compellitur cum columba ad interioris arcam quietis. Qui verò ieiunij talis atque tribulationum cæterarum asperitatem à se iugiter repulerit, mirabor si non expers erit eleuatæ contemplationis, & si non assiduè per ima serpet eius animus, contentus communi modo cognitionis aliorum, sicut à communi ritu viuendi vel ad tempus non semet abducit. Videtis ergo quantum seruit contemplationis virtuti in qua felicitatem philosophi posuerunt, ipsa victus asperi-

D tas. Porro quid aget fortitudinis virtus, quid zelus animarum, quid spes, quid fides & charitas, vel vt ipse in hominibus generentur, vel genitæ, conseruentur, augeantur, roborentur? Æstimo non magnipendent corporis iacturam dummodo per eam finis suus habeatur. Cæterum attende tibi quid debeas animę sanitati & curationi à vitijs, quando vt corpus redimas, ferrum patieris & ignem, inquit Naso. Dicerent aliqui sed non determino, quod pro euitatione doloris nimij aut deformitatis fas esset alicuius morbum

E membri incuratum relinquere, ex quo tamẽ morbo dimisso breuiaretur vita. Hæc abbreuiatio quanto rationabilius tolerabitur ad euitandos dolores non momentaneos, sed pro vitijs puniendis sempiternos. Addamus quod consuetudo naturam immutat vsque adeo vt venenum cibus esse possit. Multos iam audiui alterius religionis quibus in ægritudine vsus carnium conceditur, dicentes, abominationem eis fieri & nauseam si carnes gustent. Maluntque iugiter carere, tan-

F tum valet in eis consuetudo, quam philosophus alteram dicit esse naturam. Esto denique quod ex esu carnium proueniret in casibus prædictæ necessitatem prolongatio qualiscumque viuendi, quis nouit si deterior ex hoc postmodum ægritudo & lassitudo sequetur? Audi simile. Essent aliquando potiones quædam medicinales, vt pote laxatiuæ satis idoneæ pro præsenti statu patientis, dissuadent illas fidei medici, ne ex vsu talium pigra & segnis in futurum reddatur natura. Subinde credamus expertis. Asserentẽ itaque audiui vnũ de carthusiẽsibus virũ planè doctissimũ quod plures numero morerentur aut ægrotarẽt in eorũ religione

religione si carnibus vterentur. Causam addebat quod vigiliæ & solitudo & quies cæteraq; deuotionis huiusmodi exercitia, digestioné impediunt, & ita cruditatem quãdam in stomacho relinquũt. Addo aliam, quia vix aut rarò temperarentur, & sobriè inter hęc gulæ incitamenta versarentur. Nã cur ob aliud sapiens vnus medicorũ dixit plures occisos gula quam gladio? Quod si nullus diceret, tamen experientia loquẽte cognoscitur. Cur aliunde præterea religiosi & rurales à carnibus, immò & à vino & à cæteris gulæ blandientibus cibis longè factis senectam maiorem sæpius attingunt quam alij voluptuosè & opulentè talibus enutriti? Præponderant scio illæ quæ animam reficiunt causæ, quas diximus vt defendatur sobrietas, tamen ita loquendum fuit carnalibus qui carnalia præferunt. Ita eorum iniquitatem mentiri sibi docere debuimus qui abbreuiationem viuẽdi alijs abijciunt pro crimine, suam vitam frequẽtius ô Deus quanto indecentius, nequius & sordidius sua voracitate & ingluuie mactant, suffocant & necant. Quoniam in multis escis (iuxta sapientis verbum) multa est infirmitas. Et secundũ proprietatem Virgiliani verbi multos etiam viuos vinum somniumque sepeliuit. Postremò quid eradicatio vitiosarum libidinum in seipso feruentiũ fieri suadet, quando nonnulli (quia occasionem præstabat alijs luxuriæ sua pulchritudo) seipsos lacerabant in facie, aut cum suis periculis ingẽtibus exules aufugerunt? Vulgata est Ioseph historia, necnon Benedicti, Bernardi & similium. Repertus est mihi insuper vnus sanctorum patrum, qui vt elationem ex suis viribus consurgentem compesceret in anima, magnis à Deo precibus obtinuit vt dæmoniacæ passioni corpus subiaceret.

Eccl. 37.

Non euagemur vlterius in materia latissima de acquisitione virtutum & omissione vitiorũ, stringatur sermo ad virtutem vnicam castitatis, & quæstionem quæstione veluti clauum clauo retũdamus. Quæro ab aduersarijs, scilicet vouere liceat perpetuam castitatem. Non ita impudenter desipiunt vt hoc negent. Non negabunt insuper quin dabilis sit casus necessitatis extremæ, quo vel à tyranno aliquo, vel propter abundantiam obscœni illius humoris putrescentis (vt fieri potest) periclitabitur vita eius qui vouit castitatem, si nõ sumat ab opere carnali remedium. Peto ergo si talis non dico fornicari vel adulterari, sed matrimonialiter vxorem assumere & eã carnaliter cognoscere possit & debeat, quoniam hoc agendo diuturnius viueret, vt supponitur? Si respondeat quod votum castitatis impedit matrimonium cõtrahẽdum, etiam in illo casu necessitatis extremæ? Quæro primò vnde hoc habet vt cum votum illud humana tantummodo volũtate emissum fuerit, ac proinde præcepto illo diuino, non occides, quo pacto potest obuiare? Ita enim prius argutũ est in secunda conclusione. Rursus potest sibi à Papa concedi dispensatio contrahendi, qua dispẽsatione facta nunquid vxorari tenebitur pro licito vsu carnali saluatio vitæ suæ, aut si poterit subire mortem ne castitas sua virginalis aut vidualis depereat?

Si primum nobis donent, cur non ita dicere possumus quod non obstante causa necessitatis extremæ aut superioris auctoritate potest perpetuò voueri certa sobrietas sicut & castitas? Si verò dicant iuxta communiorem opinionem quod talis etiam non vouens possit licitè pati mortem pro conseruatione castitatis perpetuæ, quamuis hoc pati nequaquam obligetur. Vellem desiderare vt nobis darent diuersitatis rationem in castitate & sobrietate, quare non vtrobique erit similis huius diuini præcepti transgressio, non occides, nunquid talis perseueranter castus in casu nostro (ita seipsum perimere dicendus est interpretatiuè, quia ad vitam seruandã patet eidem licitus exitus per matrimonium, sicut de perseueranter abijciente carnes nobis opponunt? Diceret fortassis quod nulla est ponderatio digna continẽtis animę secundũ sapientem. Vinculum insuper matrimonij non temporale est sed perpetuũ, & multa secum fert incõmoda. Tribulationem (inquit Apostolus) habebunt huiusmodi. Nolo hic pertinaciter contendere, nec in alterutrã partem fixam ferre sententiam, nolo, quoniã quicquid dicatur, pro nobis est. Nam si mors pro castitatis virtute toleratur, vbi etiam sine delicto pateret euadendi libertas, fas est pro virtutis adeptione vel conseruatione vitam non solum abbreuiare sed etiã vltro perdere, quod hic probandum assumebamus. Si verò mors vsquequaque declinanda esset in casu necessitatis talis, & tamen votum castitatis non indiscretè factum fuit, quamquã talem casum non exemerit conuincit similitudo quod statutum de abstinentia à carnibus rationabiliter factũ vel latũ est, etiam si nulla sit exceptione per expressa verba vallatum, prout in secunda cõclusione dicebatur.

Obmutescant ergo obtrectatores quilibet contra sanctam Carthusiæ sobrietatem, quin potius venerentur ipsam tanquam imitratricem Ioannis Baptistę abstinentiam, secundũ præsentem lectionis nostræ textum, tanquam insuper sanctorũ patrũ repræsentans exẽpla atque vestigia. Acceptetur præterea tanquã satisfactoria pro suis alienisq; delictis ex magno iustitiæ atque charitatis zelo. Collaudetur etiã velut proficiens alijs exemplo & merito. Denique suscipiatur quasi generatiua virtutum tam moralium quam intellectualiũ, & vitiosarum cupidinum potenter repressiua.

Nunc ad medicos conuersus, obsecro & obtestor eos per salutem animæ suæ, quatenus artẽ suã quæ est de medendis corporibus, arti artiũ quæ est regimen animarũ nequaquam opere vel consilio dãnabili anteponãt sciant & obseruent, quoniã sicut animæ corpus ita medicinã theologiæ & morali scientiæ sicut architectonicæ subijci equũ est, seruire & ancillare. Ad nullã idcirco sanitatẽ corporis medicus aspirare debet modis aut remedijs, animæ saluti cõtrarijs, alioquin abutitur arte propria, & Deũ in se & in proximo grauiter offendit. Cautum ergo & virtuti consonũ dent suis ægrotantibus, præsertim religiosis consilium. Caueant ne dum sanare corpus alienum student, sauciant animam suã & alienam, aut ne Deo irato vtrũque corpus & anima pereat. Si altissimus è terra medicinã creauit, sicut affirmat sapiens, non impugnẽt quæso Deũ per donũ suum. Audiant medici eiusdẽ sapientis consilium, vt orent Deũ, vt prosperẽtur in manibus opera eorum. Sic enim secundum eiusdem pollicitationẽ, disciplina medici per quã se suáque artẽ Deo subijcit, exaltabit caput eius.

Ad nouissimum nolo putet me aliquis per dicta quæcunque præcedentia secludere velle discretionis virtutem in abstinentia vel seruanda vel assumenda, scio itaque & sic patres determinât quod ad deteriorem exitum, & cui minus est remedij, trahit abstinentia indiscreta quam edacitas immoderata. Hæc autem discretionis virtus nunquam melius quam in humilitate & obediêtia seruatur, dum videlicet proprius sensus deseritur & alieno prudentium & expertorû consilio promptè paret atque subijcitur. Hæc autem obediêtia discretionis mater vbi melius quam in religionû professoribus locum habet. Illic inuigilat superiorû exercitata discretio, vt suam vnicuique pro qualitate conditionis loci aut têporis abstinentiam limitet & mensuret, ne quod pro diuino officio sancitû est, tollat illud aut notabiliter impediat. Sciunt quod corporalis exercitatio ad modicû vtilis est, nisi pro quanto iuuat pietatê qui ad omnia valet.

Sed postulabit à me forsan aliquis minus instructus, quid potissimum in abstinentia ne immoderata sit, prudens rector attendit? Respôdeo quod non labores, nô vexationes, nô proinde abbreuiationem istam vitæ corporalis tantûdem côsiderat, quantû ne sensus efficiantur hebetes ac stolidi per excessiuam in ieiunio aut fletu abundantiam, & vt non ex consequenti rationis iudicium euertatur, sensibus etenim vehementer læsis læditur exinde rationis vsus propter connexionem mutuam pro statu præsenti sensus ad intellectum. Sic côcedo quamtuslibet abstinentiæ rigor, dummodo sana & integra sensuum voracitas & iudicium rationis imperturbatum maneat, salua erunt omnia. At verò si contra hâc sensuum & rationis integritatem aliquis superior à subditis extorquet abstinentiam, etiam in die veneris sancta, & si non pro impari potentia tolerandi (quoniam non omnia possumus omnes) ille dissimiliter onera abstinêdi diuidat singulis prout opus habent. Affirmo quod iam non discretor sed destructor, non tutor sed tortor habendus est, & tanquam perniciosa pestis declinandus. Nam quid fit in subito læsa semel ratione ex sensuum perturbatione? Redditur siquidem hebes, asper, attonitus & intractabilis velut animal brutum, nec iam rationis vsu ducitur, sed furoris & insipientiæ cuiusdam bestialis impetu circumagitatur & raptatur. Ruit postremò in hanc desperatæ perditionis foueam, vt sibi sapiens videatur qui stolidus est, se ducem esse vult qui cœcus est, & qui proprij inops est & salubris côsilij, alieno prorsus obedire recusat. Cur ita? quia iam ambulat in magnis & mirabilibus super se. Iámque reuelationibus insolitis & miraculis faciendis se cogitat idoneum. Iam somnia, iam phantasias omnes portentuosas pro visionibus authêticis acceptat. Iam denique nisi misereatur ex alto Deus, proximus est corruere è monte illo ad quem Angelus ascendit, & descendit diabolus. Videtis quam necessaria sit in rectoribus pia discretio & discreta pietas, quæ subditos velut citharæ chordas, nec mollescere nimis sinat, nec lentescere per desidiam, nec supra modum tendat ne rumpantur per stoliditatem & insipientiâ. Opus profectò plenum difficultatis, plenum periculi & multæ vigiliæ, sed meriti grandis & laudis excelsæ, nec deerit piè postulantibus vnctio spiritus quæ docet de omnibus. Ex his ad extremum perpendere fas est, quam periculosa sit indiscretis solitudo, quia cum ceciderint non habêt subleuantem. Secus in religionibus bene institutis reperitur.

Hæc habui quæ dicerem super quæstione proposita de nô esu carnium, quamquam breuitatis amor quædam intacta, & quædâ impertractata deserere compulerit. Hæc est laudabilis & ab indiscretione libera sanctorû patrum abstinentia, quâ & si peccator & secularis imitari non valeo, aut non satis volo, veneror tamen in alijs, admiror & colo, venerandâ insuper colendámque libens denuncio & libera voce defendo. Spero equidê ex hac pia sedulitate fructum orationû suarum mihi profuturum apud illum qui iussit ne grauarentur corda nostra in crapula & ebrietate, Dominum nostrum Iesum Christum qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

FINIS.

QVÆDAM PROPOSITIONES EXCERPTÆ DE LECTIONE CANcellarij Parisiensis. *Anno domini 1410. apud sanctum Victorem, occasione cuiusdam dubitationis in facto vnius militis Carthusiensis.*


CONVERTAMVS nunc sermonem ad decisionem prædictæ dubitationis literalis de vellicatione spicarû alienarû per discipulos Christi, an scilicet illic furti vera ratio, & ex consequenti ad restitutionê fuerit obligatio. Introducitur hæc dubitatio quia literalis est. Et vt inquisitionibus aliquibus nouiter factis fiat aliqua satisfactio de obligatis ex furto vel mutuo, si per religionis ingressum sint immunes à soluendo. Supponamus in primo descriptionem furti. Furtum est contrectatio rei alienæ inuito Domino. Hæc est succincta & generalis furti descriptio. Cuius declaratio patere poterit ex corollarijs sequentibus. Supponendo ꝙ dominium rerum est duplex, vnum diuinû, aliud humanum. Humanum est duplex, naturale & ciuilè seu politicum. De primo scriptû est de Deo, Dominus vniuersorum tu es. De altero dicit Apostolus quod omnia nostra sunt. Et Christus: Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. De tertio scribunt ipsæ leges ciuiles & canonicæ, sicut etiâ scriptura sacra sæpè commemorat. Primum fundatur in titulo creationis & gubernationis rerum. Secundû in titulo charitatis & iustitiæ. Tertium in regulis legis ciuilis & canonicæ post peccatum.

Dicamus ergo veluti corollaria declaratione & declaratiua consecutione, quod Deo approbante vel iubente detentionem vel côtrectationem cuiuscunque rei, nullum committitur furtum ab eo qui talem se habere scit approbationem. Sic excusantur filij Israël à furto dum spoliauerunt Ægyptios. Et intelligitur dum talis vtitur & mouetur in hac spoliatione authoritate legis diuinæ, non propria libidine rapiendi.

Dicamus vltra quod in abusu cuiuscunque rei côtra legê Dei cômittitur aliquo modo furtû, quia fit quædâ contrectatio rei alienæ quæ. s. est ipsius Dei,

Dei, inuito eo, id est, contradicente & vetante. Sequitur quod quilibet iustus potest vti re qualibet sine furto, & hoc vtendo secundum leges ipsius charitatis, quia secundum eam est Dominus omniũ omnia possides, &c. Da oppositum iam fieret extra charitatẽ, in cuius titulo fundatur hoc dominium. Sequitur quod omnis peccator qui abutitur creatura, dici potest fur contra quemlibet iustum, quia abutitur re iustorum ipsis nolentibus hunc abusum. Sequitur quod vtens re quæ à nullo pro tunc possessa est, ciuiliter non est ex eo fur censendus, quia quod nullius est, occupanti conceditur. Sequitur quod vtens re quã quilibet habet pro derelicta vel tanquam pro derelicta, secundum interpretationem iuris non est dicendus fur. Et hic fundatur rationabilitas præscriptionis & iusta detentio rei quæ prius fuit aliena. Iusta inquam, nedum in foro contentioso, sed conscientiæ. Sequitur quod vtens re aliqua in casu necessitatis extremæ, non est censendus fur, quia non fit hæc contrectatio inuito Domino secundum iuris diuini & naturalis, immò & ciuilis interpretationẽ. Concedunt enim in casu necessitatis omnia esse cõmunia, prout in textu præsenti sufficiẽter fundatũ est. Sequitur quod vtens re modici precij quæ quasi pro nullo reputatur, non debet censeri fur, quia nõ iudicatur quod Dominus hoc nõ velit, aut nõ vellet si hoc sciret. Attenditur autem modicitas precij secundũ personarum & rerum temporũ & aliarum circũstantiarum qualitatem, aut secundũ iuris aut dictaminis rectæ rationis interpretationem, quia quod vni parũ esset, alteri multũ reputatur. Sequitur quod Apostoli nõ cõmittebant furtũ in vellicatione spicarũ, quia res modici precij erat, eos insuper excusabat necessitas, deniq; Domino sciente & volẽte hoc fiebat, nam Dominus omniũ ipse est Christus. Sequitur quod detẽtor rei alienæ, dum nõ habet rem in sua potestate vt illã restituat, sed vel vi alterius vel aliũde factus est impotens, ille nõ dicitur tunc detinere inuito Domino. Ius enim interpretatur quod Dñs non debet velle obligare tunc istũ ad impossibile pro tempore quo est sic impossibilitas, quia nec Deus sic obligat ad impossibile, legi autẽ diuinæ debẽt cæteræ cõformari. Et hic fundatur quomodo potest absolui in foro cõscientiæ quis obligatus ex furto, absque hoc quod statim restituat dum tamẽ habeat propositũ de restituendo tẽpore & loco, iuxta ꝙ aderit facultas, in toto vel in parte. Sequitur quod detentor rei alienæ si non restituat illam dum restitutio cederet in præiudiciũ & damnum manifestum creditoris, nõ est fur appellandus, vt si nõ reddat gladium furioso. Nã restitutio quæ pro charitate instituta est, contra charitatem militare nõ debet. Sequitur quod detinens rem alienam, detinet eam inuito Domino secundũ iuris naturalis & ciuilis interpretationẽ, dum habet sufficienter vnde statim reddat, differt nihilominus restitutionem in præiudicium vel in damnũ eius cuius debitor est. Patet, quia alteri facit quod non vellet rationabiliter sibi fieri. Item quia aliter periret illa quæ maximè seruanda præferendáque est ciuilis cõmunicatio, si pateret via defraudandi creditores, & si non redderetur in casu tali vnicuique quod suum est, & hoc in toto vel in parte. Hæc autem est fundamentalis ratio

A quare doctores & leges ponunt quod seruus & obligatus ratiocinijs publicis non possunt liberè profiteri, & hæc eadem in casu nostro se ostendit, nec valet allegatio de diminutione status sui, quia iam non esset status conseruatio, sed destitutio & destructio, si ex bonis alienis fulciri quæreretur. Sequitur quod sicut fama quæ est vita quædam ciuilis, non potest sufficienter pecunia mensurari, quia sunt diuersorum generum. Et sapiens bonũ nomen plus amat quam thesaurũ, sic iniusta ablatio famæ non propriè continetur sub furto sed

B excedit ipsum. Hoc contra detractores Deo odibiles, & contra sparsores libellorum diffamatoriorum. Sic inferri posset de auferente vitam liberi hominis vel vxorem alterius, & ita de reliquis, propter quod furtum propriè non dicitur de illis, sed de re quæ in possessionem cedere solita est. Sequitur quod obligatus alteri ratione furti vel ratione pecuniæ mutuatæ non potest rationabiliter se reddere scienter & sponte impotẽtem ad satisfaciendũ vel soluendum. Patet, quia aliter peccaret cõtra legem tam naturalem quam

C diuinam & humanam, de restitutione ablatorum vel debitorum solutione, & de reddendo vnicuique quod suum est, & de non faciẽdo alteri quod sibi nollet fieri. Nec valet hic allegatio quod ad frugem melioris & altioris vitæ vult progredi, quoniã non sunt facienda mala vt bona eueniant, nec aliquis ditandus est cum iactura aliena.

Sequitur quod obligatus prædicto modo non vouet licitè aliquid absolutè vnde reddatur perpetuò impotens satisfacere, non habita licentia

D vel consensu illius cui manet obligatus, vel nisi aliunde pateat probabiliter modus ad satisfaciendum, potest tamen vouere sub conditione vt quantũ in se fuerit, aut alio tali modo. Patet quia reputaretur hoc sibi vel in fraudem vel in dolũ, quemadmodum de seruis expressè leges conditæ sunt. Secus vbi nescienter & quadam bona fide cognosceretur votum emittere, quod tunc apparebit dum ad insinuationem mali protinus resipiceret.

Sequitur quod obligatus vt dictũ est nõ est ad-

E mittendus ad professionem faciendam in aliqua religione, nisi religio per se vel alios se obliget ad satisfaciendum pro sic profitente. Et ita rationabilis est & stabili iure tam diuino quam naturali & humano fundata cõsuetudo, quæ petit à profiteri volentibus si liberi sint & à debitis absoluti. Contra quam institutionem si professio quæratur fieri per fraudem vel donum profitentis, religio manet libera, vt posterius eundem abijciat. Si autẽ religio sic ipsum obligatum prece vel pre-

F cio sciẽter admiserit, videtur ad solutionem obligata iuris interpretatione, & si facultas suppetat, ad hoc compellenda, præsertim si quicquam à profitente susceperit. Sequitur quod taliter obligatus si voueat absolutè vel profiteatur religionẽ, ipse non ducitur lege Spiritus-sancti, sicut videtur dicere Raymundus & sui sequaces. Nec est in hoc minor ratio, immò fortè maior de obligato ad personam singularem quam de eo qui Reipublicæ ligatus est. Patet, quia Spiritus-sanctus non instigat ad peccatum & ad furtum, & ad agendum contra præcepta decalogi vel legis naturalis, vnde & talis professio esset oblatio Deo de furto

vel rapina, & de substantia pauperis, quasi qui victimat filium ante patrem. Et alibi. Væ qui ædificatis Sion in sanguinibus. Verum est quod obligatus reipublicæ vel ratione vsurarum vel aliunde, potest in casu à gerente officium reipublicæ absolui vel licentiari, sicut potest fieri de obligato sub incerto, vbi restitutio vaga quæ in pios vsus habet fieri, sola requiritur. Et hic fortassis fuit intellectus aliquorum qui oppositum ad ea quæ dicimus, visi sunt posuisse.

Sequitur quod obligatus modo dicto vouens intrare religionem debet differre voti executionem, quousque creditoribus satisfecerit. Patet, quia alias impletio voti vergeret tunc in deteriorem exitum, sicut dicunt doctores de habente patrem in necessitate constitutum, cui prius tenetur prouidere de necessarijs quam votum religionis vel emittat vel emissum adimpleat.

Sequitur quod obligatus modo dicto plus impeditur stante tali obligatione religionem intrare quam obligatus alteri voto vel iuramento. Patet, quia si quis iurasset sponte dare alteri centum florenos & vellet intrare religionem, posset hoc facere non soluendo centum florenos, quia mutaret iuramentum vel votum in melius. Secus est vbi consurgeret obligatio aliunde ex furto vel pecunia mutuata. Et secundum hoc fortè possunt concordari doctores aliqui qui videntur contrariari in hac materia, specialiter sanctus Thom. secunda secundæ quæst. vlti. Sequitur quod obligatus ratione furti vel commodati, si non habeat vnde redderet de bonis, tenetur per industriã aut laborem suum si potest acquirere vnde satisfactionem possit implere, etiam vbi viuendum esset in statu lõgè inferiori quam status religionis existat. Non enim omnium est volare ad alta montana consiliorum, impeditis hac vel illa occasione alis ad hoc requisitis. Alioquin cur non similiter poterit seruus ratiocinijs publicis obligatus religionẽ libere profiteri, vel ad sacros ordines promoueri, quod tamen omnes negant, ego non satis intelligo dissimilitudinis rationẽ. Sequitur quod si neque de bonis suis, neque de industria sua poterit iste sic obligatus vnquam satisfacere vel in toto vel in parte, & hoc probabiliter appareat, ipse potest auctoritate vel de licentia iudicis publici religionem intrare. Patet, quia potest cedere bonis suis eadem auctoritate, quoniam inanis esset actio quam inopia debitorũ excludit. Et hoc intelligendum adhuc videtur vbi persona est libera, & vbi non currit lex vel consuetudo quod nõ habentes vnde soluant, luant in corpore. Quemadmodum habemus in illa muliere cuius duos filios creditor rapuerat ad vendendum pro satisfaciendo sibi. Et sic fortè accipitur illud sapientis. Qui fœneratur mutuũ, seruus est fœnerãtis. Obligatur enim talis ad laborandum etiam personaliter, vt pateat sibi facultas ad soluendum. Nec debet sibi fingere leuiter quod in laborando patiatur detrimentum salutis animæ suæ. Nam in religione forsitan ex obedientia magis habebit circa publica & malè allicienda laborem exercere. Similiter nec valet allegatio quod liber est, & quod persona liberi hominis non potest pecunia compensari, quoniam talis in casu sic se seruum fecit quod non solum potest in carcerem trudi, sed vita priuari, sicut suspendia docent furtum. Rursum

A notetur historia viduæ quæ venit ad Helizeũ dicẽs: Ecce creditor venit vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi. 4. Reg. 4.

Sequitur quod sic obligatus (vt dictum est) si faciat aliquid vnde renunciet bonis suæ successionis, aut si distribuat bona vnde pauper & inhabilis perpetuò absoluendum remaneat, facit quidẽ stultè & iniustè apud Deum & secundum conscientiam, nihilominus apud forum publicũ poterit hæc renunciatio seu distributio quandoque

B valida reputari, quia nec fertur iudicium tale nisi de manifestis, nec improbantur illic ea quæ non possunt de fraude seu dolo conuinci. Et hic est laqueus valde magnus, si talis non inuenerit homines esse bonæ fidei illos quibus bona sua credendo vel donando dereliquit. Postulat tamen æquitas communis & bona fides publica, vt talis apud iudices releuationem aliquam super hac querela si ad eos deducta fuerit inueniat. Prima, quia talis non erat vsquequaque liber, vt faceret de re sua quod volebat, cum maneret obligatus ratio-

C ne furti vel mutui. Deinde talis si processionem attentauerit facere, non eo ipso perdidit ius succedendi ad hæreditatem iure propinquitatis euenientem, cum professio nulla fuerit ipso iure, pręsertim reclamante & contradicente rationabili consuetudine religionis sibi notificata & expressa, & ex consequenti deficiente consensu mutuo religiosorum, quem ad hoc requiri nemo dubitauerit.

Sequitur quod si obligatus hoc modo religio-

D nem vouet vt fraudet creditores suos, facit quidem stultè & iniustè. Videtur nihilominus eidem consulendum quod vota religionis quantum poterit, etiam foris manens impleat, laborando apud creditores & alios quod liber fiat mundo, ac deinde subijciat collum suum Christi iugo. Prima pars nunc deducta est, & patet aliunde perspicua ratione, quoniam tota vna religio non debet minori gaudere priuilegio, quam aliquis ad religionem illam admittendus, sed religio illa manet semper obligata ad solutionem

E debitorum quæ contraxit, nec excusat eum perfectio vitæ iam professæ: ergo nec alium excusabit perfectio vitæ profitendæ. Adde quod olim fuit error condemnatus Parisijs vnius dicentis quod pro sustentatione vnius pueri habilis ad literas sacras, licebat spoliare diuites abutentes diuitijs, & dari tali pro spe proficiendi in Republica.

Vide autem si non proximus sit error dicentiũ quod licitum est non soluere creditoribus debita

F ratione furti vel mutui, quatenus homo transferat se ad vitam altiorem. Hoc enim quid aliud est quam creditores rebus suis spoliare?

Si autem dixerit aliquis, nónne talis intrando religionem cedit bonis suis omnibus & ita satisfacit? Aduertat qui hoc dicit quid est cedere bonis, & sub qua recipitur qualificatione apud iudices. Iurat enim cedens bonis suis quod si venerit aut venire potuerit ad pinguiorem fortunam, soluet in toto vel in parte, ita quod quicquid lucrari vel habere deinceps potuerit, sit acquisitum suo creditori, quod si sponte se reddat impotentem, videre facile est quod peierat.

Talis

Talis sic obligatus si professus est religionem quantum in se fuit & hoc de consensu vxoris si fuerit vxoratus, remanet obligatus ad votum castitatis, remanet etiam obligatus modo dicto vt votum studeat ad effectum rationabiliter deducere, & interim viuat sub regulis illius quam profiteri credidit religionis, quantum circumstantiæ rerum permittere videbuntur. Æquũ est præterea vt creditores præsertim non egentes reddant se beneuolos exorabiles ad impletionem voti sui debitoris, & rependat Deus vicem.

Finit anno 1410. crastino annunciationis Mariæ.

ADHVC EIVSDEM SVPER EODEM.

PRÆSVPPOSITIS veritatibus 12. propositionum præcedentium scilicet 10. & 12. & aliarum decem sequentiũ. Præsupposito insuper casu prout ponitur per fratres Carthusienses cuius initium est: Quidam Ioannes olim miles secularis. Et finitur, licet de ingressu quidam dissentiant. Dico ego Ioannes Cancellarius Parisiensis indignus, ea quę sentio de hoc casu & de septem dubijs super ipso formatis.

Scandalosè, infideliter & peruersè agunt qui circa hanc materiam scienter variant & corrumpunt, malè narrando casus veritatem dum à doctoribus responsiones vel opiniones inquirunt. Patet, quia imponunt maculam in gloria doctorũ quantum in eis est, & tam seipsos quam alios in errorem ducunt. Hoc præmisi, quia vidi quædam scripta nomini meo ascripta quæ truncatè recitata erant ponendo partem vnam dimittendo alteram. Vidi insuper dicta quorundam magistrorũ mihi notorum, quæ nunquam fuissent ab eis posita, si casus fuisset eis taliter qualiter mihi præsentatus. Præsertim in hoc quod dicunt illum militem posse repetere cõiugem suam, nec in aliquo teneri ad religionis obseruationem in toto vel in parte. Legi denique scripta quorundam quæ videntur ideo prætermissa, quia sonabant aliter quã inquirens affectabat. Ioannes miles non videtur sufficienter satisfecisse Deo & iustitiæ, dum resignãdo hæreditatem suam in manu fratris, non fecit petito prius assensu suorum creditorum, vel saltem de auctoritate illorum superiorum, vt Papæ vel alterius, qui translationem poterant validare. Hoc dictum satis innuitur esse verum ex verbis ipsius dubij, dum dicitur quod minus cautè & minus cõsultè, &c. Et videtur esse contrarietas quo mox additur, modo tamen meliori quo nouit. Poterat enim modum inuenire, immò modos meliores, vt vendendo totam hæreditatem & statim soluẽdo, vel quod de consensu creditorum fecisset dictam translationem, vel quod de auctoritate Papæ aut principis qui erga creditores habuissent fortè auctoritatem compellendi eos consentire bonæ æquitati, vbi proteruè agere voluissent aut aliquo tali modo. Et notetur vicesima-secunda propositio. Notentur etiam iura positiua de translationibus. Fratres Carthusienses (cũ reuerentia loquendo) non videntur se habuisse satis

A cautè & diligenter, dum ante professionem vel receptionem Ioannis militis non interrogauerũt creditores suos, & de trãslatione prædicta an esset valida, nõ informati sunt. Notetur decima-sexta propositio. Attento eo quod dicunt iura ignorantiam, scilicet latam aut crassam reputari in dolum vel fraudẽ, videtur quod iudex in foro exteriori reputabit prædictos fratres & Ioannem militem cum fraude & dolo processisse, nisi sufficienter fuerit informatus & circũstantijs certis de simplicitate & bona fide prædictorum, vt quod poterant rationabiliter & debeant nescire modum alterum se habendi circa prædicta. Notetur eadem

B propositio decima-sexta. Addito illo quod statuũt leges & consuetudines laudabiles religionũ de modis examinandi aliquos si serui sunt, &c. Et quomodo post annũ vel terminum Dominus potest repetere seruum, etiã vbi visus est professionẽ emisisse fortè vna fide quoad fori exterioris iudicium. Et per hæc tria dicta videtur esse sufficienter responsum ad primum dubium secundum duplex iudiciũ scilicet fori. Patet enim quod ex cir-

C cunstantijs responsio trahenda est tam apud Deũ quam apud homines. Attendatur præcipuè si creditores qui modo conqueruntur, fuerunt negligentes ab initio de contradicendo dictæ cessioni vel professioni, vel si diligentes inuenti sunt. Staret in casu quod ingressus fuisset licitus, & professio sequens nulla esset, immò inualida & cassanda. Exemplum satis trahitur ex præcedẽtibus, vbi quis probabiliter crederet quod Dominus suus cuius est seruus, vel creditores omnes essent

D mortui, aut crederet probabiliter quod placeret eis suus ingressus, licet falleretur, vel vbi aliqua tali ignorantia probabili laboraret per testificationem aliorum aut aliunde. Qua ignorantia sic stante religionem ingrederetur, patet istud in casu hoc. Examinetur ergo Ioannes miles cum fratribus Carthusiensibus super ignorãtia sua modo dicto.

Si fratres Carthusienses poterant & volebant in omnem euentum satisfacere pro Ioanne milite tunc manent obligati, nec est facta fraus credito-

E ribus, & ita professio valet. Si autem nec poterant nec volebant satisfacere, nec consentiebant receptioni Ioannis militis, nisi sub conditione implicita, nec explicita quod esset liber à debitis, tunc professio non ligat fratres quin militem possint & poterint expellere. Sed miles manet obligatus ad vota religionis quandocunque & quomodocunque potuerit illa complere, quia fecit quod in se est de vouendo. Exemplum de seruo qui post reductionem eius à professione emissa ad Domi-

F num suum tenetur si fiat liber, votum complere, immò etiam stãte seruitute eius, tenetur ad ea quæ potest seruare de votis religionis, vt castè viuere & alia facere per quæ non læditur vel tollitur debitum Domino seruitium.

Notetur vicesima-quarta propositio. Notetur hic distinctio quod votorũ aliquod est quod obseruatum nunquam vergit in deteriorem exitum, & illud semper est tenendum. Aliud quod obseruatum quandoque vergeret in deteriorem exitũ, & pro tunc non obseruandum est, sed pro alio tẽpore nõ vergeret in deteriorem exitũ sua obseruatio, & tũc ligat. Et secundũ hoc patet quomodo

votum serui obligat, & quomodo non. Et ita de milite hæc dubitatio ablata est à dictis meis alias circa materiam hanc quantum vidi per copiam.

Si reperiatur per sufficientem examinationem quod fratres Carthusienses receperũt & detinuerunt dictum Ioannem militem in fraudem creditorum, ipsi & eorum monasterium censendi sunt obligati ad satisfaciendum creditoribus quantum possunt. Notetur propositio 16. Et secũdum hoc facile est videre quomodo dictus Ioannes nõ potest edere carnes, nec vxorem repetere, &c. Notetur modus dispensationis quam aduersarij prætẽdunt habuisse qualiter in fine vult ꝙ redeat obligatus, &c. Stante casu nostro videtur quod nulla spes sit in Ioanne milite ad satisfaciendum creditoribus, nisi in prætendendo ius successionis ad causam vxoris. Et cum successionem illam possit æquè petere conuersando in monasterio Carthusiensium, per procuratores idoneos & implorationem auxilij superioris sicut extra consulendũ sibi videtur quod maneat & viuat conuersando monasticè in claustro suo pro salute animæ suæ, scandala religionis suæ & aliorum necnon occasiones peccatorũ contra vota sua cautè declinando, alioquin videat ne amans periculum pereat in illo. Vtrum verò ipse Ioannes miles sit nũc habilis ad succedendum vel vxor sua, quia nihil hic inquiritur, nihil hic respondeo. Notetur 22. propositio super hac re.

SEQVITVR SCEDVLA SVPER EADEM MATERIA.

Vniversis præsentes literas inspecturis Ioannes de bello monte, rector Vniuersitatis, magistrorum & scholarium Parisijs studentium, salutem in Domino sempiternam. Notũ facimus quod anno Domini 1410. 28. die Maij, præsentata est nobis ex parte Domini Cancellarij Ecclesiæ Parisiẽsis scedula quædam papirea continens casum quẽdam cum respõsionibus & declarationibus super dicto casu per eundem cancellarium & alios infra scriptos sacræ Theologiæ dictæ Vniuersitatis professores cum subscriptionibus eorundem/per eorum manus proprias. Cuius quidem scedulæ & subscriptionum tenor sequitur in hæc verba. Quidam olim miles secularis multis obligatus debitis, post cessionem omnium bonorum suorum quam fecit in præsentia Domini sui ac principis terræ, à resignando in manus fratris sui germani ad opus & vsus creditorum suorum, ipsis licet ignorantibus, sic quod accepta à præfato fratre suo cautione promissi sub sigillo præfati principis & sui, quod de præfatis bonis soluere deberet, & satisfacere creditoribus eius, videlicet militis quondam præfati, ipse & coniunx eius abstractioris (vt asseruit) vitæ desiderio, pari se voto licentiantes religionem petierunt. Hæc in monasterio sanctimonialium vbi recepta & solemniter professa per nouem ferè annos hactenus mansit. Ipse quoque in monasterio Carthusiensium vbi secundum formam statutorum ordinis Carthusiensis, & in hæc verba interrogatus. Si liber es, si absolutus, si absq. incurabili morbo, si denique de querelis satisfecisti? Respondit ad singula sigillatim quod sic. Sed adiuncto ad vltimam interrogationem modo satisfactionis, vt præmissum est supra, videlicet via cessionis præfatæ. Ad quod prior monasterij respondit in hæc verba: Scias quod si aliquid horum de quibus interrogatus es celaueris, poteris etiam post professionem expelli. Post hæc secũdum formã ordinis & statutorum præfatorum tanquã nudus & pauper susceptus, & solenniter professus est, minimè reclamantibus creditoribus suis, quibus pro tunc vel interim non fuerat satisfactũ, & hinc per septẽ ferè annos in monasterio perseuerauit. Interea contingit fratrem præfati quondam militis infortunium quoddã incidere, vt videlicet ab hostibus suis caperetur, vnde impotens videbatur factus ad exequendum quod promiserat de satisfactione pro fratre suo milite præfato. Post hæc autẽ mortuus est socer ipsius quondam militis, pater videlicet olim vxoris suæ. Vnde persuadentibus quibusdam consanguineis eius ac propinquis occasione, vt eis videbatur, aliquali iam habita, tanquam iure propinquitatis ac legitimæ successionis ex parte vxoris suæ quondam præfati, monasterium suum contra prohibitionem prioris sui ad petendum bona quondam soceri sui defuncti vt inde solueret debita sua, exiuit, & ad seculum reuersus habitum suum dimisit, carnes comedit, & vota professionis suæ multipliciter violauit. Et notãdum quod in patria illa scilicet in terra Hollandiæ, Gelriæ & Brabantiæ religiosi tales succedunt parentibus vel monasteria pro eis.

Sequitur in scedula memorata. Præsuppósita veritate casus sicut præmissum est quem casum sub alijs terminis quidam alias apud multos de Vniuersitate Parisiensi variauerunt, dum eorum opiniones inquirerent, propter quod non est mirandum si tunc vno modo quidam responderũt, & nunc aliam dant responsionem, quia eiectis interim allegationibus dicuntur ea quæ sequuntur, & quæ vera reputamus doctores infra scripti.

Primò quòd miles olim de quo fit sermo, inconsultè satis religionem ingressus & incautè receptus est. Ex hoc præsertim, quia cessio bonorũ suorum fuit incauta neque sufficiens pro liberatione sua à manu creditorum suorum, licet debuissent citius reclamasse.


Secundò quod professio quam solenniter fecit, non obstante quod inconsultè ingressus & incautè susceptus sit, ligat eum de iure tam positiuo quã diuino ad vota religionis. Tertiò quod neuter coniugum præfatorum potest alterũ post diuortium ex mutuo consensu & approbatione ordinarij celebratũ, ac post professionem desuper solenniter factam repetere. Quartò quod sicut neuter potest alterum repetere post diuortium ac professionem, sic nec bona quæ alteri eorum siue monasterio ex parte personę interim acquisita sũt seu acquiri contigerit in futurũ, debent alteri seu monasterio eius tanquam alterius coniugis cohæredi deseruire. Quintò quod præfatus olim miles nimis inconsultè & inordinatè & illicitè sic à monasterio suo recessit, peiusque ac periculosius reiecto habitu suo foris remanet, & quod de necessitate salutis omni tergiuersatione postposita quam totius reuerti tenetur ad monasterium, & sumpto

& sumpto habitu sub disciplina quam professus est, degere regulari. Attento præcipuè quod manendo extra monasterium non est idem miles habilior ad soluẽdum, immo minus quam intra manendo. Sextò & vltimò quod attentis præmissis professio olim militis præfati quam fecit in religione, non obuiat directè & de per se obligationi priori, qua ante creditoribus extitit obligatus, & per consequens manet eis obligatus vt ante. Sic quod si ipse tempore receptionis suæ ad ordinem aliquid secum apportauerit, aut interim aut in futurum monasterium præfatum de bonis eius perceperit, pro tanto saltem semper tenebitur satisfacere creditoribus monachi sui, donec plenariè eis fuerit satisfactum. Sequitur in scedula. Sic sentio ego Ioannes de Gersono Cancellarius Parisiensis indignus, in cuius testimonium me subscripsi in præsenti scedula propria manu. Attentis etiam additionibus circa prædicta quas eadem manu mea scripsi anno Domini 1410. 21. Maij. Ego Petrus de Byerreio magister in Theologia, cõformiter ad dominũ Cancellarium in hac materia sentio, in cuius rei testimonium me hic subscripsi. Ego Iordanus Morini magister in Theologia, conformiter ad dominum Cancellarium in hac materia sentio, in cuius rei testimonium me hic subscripsi. Ego Ioannes Dachori magister in Theologia, conformiter ad dominum Cancellarium in hac materia sentio, in cuius rei testimonium me hic subscripsi. Mihi fratri Gilberto de Bunula sacræ Theologiæ immeritò professori, videtur quod dictus miles verè sit professus, nec potest vxorem repetere, quin immo cogendus redire ad monasterium, & ibidem viuere sub disciplina regulari. In cuius signum hic me manu propria scripsi. Ego magister Guillelmus de Xanctis sacræ paginæ professor, fateor per præsentes quod dictus miles de quo casus supra ponitur, verè & realiter est professus, & obligatur ad obseruantiam regularem sui ordinis, & censendus est religiosus, nec potest amplius repetere vxorem licitè si quæ tamen debita ante ingressum religionis dictus miles vel eius vxor contraxerit, dico quod si sit possibilitas soluendi, ipse vel ipsa tenentur vel manualiter laborando in monasterio vel ex hæreditate paterna quæ alicui eorum possit succedere per mortem alicuius parentum soluere prædictorum. Super hac materia plura possint allegari, sed dimitto causa breuitatis. In cuius rei testimoniũ hanc determinationem propria manu scripsi. Ego Petrus Baardi doctor in Theologia, conformiter ad dominum Cancellarium & ad alios magistros in Theologia, qui in hac materia deliberauerunt, idem omnino ego sentio. Ego frater Stephanus sacrę Theologiæ professor, ac minister sancti Maturini Parisiensis, ordinis sanctæ Trinitatis & redemptionis captiuorum, conformiter cum opinione magistri Ioannis de Gersono Cancellarij Ecclesiæ Parisiensis delibero, in cuius rei testimonium signum meum manuale hic apposui. Anno 1410. Ego Petrus de Nogento magister in Theologia, sentio debitum & salubrè vt miles olim professus redeat ad religionem sub obseruantia regulari, manens nihilominus creditoribus vt præmittitur vel conuentus pro eo, hæc propria manu. Ego Petrus de

Arreth magister in Theologia, conformiter ad dominum Cancellarium præfatum in hac materia sentio, stante veritate casus eo modo quo positus est in folio præcedenti, vna cum quibusdam circunstantijs mihi per fide dignos oretenus expressis, vtpote quod cessio bonorum, ingressus religionis amborum coniugum, & diuturna eorum mansio in præfatis religionibus non latebant creditores, sed eis nota erant hæc omnia, neque pro tunc reclamabant quodque etiam bona dictorum coniugum si fuissent debitè collecta, conseruata & distributa, videbantur sufficere ad satisfaciendum creditoribus infra satis competentes terminos. Mihi Dominico parui sacræ Theologiæ indigno professori videtur salua omni correctione ac dicti olim militis reuerentia, quod ipsi militi nunc asserenti se fictè intrasse religionem ad finem talem vel talem, non est credendum, nec ipse licitè illam religionem sic egredi potuit, sicut de facto egressus est, & vltra quod nec etiam vxorem & bona successionis superius tactæ potest licitè repetere seu retinere nomine proprio, scriptum manu propria. Ego Matthæus Roedor sacræ Theologiæ professor indignus, supposita veritate casus præmissi & circunstantiarum eiusdem in forma qua ponuntur, sentio conformiter ad deliberationem domini Cancellarij supra positam. In cuius rei testimonium hanc deliberationem meam propria manu scripsi, & nomine meo signaui. In quorum testimonium nos Ioannes rector vniuersitatis præfatæ presentes literas sigilli rectoriæ dictæ vniuersitatis appensione duximus muniendas. Anno & die quibus supra.

FINIS.

TRACTATVS EIVSDEM MAGISTRI IOANNIS DE GERSON,
de temperantia in cibis potu & vestibus prælatorum.



IAM in vna priori lectione absolui sicut potui dubitationem non mediocrem super abstinentia perpetua à carnibus an licita sit apud solitarios, religiosos imitatores Ioannis Baptistæ in eremo. Vellem nunc sub compendio maiori similiter elucidare qualis temperantia in cibis & potibus, in vestitu & cæteris, aut necessaria sit aut congrua prædicatoribus aut prælatis, quorum est officium instar Ioannis præire ante faciem domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius. Ad hanc dubitationem sub vnica conclusione respondeo. Expedientius est & efficacius prædicatorem & prælatum declinare ad austeritatem vitæ & parcitatem in vestibus, in cibis & potibus, & paucitate seruitorum & similibus, quam hominibus secularibus talibus conformari. Et in primis si attendimus vitam Christi, quæ nostra est instructio, si præterea Apostolorum & aliorum Sanctorum exempla recogitamus, perspicuum esse debebit apud Christianum id quod dicimus. Fateor, (inquit discretissimus Augustinus) fateor de preciosa veste erubesco, non enim decet hanc confessionem, non hanc monitionem, non decet

hæc membra, non decet hos canos. Et arguo sic inquisitiuè. Pompam in vestibus, in ferculis, in seruitoribus aut quærunt Ecclesiastici ad placendum Deo, vel vt proficiant proximo, vel ad Ecclesiæ honestatem & auctoritatem. Quidam enim ad aliquam harum rationum confugiunt.

NON primum vt placeant Deo, quoniam verum est illud Hieronymi non tenera vestis, sed munditia mentis ornatum facit clericorum. Constat insuper plus placere Deo opera pietatis, in quibus possunt expendi ea quæ talis pompa requirit. Si quæris igitur plus Deo placere, opera Deo magis placentia factito alioquin apud te mentitur iniquitas sibi, quod iam non soli Deo magis per talia placere contendis, sed vel tibi vel mundo.

SI quærunt Ecclesiastici per talia proficere proximis & subditis, videant obsecro ne turpiter fallantur, & tota (vt aiunt) via errent. Plus enim scandalizat pompa Clericorum ipsos laicos tam principes quam alios, quam ædificet. Plus ad indignationem & murmur & inuidiam eos concitat quam ad amorem, & plus augent in eis auaritiam & superbiam quam extinguant. Debet autem esse officium Clericorum, monere subditos verbis & exemplis ad virtutum exercitia, humilitatem, frugalitatem & sobrietatem. Porrò non habet opus ista pars allegationibus scripturarum vt doceamus pompam esse in scādalum laicorum. Interrogetur experientia & magna voce clamabit: Ita est, nihil verius est. Nam vnde fuit tanta principum & secularium deuotio apud antiquos Ecclesiasticos pauperes & pannosos? Vnde tantus honor, tanta reuerentia, tantus cultus? vtique quia pompas tales nihilipendebant. Idcirco tanquam apud bonos & fideles dispensatores copiosissimè eis ministrabantur diuitiæ, qui postquam insolescere & eis abuti cœperunt, in contraria versa est prior largitio, dico in direptionem & contemptum. Audiui his auribus vnum ex principibus nostri temporis præcellentem, coram quo dum fieret sermo de refrenatione & moderatione pomparum statuum in regno Franciæ nimis exuberantium & aliarum expensarum propter quas nisi prouisum fuerit, fraudes, rapinæ & iniustitiæ & odia & seditiones saltem occultæ fiunt, propter quæ omnia teste sapiētē, regnum de gente in gentem transfertur. Respondit indignabundus princeps ille: Incipiant Ecclesiastici apud quos tota pompa est, tota superbia & in vestibus & in prandijs & in omnibus, & de singularibus facta est tunc narratio, vbi quæ ad honorem suum Ecclesiastici videntur agere, illa in magnam eorum & suæ Ecclesiæ contumeliam & probrum commemorata sunt, prandia loquor & cætera prodigalitatis facinora. Si verò dicant Ecclesiastici quod talia non agant ad superbiam suam vel excellentiam, sed vt conformentur illis apud quos viuunt, & vt erubescentia videtur nisi honorabiliter sint inter proximos & alios, immo quod amplius est, vt scandalizent eos tanquam ipsi sint auari vel hypocritæ ficti, nisi secundum tempora temporaliter se habeant & moribus aliorum conformes sint. Videant obsecro sic dicentes, primum ne contrarientur huic præcepto: Nolite conformari huic sæculo. Ne præterea ipsi quorum interest errores aliorum corrigere, in similes aut peiores ruant, dum eos non emendare, sed imitari volunt. Ita ne videlicet si omnes superbi facti sunt, auari, dissoluit, prodigi & reprobi, ipsi Ecclesiastici ne dissimilitudine sua eos offendant, paria vitia sectabuntur. Absit imitanda potius est humilitas Christi non exhorrenda, nec erubescenda vilitas quæ propter eum in suijpsius deiectionem sustinetur.

Cæterum cum addunt sibi præcauere, ne de auaritia & hypocrisi notentur, si fuerint in talibus pompis parciores cæteris. Esset hæc euasio colorata si non esset modus rationabilis & pius & iustior per quem hanc ab hominum cordibus æstimationem abolerent. Fateor enim & sic est, oportere viros Ecclesiasticos tollere quātum commodè possunt, omnem ab eis auaritiæ & hypocrisis suspicionem, si prodesse subditis voluerint. Verum quippe est illud Augustini, quod bonam conscientiam Deo, proximis verò famam bonam debent, & in hoc condolendus est qui famam suam negligit. Quod si quis ex prælatis sibi parce viuat, pompas omnes abijciens vel abhorrens, thesaurizet nihilominus & extorqueat vndecumque pecunias, reddit se non negabo continēdum longè amplius quam si non dicam liberaliter, sed prodigè & pompaticè virtute polleat, nisi quod temperantiam istam exteriorem moderationem ostendit, iudicabitur rationabiliter fermentatus fermento Pharisæorum quod est hypocrisis. Dicetur nempe istam pompam extrinsecus negligere, non ad humilitatem sed tenacitatem, non ad virtutem, sed ad celandum qualicumque modo vitæ suæ turpitudinem, vel denique sic vt lucrosius atque liberius subditos seducat, seductósque licentius spoliet, laceret & perdat. Quid igitur acturus est prælaturus, ne subditorum morsibus pateat tanquam auarus seu tenax, sordidus aut fictus, si non lautè vel vsitata aliorum prodigalitate vixerit, si non Ecclesiastica bona in vsus prophanos dissipauerit in vestibus & prandijs, in familiaribus ociosis & discolis, & quid inquam acturus est. Respondeo sub vna veritate satis notanda. Vir Ecclesiasticus præsertim curatus vel prælatus non solum potest licitè dare in publico eleemosynas suas & ante se tuba canere, hoc est se manifestare cum fecit eleemosynam, sed etiam ad hoc agendum obligatur pro loco & tempore tanquam in exemplum positus aliorum, & velut lucerna ardens super candelabrum, vt omnibus luceat qui sunt in domo Ecclesiæ suæ. Si autem egerit hoc, tollet omnem suspicionem tenacis auaritiæ, quando monstrabit operibus quod sibi parcus est, vt alijs fructuosius largiatur, & bona Ecclesiæ recipit non vt rapax consumptor sed vt pius distributor. Cognoui vnum qui plerumque distribuebat aliqua in publico sub hac intentione qui non dedisset in occulto, nec errare putandus est. Sed errant planè qui prælatos quosdam laudare se credunt, cum dicunt eos nihil dare in oculis hominum, ad euitationem vanæ laudis. Nam ad dandum publicè præceptum habent quod alijs est consilium. Dicet statim aliquis sententiam hanc contradicere verbis Christi quibus nos instruit dicens: Cum facis eleemosynas, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Et iterum: Noli *Matth. 6.* *Ibidem.*
tuba

tuba canere sed da in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Ita est, sic iubet nihilominus vt luceant opera nostra bona, vt glorificent patrem nostrum qui in cœlis est. Et fortassis inuicem aduersari putarentur hæc duo mandata, si non ex locutionis circunstantia pateret concordia. Vult quippe Christus vt opera nostra fiant, & in abscondito quoad intentionem non captandæ laudis propriæ, & in publico propter augmentationem in proximis diuinæ gloriæ, sicut dicit Gregorius quod sic fiat opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto. Scio & benè scio quod istud plurimum habet difficultatis apud non exercitatos in virtutibus, & qui nondum didicerunt humiliter sapere & humanæ gloriunculæ fauores despicere, propterea apud eos qui non habent ex officio prodesse cæteris, plerumque tutius est atque consultius occultare bona sua ab oculis hominum, quatenus eandem tegere possint & conseruare à surreptione & flatu inanis gloriæ apud Deum, incredibili siquidem facilitate exufflat ventus superbiæ eleemosynæ fructum à manu dantis eam in cõspectu aliorum, nisi fuerit manus hæc per humilitatem prius solidè clausa contra talem superbiæ ventum. Proterea videte quæso in quantis se perplexitatibus inuoluunt, & quomodo ponunt in rete pedes suos prælati præcipuè qui aliorum gerendorum suscipiunt curam prius quam solidati sint in virtutibus, maximè in humilitate, quoniam obligat eos susceptum officium ventilare & exponere opera sua bona ad auram publicam, sicut eleemosynas, prædicationes, & cætera pietatis officia. Sunt enim in loco constituti non acquirendæ perfectionis sed exercendæ. Ideo iussione Apostolica prohibetur neophytus ordinari, ne in superbiam elatus, &c. Tamen tales prælati inexercitati si agere ista tentauerint vix aut nunquam euadunt præcipitium, foueam scilicet elationis & tumescentis superbiæ. Difficile quidem est illud benè agere quod non ante didiceris. Et si hoc in omni arte verum est, maximè tamen in arte artium quę est benè viuendi ad regimen animarum. Ad hoc propositum exponit Gregor. de quibusdam prælatis illud de Iob præallegatum. Posuit in rete pedes suos, & in maculis suis ambulat. *Iob 18.*

Ex prædictis concludamus non oportere viros Ecclesiasticos consumere bona Ecclesiæ in pompaticis vsibus ad euitandam non tam auaritiæ. Sunt quippe modi alij per quos melior & sanctior fama quæri potest. Porrò si vir Ecclesiasticus in reliquis benè vixerit, pudicè, iustè & piè, nullo modo generabit suspicionem de simulatione sanctitatis sibi parcè viuendo, augebitur potius fama sua, & erit odor bonus bonis. Cæterum apud quosdam malignantium & omnium quantumcumque sanctè facta calumniantium linguisque maledicis semper loquentium iniqua, nullos proficere potest quin gloriam sequatur inuidia, & inuidiam mala detractio. Sed talium contemnendus ipse contemptus, nec extimescendum scandalum, quoniam cæci sunt & duces cæcorum verba Christi sunt ad Apostolos.

PERTRACTEMVS tertiam rationem quam aliqui pompas suas excusare volentes confingunt. Agimus inquiunt, talia non quod in corde nostro sit superbia, non ad extollentiam oculorum, sed vtimur his tanquam non vtentes, vt Ecclesia per hoc cum seruitoribus suis honoretur, & honorata magis magisque reuereatur, & sit eius efficacior auctoritas. Verum attendant sic dicentes primò quod honor dari debet in testimonium virtutis, non propter exteriores diuitias vel ornatum. Inducunt ergo causam erroris ad populum qui propter pompas mouent eos ad honorandam Ecclesiam cum seruitoribus suis, quoniam propter virtutem & bonorum futurorum adeptionem potius debent venerari. Alioquin Christus & eiusdem Apostoli non sufficienter ornassent Ecclesiam & honorassent, quando talia in se contempserunt & alijs spernenda suaserunt. Vnde & Iacobus inculpat eos qui honorando diuites in aureo anulo & veste fulgida, spretis pauperibus personas accipiunt. Et Bernardus ad Eugenium lib. de consideratione. Tu pastor procedis deauratus tam multa circundatus varietate, oues quid capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis quam hominum pascua hæc. Sic faciebat Petrus, sic Paulus suadebat. Item Petrus nescitur aliquando processisse vel gemmis ornatus vel sericis nec tectus auro, vel vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circunseptus ministris, absque hoc tamen credidit satis posse implere salutare mandatum, Pasce oues meas.

Rursus si viri Ecclesiastici talibus vtuntur pro solo honore Ecclesiastici status, quia ratione dimittunt ipsi tam magnam partem sacerdotum curatorum in statu tam in inculto, tam infimo & plebeio, immo qua temeritate ipsos spoliant & denudant? Amplius dictum est quod apud seculares principes & alios plus irridetur ista pompa quam in honore vero teneatur, immo & pauperes minus audent ad tales accedere pro petẽdo consilio aut confessione facienda, & sic de similibus qui & videntes eos in ocio splendidè conuersari, seipsos autem egenos & pannosos laboribus iugibus atteri, remurmurant, inuident & detrahunt, quos si viderent in humilitate se gerentes, amarent, & eorum aspectu animæ quiores fierent tolerare pauperiem sortis suæ.

Præterea sustentatio pomparum fieri nequit absque multis expensis, quæ trahunt sæpe ad quæstus mercenarios & rapinas iniustas ad fraudes & curas graues, ad quærelas insuper mordacissimas subditorum, propter infamem vitam seruitorum turpissimorum, quos otium multa mala docuit, & nefanda scelera perpetrare compellit. Scitis verò quod in dominos redundant excessus & improbitates seruitorum.

Cæterum sicut qui tangit picem, inquinabitur ab ea (sapientis immo experientiæ testimonio) & qui fouet in sinu suo ignem & colubrum, ardet & mordetur sic difficile est apud multos, penè impossibile vt inter superbos tales cultus & honores forinsecos conuersentur, & non inde superbiant. Nam qui communicauerit superbo, induet superbiam. Sed esto quod ipsi sint tanta stabiliti humilitatis radice, quales profectò nondum sunt, cur de ipsa humilitate Christi erubescunt in publico? cur superbiam ostendunt in opere quam non habent in corde? cur suis exemplis irritant & scandalizant corda principum & secu-

larium ad permutandum tales pompas & prodigalitates, quas ab eis totis viribus effugare deberent. Nullum rursus regnum est tam opulentum, quod non per luxuriosam prodigalitatem & nutricem eius rapacem auaritiam celeri labefactione dissoluatur, quemadmodum tradunt Valerius & Tullius, & si silerent, tamen maximorum regnorum perditio in exemplum huius est veritatis. Abissus itaque expensarum abissum inuocat diuitiarum, quo fit vt eueniat illud pueris decantatum, qui sua consumunt, cum deest aliena sequuntur, hinc fraudes, hinc doli, hinc iniustitiæ variæ; propter quod de gente in gentem transfertur, ait sapiens. Quanta deinceps mala proueniant ex commessationibus Ecclesiasticorum crebris atque superfluis, quis enarret? vnum prandium pro replendo ad grauedinem & nauseam tres vel quatuor ventres sæpe centum pauperes reficere sufficeret, celerius tamen consumimus & perdimus vnum francum in tali crapula quam damus vnum denarium pro eleemosynis. Ibi detractiones, ibi ebrietates, ibi temporis damnosissima perditio, ibi contra bonorum vitam & omnem honestatem, immo sæpe contra Catholicam veritatem sub iocundi tipo infames sententiæ frequentantur.

Turpiter ista fierent apud seculares, turpius apud Ecclesiasticos omnes, sed turpissimè apud prælatos & Theologos. Nonnunquam inueniuntur adeò vt iam de se prouerbia quædam apud vulgus generauerunt suæ ebrietatis vel crapulæ. Nam & cibi aliqui & vina præcedentia tanquam ab inuentoribus aut cultoribus denominantur, sicut dicitur. Tortæ iacobitarum & vinum theologorum, & cæt. Adde quod plerumque inuitantes alios ad conuiuia, grauibus expensis & sollicitudinibus, inuitati verò magnis dispendijs & vigilijs fatigantur. Ita refert Seneca docens Serenum de tranquillitate, cum dicebat non ad cœnam se iturum, sed ad eum qui pro hoc sibi nihil debiturus esset. Postremò quid sunt viri Ecclesiastici, nisi quidam eleemosynarij bonorum Ecclesiasticorum, & ipsorum quidem non domini, sed dispensatores. In quibus hoc solum pro se & suis habent quo contentari eos mandat Apostolus, alimenta scilicet & quibus tegantur. Definit vltra Bernardus quod quicquid vltra retinetur, rapina est, immo sacrilegium. Dura verò sententia contra Ecclesiasticos & eos qui thesaurizant, & qui in luxurijs varijs & impudicitijs conuersantur, nihil dantes pauperibus.

Quocirca incidit non mediocris quæstio, si Ecclesiasticus dispensans, immo dissipans in vsus prodigos & iniustos bona Ecclesiæ suæ teneatur ad restitutionem, præsertim cum dictum sit auctoritate Bernardi cui Hieronymus consentit, quod quicquid Ecclesiastici vltra parcum vestitum & victum retinent, sacrilegium est. Si sacrilegium est, vtique iudicatur peius furto, furtum verò restituendum nullus est qui ambigat. Similem quæstionem formant alij de Ecclesiasticis non de seruientibus suis beneficijs in horarum persolutione, & aliorum obsequiorum impletione, propter quod datum est beneficium. Nonne ea inquiunt, restituere debent quæ tunc perceperint? Et fortè ad primum non potest dari simplex & absoluta responsio. Sunt itaque aliqua bona commissa fidelitati Ecclesiasticorum, ordinata tamen & limitata vel à iure vel à fundatoribus ad certos vsus pios, vt quod Episcopus vni det hospitali tales redditus vel numerum aliquem egenorum sustentare, quo casu non est dubium quin omissio culpabilis istorum ad restitutionem obliget quoad Deum, & sæpe quoad forum extrinsecum. Et in hoc est simile de eleemosynario, qui vltra stipendia recipit centum libras pro distribuendo pauperibus si prodigè aliter exponat, peccat, & restituere tenetur. Si autem bona talia sint data generaliter & indistinctè alicui Ecclesiastico tam pro sustentatione sua, quam pro exercitio pietatis, tunc potest huiusmodi Ecclesiasticus mediocriter vti illis bonis secundum decentiam sui status, etiam vbi nihil residui superesset. Qualiter verò æstimabitur huiusmodi decentia status, non potest sub vniuersali regula definiri, sed æstimabitur in certa latitudine prout sapiens iudicabit. Et quoniam nimis afficimur ad nosipsos & ad extollentiam oculorum nostrorum, tutius est atque salubrius cuilibet Ecclesiastico declinare ad frugalitatem & parcitatem status sui vt aliquid reliquatur pauperibus. Tutius insuper est pauca sibi quærere quæ videlicet satis sibi esse debeant, quam in multis beneficiorum administrationibus velle abundare, quoniam proculdubio apud benè æstimantes illa non sunt nisi onera & animæ pericula, vbi locum habet illa regula: Cui plus committitur, ab eodem plus exigitur. Vnde si quis habeat beneficium quo rationabiliter debeat contentari secundum vtilitatem quam offert aut offerre potest Ecclesiæ, & vltra hoc beneficium aliud assumit, ipse cum hoc peccat quod per ambitionem accumulat sibi nouum onus ministrationis, quæ nunquam aut vix fit sine periculo infidelitatis alicuius. Nam nunc quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. Quod si prodigè dispergat bona huiusmodi in alios vsus aut auarè retineat, ipse vltra scandalum quod alijs dat, profectò peccat grauiter, & non minus sæpe quam sacrilegus. Sed quod ad restitutionem teneatur, non auderem definire, & hoc propter illam obligationem vagam & incertam tam in bonis in personis.

Similiter non æstimo certum esse quo ad secundam quæstionem, quod Ecclesiastici non facietes seruitium propter quod datur beneficium, & si grauiter peccent, ad restitutionem sint astricti. Scio tamen quod tutius esset apud tales vt de cætero vel renunciarent pluralitati beneficiorum suorum, vel parcius viuerent solito, quatenus in aliquo priores infidelis dispensationis offensas delere valerent. Ita locum hic habet illud Augustin. consilium. Tene certum, dimitte incertum. Ita denique concludamus tum ex prioribus causis, tum nominatim ex hac radice, illam quam ab initio posuimus conclusionem, expedientius scilicet esse prælatum declinare ad parcitatem & austeritatem vitæ in cibis & in potibus, & cæt. & non erubescere paupertatem Christi, quam laxare in his frœna, & hominibus secularibus conformari, tantummodo benè viuat. In

alijs

alijs affirmo quod paupertas & vilitas eum magis exornabit & honorabit, quam alios sua prodigalitas atque superbia. A

FINIS.

SERMO EIUSDEM DE VITA CLERICORUM HABITUS TEMPORE *Quadragesimali ad clerum.*

POENITEMINI & credite Euangelio, Marci I. Euangelium hodiernum cui credi oportet sub tali fine conclusit Christus vt diceret. Qui se humiliat, exaltabitur. Quid autē aliud est pœnitentia quam humilitas vera sub Deo, placationem eius postulans cum venia delictorum. Pœnitemini ergo, hoc est humiliamini sub Deo offenso, & ab eodem placato exaltabimini. Ita enim credere Euāgelio æquum est, quoniam qui se humiliat exaltabitur. Qui se humiliat curia pœnitentiæ, exaltabit eum curia misericordiæ, quoniam superexaltat misericordia iudicium. Damnati quidem sumus nos peccatores coram iustitia, ad misericordiam appellare fas habemus quamdiu viuimus, tamdiu enim sedem tenet eadem misericordia. Quod si aduersarius & accusator noster diabolus quomodolibet obniti voluerit, habemus te patronam clementissimam, te aduocatam sapientissimam, te auxiliatricem potentissimam virginem matrem, quæ ab omni Ecclesia regina misericordiæ & aduocata nostra conclamaris. Si igitur regina misericordiæ es sicut es, tuum est causam misericordiæ tueri, & curiæ suæ iura illibata seruare. Est autem ius curiæ huius, vt qui venit ad eam, non eijciatur foras, sed accusatione sua subleuetur absoluatúrque. Ecce patres & fratres quanta nobis fiducia est de salute & exaltatione nostra, si per pœnitentiæ appellationem ad misericordiæ forum causam nostræ prauitatis iam à iustitia ritè damnatam deducimus. Deducimus autem si nosmetipsos accusamus, iudicamus & damnamus. Si nosmetipsos iudicaremus (inquit Apostolus) non vtique iudicaremur. Si iudicaremus pœnitendo, non iudicaremur pœnam patiendo. Nolumus certè damnari, ecce vnicum post peccata patet effugium. Confugiamus ad curiam misericordiæ, ad illam pœnitentia nos deducet, vbi pro aduocata & patrona sororem nostram habemus & matrem iudicis nostri, qui spernere nos non poterit, quoniam ipse caro nostra & frater est. Hanc matrem adeamus pro impetratione misericordiæ. Et vt de pœnitentiæ humilitate pro nostra exaltatione viuaci fructuosóque sermone loquamur: supplicemus & dicamus illud angelicum, Aue gratia plena dominus tecum.

B

Luc. 14.

C

D

E

F

Pœnitemini & credite Euangelio. Nominatim huic Euangelio, Qui se humiliat exaltabitur. Qui se humiliat per pœnitentiam, exaltabitur per gratiam & gloriam. Viri patres & fratres. Et si solum domini nostri Iesu Christi imperium subditis suis omnibus (& quidem omnia sibi subiecta sunt iure creationis, reparationis, & conseruationis) satis esse debeat ad obediendum sibi vt agant dignos pœnitentiæ fructus, pœnitemini ait, nihilominus appropriatè ad personas nostras quæ Ecclesiasticæ dicimur, & quas sermonis nostri tenuitas commonere nunc accepit, assumi posse video persuasionem nostram ad pœnitendum ex tribus modis oratorio. A statu personæ, à loco, à tempore. Ita enim agere Cicero, ita Aristoteles & oratores cæteri docuerunt. Secundum quæ tria tripartita super pœnitendi necessitate orationem contexemus. Prima quidem argumentatio à statu personæ sumetur. Tales nos esse considero viri patres & fratres, tales & in tali nos esse gradu statúque conspicio, quos oportet pœnitentiam agere, non pro peccatis nostris tantummodo, sed pro delictis alienis. Aliorum quippe peccata comedimus, aliorum quippe culpas bibimus, aliorum defectus calciamus & vestimus. Peccata populi mei comedunt.

Non sit cuiquam admirationi quod dicimus, quoniam ita fit Deum eleemosynis aliorum talia nobis comparamus cibos, potus, alimenta. Quæ nimirum eleemosynæ ideo datæ sunt vt pœnitentiam pro conferentibus & satisfactionem Deo faciamus. Status ergo noster, status pœnitentium est, eorum scilicet qui vltro semetipsos ad pœnitentiam obligarunt. Quod si quis inter nos aliter sentit, ille proculdubio proprij status & gradus ignarus est, quia ipsum tanto magis pœnitere conuenit, quanto minus pœnitet, & quanto magis esse sibi pœnitendum, dissimulat vel ignorat.

Hanc tamen veritatem planè durissimam, sed tamen prædicandam & cognoscendam multi in statu nostro in statu Ecclesiasticorum vel dissimulant vel ignorant, vel sacrilegia impietate contemnunt, alioquin nunquam tanta auiditate, nunquam tali præcipitatione improuida inhiarent ad eleemosynas tales, quas beneficia nominatus, vel dignitates, vel officia, quibus annexa est talis obligatio pro alijs pœnitendi & satisfaciendi, cum tamen pro nostris satisfacere delictis vix sufficiat vita nostra, & vtinam sufficiat. Nunc quanta est dementia hominem tot culpis proprijs obnoxium, pressum & obrutum suscipere, immo rapere modis etiam indebitis alienas offensas, & super ceruices debiles apponere. Hoc quippe fit (vt diximus) dum beneficia beneficijs cumulamus, nam pluralitas beneficiorum ex eleemosynis fundatorum, ad pœnitentiam pro pluribus faciendam astringit. Nunc verò heu cæcitas, heu insania, nos his obligationum vinculis, seruitutibus specialibus misera colla subijcimus, quasi non iugum graue satisfaciendi pro alijs, sed libertas & absolutio videatur.

Addamus adhuc quod status noster status Ecclesiasticorum penitus est in exemplum prouocatiuum aliorum ad pœnitentiam, quasi vel liber vel speculum, vel imago pœnitentiæ. Quod si pro pœnitentia legatur in nobis petulantia, pro contritione destructio & dissolutio, pro satisfactione irritatio Dei, & vitiorum omnium accumulatio, nos tot damnationibus digni reddimur, quot homines nostris exemplis corruptissimis seducuntur. Si damnandus est qui seipsum spontaneo peccato deprauat, nunquid non ergo damnatior qui multos secum in interitum trahit, rapit & deijcit? Rursum statui nostro comes esse debet

sacra scientia, hoc est sacrorum & sacramentorum notitia, qualis cognitio absque pœnitentia nec perfectè cognosci, nec efficaciter tradi potest. Hæc quippe illa est sapientia, aut pars est, de qua benè enūciatum est quod in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Itaque sacerdos quilibet angelus dicitur, quoniam Dei nuncius esse debet ad populum quilibet in gradu suo, & legem eius scilicet Dei, ab ore eius requirant. Dedit illis regiogiones gentium (inquit propheticus sermo) & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eis, & legem eius requirant. Non dedit nobis dominus laborem aliorum vt in sudore vultus alieni vescamur pane nostro, & nihil inde officij, nihil suffragij, nihil satisfactionis impenderemus pro cæteris qui suis nos laboribus alunt alueruntque. Quantò minus ista data sunt vt luxurieris superbè in pompis, equis, familijs, fœdissimè in meretricularum lenocinijs. Non præterea commissa sunt vt comessationes crapupulosas & sumptuosas in otio dissoluto cum maxima temporis consumptione & oneratione corporis ac animarum quotidie sequeremur. Denique vt ditaremus carnem & sanguinem, immo quandoque carneos & sanguineos homines, de bonis pauperum, de patrimonio crucifixi, sed vt custodiamus iustificationes domini, & legem eius inquiramus. Custodiamus inquam, non diffamemus dissipemus, irrideamus, laceremus iustificationes domini. Et legem eius inquiramus, non tradentes nos nostráq; institutionibus mundi & legibus Iustiniani, sed legi domini quæ immaculata est conuertens animas, & sapientiam præstans paruulis, glossa, humilibus, quales sunt pœnitentes. Pœnitemini ergo. Postremò moueat nos qui dicit: quanto gradus altior (qualis est noster qui sacerdotes dicimur, & qui genus electum, regale sacerdotium Christi domini, immo & dij nominamur) tanto casus grauior consonè ad illud Satyricum:

Omne animi vitium tanto conspectius in se,
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

Porrò si casus noster grauior, consequens est vt resurrectio per pœnitentias fortior exigatur.

Conclamo igitur, precor & obtestor per Euangelium sacratissimum domini nostri Iesu Christi, Pœnitemini & credite Euangelio, quoniam qui se humiliat per pœnitentiam, exaltabitur ad gloriam. Hoc modo status noster status Ecclesiasticus vrget nos magnis & certis rationibus pœnitere, si non obtorpuimus, si non omnino perditi & Christiana religione abalienati sumus. Rursus compellit ad idem locus ipse materialis in quo conuersamur, qui locus est Ecclesia. Commonebat prætactus nostræ orationis ordo, vt similiter ex loco in quo conuersamur, qui locus est materialis Ecclesia, robur eidem orationi nostræ donaremus.

Sed multis quæstionibus agitatur animus ex his quæ dicta sunt. Vna si Ecclesiastici non pœnitentes pro seipsis, proficiant alijs pro quibus eos diximus ad satisfaciendum obligatos? Videtur quod non per prædictum, & per illud Gregorij. Cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.
A Alia, si Ecclesiastici non pœnitentes pro alijs faciunt bona Ecclesiæ sua, & si ad restitutionem obligantur? Videtur enim quod contra donantium intentionem bonis illis abutuntur, nec laborant in vinea domini, nec denarium habere merentur. Altera, si Ecclesiastici omnes tenentur ad studium legis diuinæ? Videtur quod sic per prædicta, quia ideo dedit illis Deus regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustitias eius, & legem eius exquirant, vt
B dictum est. Ad opposita istorum omnium est argumentum, quia talia dicere, est partem Ecclesiasticorum longè maiorem ponere extra statum salutis, eamque damnationis ream affirmare.

Aliæ quæstiones sunt, vt si licet ex bonis Ecclesiæ aliquid sibi retinere vltra id quod dicit Apostolus: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus? Videtur enim quod residuum est Ecclesiæ & pauperum, quale auferre sacrilegum & impium dicunt Hieronymus & Bernardus. Annexa est huic quæstioni de ditatione parentum ex bonis Ecclesiæ. De collatione beneficiorum indignioribus. De multiplicatione beneficiorum vltra decentem sustentationem personæ occupantis. De intrantibus distributiones ex solo introitu ad horas. De dantibus se totos ad practicationes seculares, & quandoque ad turpes quæstus. Et similes multas quas omnes dissoluere breuitas affectata reclamat. *1. Thy. 6.*
C

Sed quatuor considerationes quasi totidem claues pro apertione faciliori placet afferre.

D Prima consideratio. Ecclesiastici qui non pœnitent sed computrescunt in peccatis suis, nullum opus faciunt apud Deum pro se vel alijs acceptum sibi ad consecutionem vitæ æternæ, pro quanto fructus suorum operum talis ex corrupta radice procedit, quæ radix est eorum voluntas deprauata. Elongantur quoquem agis & magis à Deo, quoniam quam longè à peccatoribus salus. Hoc intēdebat dominus cum ait. Maledicam benedictionibus vestris, & similia plurima in hanc sententiam. *Mala. 2.*

E Secunda consideratio. Ecclesiastici quamuis impœnitentes, implentes tamen ea quæ ex institutione beneficiorum suorum iniuncta eis sunt, in horis dicendis & similibus, ipsi faciunt fructus beneficiorum esse suos, saltem apud homines, nec ad restitutionem obligantur. Obligantur tamen in foro conscientiæ aliter recompensare benefactoribus & fundatoribus suis, præsertim faciendo sibi amicos de mammona iniquitatis, vt per alios suppleant redemptionem & satisfactionem quam ipsi sine gloria permanentes insufficienter agunt. Valent præterea huiusmodi beneficia non ex virtute personarum, quoniam tales supponuntur esse in peccato mortali, & per consequens Dei hostes odiosi, sed ex persona totius Ecclesiæ, & ex offerentium deuota pietate valorem suscipiunt, qualem & quantum nouit Deus.
F

Tertia consideratio. Plus congruit Ecclesiasticis nititia sacræ legis quam alia & multis ipsa est de necessitate præcepti, sed magis & minus pro diuersitate officiorum, curarum atque dignitatum. Curati nominati tenentur scire præcepta

præcepta Dei & articulos fidei in quodam generali pro denunciando subditis. Materiam insuper de sacramentis ecclesiæ, prout in communi vsu practicatur & versatur, vt de modo baptizandi, de modo audiendi confessiones, & interrogandi & docendi & absoluendi & pœnitētias iniungendi, de modo matrimonia cōtrahendi, de modo sacræ vnctionis & de instructione illius qui laborat in extremis, & si quæ sunt talia. Curati pro his sciendis si non laborant vel studendo vel audiendo an sint in statu salutis ipsi viderint, ego non æstimo. Quidam tractatuli super his communibus confecti sunt, quos saltem habere deberent tales ecclesiastici, quoniam nec sumptuosi sunt in scribendo, nec dispendiosi & difficiles in intelligendo. De prælatis verò qui absentes sunt nihil hic definio, quemadmodum parati esse debent ad faciendum &c.

Quarta consideratio. Intentio ecclesiasticorum in omnibus suis actibus debet esse diuinus honor & eius obsequium & consequenter ex incidenti & quasi accessoriè ipsi possunt temporalia desiderare & acquirere pro sustentatione decenti suorum statuum; decentem intelligite statū prout sapiens iudicabit, & non prout ambitio vel auaritia suadebit. Iuxta quam considerationem datur regula consequenter ad sciendum, si in celebrationibus missarum, si in horis lucratiuis, si in alijs operibus suis, immo & si in multiplicatione beneficiorum ipsi ecclesiastici sint simoniaci, vel simonia aut turpi lucro notandi. Descendere autem ad singula omnino definienda neq; facile est neque possibile sub certa regula propter varietatem circunstantiarum, ex quibus iuris variationem scit nemo.

PLura dici potuerant, sed interim contenti, & ad secundam nostræ exhortationis partem transeuntes, ostendamus ex loco in quo sumus, congruitatem pœnitendi. Locus noster viri patres & fratres locus ecclesiæ materialis in quo frequentius conuersamur nos admonet si non obsurdescimus, vt obediamus dicenti Christo. Pœnitemini &c. Quamquam enim vallis hæc miseriæ, locus sit vniuersaliter fletus & pœnitentiæ, vbi tanto magis fluendum esse dicit August. quanto minus fletur, nihilominus templorum locus sua quidem religione & qualitate commonere facit vt pœniteamus. Quid itaque aliud videntur prædicare imagines omnes in ecclesia ante, quaquauersum, supra, subtus & in lateribus, cantus insuper & pulsus, ea quoque quæ leguntur & fiūt omnia, nisi leuemus sursum corda, & non mentiamur respondentes, habemus ad Dominum. Leuare autem sursum corda nequeunt sanè ipsi peccatores sine pœnitentia & magna pœnitētia. Habēt seculares homines seu militares seu plebei loca sua in quibus exercentur, plena multis spectaculis, vanitatibus & insanijs falsis, quæ pœnitentiam non solum non incitant, sed perturbant. Vide fora negotiosa abundare infinitis periurijs, fraudibus, murmuribus inconditis, clamoribusque dissonis. Vide curias patrocinantium, intra quales nota litigantium magniloquas linguas acutas & instructas vt narrent fabulationes, sed nō vt lex tua Domine. De curis curialium, quid aliud dicturus sum, quam quia totæ curæ sunt & totæ curæ vanissimæ, nec curæ cœlestes, sed plerumq; scelestes? Non discurram per singula talium loca, quorum plurima à sanctis doctoribus immeritò interdicta sunt eis qui pœnitentiam salubrem integro animo peragere moliuntur. At vero nos ecclesiasticos continet locus sacerrimus, locus religiosissimus, locus totus pœnitētiæ salubris prouocatiuus, si tamen in eo non manemus sicut bestiæ ignari mysteriorum omnium quæ fiunt & cernuntur. Si præterea corpore existente in ecclesia, non sit animus in patinis sicut est apud Terentium. Si deniq; non facimus de domo orationis domum negotiationis & speluncam latronum. Quo pacto fit? Certè aut cogitando aut garriendo secularia, aut distributiones diuinas tanquam nobis qui non eas lucramur, indebitas furtiuè rapiendo, furtiuè dixerim iudice Deo, & si non mundo, qui si eos soluit, non tamen absoluit. Cæterum crux & crucifixus nonne loquuntur vt pœnitentiā agamus? cum talem ipsum Christum ante oculos statuant, quo nullus vnquam acerbius doluit, non pro suorū sed pro nostrorum satisfactione peccatorum. Sanctorum rursus sanctarumq; imagines idem suadent, ingerentes memoriæ nostræ, quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, vt ipsi &c. *Act. 14.* Denique tumbarum sculpturę magnis nos vocibus & lamentis ad pœnitentiam prouocare non cessant, ingerentes quid illæ sunt, quid fuerunt, quid nobis meruerunt, quid exigunt vt suum, quorum corpora incinerata tegit tellus.

Si ad hos omnes & similes assiduè clamores nequaquam aperimus aures mentis intimas, nō iam surdastri, sed surdi sumus, immo ipsis quas intuemur & calcamus imaginibus atq; simulachris assimilati sumus, quæ habent aures & non audiunt. Quid de ipso sacrosancti dominici corporis sacramēto satis vnquam dicturus sū? malo nunc silerē quā pauca dicere. Væ illis qui abutuntur eo ad cumulum peccandi, quod singulariter datum est ad auxiliū sublenamēq; pœnitendi. Hi sunt indigni tractantes illud quod sub quæstione terribili increpat Dominus per prophetā: Quid est quod dilectus meus fecit in domo mea scelera multa? *Hier. 11.* Nō nos ita viri patres & fratres, sed in loco tali tanquam diuino & cœlesti audiamus vocem Domini imperantis, vt amotis calciamētis nostræ vetustatis per pœnitentiam (suum est enim hoc officium) stemus in terra hac quæ sancta est, dicentes cum Iacob. Terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli. *Gen. 28.* Etenim Dominus est in loco isto, & nos ergo sancti sumus, qui habitamus in sancto, quibus Dei gratia concessit si non abutimur illa vota prophetica: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. *Psal. 26.* Et rursum: Quā dilecta tabernacula tua Domine virtutum &c. *Psal. 83.* Et iterū. Elegi abiectus esse in domo Dei mei &c. *Ibidem.* Ad pœnitendum pręcipuè. Pœnitemini ergo.

Circa hæc quadruplex occurrit consideratio moralis.

Prima, sanctius est & Deo placentius & fructuosius regulariter orare Deum in tēplis & locis sibi dicatis quam in alijs. Valor quippe orationū ibidem factarum, cumulatur ex oratione generali

& voci maiestate ex qua fit deuotionis maior incitatio. Propterea non absque grandi ratione sedula religio patrum nostrorum, particularia oratoria vetabat, præsertim pro missis celebrandis. Dixi in consideratione, regulariter, quoniam accrescere valor ipsis orationibus aliunde quam ex loco sancto posset.

A

Secunda consideratio, omnis blasphemia quæ attribuit Deo vel sanctis eius indigna vel turpia, vel verbo vel facto vel signo, tanto execrabilius fit in ecclesia, quanto locus plus sacer est. Quæ blasphemia si fiat sub ludi specie, debet per auctoritatem superioris seriose reparari. Nec consuetudo ad oppositum alleuiat, immo aggrauat, quia verissimè corruptela est, & sacrilega corruptela, quæ in caput superiorum redundabit si non pro suo officio remediare curauerint, maiori quidem animositate quam pro suis temporalibus decertarent.

B

Tertia consideratio, vna ex causis quare ecclesiastici mali & impœnitentes pessimi sunt supra cæteros (prout sæpe expertum fuisse testatur Augustinus & tempora mea idem monstrant ad oculum) assignatur conuenienter, quia tales ipsi Deo magis ingrati sunt, dum abutuntur eis omnibus quæ eos ad pænitentiam prouocare debuerant. Omnia enim remedia pro sua correctione, vt sunt exempla sanctorum & prædicationes &c. conuerterunt in fastidium & contemptum ex cõtinuo auditu & visu, adeò vt tandem se esse credãt sapientes & prudentes præ alijs monitoribus suis quoniam impinguati sunt, incrassati, dilatati, ideo dereliquerunt Deum factorem suum &c. & humilitatem nostræ religionis & suorum promulgatorum ponunt in abominationem sibi. Qualis igitur spes salutis esse potest, vbi quæ fuerãt remedia, conuertuntur in nauseam & venena?

C

D

Quarta consideratio. Affectiones peruersæ quæ separant à Deo, damnabiliter fiunt vbiq;, damnosius in ecclesia. Negotiationes præterea seculares fiebant olim in templo Hierosolymitano displicibiliter Christo, hoc ex suo zelo subuertente cathedras numulariorum apparuit. Nunc displicibilius fiunt in templis suis, in quibus mysteria magis spiritualia conuenit celebrari. Hæc de secunda parte sermonis.

E

Postremò fas nobis est, non solum ex statu personæ, nec ex loci qualitate corroborationem addere nostræ orationi pro persuadenda nobis pœnitentia, vt iam fecimus, sed etiam tertio ex temporis qualitate. Omitto quod tempus omne vitæ miseræ huius & erumnosæ, tempus lugendi est, tempusque pœnitendi. Non loquor de tempore hoc quadragesimalis abstinentiæ quod intrauimus, quamquam multa dici ad rem competerent. Cum de ieiunijs qua obseruatione complenda sunt, & qui sunt quos pia necessitas excusat. Quali insuper delicto obnoxij sunt ecclesiastici transgressores & fundatores huiusmodi ieiuniorum. Tum præterea de ieiunio quadragenario Christi quali qualiterque fuerit completum virtute. Sufficiat ad dolendum, lugendum, pœnitendumque continuò aspectus huius temporis, immo huius tempestuosæ ætatis nostræ, in qua regnat luctuosissimum absque exemplo, immo nullis vnquam luctibus æquandum scisma, quod non vetustate consumitur vt omnia, sed indies altius radices malas agit, & tanquam fama monstrum horrendum indies vires acquirit eundo. Expectauimus pacem, deplorat propheticus sermo, & ecce turbatio. Sic ecclesia insanabili quodam cancro depascitur, ægrescitque medendo. Sic suam hydram patitur, quæ ex successione fœcundior fit. Ipsa insuper vt minothaurus vix egressibili labyrintho circundatur, & more ferarum habet in rete pedes suos. Nunquid non igitur tempus tale est in quo pœnitere & dolere cũ ingenti gemitu & plangore assiduo, cum lachrymis & rugitu coarctamur nos ecclesiastici & dicere: Tu exurgens Domine misereberis Syon, quia tempus miserendi, eius, quia venit tempus. *Psal. 101.*
Et iterum. Tempus faciendi Domine dissipauerunt legem tuam, legem charitatis, vnionis & pacis. *Psal. 118.*

F

Prima consideratio. In omni tempestate grandi & internecione, vbi primum incipitur à sanctuario Dei saluberrimum est, iuxta Ezechielis visionẽ, signari signo thau in frontibus. Illi quippe soli saluantur sic signati. Quale signum illos solos accipere notat prædicta visio, qui gemunt & dolent super cunctis abominationibus quę fiunt, hoc autem per pœnitentiam fieri perspicuum est. Vbi verò magis inceperit ira Dei à sanctuario suo quam hoc tempore misero, quis legit, quis audiuit? Pœnitemini.

Secunda consideratio. Quoniam facta est scissio ita vniuersalis in corpore mystico ex peccatis singularium personarum & eorum peruersis moribus, quomodo fit in corpore vero dissolutio eius ex vitio morbido partium & corruptis humoribus, consequens est vt pœnitentialis medicina primum reciperet in membris sanitatem, præsertim cum videatur hic esse digitus Dei, cui humanum auxilium quasi penitus deesse sentitur, quapropter impetrandum est diuinum, testimonio Iosaphat. Quæ impetratio non melius quam per pœnitentiam humilem acquiritur. Quoniam sicut exaltatio ambitiosa & perdita malorum ecclesiasticorum tam fœda ab sectione humiliauit ecclesiam, ipsa si quæritur rursus exaltari, vt per pœnitentiam humilem hoc fiat, necesse est. Pœnitemini ergo.

Tertia consideratio. Reuerentia pia ad matrem viget plus quam aliàs in filiis tempore necessitatis & conculcationis suæ, vt humilientur & doleant, & pœnitentiæ signa demonstrent, præsertim vbi per talia miserabilibus eiusdem matris necessitatibus subueniri conuenit, dum singuli filiorum singula merita sua sicuti quasdam donationes & redemptiones conferunt in commune ad redemptionem matris captiuatæ. Sic est in præsenti tempore. Pœnitemini ergo.

Quarta consideratio. Scisma præsens non impedit veram pœnitentiam, immo magis ad eandẽ faciendam animat & inducit tanquam ad primũ antidotum & mediũ pro portu salutis attingẽdo. Scio tamẽ nõnullos hincinde posse inquietari à scrupulis & quæstionibus pluribus super casibus reseruatis, & super potestatẽ clauiũ & aliis perplexitatũ nodis, quibus scisma pręsens respersum est. Scio nihilominus responsũ factum esse Antonio, quod

Psal. 114. quod sola humilitas omnes diaboli laqueos secura præterfugit. Humiliatus sum & liberauit me (inquit propheta.) Nulli verò absque pœnitentia datur post peccatum talis humilitas quæ rursus exaltet. Soli igitur bene pœnitentes securi sunt, quamobrem pœnitemini.

Hæc fortassis sufficere potuerant de necessitate pœnitentiæ nostræ, nisi reuerentia euangelij hodierni, cui credi oportet, & quod appropriate de ecclesiasticis loquitur, cogeret nos sua maiestate vt aliquid diceremus, nec ipsum nostro silentio indigno transiremus. Itaque euangelicus sermo. 23. cap. Matth. vnde euangelium hodiernum conscriptum est, loquens in persona Christi ad pharisæos & scribas sui temporis, notat in speciali sub reprehensionibus quatuor & octo maledictionibus, à quibus debent ecclesiastici præcauere, vt increpatio malorum, bonorum sit instructio, & vt super malo cognito pœnitentia salubrior fiat.

Prima reprehensio est dicere bona & non facere, hoc enim quid aliud est quam se propria voce damnare, & talem cui meritò dicat Dominus. Ex *Luca 19.* ore tuo te iudico serue nequam? Videte autem patres & fratres quanto amplius est delictum, neque dicere bona neque facere, immo dicentibus atque facientibus modis omnibus serio & ioco, clam & palam contrariari.

Secunda reprehensio est onerare subditos duris & multiplicatis ponderibus præceptorum & pœnarum, digito autem suo nolle ea mouere, quo in loco culpantur illi ecclesiastici qui excommunicationum & vexalium & maledictionum sententias accumulant supra merita, quo fine ipsi viderint, & quam consonè ad euangelicam libertatem.

Tertia reprehensio est hypocrisis & superstitiosa in habitibus, quibus sanctitatem aut religionem præferunt, qualia intus horrent & fugiunt ipsi taliter induti, qualiter induimur nos ecclesiastici omnes diuisi à populo, præcipuè dum in ecclesia ministramus. Sed sæpe mentiuntur hæ vestes, dum aliud monstrant extra, aliud tegunt intra, exterius sanctitatem, interius vilitatem.

Quarta reprehensio est ambire vanam gloriam in locorum eminentia & alto recubitu, in cœnis, in salutationibus popularibus atque forensibus, in titulis & appellationibus nomine magistri, aut patris, aut domini, in quibus omnibus corrupta affectio magis quam ipsa actio quæ de genere bona est, & bene fieri potest, inculpatur. Potest enim aliquis omnia ista quærere, si status suus & vocatio exigant pro vtilitate reipublicæ & ecclesiastico honore, non pro singulari ambitione. Aliquis enim ex ecclesiasticis cur non fas habet altè sedere & salutari populariter, & appellari vel mater vel pater vel dominus, si non istis delectetur? Hoc est si non nomina tantum & famam, sed res & opera & officia per nomina designata quærit & implet, non ad suam, sed ad Dei laudem magnificentiam & gloriam.

Sequuntur octo væ. Væ primum est claudere viam cœli peruersis moribus & exemplis. Hoc fit

A dum imperiti & simplices ex populo arguunt sibi licere ea quæ vident patres & pastores suos facientes.

Secundum væ sub prætextu longarum orationum viduas & simpliciores spoliare. A quo væ non immunes sunt hi qui obitus & seruitia multa in ecclesia pollicentur, & ea vel non exoluunt, vel imperfectè ac negligenter exoluunt.

Tertium væ traduci potest appropriate ad ecclesiasticos, quærentes promotionem alicuius ad statum ecclesiasticum, vel contra eos qui affectu carnali vel alio faciunt eum peruersis exemplis & B moribus duplo filium gehennæ quam futurus erat in statu seculari.

Quartum væ contra malos interpretes mandatorum Christi, & specialiter iuramentorum & votorum, in quibus falluntur & fallunt & sacerdotum ordine in confessionibus audiendis.

Quintum væ, contra eos qui decimas vsque ad minimum esse soluendas decreuerunt, & grauiora ipsi derelinquunt, iudicium sc. misericordiam & fidem, sicut apud quosdam in ecclesia plus pu- C niretur transgressio vnius cerimoniæ & traditionis humanæ, quam blasphemia in Deum aut suorum præuaricatio mendatorum.

Sextum væ, mundare diligenter id quod foris est in vasis quibus Deo ministratur, vt est calix, & conscientiam dimittere rapinis & immunditia plenissimam, vt faciunt qui in conscientia peccatis mortalis, & in continuo proposito non relinquendi peccata sua, neq; occasiones peccatorum, ministrare præsumunt.

D Septimum væ, contra hypocrisim eorum qui sanctitatem fingunt extrinsecis signis, intus autem sunt pleni hypocrisi & iniquitate, comparati meritò sepulchris dealbatis. Quod si culpantur hi qui mali sunt, quo vituperio digni videntur qui peccata sua prædicant, gloriantes cum malefecerint, & exultantes in rebus pessimis, in perniciem & contagionem & scandala certa pusillorum? Cuidam improperium dixit alius: Abi hypocrita. Cui acuta mordacitate respondit iniuriatus: Tu talis es vt nec hypocrita dici possis. Ita palà & in E publico peruersus es, vt nullus fictioni locus relictus sit.

Octauum væ est, qui sanctis reuerentes esse videntur colentes eorum sepulchra, memorias atq; reliquias, ipsi tamen eos nequaquam imitantur in sanctitate, immo præsentibus inimicantur & insidiantur, qui sanctorum vitam atq; mores quæsierint imitari. Ad quę omnia væ subiungitur horrenda conclusio. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Domus hæc domus erat synagogæ cui succedit domus ecclesiæ, quam iam penè de- F sertioni vicinam intuemur vt olim synagogam. Auertat hoc pius ecclesiæ sponsus Iesus Christus, auertet autem si fuerimus pœnitentes si nos benignè intuitus fuerit, & conuertet ad se, & tandem reponet in firmissimo habitaculo suo. Ad quod nos perducere dignetur, qui sine permanet in secula seculorum. Amen. Finis.

ITEM SERMO EIVSDEM FACTVS IN COENA DOMINI, PRO *humilitate, valde notabilis.*

A Deo exiuit, & ad Deum vadit. Originaliter Iob. 13. & in euangelio præsentaliter recitato. Nos & mei similes qui à Deo exiuimus per peccatum longè nimis, quia lōgè à peccatoribus salus, vadamus nunc rursus ad eum per orationis & piæ inuocationis gressum, mox aderit, quia prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Cuius orationis nostræ mediatricem te cōstituemus, ô virgo beata, virgo Deo iniunctissima, ad quam Deus venit, & à qua secundum corpus exiuit. Te nunc ob hoc salutantes & dicentes, Aue maria.

Adeo exiuit, & ad Deum vadit, scribitur vt supra. Alta verborum profunditas, alta nimirum, & quis cognoscet eam? Sed ita loqui decebat conscium secretorum Dei. Hic tam sublimis volatus grandi aquilæ spirituali homini videbatur, cui ex sententia dicere fas erat illud philosophiæ apud Boëtium libro quarto metro primo. Sunt etenim pennæ volucris mihi, quæ celsa conscendant poli, quas sibi cum velox mens induit, perosa terras despicit &c. Mihi verò quidni stupor mentis & digna admiratio debebatur ad hanc scientiam, quæ mirabilis facta ex me est, & confortata est, & non potero ad eam. Quid nisi venerabundum quoddam silentium congruebat? Congruebat vtique silentium potius quam elato sermone de diuinis obsterpere inter colores me raucum anserem, potius quam sordidis pedibus affectionum, manibusque operationum me sanctuarium verborum Dei temerarium introiri. Sed officij mei debitum ipsi vos scitis, sed & frequens deuotionis vestræ conuentus & præstolatio quippiam vel imperfectè balbutire compellit.

A Deo (inquit euangelista) exiuit. Miror si non protinus ad hoc verbum miramini. De quo nempe alio istud dicitur. A Deo exiuit, quam de verbo quod æternaliter est apud patrem, quoniam in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Si æternaliter apud Deum, qualiter à Deo exiuit, quomodo æternaliter apud Deum? Sed dices, exitus iste verbi à Deo, est ipsa filij generatio, verum est, si est filij generatio sicut esse confitemur, vides quod iste exitus prorsus est ineffabilis. De eo quippe scriptum est. Generationem eius quis enarrabit? Esai. 53. capite. Popterea cur conaretur eloqui quod enarrari non potest, non esset illud sobriè sapere? Quid si quis loquatur non iam hominum, sed angelorum linguis, quo pacto effari sufficiet Deum à Deo exire, non localiter, non dimensionaliter, non diuersitate substantiæ, neque durationis varietate, sed personali tantum distinctione. Qui & regredi dicitur ad Deum, dum suum rependens amorem patri, spirat & quodammodo donat spiritum sanctum, donum præstantissimum & vtriusque nexum. Sed sileamus interim de secretis his cœlestibus, & perscrutatiorem inuestigationem huius diuini exitus & regressus ad intra, nos vel ad scolam vel ad celebritatem beatissimæ Trinitatis remittamus. Illic magis discere est quomodo filius egreditur à patre, vt imago pulcherrima à pulcherrimo, vt verbum sententiosissimum, vt ars omnium fœcundissima, vt exemplar distinctissimum, vt idea & forma quædam omnium capacissima & actualissima & potentissima. Sic igitur exiuit Christus à Deo æternaliter productiuè, & ad Deū vadit spiratiua dilectione. Amplius verò considerationi nostræ alius objicitur Christi à Deo exitus, alius quoque sui ad eum regressus, non quidem intrinsecus personaliter vt prius, sed denominatione quadam extrinseca, & idiomatum mutua communicatione, quam operata est humanitatis assumptio. Et quid est precor hoc modo Christum à Deo egredi, nisi eūdem in hoc calamitoso vallis lachrymarum exilio dignanter incarnatum commorari, affligi, cruciari? Nihil quippe longinquius à Deo poterat excogitare mens humana, quam impassibile ad passionem egredi, inuisibilem videri, immortalem quoque esse participem mortis. Est Christum regredi ad Deum, est ipsum à mortuis resurgere. Iam non moritur: quoniam mors ei vltra non dominabitur ad Rom. 6. quando in patria & ciuitate & regno patris in cœlestibus ad dexteram suā sedet in æternum, cum omnia subiecit ei Deus, ad Hebr. 2. Hic est verus iustitiæ sol, qui oritur in natiuitate, occidit in passione, & ad locum suum reuertitur in gloriosa Ascensione Eccl. 1. Et quia habent proprias solemnitates hæc mysteria suosq; sermones, tantundem dictum sit hic, quomodo Christus à Deo exiuit per incarnationem, & ad Deum vadit per glorificationem.

Demum reperibilis est exitus quidem tertius Christi à Deo secundum animam, qui communis est omnibus creaturis. Dicit itaque diuinus theologus Ioannes. Quod factum est in Deo, vita erat. Vita erat, non quidem per identitatem realem & essentialem rei factæ ad factorem, vt Manichæi blasphemant, dicentes animam esse partem à Deo decisam per actionem principis tenebrarum. Sed vita erat per idealem & viuificam, exemplarem seu architypam cognitionem & virtutem producendi efficacissimam, lōgè excellentius longè ineffabilius quam in ipsa mēte artificis domus fabricanda vel imago pingenda existat, & suo modo viuat. Quid verò sint huiusmodi ideæ, & qualis sit earum distinctio non est hic disputandi locus. Multæ doctorum traditiones in vnam veritatem (si bene capiantur) reducibiles super prima sententiarum distinctione habentur. Ab hoc igitur esse ideali illud rectè perhibetur egredi quicquid fit extrinsecus in esse suo reali, regredi autem non nisi creaturæ rationali propè datus est, quaquam velit Boëtius omnia in suum regredi principium, velut si flumina vnde exeunt reuertantur. Ecc. 1. Et quando hoc? Quando repetūt proprios quæq; recursus, redituq; suo singula gaudent. Nec manet vlli traditus ordo, nisi quod fini iunxerit ortum, stabilemq; sui fecerit orbem lib. 3. metro. 2. Hoc fit dum motus inditos naturæ suæ custodiunt, dumque vices indultas peragant, agendo, patiendo, mouendoq;. Atvero quanto tibi est creationis egressus excellentior (ô rationalis spiritus) tanto regressus tuus

tuus ad Deum est, quanto à reliquis omnibus in perfectione differentior. Tu nempe rationalis spiritus sicut capax & particeps Dei solus factus es per intelligentiam atque rationem hinc ad imaginem Dei & similitudinem factus affirmaris. Gen. 1. Sic soli tibi ad Deum regredi concessum est per cognitionem & amorem. Diriguntur cætera in cursibus suis & ab agente infallibili, sicut si videns aliquis cæcum ducat: vt dicit Auerrois. Tu sola videns videntem insequeris. Tu sola cognitiuè ad principium tuum regredieris, vt fias vnum ens cum diuina essentia, tertia parte libelli de ornatu spiritualium nuptiarum. Anima inquit contemplantis ita coniungitur Deo, vt fiat ipsum illud esse vitale & ideale quod æternaliter in Deo præhabuit. Quem errorem vna nuper epistola à me edita coarguit. Velim præterea commonuisse vt de hac materia cautè legatur Bernardus ad fratres de monte Dei l. 2. Cæterum anima humana præcipuè illa est inter omnes rationales spiritus, quæ non solum regredi ad Deum, sed omnia alia in eum referre debet. Propterea enim ipsa corpori coniuncta, & in imis certis ligata secundum Platonicos. Propterea nexum duplicis mundi, tam spiritualis quam corporalis operatur, quasi duas illas catenas causarum, auream & argenteam nectens. Deniq; idcirco in horizonte duplicis mundi statuitur facies sua, prout diuini theologi & eleuati metaphysici edocuerunt, quatenus per ipsam ea omnia referantur in Deum cognoscendo & vtendo, quæ ab eo egressa sunt in creando. Hinc dixerunt Aristotel. 1. politico. & Platonici, omnia propter hominem, ipsum verò propter Deum factum esse. Hinc resurrectionis futuræ necessitas concluditur, alioquin naturalis institutio finis frustra esset. Sed de his alibi. Demum perspicuum est eos solos propria appellatione homines dici debere qui boni sunt, & ad Deum omnia referunt.

Nunc ad Christum redeo. Quia enim regressum hunc per intelligentiam ad Deum & vsum, anima eius perfectissimis modis exercuit, dum seipsam & rem quamlibet alteram, sola per excellentiã in Dei gloriam, laudem, amoremq; reduxit, hinc aptissima ratione dixit euangelista noster de Christo, quod à Deo exiuit & ad Deum vadit. Exiuit dico secũdum animam per creationis emanationem, & ad Deum vadit per sui & aliorum omniũ in Deum reuolutionem intelligibilem. Et sicut omnia à Deo quodammodo accepit in sua creatione, dum propterea facta sunt omnia, sic omnia refert in Deum directiuè proportionabiliter satis ad primum exitum & reditum æternalem. Ad hũc finem olim egressus fuerat Adam à Deo in sui primaria creatione, vt ad Deum regrederetur per speculationem & amorem. Sed væ peccato. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sequimur eum nos bestiales effecti, vitam pecudum eligentes, qui decliuem animam iugiter ad terrena demittimus, qui porcino more versi ad infima vultibus adhæremus. Vox est talium. Adhæsit in terra venter noster. Et iterum: Adhæsit pauimento anima mea. Et rursus. Infixus sum in limo profundi. Hinc exclamat Satyricus. O curuas in terra animas & cœlestium manes. O quam suauior vox atq; iocundior regredientis ad Deum & gratias agentis, quod de tenebris vocauit nos Deus in admirabile lumen suum cuius figuram gessit Petrus à vinculis ferreis & carcere tetro liberatus, & eductus de custodia ad confitendum nomini Domini. Verè vincula ferrea, cupiditates nostræ. Verè carcer est tenebrosus, horridus, squalidus & scenosus sordidum desiderium cordis nostri, & anima talibus immersa quando poterit liberis intelligentiæ alis ad alta subuehi, ipsa ad Deum regredi quando valebit? Hoc itaque fieri est impossibile, nisi in manu forti & brachio extento illius qui eduxit vinctos in fortitudine, qui de stercore erigens pauperem, vt sedeat cum principibus, qui contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Hoc solo authore sicut anima à Deo exiuit, sic ad Deum vadit, quamquam donum hoc exercentibus se ad ipsum & non nisi talibus de lege communi præstetur. Epilogantes ergo concludamus, quod est vnus Christi exitus à Deo per æternam generationem, & habet suum regressum per spiritus spirationem, secundò per humanitatis assumptionem, habet suum regressum per corporis glorificationem, tertiò per animæ creationem, habet suum regressum per contemplationem.

Post sensum litteralem, theologicalem & & metaphysicalem, superest vt thema nostrum præsertim primam eius partem ad mores quoque nostros transferamus. Et dicamus quod duplex est mortalis exitus animæ à Deo. Vnus pessimus per superbiam, alius optimus per humilitatem. Per superbiam exisse legitur filius ille prodigus in regionem longinquam Lucæ 15. Quomodo exierunt Adam & Cain, Genes. 3. 4. Quomodo egrediuntur foras illi qui ima vident, & loquuntur in ipsum, scilicet contra Deum, qualiter exierunt & exibunt. Discedite à me maledicti in ignem æternum. Matth. 25. Longinquus valde & pestiferus hic exitus, quia longè à peccatoribus salus. Exitus iste à Deo non est, sed super Deum, suæ voluntati propriam anteponendo, ideo dicitur elatio. Testis est ille qui est rex super omnes filios superbiæ Iob. 40. Qui extollitur & erit super omne quod dicitur Deus 2. ad Thess. 2. Taliter egrediens foras, euanescit vt fumus, nec regreditur sicut coruus, nisi forte per impatientiam & rabidam obstinati odij latrationem, loquatur in idipsum, in Deum videlicet, & dentibus suis in eum fremat & tabescat. Est præterea exitus bonus à Deo per humilitatem, sed sub Deo, & rursus ad Deum. Non quidem locali distantia, nam quo ibit homo à spiritu tuo Domine, & quo à facie tua fugiet? Si ascenderit in cœlum, tu illic es &c. Sed fit exitus iste propria quadam reputatione & intelligentia, quando anima ex consideratione intima diuinæ immensitatis, resilit in paruitatem suam, & se ad se cõtrahit & loco cedit, prout ad aspectum magni alicuius principis pauperculus seruus aut damnatus experitur. Hoc suo modo anima infirmitatis propriæ, immo cuiusdam nihileitatis conscia, ad cognitionem præsentiæ diuinitatis immensæ horrescit, stupet, pallet,

Psal. 48. Psal. 118.

contremiscit, intratque fugiens à se velut in quandam desertam omnis imperfectionis egestatis suę regionem, quomodo intrauerat Augustinus qui dixit in lib. confessionum. Et factus sum mihimetipsi regio egestatis. Nonne tibi Petrus miraculi stupore in captura piscium attonitus, sic exire Dominum voluisse visus est? Exi inquit à me Domine, quia peccator sum. Lucæ 5. Sic hodie manum Christi beatam volentem pedes eius ad lauandum tangere ipse refugit, dicens: Domine tu mihi lauas pedes? Velut si verbum prædictum repeteret. Exi à me Domine, non lauabis mihi pedes in æternum. O super admirabilem hunc humilitatis exitum. Felix anima quæ taliter exit à Deo, quia nunquam rectiori via ad Deum vadit, nam correlatiua sunt & omnimode se habentia idem, exitus iste à Deo, & ad eundum regressus. Sic vallis descensus & montis ascensus. Mentior si non ita se consequi testata sit veritas. Qui se humiliat (ait) exaltabitur. Lucæ 14. & 15. Hinc Augustinus ait in epistola quadam ad Dioscorum: Non aliam tibi inquit, ad capessendam obtinendam & veritatis viam inuenies, quam quæ inuenta est ab illo qui gressum nostrorum tanquā Deus vidit infirmitatem.

Prima est humilitas, secunda est humilitas, tertia est humilitas. Quotiens hoc interrogaueris, hoc dicam. Bonum est nos hic esse (ô deuoti patres ac sapientes viri) bonum est de humilitatis exitu sermonem audire. De qua vtinam cum humilitate & vt res digna erat, loqui posset arrogans & stulta præsumptio cordis mei. Nam quale monstrum est, quale sacrilegium, vermiculum de humilitate loquentem, & ideo superbedire quia laudat humilitatem, & ideo exire à Deo supra Deum malle per superbiam, quia suadet ab eodem, sub eodem exire per humilitatem? Quis hoc crederet, si non quia totiens expertum est? Sed inter laudandum humilitatem surrepit superbia dum valde detestari quæritur. Ipsa quando non introibit, quando non castra cordis nostri subdola machinatione penetrabit. Vę vę filijs Adam ab hac terrifica pernicie.

Sed ad humilitatem redeo, ad cuius præconium tria miracula eius supra modum mirabilia, triplex notificabit consideratio. Rectè quidem de beato humilitatis exitu totum huius collationis reliquum contexerunt, vt alijs pollicitus sum ostensurum. Ex titulo humilitatis ius tradi humilibus ad omnia quę conantur possidenda, non quidem ciuili lege, sed diuina. Nam & mysterium non dicam diei huius solius, sed totius passionis dominicæ, quid aliud principalius eloquitur quam imitandæ humilitatis exemplum? Propter quod saluator noster carnem sumere, hoc est à Deo exire, & crucem subire voluit, vt oratio dicit ecclesiæ. Ob hanc deniq; humilitatem concludit præsens euangelium. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodū feci vobis, ita & vos faciatis. Tria humilitatis exempla sumemus secundum tres vires animæ, irascibilem, rationalem, concupiscibilem. Et tres virtutes theologicas, fidē, spē, & charitatem. Et tria diuinis personis attributa, sapientiam, potentiam, & bonitatem. Et iuxta tres status ecclesiæ, prælatos, doctores, religiosos. Et secundum tres scripturæ authoritates. Prima humilem spiritu suscipiet gloria Prou. 29. Secunda authoritas, vbi humilitas, ibi sapientia. Prouerb. 11. Tertia, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam Iacob 4.

A

Prima consideratio.

Humilem spiritu suscipiet gloria, itaque humilitas vera nam est qui se nequiter humiliat. Eccles. 19. Vera inquam humilitas, dum feliciter exit à summa potentia & gloria, & magnificentia maiestate Dei in suam impotentiam, ignominiam & seruilitatem intuendā sentiendamq;, efficitur potentissima & gloriosissima & imperatrix liberrima atq; monarchia super omnia. Vultis audire rationem, illam accipite. Perhibet Seneca quod facilis ad diuitias per contemptum via. Itaque dicimus de potentia & gloria & reliquis quæ mundus offert, & quæ contemnendo fieri nostra testatur Ambr. Vnde verò melius quam per humilitatis egressum à Deo, contemptus iste generatur, quando in comparatione diuinitatis perspicuè cernitur, quod vanitas vanitatum & omnia vanitas, omnia mendacium. Quidni libeat exclamare cum propheta. Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? *Psal. 4.* Quidni præterea contēpta vanitate & mendacio, faciat hęc sublimissima humilitas, hæc ditissima paupertas, solum Deum gloriam suam potentiam suam, opulentiam suam & hanc arbitratur esse partem suam hæreditatem præclaram, & portionem vberrimam in terra viuentium, cum illo qui dicebat: Pars mea Deus in æternum. Et in Gallico sonantius dicitur: *C'est grande portion & bonne à partir.*

B

C

D

Porrò quid ad ista conuenientius, quam vt hæc humilitas sit gloriosissima, cuius gloria solus Deus est? Hæc vilificatio sit nobilissima, hæc abiectio vbique famatissima, quia Deus fama sua nunquam abest, vt hæc deniq; impotentia, hæc seruitus summa sit potentia, immo omnipotētia, summáq; libertas. Omnia possum (inquit apostolus) in eo qui me confortat Christo ad Phil. 4. Videat qui potest, quanta sit ex aduerso omnis superbiæ vanitatis egestas, impotentia & vilitas. Nā qua ratione repleret vanitas, satiaret egestas, dominaretur abiectio, consolidaret infirmitas. Attamen quid aliud sunt hæc omnia, nisi vanitas vanitatum, & omnia vanitas & afflictio spiritus? Ex his perspicuū est quo pacto vim irascibilem, cuius est in ardua tēdere, perficit hic beatus humilitatis exitus à Deo desperatione sui totali, summam de Christo spem gerēdo, & ita secundū omnes alias suas virtutes quas enumerat Guillelmus Parisiēsis reliquas. Ponit itaq; humilitas hæc solū Deū spē suam, fortitudinem, protectionem magnificentiā: & ita de cæteris. Propterea fidenter ait: Dominus protector vitæ meę, à quo trepidabo? *Psal. 26.* Etenim quo rueret, quomodo nutaret, aliud amplius quid conari posset, quæ profundissima stabilitate immobilitati penitus adhæret? Quid eam aduersum violaret, quæ altissimum posuit refugium suum in firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine? Quo fugeret alibi? Quid aliud speraret? Quaóbrē in remedijs humanæ instabilitatis & incertitudine casuum tam horrēdum procellis, figit nauem cordis immobiliter, velut ancora quędam spiritualis

E

F

spiritualis & intelligibilis. Denique non ponit carnem brachium suum, vt superbia quæ sperat in multitudine diuitiarum suarum vel temporalium vel spiritualium, & prævalet in vanitate sua. Hæc idcirco sibi cauet ab omni excellentia nimia, ab omni quoque defectu, vt ne extollatur præsumptione, nec frangatur desperatione, non obstinetur obstinatione nec dissoluatur eneruі mollicie, quemadmodum de his & aliis in omni materia virtutis si vacaret, fieri posset manifestum, si qualiter ardua mediocritate via regia semper incedit, doceremus.

Sed ad dominantissimum eius imperium venio. Quid enim est rebus dominari (prout alias prosecutus sum latius) quid enim est dominari rebus inquam, nisi eis vti posse iustè vt placuerit? Hoc autem conuenit humilitati, omnia quippe assumit in sui facultatem & vsum, dum propter Deum se & omnia alia contemnenda decreuit. Quo contemptu satiatur amplius (ne nos irideát pharisæi auari hæc au dientes) & copiosius absque vlla comparatione contentatur, quam ex nuda possessione ciuilis tituli, quam insuper ex tendentia inhiante ad quascunque diuitias, aut eas per amorem amplectente, aut eis incubante, ac mentetenus inhærente ditaretur. Sic de Catone præclarè dictum est à Salustio, quod quò plus gloriá fugiebat, eò magis assequebatur. Ita proculdubio de diuitijs, ita de potentia seculi, ita de vmbratili quolibet bono huius mundi sentire æquum est.

O quale igitur quantumque humilitatis dominium, habere omnia sub pedibus per generosum contemptum. Omnis locus quem calcaueerit pes vester, id est affectio, vester erit, inquit Dominus Deuter. 11. Quam latum imperium, nihil aliud à Deo magnipendere, vel à nullis subiici neq; conculcari. Hoc nonne est signum magnum apparens in cœlo intelligibili & supremo animæ rationalis? Mulier scilicet humilitas, amicta sole iustitiæ. Nam quid istius humilitate, quæ omnem implet iustitiam? Glos. Matth. 3. In capite eius corona stellarum duodecim, omni scilicet fulgore virtutum radians perfectio, & luna totius humilitatis sub pedibus eius, hoc est sub affectionibus per contemptum. Hæc est ditissima humilitas, quæ docuit Paulum scire abundare, & scire penuriam pati, habere omnia, & abundare in omnibus. ad Philip. 4. Quasi nihil habentem & omnia possidentem. 2. ad Cor. 6. Hæc exaltauit Christum summè humiliatum in passione, & dedit illi nomē quod est super omne nomē, vt in nomine Iesu flectatur &c. ad Phil. 2. Ecce dominationem omnium per humilitatem. Proinde si hæc iure suo possidet regnum cœlorum, sicut & possidet, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Matt. 5. Quid à dominatione sua relinquetur alienum? Denique ad eius obsequium militant omnia, seruiunt, prosunt, obsequuntur. Aduersa quidem vt blasphemiæ, iniuriæ, persecutiones, necessitates, angustiæ, ad exercitium & tutelam, ad medicinam quoque ac necessariam custodiam. Prosperis verò vtitur ad modestam sobriamque consolationem. Dicam amplius, militant pro ea sui hostes fortissimi, nam ex peccatis redditur cautior, firmior atque validior, immo vide miraculū, ipsa enim ex morte propria reuiuiscit sæpius, for-

tiorque resurgit. Nam quis neget magnam esse A humilitatis recuperandæ rationem, humilitatem perdidisse? Quinetiam oritur ex suo contrario quod est superbia, non minori miraculo quod si frigiditatem calor gignat. Humilitatis quippe nō parua est occasio animam contra Deum suum, benefactorem suum, patrem suum, Dominum creatorem, redemptorem superbisse. Similia verè non miracula, sed portentuosa monstra dæmon in filia sua superbia crebrius operatur, quia ex morte propria & ex humilitate contraria, & ex B sordibus & aduersis sibi virtutibus pulcherrimis, dum stultè gloriatur, fœdissimam trahit originē. Ad vnum igitur dicere est, quod superbię exitus à Deo supra Deum, sicut egentissimus est atque pauperrimus in vilitate paupertatis. (Omnia nimirum conuertuntur in suam inopiam & destructionem, notatur Eccles. 40.) Sic multo plus beatus ille humilitatis exitus à Deo sub de Deum, opulentissimus est, ditissimus est, dominantissimus est, in supremo dominationis quoniá omnia sibi cooperantur in bonum, mors, egestas, contume- C liæ, immo & angelus satanæ & diaboli omnes cum stimulis & tentationibus suis. Paulus & Iob huius rei testes sunt. Peccata insuper & cæteræ pestes aduersæ seruiunt ei, tyria causa sibi efficacissimam conficiendo, quemadmodum testatur Augustinus. Quis mihi non credit quod expedit superbos in turpia quandoque peccata corruere? Hac arte dominandi facit ipsa de omnibus sicut de obsequiosis seruitoribus profectum suum, sicut è regione superbia damnum acquirit ex omnibus, cuius oratio etiam fit in peccatum, charitas D in odium, virtutis laus in opprobrium, dum post hæc omnia exit à Deo ingratissima prorsus elatione supra Deum.

Postremò humilitas suo modo est ambitiosissima, cupidissima maximi cordis & altissimi spiritus. Cur ita? Quoniam dedignatur impleri nisi summo honore, nisi summis diuitijs, nisi maxima gloria. Superbia verò vt pusilli cordis & puerilis & stulti, paruissimis inhiat, capitur, afficitur, & vexata torquetur. Nunc ad statum prælationis, E qui potentiæ Dei correspondenter ordinatur in ecclesiastica hierarchia, applicemus quæ dicta sunt, & inferamus quod absque humilitatis exitu in suæ paruitatis recognitionem actualem vel habitualem, non potest quis prælatus habere euangelici dominij perfectionem. Itaque peruersus & diabolicus non ordo, sed horror dicendus est in ecclesia, vbi est sublimior qui & superior, vbi qui maior est, non fit sicut minor, quamquam ita fiat aliquando, vel ad subditorum punitionē. Iob. 33. F Quia regnare facit hominem hypocritá propter peccata populi, qualia nunc horrenda sunt & abominanda supra quam credi potest. Aut ad præsidentis damnationem, sicut in Iuda & multis apparuit, & illis qui subditis incorrigibilibus præsūt ad vtrorumque exitium, vel ad contemplatiuorum exonerationem, ne talibus vilioribus occupentur. Ita habemus quod pelles tabernaculi protegebant arcam testamenti.

Est autem triplex signum in prælato suæ humilitatis. Fuga prælationis, fuga pompositatis: cura spiritalis. Primum signum fuga prælationis dat præparationem animi promptissimam ad ceden-

dum suæ prælationi, si & quando fuerit pro grege conueniens quia dixit ex animo, dum instrueretur nolens volo. Oppositum sentire corde, ore & opere est in prælato damnabilis superbia, & eo damnabilior, si nec aduersitatibus, nec infamiis, nec aliorum consilijs, nec subditorum scandalis, à prelationis amato onere possit auelli. Væ væ ad hoc signo superbiæ. Mirandum si remoto fundamento huius ecclesiastici parietes fluuiosis riuis vbique desistunt volumus illos consolidare & vnire, vt humilitatis fundamentum iaciamus. Secundum signum humilitatis est fugam pompositatis in se & suis. Oppositum facere est damnabilis superbia, quantumcunque sub honestatis specie aut ecclesiæ vtilitate pallietur. Sed medium inquiunt, optimum est, consentio. At quale medium? Certè non vt pharisæicè desipiens sapientia animali, terrena & diabolica, sed vt Christianè sapiens determinabit. Tertio signo curæ spiritualitatis opponitur tota cura & occupatio in paruis & ludicris & temporalibus, seu lucris, seu iurisdictionibus, & practicorum sola promotio, atque spiritualium quoq; horror & desertio.

Nunc ad statum doctorum, qui secundum canonem est quasi præcipuus in ecclesia, & ad sapientiam diuinam correspondenter ordinatur, applicemus quæ dicta sunt. Apud doctores, præsertim in sacris litteris, ille sapientior est qui pluri humilitatis salæ, id est sapore sapientiam suam condiuerit. Non dico pluri cognitione, sed sapore, quamquam sapor sit quędam cognitio. Hoc dixisse fertur Ptolemeus, quod sapientior est qui & humilior. Huic humiliati aduersantur tria signa, curiositas, singularitas, impatientia vel incorrigibilitas. Curiositas est dimissis vtilibus & ædificatorijs per se & populo, conterere ingeniũ, perdere tempus in eis, in quibus non est bonum, neque finis, sicut de mathematicis dicit Aristoteles. Aut quorum finis solũ est scire, vt ait Seneca. Aut forsan superbire, vanescere, & de ingenio alto & subtili præ cæteris gloriari. Hoc agere signum est instinctus diabolici aut naturæ corruptæ, & ibi ceciderunt omnes quos sub specie reuelationum & instinctuum diuinorum seduxit sathanas, transfigurans se in angelum lucis. Sanè dum hincinde multa legi, multa cogitaui, multa audiui, & quædã expertus sum super distinctione inter bonos instinctus & malos, inter diuinas reuelationes & diabolicas illusiones. Denique inter bonas reuelationes & immissiones per angelos malos, hanc in veritate comperi præcipuam distinctionem & indefectibile signum, quod instinctus bonus semper est ad humilitatem & cum humilitate. Malus verò ad vanitatem quandam & cùm vanitate ad ipsam excellentiam palam vel occultè. Qualiter autem curiositas sciendi inutilia vanitate careat, viderint curiosi, etiam quo pacto absque tumida elatione spiritus possit aliquis gestas, legendas, historias, & miracula sanctorum nihili pẽdere, ego non intelligo, quorum lectio maximè ardẽs est, & humiles ad imitationẽ potenter inflammãs. Porro singularitas secundũ signum superbiæ in doctis, aut de nouis & inauditis & peregrinis adinuentionibus, immo habet hoc mirandum singularitas, quod ex superbia generat pigritiam, silentium obstinatum, pusillanimitatem, dum videt se non posse cæteros in loquendo vel docendo præcellere. Hæc est mater errorum, & ductrix ambulandi in adinuentionibus suis. Denique impatientia vel incorrigibilitas tertium signum superbiæ ponitur à sapiente. Doctrina inquit, viri per patientiam cognoscitur. Errare quidem humanum est, sed planè diabolicum corrigentibus succensere, nec acquiescere.

A

Nunc ad religiosos & deuotos, quales decet esse Christianos omnes qui sunt professi in baptismo sub vno abbate Christo, quorum status respicit appropriatam spiritussancti bonitatem, inducamus quæ diximus & inferamus. In Christiana religione ille sanctior est qui & humilior & humilior qui sanctior. Huius humilitatis triplex signum est, confessio, compassio, & voluntaria sui deiectio. De reliquis videatur deuotus Bernardus de duodecim gradibus humilitatis & superbiæ. Confessionem ideo posui pro signo humilitatis, quia vix temporibus nostris fit aliqua confessio purè, nudè & integrè. Vt quid ita? Certè propter hypocrisim & amorem vanissimæ famæ nostrę, quem timorem mundanum parturit, & pudorem talem quidem & ita tyrannicum, vt cogitare sit ingens horror. Væ præcipitantibus & volutantibus semetipsos in passiones ignominiæ, in flagitia corporis extraordinaria, quia claudunt sæpius os ad confessionem, & muti tendunt ad infernum. Nam & Sodoma interpretatur muta. Audiui à quibusdam, quod maluissent tolerare dolores partus, vel mortis æternæ periculosè exponere, quam aliqua de suis pudendis impudicitijs confiteri, non ob defectum fidei & credulitatis sacramenti (vt dicebant) sed quia tanto pudore vexarẽtur, ne salubriter loquerentur coram vno secretissimo sacerdote, quæ ipsi damnabiliter & quasi palam impudenter operabantur cum alijs nihil celare scientibus. Cæterum cum passio de peccatis aliorum, certissimum est humilitatis veræ signum, sicut è contra proprium est superborum alijs indignari. Vera iustitia, inquit Gregorius compassionem habet falsa indignationẽ. Si quis audit vel cognoscit aliorum peccata multa vel magna, & inde precatur vindictam, aut gaudet de inflicta, non securè precatur neque gaudet, quoniam reuersus cognoscere debet se multa punitione dignissima commisisse, quibus tamen petit indulgeri, non irasci. Sic egit sanctus pater, qui audiens peccatum fratris, fleuit & dixit: Ille heri, ego hodie. Idcirco vis aptam meritis vicem impendere, inquit Boëtius, Dilige iure bonos, & miserere malis. Nouissimè subiectionem seu deiectionem posuimus tertium humilitatis signum. Nam verè humilis est, qui ex vera sui cognitione sibi vilescit. Hic se diuinis gratijs indignum comparat, hic laudes horret proprias veluti insidiatrices, tollere volentes ipsum in altum, vt lapsu grauiore ruat. Propterea deijcit se iugiter in terram suæ fragilitatis, prout de Anteo gigante, fingit fabula, cui ex casu suo in terram vires augebantur, sed in sublime leuatus ab Hercule strangulatus est. Hic se in omnẽ creaturam Dei peccasse fatetur, in cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt. Nullam ergo flagellationem ab eis reijcit, nullam læsionem, iniuriam nullam, hic denique iudicia Dei magna & occulta velut tumentes

super

super se fluctus expauescit. Attendens quomodo nec fortium bellum nec artificum gratia, & quod è catenis & carcere trahitur quis ad regnũ &c. & quod nemo scit an amore vel odio dignus sit. Ecclesi.9. Ad hæc alta & longè diuiniora veræ humilitatis monita capienda, plus proficit vnctio quam lectio, oratio quam peroratio, alta suspiria quam acuta ingenia, & super omnia frequens, fidelis & pia commemoratio passionis Christi. Qui à Deo exiuit in mundum, vt eam in schola sua doceret, & hodie dum regredi vult ad patrem, verbo simul & facto confirmauit. Ad hoc enim lauit pedes discipulorum & dixit. Exemplum enim &c. huius humilitatis nos participes volens.

Secunda consideratio.

Vbi humilitas, ibi sapientia Prouerb.11. Anima quippe rationalis exiens à diuina sapientia in suã insipientiam sapidè cognoscendam, sibi vtique stulta redditur, ac perinde diuinam illam sapientiam adipiscitur, quam iubet apostolus 1.Cor.3. Si quis inter vos videtur sapiens esse, stultus fiat vt sit sapiens. Hanc veram dicit sapientiam Lactantius non alibi quærẽdam esse, quam in schola cui titulus est stultitia. Ita pater, quoniam sic placitum est apud te, ait Christus.

O quis dabit nobis hanc stultam sapientiam? Væ filijs hominum qui sapientes sunt in oculis suis, & coram semetipsis prudentes, quia quanto magis sapientiam quæsierint, tanto ipsa longius fiet ab eis. Et profectò nisi fiant paruuli, nisi crediderint captiuando omnem intellectum in obsequium fidei, ipsi non intelligent. Ostium ad sapientiam veram Christus est, & idem sanè humile, turgidus & elatus spiritus illud quando poterit introire? Attendamus obsecro quantulum illud est quod extra Deum egredientes scire conamur. Viderunt hæc philosophi Plato & Socrates, & omnis Academicorum schola, qui postquam defecerunt scrutantes scrutinio, vocẽ hanc suspirauerunt, hoc scio quod nescio, immo nec hoc scio quod nescio. Bonus erit talis exitus in insipientiam suam cognoscendam, si non supra Deum exeuntes, euanuissent in cogitationibus suis, & si à Deo, sub Deo egressi redissent in ipsum, Deum vt Deum glorificantes & gratias agentes, qui scientiarum Dominus est & docet scientiam, ipsi non ita. Ast verus humilis in se quidem stultus Deum constituit sapientiam consilium suum, & dum profundissimè concauatur, recipit in seipsum velut in centro quodam speculi concaui intelligibiliter radiosas incidentias illustrationum supernarum, tam Dei qui humilia respicit, quam aliquando intelligentiarum desuper effulgentium, à quibus illuminatur mirabiliter sicut à montibus æternis.

Hæc intellige non quod verus humilis quærat solum duci per reuelationes spirituales contempta ratione naturaliter indita sibi, seorsum hæc præsumptio, sed eandem rationem plurimum obscuram & nubilosam, ac proinde in errorem quemlibet promptissimam petit tergi, mundari, polirique, vt in lumine hoc vultus Dei signato super eam, ostendantur bona sibi. Præterea sensum alienum præfert suo, non innitens prudentiæ suæ. Exinde cauet sibi ab illusione dæmonis meridiani transfigurantis se in angelum lucis, qui
A non aliter quam per hãc credendi alijs humilitatẽ exuffluatur. Non omnes aliter laquei sui, (teste oraculo ad Antonium) euaduntur. Denique videre est in hoc humilitatis exitu, præcipuè in Christo, stupenda diuinę stultitiæ miracula. Nam de peccato damnauit peccatum, & de infamia famam, de ludibrio & ignobilitate gloriosam nobilitatem progenuit. Placuit insuper per stultitiam prædicationis destruere omnem scientiam extollentem se contra Deum. Nam contra scandalum Iudæorum, irrisionem gentium, astutiam
B dæmonum, atrocitatem tyrannorum, reclamantibus vndique magno boatu philosophis, immo proprijs sensibus, docuit paruulos simplices eam quæ doctus Plato nesciuit, quæ Demosthenes eloquens ignorauit, & sic docuit quod nihil certius teneatur, quam quod humili fidei stultitia creditur.

Tertia consideratio.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Iaco. 4. Ad quem respiciam ait Dominus,
C nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Esai. 66. Itaque anima quantum exit à diuina bonitate & perfectione in suam vilitatem, deiectionem & imperfectionem, tanto est perfectior. Non mirari hæc, quia diuinis gratijs & donis eò est plenior, tanquam vallis abundans frumento virtutum tanquam intelligibilis quædam abyssus fluenta sorbens aquarum viuentium, quasi vacuum quoddam spirituale, ad quod replendum confluunt omnia, nec implere sufficiunt nisi Deus secundum August. j. confess.
D Hãc perfectissimam imperfectionẽ, hanc optimã (si sic dici potest) peccabilitatem sibimet ascripsit Paulus, dum se primum inter peccatores nominauit, & quia non mentiebatur ita verè sensit. Hoc planè magnum miraculum, videre hominem in virtutibus omnibus clarescere, & laborare plus omnibus, nihilominus se primum inter homicidas & matricidas, & omnes sceleratissimos computare. Dicere aliquid grandius meditor, nescio si potero, iuuate me, puto, immo certè credo quod Christus & Maria Paulum in humilitate
E non paululum trãscenderunt. Vellem ergo scire. Nunquid fecit hæc humilitas, vt Christus & Maria se tanto verius inter peccatores primos nominarent, quanto humilius à Deo in se exeuntes, suum imperfectum lucidius cognouerunt? Poterat æstimo sic intelligi, ac si non horrerent pię aures sic dici, non quidem de peccato contracto, absit, sed de labilitate ad peccandum. Nam creatura rationalis quælibet labilior est & pronior ad casũ & defectum, quanto in naturalibus aut etiam gra-
F tuitis fuerit ornatior seclusa Dei manutenentia speciali, quasi videlicet plus habeat creatura omnis de vanitate & tendentia in nihilum, quanto plus de entitate. Signum huiusmodi euidens fuit in lucifero, Adam, & alijs multis, quorum nobilitates & perfectiones quid fuerunt eis nisi pondus grauius ad ruinam? Hoc sentit anima Christi, hoc Maria eo profundiori humilitate quò lucidius contemplantur. Hinc Augustinus vocauit Mariam puellam vilem & abiectam in oculis suis. Nam quo pacto Maria & Christus, secundum animam fixius se & omnia dona sua stabilirent in

Dominó si quomodolibet fidendum esse sentirent in viribus suis & in abundantia diuitiarum suarum. Et si præterea non seipsos computarent in illorum numero, de quibus propheticus sermo dicit: Veruntamē vniuersa vanitas omnis homo viuens. Si non insuper iubentē audirent. Quāto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, Eccles.3. Demum qui se humiliat si exaltetur, quomodo maximè exaltabitur qui maximè se humiliat? Christus aut humillimus est, ergo sibijpsi secundum humanitatem, vt sic consideratam, vanissimum aliquod ens & inane reputatus est, rectè quidem, vt non in se, sed in Domino glorietur. 1.ad Cor.1.

A

B

Audis ne hoc ô præsumptio stulta cordis humani, ô stultissima inquam cordis humani præsumptio, nunquid hoc attendis? Vt quid superbis terra & cinis? vesica ventosa cur inflaris? ô pellis fragilis & citò rumpenda cur tenderis? Si quæris honores superba ceruice, si sapientiam, si gratiam, tota (vt dicunt) erras vias. Tu quò tibi maior, eò vilior, pauperior & stultior efficieris. Tu pharisaico more diuitias tuas iactas, noli mirari, si nihil eleemosynę capis, sed humilitas egena est, sibi datur. Alios iudicas, in alios indignaris, & vindictam optas tu peccator maximus, sed humilitas benignissima est, ignosci petit omnibus. Tu ergo cum seueritate: humilis cum misericordia, & sicut elegistis, iudicabimini. Tu princeps es, tu proprij freni impatiens, etiam in eis quę Dei sunt, quasi manus tua sit excelsa ad constituendum alium in bonum, & non Dominus faciat hæc omnia. Humilis autem exemplo Dei cum tranquillitate, mansuetudine & pace singula tractat in Domino faciens virtutem. Vtinam qui virtutes congregat vel ædificat, saperet & intelligeret, quoniam omnes cum humilitate connexæ sunt, omnes fundatæ, omnes agglutinatæ, qua sublata fugiunt omnes, nocent & oberunt, velut cedente fundamento cuius domus omnis inclinata recumbit. Amplius sola mens humilis secura est, quia non habet vbi cadat profundius quam in Deum, illic experitur pacem Dei, quæ exuperat omnem sensum. Porrò secura mēs quasi iuge conuiuium, quamobrem læta est semper & iocunda humilitas, sed cum seueritate, immo & miraculosè quodammodo secundum multitudinem dolorum in corde suo cōsolationes tuę Domine lætificant animam istam. Superbia verò tumida & timida est, & malè tristis, vel peius læta, inquietissima quoque, quia ponit in ore hominum famam suam quasi alteram vitam suam, nimirum si sæpe discerpitur, laceratur, conculcatur, deijcitur, & si nunquam in eodem statu permaneat. Nimirum si difficulter humilietur, quia infamiam suam horret sicut mortem alteram. Quinetiam hoc ad humilitatis acquisitionem difficillimum est, quod pugnant contra eam non vnum tantummodo vitium aut duo, sed omnia, & quod plus obstupesces, pugnant ipsæ virtutes omnes contra eam, licet ex indirecto primo, immo ex eā quādoq; gignit monstrifico partu mens nostra superbiam. Quale igitur patet effugium vbi & vitia & mores vitiorum, virtutes insuper & mortes virtutum habent manus contra eam,

C

D

E

F

nisi cautè prouiderit, & nisi in timore Dei instanter se tenuerit. Finis.

CARMEN CONTRA TVMIDVM COR, ET QVID SANAT ILLVD.



Cur te distendis ventosa superbia, quid te
Sufflas & iactas? dum tibi vana places.
Vidi ego vesicam modico turgescere flatu.
Quæ pisis sonuit quatuor impositis.
Hanc puer vnus acu pupugit, displosa repente,
Vilis & absque sono flaccida detumuit.
Quisquis adulantum turgescis voce, sub isto
Disce typo, tibi quid mortis acumen aget.
Te prius ergo humilem proprij compunctio cordis
Spinave configens, si sapis, efficiet.
Nullus adulator peior tibi quam tibi fiet,
Si tibi blandiris, téque colendo tumes.
Lucifer hinc cecidit, nec mirum, dum videas nos
Turpes & viles peste sub hac ruere.
Pulcher quid faceres, quid in omni per te decorus
Omni cum plenus sorde superbis homo?
Dicis, diues sum, nec egens, nescis quia pauper,
Nudus, cæcatus, vilis es atque miser.
Prospera sors nutrix est huius subdola pestis,
Aspera sanat eam prosperiore manu.
Vnus vt è patribus ventoso corde careret
Dæmone vexari quæsijt, obtinuit.
Ergo quid aduersas tanto fugimus studio res
Consulimus sortes, fidimus in medicis?
Sed nolo tentare Deum dices, agis aptè,
Si tamen ante feres præsidium Domini.
Angelicum si subsidium, si spemque fidemque
Cura nec humanis sit nimis auxilijs.
Cura superflua sit, si plus, si non vt oportet,
Nec pro persona, conditione, statu.
Tu corpus refoue, tu cura sedulo carnem.
Quid nisi confestim putre cadauer erit?
Spiritus æternus datus est tibi, iure colatur,
Atque humilis, mitis, vilis, & esto tibi.

SERMO DE POENITENTIA FACTVS PER EVNDEM DOMINVM Cancellarium in cœna Domini.



SI non lauero te, nō habebis partē mecum Ioan.13. & in euangelio præsentialiter recitato. Amplius laua me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo mūda me, quia coinquinauit me nimis, ne ad pronunciandum sanctum verbum tuum vir pollutus labijs, reprobus & incircuncisus inueniar. Malè nimirum præsumit sordes alienas vel loquendo vel operando tergere, qui totus peccati volutabro demersus est. Quamobrem tibi Domine Iesu non tantum pedes affectionum, sed etiam caput intentionum & manus operationū ad abluendum offero. Irrora desuper, distilla pluuiam voluntariam gratiæ tuæ, quatenus per venā oris mei egrediantur verbum plenum virtutis & bene sonans, quo per auditum suspecto, mundi fiant omnes propter sermonē tuum, digni quoq; inueniantur habere partem quæ repromittitur mundis

mundis corde, quia ipsi te Deum videbunt. Fiat hoc illa intercedẽte mundarum mundissima matre tua, quam interpellamus propter hoc atq; salutamus, dicentes: Aue gratia plena.

Si non lauero te &c. Dura valdeque tremenda sententia, si non lauero te, non habebis partem mecum. Attendat vestra deuotio quæ sit pars, cuius ablutionem Dominus comminatur ei qui lotus ab eo non fuerit, & agnoscet quia hic summa paupertate, miseria & calamitate præsumitur. Quippe pars ista Dominus est, qui se mercedem magnam & omne bonum nominat, de qua gloriabundus propheta totus exultauit, dicens: Deus cordis mei & pars mea in æternum Deus. Pro qua insuper commendatur Maria, quia optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, cui pars hæc vberrima & maxima portio non sufficit, nimis auarus vel stolidus est. Quid est igitur Dominum dicere. Si non lauero te, non habebis partem mecum, nisi eum dare patenter intelligit, si non lauero te, non habebis me, separaberis à me.

Porro quid vltra profectò reliquum est, nisi vt talis illotus proijciatur à facie Dei, etiam à sorte sanctorum, eátq; maledictus in ignem æternum, cum illis quorum (sicut Apocalypsis scribit) pars erit in stagno & igne ardenti & sulphure. Ignis quoque grando, nix, glacies, spiritus procellarũ, pars calicis eorum. Si pars verò illotorum tam horrenda, tam intolerabilis dicitur, de toto quid expectandum censemus? Maledictus qui partem suam hoc modo facit deteriorem. Terreat igitur vnumquemque nostrum viri patres & fratres, terreat & erudiat hæc formidanda nimis sententia: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Primum erat, vt viuendo innocenter custodiremus nos immaculatos ab hoc sæculo, nunc verò quia polluta est nostra mens & conscientia, superest vt lotio diuina nos emundet. Sed vnde sordes in nobis? Vndique prorsus. Polluit nos superbia, inuidia ira, acedia &c. Polluit nos sicut olim in lege immundus cibus, & hoc per malam delectationem. Polluit nos immundus morbus, vt lepra per malum consensum, immundus tactus in opere, immundus locus in peruersa consuetudine. Polluit nos per omnem modum pars quam arbitramur nostram esse, mundana cupiditas, quæ est pars vana, vilis, fragilis & damnosa. Talem partem figuratam habemus in Nabuchodonosor, de quo Daniel. 3. Cum feris pars eius in herbis terræ. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei. Attendite vilem societatem, quia cum feris carentibus sensu. Et nonne homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus &c. Vide vilem possessionem, quia in herba terræ. Et quid herba terræ, nisi terrena felicitas, de qua propheticus sermo. Mane sicut herba transeat, mane floreat & transeat, vespere decidat, induret & arescat. Denique considera vilem commutationem, & cor ferę detur ei. Fera etsi non habet sapientiam retinet tamen crudelitatem. Sic illoti bestiæ sunt in humana effigie latitantes, secundum verbum Senecæ & Boëtij, deductionem omitto. Sed vnde vobis lotio? Attendite quia lauat nos ab inquinamentis nostris magister & Dominus noster Iesus Christus. Effundam inquit, super vos aquam mundam. Alioquin si non lauerit, nullus mũdabitur, nemo non priuabitur parte sua. Lauat autem. Quomodo lauat ministerio pœnitentiæ salutaris, quæ velut lotrix sagacissima, diligens & virtuosa præparat aquam in contritione, abluit in confessione, extergit in satisfactione. Sic restituitur pars nostra Deus in perfecta reconciliatione. Felix pars quia velut pars Beniamin superat in quinque partibus partem immundorum. In bonis naturæ quæ reparantur in bonis fortunę quę possidentur, in bonis gratis datę quæ multiplicantur. Denique in bonis gratiæ gratificantis, & gloriæ beatificantis, à quibus alij priuantur. Animaduertat vnusquisque nostrum quid dicat Christus, quidve intelligat ad nostrum documentum, si non lauero te, &c. Ita dicebat mihi ipsa meditatio mea contexere sermonem consequenter de lotione peccatorum per ministerium pœnitentiæ, cuius est hoc officium desuper commissum pro restitutione partis nostræ. Offerebant se concordantiæ, & distinctiones sine numero de scripturis pro dilatatione prosecutionis præmissorum, tum ecce inter meditandum & studendum irrumpere visa est secretum thalamũ cordis mei pestis improba, scientia inflans, curiositatis noxiæ germen, portentosa mater eadem & filia. Monstrum heu horrendum tam ingens. Hic ambulat in magnis, & in mirabilibus super se. Ponit in cœlum os suum, & lingua eius transijt in terra, caput quoque inter nubila condit, quia ibi est tenebrosa aqua in nubibus aëris. Hæc postquam animaduerterit pergere me, vt de pœnitẽtia loqueretur, pepulit me ad cuius impulsum cum tremuissem, & faciem conuertissem, ipsa me torua indignabundaque animositate suspiciens, vt arrogans est & tumida. Abi, inquit, in malam horam tuam, quid cogitas, quid ordiris, quid pusillus iste & degener animus obrepsit tibi, vt famam negligere, vt perpetuam conflare non horreas infamiam? Quid me spectas ita, dum omissis considerationibus altis & subtilissimis speculationibus materiá communissimam assumis, quasi in eadem iugiter cantilena nugatoris perseueres, quasi pueriliter vulgatissimum carmen afferas vel efferas? Linque humiles materias, nunquid desunt tibi mysteria, longè plus difficultatis & verę laudis habentia, circa sacramentum altaris & benedictæ passionis? Illic tuum ingenium, tuam manifesta eruditionem, coram viris omni doctrina super eminenter eruditis. An ignoras vbi loqueris? Adde quod materia de pœnitentia non accuratum stylum vel elaboratum, sed quotidianum exigit, quod locutionis genus quasi sordidum iam apud modernos, dissolutum, flaccidum & nauseans contemnitur, præsertim in sermocinationibus extra scholam. Nõne demum habet in promptú quilibet materiam hác de pœnitentia per doctores copiosissimè pertractatam. 4. sententiarum, & in summis atque tractatulis confessorum? Quisquis ea legere voluerit, protinus intelliget. Præterea quęso, non te casso labore fatiges, neque turpem risum tibi suscites. Hoc modo scientia inflans stomachando loquebatur: tum desursum elapsa est (sicut placuit altissimo) charitas ædificans, cuius introitum, decorem & aspectũ scientias inflans (quæ & superbiæ spiritu, & inuidia tota verabatur) ferre non valens, mox

abscessit; tunc charitas sic orsa est? Te non fallat precor, precor, nō abducat meretrix hæc pessima, scientia inflans, curiosa, vana, garrula, quietis impatiens, quæ sub specie vanæ subtilitatis mentes sibi deditas euiscerat, torquet veluti quibusdam minutis muscularum aculeis. Hæc gignit pruritum, non extinguit. Huius hæc occupatio est sēper discere, & nunquam ad scientiam veritatis peruenire, arrogantioresque omnibus hominibus suos efficere sectatores. Hanc desere, delectēt te vtilia magis quam subtilia; ad imitationem illius qui loquitur per prophetam: Ego Deus docens te vtilia. Nunquid non in tanta temporis egestate, in tanto discrimine rerum, in tali mortis incertitudine docendi sumus viuere potius quam disputare, vel acutè phantasiari? Quæ tibi præcepit Deus (inquit sapientia) cogita semper.

Porrò si quotidie peccando sordescimus; quid salubrius, quidve consultius, quam vt de nostra lotione crebrò loquamur? Anxiè quæramus, assiduè pertractemus. O quot sibi videntur sapientes in oculis suis quot literati & docti qui hæc necessaria ideo nesciunt, quia velut facilia legere retinereque despexerunt, quia insuper tempus, ingenium, curam in superuacuis contriuerunt, quia denique bonam vitam, quæ talium optima doctrix est, colere neglexerunt, quos tandem si Deo propitio resipiscere contingat, si ad meliora studia mentem diuertere, pigebit affirmo, pudebitque temporis acti. Quare? qui fessi & confracti nihil inuenient de vniuerso labore suo, nisi vanitatem arguendam & curam superfluam, sentientq; vix se discipulos idoneos ad illa cogitanda, in quibus dudum magistri esse debuerant, quod & falsò crediderant, quia tam cæca semper est, tam insolens inflantis scientiæ arrogantia: Sentient ad extremum nihil difficilius esse arte bene viuēdi, nihil planè subtilius, nihil sublimius atq; diuinius. Perge igitur vt cœpisti, neq; sermonē de lotione pedum animæ, hoc est affectionū quomodolibet interrumpe, hoc necessitas quotidiana, hoc instās paschæ festiuitas, quia verus agnus Dei cum azimis synceritatis & veritatis edendus est, hoc præsens societas eorum qui non se solos, sed alios habebunt erudiendo lauare, flagitat & exposcit. At verò tradita sunt hæc in libris theologorum copiosè, tradita sunt scio, est etiam veritas altera quæ non tradita est, nec vacat omnibus omnia legere, & habet quid latentis energiæ viuæ vocis actus, & in aures transfusa fortius sonat, & tenacius memoretur. Charitas hæc suadens (credite) persuasit facile monitis suis obsequi. Vnde glorior in Domino, de cuius munere est modestum piumque quodlibet ingenium. Remanserat tamē scrupulus aliquis, si materiam hanc de pœnitentia lotrice mentis optima, tractare conuenientius oporteret vel declamatorio more vel scholastico. Primum accuratius & venustius est, alterum acutius & quodammodo verius æstimatur: Primum magis accommodatur affectui, secundum intellectui. Primum plus allicit, secundū plus instruit. Tandem ex circunstantia temporis & auditorum qualitate inductus sum scholasticum morem gerere. Quotidianus namque sermo est & scholis vsitatus, nec rursus egemus interprete, si intelligatur etiam à parum intelligentibus bene, satis est. Omittatur ornatus, nisi sponte peruenerit.

A Dicamus in primis altius repetentes, quod lauat nos Christus ministerio pœnitentię salutaris, quæ pœnitentia haurit aquam, & quodammodo fundit in peluim cordis nostri per contritionem; abluit & sordes eijcit per confessionem, extergit, desiccat & clarefacit per satisfactionem. Hæc tria per ordinem nunc egit emundator, noster Christus, misit aquam, lauit, extersit. Hæc dicendorum summa est, hæc tria notasse lego Psalmo: Dixi cōfitebor aduersum me &c. id est firmiter proposui; ecce contritionem. Iniustitiam meam Domino,

B ecce confessionem. Et tu remisisti impietatem peccati mei, ecce satisfactionem. Et rursum alibi: Iniquitatem odio habui, hęc est contritio, & abominatus sum, hæc est confessio, quæ extra vomit abominabilem peccati sordem. Et legem tuam dilexi &c. Hæc est satisfactio in custodia legis Dei.

Nunc pertractemus triplices huius officij conditiones quasi iter trium dierum perambulantes. Et quia in paucioribus via magis, rem totam sub breuibus terminis atque metaphoris coarctemus,

C Itaque pro lotione nostra ministrat aquā contritio, non qualemcunque, sed calidam, mundam, amaram, viuam, crebram, & continuè scaturientem. Iuxta quæ quatuor, quadruplex est de contritionis qualitate consideratio.

Prima consideratio.

Aqua contritionis sit calida, hoc fit per conuersionem in Deum, fide, spe, & charitate subnixam. Sicut homo auertens se à Deo; & conuersus ad

D creaturas sordes contrahit, sic è contra mundatur. Hoc est quod dicitur à doctoribus, quia quatuor requisita sunt in cōtritione. Conuersio ad Deum, auersio à creatura, infusio gratiæ, & expulsio culpæ. Hunc calorem non habet aqua illorum qui dolent de peccatis solo timore pœnæ; sicut fit in iam damnatis & in condemnandis, sicut communiter euenit in morte, vbi affectio commodi quæ gelida est, & non iusti dominatur. Quó circa sequitur expediens esse pręuenire horam mortis ad hauriendum hāc aquam & calefaciendum ex bo-

E na & quotidiana meditatione. Signum frigiditatis est, si homo crederet diu viuere, vellet diu permanere in peccato. Non sic ille qui dicebat se non minus seruiturum Deo, si constaret certissimè, quod mille annorum spacio protracturus esset vitam. Sic illa quæ cogitans de inferni supplicijs, & de odio Dei regnante in damnatis, supplicabat vt etiam si damnaretur, tamen Deum diligeret. Sic Iob. Etiam si me occiderit, tamen in ipso sperabo. *Iob 13.*

F *Consideratio secunda.*

Præterea sit aqua munda contritionis. Hoc dicitur propter eos qui cum suis lachrymis miscent propositum delinquēdi, vel in voluntate peccati huius vel istius manent, vel à manifestis peccati occasionibus non declinant. Hæc turbida aqua est, non mundans, sed inquinans. Sed quæret quis. Oportet non contritum firmiter credere, quod de cætero nō peccabit? Planè non oportet, immo formidandum est de ruina, alioquin temeritas esset qualis in Petro. Siquidem aliud est proponere & velle non peccare pro futuro, aliud de hoc ipso præsumere. Dixerunt in hac parte doctores aliqui,

qui,quod sufficit negatiuè se habere, hoc est non habere actuale propositum peccandi, præsertim cum additur confessio, sicut dicunt de baptismo, quando non opponitur obex. Aliorum rationabilior & sanctis conformior est sententia, quod oportet positiuè de testari peccatū, & de meliori proponere. Compatitur autem propositum illud timorem & tremorem de casu, sed non amorem delinquendi.

Tertia consideratio.

Rursus tertiò sit aqua contritionis amara. Hanc habere volebat qui dixit. Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. Notandum tamen quod duplex est amaritudo talis. Vna est ex dictamine rationis & sua deliberatione detestando peccatum, & hęc est virtus imperans dolorem. Alia sequitur amaritudo in sensu, si non sit indispositio complexionis vel consuetudinis vel aliunde, & hæc non semper exigitur, quia non sẽper est in potestate nostra flere sensibiliter, etiam cum vellemus, immo & in aliquibus dolor iste posset esse nimius & declinans ad excessum, sicut in mulieribus aliquibus aut melancholicis, habẽtibus ex leui causa lachrymas, etiam vsque ad turbationem cerebri & oculorum caliginem. Aliquando plus meritorium est velle flere & non posse, quam fletibus abundare, hoc est quod dicitur: Dole quod non doles. Quæret vlterius aliquis, si contritionis amaritudo tanta esse debet, vt homo mallet damnari vel annihilari quam rursus peccare, vel etiam perdere omnia quæ habet, etiam corpus? Tolle inquisitiones tales curiosas & periculosas, & ideo omittendas ô anima, & dic. Tu scis fragilitatem meam, tu fidelis es, & nõ permittis me tentari super id quod possum, id est nõ cadere in tales necessitates hoc vel illud eligendi nisi dares virtutem bene eligendi nisi dares virtutem bene eligendi. Hoc modo seruatur humilitas cum iustitia, vbi si fieret electio alterius partis, immineret alterum ex his periculis, scilicet præsumptio vel mendacium. Quæres pręterea, si quis habens filium ex adulterio, tenetur dolere de tali filio, & velle ipsum non habuisse? Respõsio, quod hic facienda est separatio filij & peccati. Diligendus est filius, odiendum est peccatum, nec est vna danda electio in his rebus. Nota de matre magistri sententiarum.

Quarta consideratio.

Postremò sit aqua contritionis viua, id est crebrò, & quasi iugiter scaturiens, hanc optabat propheta, dicens: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Hoc sic implebitur, si mox & semper vt fit actualis recogitatio de peccato, dolet homo, detestans illud modis & dictis, alioquin videtur illud approbare & nouiter delinquere, sic qui iustus est, iustificabitur adhuc & sordibus sordescet adhuc. Qualis autem exigatur contritio de venialibus? Dicitur quod virtualis sufficit, dum scilicet quis in generali detestatur omne peccatum, & ad Deum conuertitur. Felix anima cui datum est habere talem aquam calidam, mundam, amaram & viuam. Sed vecordi nostro & similibus, cordi duro supra adamantem & silicem, quod nisi emolliatur, malè habebit in nouissimo. Quis dabit huic aquã in peluim cordis mei? Percute Domine Iesu virga tua silicem hanc, vt fluant aquæ largissimè, quemadmodum factum est olim, pecutiente Moyse petrã in deserto. Legi de quibusdam tuis, quod non habentes hanc aquam ad nutum, percusserunt seipsos etiam verbere & virga materiali, vt inde consequenter te miserante cũ plagis & sanguine perflueret riuulus lachrymarũ. Hęc est vna ex industrijs producendi hanc aquam. Alteram industriã habemus in figura Iacob, qui puteos impletos humo & limo. s. Philisteis replentibus mundabat, aut alios fodiebat, vt abiecta terra manaret libero cõductu vena purissima. O quotiés impletur anima nostra limo & terra, s. terrenis affectibus & desiderijs, quibus obstruitur præsens meatus animæ, ne contritionis aquæ fluant. Cæterum purgatio hæc fit per emundatorium ieiunij & abstinentiæ amarum, sicut Christus surrexit à cœna, deposuit vestimenta. Tertia additur industria per adiutorium orationis, vt si haurire aquam soli non sufficimus haurientes nobiscum aduocemus, quemadmodũ egit ille qui à Maria Magdalene gratiam impetrauit lachrymarum. Ad hoc figuraliter induceretur illud Solini (si tamẽ verum est) de quodam puteo profundo, in quo dum deesset aqua aduenit virgo ad os putei, & suo clamore aquã eduxit, sic anima per orationẽ sicut Axa suspirãs, impetrauit irriguũ inferius, & irriguũ s. perius. Vtũtur alij pro quarta industria cõsideratione miseriarum & calamitatũ quas vident in proximis, vt inde per compassionẽ lachrymas eliciant. Sic fit vt consequenter misereatur eorum benignus & misericors Deus. Cõsiderat animã propriã quasi sit in purgatorio. Hæc industria locum habet in cõsideratione passionis Domini nostri Iesu Christi, de qua dic. Bernard. quod nullum cor tam durũ est quod non molliatur si passio Domini ad memoriã reuocetur. Hic oculus Christi in hac consideratione Petrũ respicit, & flet amarè. Per has vtinam aut similes industrias proferret terra cordis nostri fluẽta aquæ viuæ, ne esset vel sit sicut terra sine aqua, deserta, inanis & vacua, terra inuia & inaquosa, terra mõtosa Gelboë, vbi nec ros nec pluuia cadit. Itaque sine hac aqua incurritur illa maledictio Christi. Si non lauero te, non habebis partem mecum. Prohibeat hanc altissimus.

Habita aqua per contritionem, bonum erit initium vt fiat ablutio per cõfessionem. Fiat autem opportunè, fiat integrè, fiat verè & non fictè, fiat à suo iudice. Fiat opportunè, hoc est tempore ordinato per ecclesiam, saltem semel in anno. Et hic est primus casus. Secũdus casus est ante susceptionem benedicti sacramenti, & hoc extẽdere voluerunt aliqui ad omnem actum hierarchicum ecclesiæ, quod non sine cõfessione deberet exerceri. Sed ratio eorum non videtur cõcludere nisi de contritione. Nota si occurrat peccatũ celebranti. Aliter casus est in periculo mortis secundum probabilẽ coniecturã, alioquin homo se exponeret periculo peccati, quia tenetur ad minus ante mortem confiteri. Cessante illa probabili cõiectura, licet differre confessionẽ. Quartus casus si nunc habeatur copia sacerdotis vel pœnitẽtiarũ, nec est spes, quod postmodum ante pascha vel mortẽ, vel Eucharistiæ debitã susceptionẽ habeatur. Cõfessio crebrior & si laudabilior sæpè fit, nõ tamen amplius in obligationẽ cadit regulariter.

Dixi laudabilior sæpe, quia contingere potest vt repetitio esset vitiosa, & quasi tota eneruans deuotionis virtutem, sicut in scrupulosis tædiosissimis nolentibus acquiescere cuiusque consilio. Dixi præterea regulariter non cadere in obligationem, quis vel ratione conscientiæ hoc dictantis, vel status aut tribulationis aut necessitatis hoc exigentis, aut regulæ statuentis posset obligatio consurgere.

A

Fiat etiam integrè, sicut integra est contritio de omnibus, sic confessio. Hic studiositas speculatrix de plurimis quærit. Ad quę respondere potest charitas ædificans. Illa est enim quæ docet de omnibus, quippe spiritussanctus charitas est, qui docet omnem veritatem. Est etiam charitas finis legis secundum quam cætera debent moderari.

B

Quæritur ergo primo de venialibus? Dicitur quod non est de necessitate confitendum, & hæc consideratio docet tollere scrupulos multorum celebrantium, quia venialia possunt aliter deleri quam per confessionem. Quæritur de oblitis? Dicitur quod sufficit fecisse diligētiam moralem, sicut pro magna re fieret. Et sic vel Deus indulget, vel alias reducet ad memoriam. Talis certitudo sufficit ad non peccandum nouiter in celebrando, vel ad confessionem non inualidandum. Sed an deberet fieri reductio ad memoriam confitentis vel inquisitio? Sic vtique cum recto moderamine & sine curiositate noxia, sicut obstetrix omnia, & medicus & iudex diligenter inuestigat. Alioquin à pueris puellis & laicis & idiotis, qui non habent reflexionem super actus suos, vix haberetur aliqua pura cōfessio. Sciunt experti. Hęc est vtilitas principalis confessionis. Animaduerte tamen quod si oblita redeunt ad memoriam, illa confitenda sunt eidem sacerdoti vel alteri, quamquam essent dimissa, sicut de peccatis diximus in cōtritione deletis. Quæritur de dubijs? Dubia sūt in triplici differentia, sicut potest homo æstimare se deliquisse in hoc vel in illo. Aut enim credit magis quod peccauit mortaliter in hoc facto vel in illo, & sic tenetur confiteri, vel deponere consciētiam. Aut dubitat ex æquo & sic similiter obligatur. Aut credit magis quod nō peccauit, cum dubio tamen de opposito, & hoc dicitur scrupulus, & pro hoc dubio non tenetur, nisi aliunde teneretur, quandoque expedit dicere, quandoque & sæpius contemnere & contra agere, præsertim habito consilio peritorum. Item in dubijs sub conditione confitendum est, & potest certa absolutio dari. Item in dubijs consurgentibus ex iuribus & ex sententijs positiuis, potest non confitētibus expresse absolutio administrari. Quæritur de circunstantijs? Respondetur quod quædam sunt peccata mortalia, quæ scilicet mutant speciē, vt furari in templo, illę sunt de necessitate confitendæ. Quædam aggrauant peccatum notabiliter, vt rapere centum plus est quam decem, & tales si habentur in memoria, dicendæ sunt. Quædam aggrauant tantummodo modum faciendi, tales non sunt dicendæ de necessitate, immo quādoq; omittendæ, vt in peccato carnis nisi pro securitate maiori & dubio, ne peccatum mutauerit speciē. Quædam alleuiantes, quædam impertinētes. Alleuiantes non sunt dicendæ, nisi in dubio scandali sacerdotis. Impertinētes omnino dimittendæ sunt, nisi pro familiaritate contrahenda.

C

D

E

F

Quæritur de circunstantia personæ cum qua fit peccatum? Respondetur, quod est regulariter tacenda, nisi vel vbi non potest aliter peccatū dici, vt si vir abusus est propria vxore. Vel vbi potest prodesse, non obesse tam dicenti quam audienti, quam personæ illi peccatrici. Addūt aliqui, quod si aliter non potest dici peccatum quin confessor agnoscat personā, pergēdum est ad alterum. Hoc æstimo consilium esse, non præceptum, nisi vbi posset obesse personæ illi reuelatæ. Quæritur de casibus reseruatis? Hic est tam profunda difficultas, vt Durandus doctor exercitatissimus in istis tractando hanc materiā dixit, quod expediret habere super hoc papale consilium. Et difficultas (vt bene tangit) prouenit ex reseruationibus peccatorum aliter quam fit in curia Romana, quia non reseruat curia Romana (vt dicit) nisi quasdam irregularitates aut pœnas. Dicunt aliqui, quod iura nunquam voluerunt reseruare peccata aliqua, nisi publica ad terrorem aliorum. Vna mollicies reseruabitur, adulterium mulierum, peccatum sacerdotum cōcubinariorum. Si prælati omnes attenderent profundè, quanta est difficultas, quantum onus dicere peccata sua secreta, etiam vni (credo firmiter) nunquam tale iugum imponerēt leuiter ceruicibus subditorum, vnde numerabiles præcipitantur in infernum. Mille pœnitentiarij nō sufficerent in hac hebdomada, pro consultoribus reseruatorum. Cognoui plures qui per biēnium vel triennium vix potuerunt induci ad confitendum quædam suorum peccatorum. Qualiter ergo talia dixissent vni prælato vel pœnitētiario, præsertim pueri & puellæ & mulieres verecundissimæ? Dici non potest quantus est in pudore tyrannus. Credentes terrere subditos, occidunt & demergunt tacentes in infernum. Ex hac materia & alias perpendite, quanta difficultas est in materijs moralibus & theologicis vtilibus, in quibus homines per totam vitā exercitati, vix sciunt quid dicere. Quid igitur facient scholastici nostri temporis, qui materias tales nec cogitare nec legere superficietenus dignantur, dicentes: O sciemus talia cum vellemus. Velint ergo tales aliquando, alioquin nihil scient, etiam quando voluerint, pauca sciēt. Sed dicamus ad id quod quæritur, qualiter se habebit peccator, habens casus reseruatos? Hæc est certa cōclusio, quod si habeat talem sacerdotem, qui potest & velit eum absoluere, nec inde scādalizetur, tenetur totum dicere. Exempli gratia. Si vadit ad episcopum, vt episcopus vult totum audire, dicat. Si ad suum curatum qui potest absoluere, similiter dicat, dum tamen vtrobiq; sit securitas quod neuter scādalizabitur per pronitatem ad peccatū, vt in materia fidei vel in peccato carnis, sed quęrat tunc alios de licentia saltem petita. Si autem episcopus qui potest omnia absoluere: non vult nisi reseruata audire, & alius non possit nisi nō reseruata, non abest bona volūtas & bona fides in confitēte, non audere dicere quin posset peccata sua isto modo dimidiare, sicut ligatus duabus excōmunicationibus potest absolui, primò de vna, post per decem dies ab altera, sicut etiam in diuersis diebus potest fieri vna confessio. Itaque non requiritur tanta vnitas hic, sicut in alijs sacramentis. Et est ibi quædam vnitas in ministris istis duobus, in vnitate scilicet vnius potentis sacramentaliter integrè &

& perfectè super istius peccata. Non auderem præterea asserere in onus sacraméti confessionis, quod talis teneretur suo sacerdoti qui non potest de omnibus absoluere, omnia dicere. Scio tamen quod tutius est & salubrius (sed non quilibet potest faciliter induci) dicere peccata sua sic diuersis, quia (vt dicit Scotus) talis confessio de vno peccato pluribus, non vocatur ex genere suo esse secreta, quia isti duo qui audierunt, possent ferre testimonium contra confitentem in foro contentioso, licet peccarent, tamen valeret testimonium. Item nullus inuitus potest (vt videtur) cogi dicere bis peccatum suum in confessione, cum lex diuina non cogit vel obliget nisi ad semel confitendum. Et si in religiosis oporteat pluribus confiteri, hoc est de eorum voluntate qui se regulæ submiserunt. Sic dicitur quod si curatus sacerdos non cognosceret peccatorem &c. hoc argueret quod omnia peccata dicenda rursus essent.

Tertiò fiat verè, scilicet non fictè, hoc est in cōtritione & charitate secundum probabilem coniecturam. Vtrum autem confessio quæ fit sine charitate, liberet ne iterum dicantur peccata, vel à præcepto ecclesiæ est difficultas vix inter scholasticos sufficiēter dissolubilis. Ostendit hoc multiplex opinionum varietas. Dicit autem Dominus Guilhelmus Parisiensis & alijs communiter, quod attritio quæ alias non esset sufficiens, fit sufficiens virtute sacramenti. Ponendum est igitur & dicendum sicut quidem in euangelio. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam ita pœnitentiario, adiuua Domine impœnitentiam meam. Quæritur si tali debeat dari pœnitentia? Respondetur quod sic non absoluendo, sed ad cautelam & præseruationem pro futuris, vt Deus cor illuminet. Consilium Ambrosij. Age interim quicquid boni potest, & malum abbreuia. Quid si dicit se contritum, & putat confessor quod mentitur vel scit aliunde, vel non vult facere conscientiam, sed excusare? Respondeo quod prædicere debet sibi quod absolutio non valet si posuerit impedimentum, & quod intentio sua non est eum absoluere, nisi faciat quæ promittit & dicit. Attamen absolutio debet fieri absolutè. Est autem forma talis. Ego te absoluo à primò ab excommunicatione. Item Ego te absoluo à peccatis tuis mihi confessis in nomine patris & filij & spiritussancti. Amen.

De confessionis secreto hoc tenendum est primò, quoe in nullo casu reuelanda est, etiam in hæresi, nec papa potest dispensare. Item nec de consensu confessi, nisi dicat extra cōfessionem. Item nec ad interrogationem cuiuscunque iudicis per quodcunque iuramentum, nisi homo sciuerit aut per testimonia, quia dicere tunc potest & ideo debet. Nota fatuam cautelam aliquorum. Item & si sola peccata sint propriè de sigillo confessionis, tamen pœnitentiæ datæ & interrogationes rationabiles hincinde, & personę nominatæ sunt celandæ. Inquirentes autem & reuelantes grauiter peccant, & essent puniendi, præsertim vbi ex curiositate, non ex charitate discreta procedit inquisitio. Item de personis confessis expedit magis tacere quam aliquid dicere, vel laudando vel vituperando in generali vel speciali.

Fiat postmodum à suo iudice. Iudex in confessione est vel papa vel episcopus, vel curatus, vel
A aliquis legitimè ab aliquo istorum delegatus. Quæritur cui sit expedientius confiteri? Respondeo quod regulariter & cæteris paribus suo curato ordinario. Primum propter obedientiam, deinde propter facilitatem habēdi eum postmodum in periculis mortis, vel in sacramentorum administratione. Quæritur si confessi habentibus potestatem delegatam teneantur iterum peccata eadem semel in anno confiteri? Respondeo quod non, præsertim, vbi de consensu curati hoc
B factum est. Ideo tutius est petere licentiam. Expedit etiam vt talis in anno semel se præsentet curato suo pro sacramento suscipiendo, & obedientia impendenda, alioquin curatus posset negare eucharistiam. Quid si curatus nollet credere? Respondetur, quod cuilibet in foro conscientiæ seu confessionis credendum est pro se & contra se, nisi in casibus publicis, quoniam aliter curatus non posset certificari, etiam si sibi fieret cōfessio. Quid si confessor erret in absoluendo plus quam
C potest? Respondetur, quod si peccator erat bona fide, & nesciat impedimentum, securus est. Si autem sciat, non ritè absoluitur. Si etiam postmodū sciat impedimentum fuisse, tenetur vt plurimum iterum confiteri. Dare verò regulam generalem quando sic & quando non, est prolixum nimis atque difficile. Felix ablutio pedum per confessionem quæ ita fit opportunè, integrè, non fictè & secretè, & à suo iudice. Sed væ sordibus abominabilibus aliquorum & ineluibilibus, quos in apertum confessionis venire & palpari vel tangi,
D immo vel videri non permittunt quatuor pestes improbe, pudor, timor, præsumptio, desperatio. De pudore habemus in Tobia, cui volenti lauare pedes occurrit piscis volens eum deuorare. Quid piscis in aqua latens, nisi pudor occultus? Sed suffocandus est pudor talis & ad multa tandem vtilis inuenitur, ad cibum contra dæmonium, & ad visum. Applicationem non prosequor. Cæterum scabies sic latet in aliquibus vt se scabiosos non credant, dicentes: quid ego feci? Sum ego fur vel
E homicida? Hoc contingit etiam illis qui deuoti reputantur quia latet superbia subtile malum, quę non permittit deuenire in cognitionem peccatorum, contra quod orabat propheta: Illumina oculos meos &c. Expertus sum de multis & in *Psal. 12.* multis, qui per quatuor aut tres annos fuerunt in peccatis grauissimis, quamuis ferè quotidie confiterentur, & vt erat sua opinio pœnitebant. Quid ergo erit de nō recogitātibus annos suos in amaritudine animæ suæ, si recogitantibus sedulæ talis cæcitas eueniat? Quem non exterreat quod dicit
F apostolus: Nihil mihi conscius sum &c. *1. Cor. 4.*

Amplius verò præsumptio seu repromissio nequissima decipit plures habentes vocem coruiuam, cras, cras, conuerti poteris cum voles. Hæc vox innumera hominum millia & perdidit & perdet, quia qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Postremò vidimus desperationem in Iuda & Cain, & quibusdam alijs. Migrat Iudas.i. cōfessio seruus optimus, propter multitudinē & afflictionē seruitutis, quia s. quotidie fit reiteratio peccatorū quæ Iudas abluere tandē refugit & desperat.

Abijciamus hæc impedimenta, quia Dominus & si rem grandẽ nobis diceret, benefacere debueramus, quanto magis quanto magis quia dicit cuilibet nostrum, vade & lauare septies idest perfectè.

Conuertamus postremò oculos nostræ considerationis ad extersionem, quæ fit per manum satisfactionis. Hæc quidem extersio habeat asperitatem seu pœnalitatem, habeat rationabilitatem, habeat claritatem, habeat celeritatem.

Proposueram secundum hæc quatuor quædam differere salubria de modis iniungẽdi satisfactiones, vt nec graues sint, nec importabiles, nec publicæ pro peccatis secretis. Nec dentur inuitis, aut si non fieri credantur, quia melius est cum parua pœnitentia & quasi nulla ducere homines in purgatorium, quam cum forti quæ non fiet opprimere & detrudere in infernum. Nec exigantur irregulariter iuramenta aut promissiones de hoc vel hoc faciendo, sed magis omnia in monitione atque consilio. Denique saluberrimum est inducere homines vt aduersitates & labores huius vitæ accipiant in patientia & bona gratiarum actione, quoniam per hoc poterunt efficaciter vt crebrò satisfacere de peccatis suis, & gratiarum augmẽta promereri, fiat virtus de necessitate. Sunt autem sordidæ transgressiones aliquæ quæ vix ad fundum possũt extergi. Exemplificemus in quatuor. Primò corruptio aliorum in moribus, super quo accipite quid Berengarius moriens in die epiphaniȩ dixerit: Hodie mihi apparebit Dominus meus Iesus Christus, vel ad gloriam sicut spero, propter pœnitentiam meam, vel ad damnationem sicut formido, propter aliorum corruptionem quos ad viam veritatis reducere non potui. Horreant & caueant hi qui ad similitudinem dæmonum gaudent alios secum trahere ad interitum præsertim iuuenes & pueros, tales nescio si potuerunt vnquam satis pœnitere, sufficere eis debuerat damnatio propria. Quid de malis exemplis magnorũ & literatorum virorum?

Alterum est vitium quod vix suscipit satisfactionem & extersionem secundum iniustum bellum in temporalibus, & iniustæ promotiones in spiritualibus, vnde oriuntur mortes tam temporales quam spirituales, O felices quos Deus tollit extra necessitatem aut periculum talia faciendi, vt nec iniustè militent, aut militare consulant. Inferimus adhuc tertio iniustã patrocinationẽ, quæ dolis & astutijs tollit hæreditates aliorum, quia fit vix conscientia vel restitutio super istis. Et adhuc insanabilior est iniusta diffamatio, quæ debitam vitæ ciuilis famam aufert.

Postremò ponimus pompositam status, vt per simoniam vel rapinam aut vsuram, quia vix potest fieri cessio, vt descendat quis à statu alto quãquam damnabilissimo in bassum debitum & trãquillum. Tanta est humani cordis arrogantia, vt se & suos plures damnari citius patiantur quam humiliari, quod si non esset, non tantum durasset hoc execrãdum & exitiabile schisma pestiferum.

Tandem epilogantes oremus vt lauet nos Christus, quatenus partẽ secum habeamus. Lauet autẽ per ministeriũ pœnitentiæ. Quæ hauriat primùm aquam contritionis calidã, mundam, amaram, & viuam. Secundò abluat per manum confessionis oportunè, integrè & non fictè, secretè & suo or-A dine, hoc est, sub suo iudice, nec obstent quatuor vestes, pudor, timor, præsumptio, desperatio. Extersio demum fiat quæ habeat asperitatem, rationabilitatem, claritatem, celeritatem, subtrahentes nos à voraginibus peccatorum, quȩ nos in alienas manus per iniurias præcipitat, à quibus vix vnquã possumus emergere. Sic mundi erimus & in cubili conscientiæ nostræ tranquilli, habentes partẽ exuberantissimam cum Christo, hic per gratiam & in spe, & postmodum in re per gloriam, cuius nos participes efficiat. Amen. Finis.

B

SERMO EIVSDEM CANCELLARII DE DOMINIO EVANGELICO *factus in cœna Domini.*



MNIA dedit ei, pater in manus. Ioh. 13. originaliter in euangelio præsentialiter recitato. Pro impetranda gratia & virtute digiti dextræ manus Dei, qua aperta omnia implentur bonitate, qua subtracta omnia labefactione repentina C dissoluuntur, te matrem gratiæ, te virginem inclitam, per cuius manus (teste Bernardo) datur nobis quicquid datur, quæ diues es in omnes inuocantes nomen tuum, salutantes imploramus, & implorantes salutamus, dicentes: Aue gratia plena &c. Omnia dedit ei &c. vbi supra. Apud vos ô doctissimi & præcellentes viri, mihi sermonem habendum esse conspicio, qui certa iam & indubitata fide tenetis quod filio suo Domino nostro Iesu Christo dedit omnia pater in manus, D ac proinde monarcham eum vniuersalem constituit, vt iure dixerit Matth. vlti. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Hoc dilectus eius apostolus contemplabatur dum asseruit Apoc. 19. quod habet in vestimento & femore suo scriptũ. Rex regum & Dominus dominantium. Sed quo iure Christus, quo insuper titulo monarchiam hanc accepit? Multiplici quidem & signanter triplici. Primum iure hæreditario diuinæ filiationis. Nam & si filius, & hæres, arguit apostolus Rom. 6. & Galath. 4. At verò de Deo patre verè vidit & E enunciauit sancta illa mulier Iudith. 9. Appellans eum Dominum vniuersæ creaturæ. Dominus igitur tals erit & filius. Hinc postquam Dominus per prophetam dixisset ad filium: Ego hodie genui te, subiunxit pro consequenti: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & posses. &c. tanquam diceret illud Lucæ 15. Fili omnia mea tua. Secundum ius monarchiæ vniuersalis in Christo cõsurgit ex titulo mutuæ dilectionis eius ad patrem. Nam antiquum est philosophicæ veritatis prouerbium: Amicorum omnia esse cõmu-F nia. Filius enim quia suo modo rependit omnia patri in donatiua spiratione supremi amoris, qui spiritussanctus est, coexistit readamationis vicissitudo, vt ei pater donet omnia. Amplius tertiũ ius monarchiæ vniuersalis inuenitur in Christo appropriatæ, quoad naturam assumptam ex titulo victoriosè debellationis, seu ciuilis, acquisitionis & quæstus. Victorem cuncta sequuntur, ait quidam. Nonne Christus vt imperiosissimus victor aëreas potestates debellauit?

Sic notat apostolus ad Ephes. 2. Nonne captiuam sub eis duxit captiuitatẽ quã proprij sãguinis precio

precio redemerat,& sua effecerat? Sicut propheta testatur. Ascendens in altum &c. Idem habetur A ad Ephes.4. Quinetiã tota vniuersitatis machina quæ gratia hominis condita est secundum philosophum,& habetur satis Deut. 4. Ipsa fuerat ad impium crimen læsæ maiestatis diuinæ deteriorata. Teste Cypriano, & à natiuo decore suo plurimum deciderat. Iustè nimirum, vt in bonis propter se conditis homo proditor & præuaricator plecteretur. Sed audi quid super hoc cantat ecclesia. Terra, pontus, astra, mundus, quo lauantur flumine. Ecce per Christi passionem lota & B reparata esse omnia aqua emundationis, reparationis ac pulchrificationis. Nonne inductus est apostolus dicere de Christo passo, quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, in signum vniuersalis dominij. ad Phil.2. Habemus ergo titulos enumeratos tres in Christo diuinæ filiationis, mutuæ readamationis, & strenuæ debellationis, propter quod rite dictum est, quod omnia dedit ei pater in manus. Ita sẽtitis de Chri- C sto ô sapientissimi viri, ita iugiter pia fidei sinceritate Deo propitio sentietis. Quamobrem nec habeo necesse in persuadendo amplius verba perdere, aut operam consumere, nec istum solem veritatis præfulgidum ingerere debeo vobis ipsum cernentibus, & de Christo scientibus quod omnia ei dedit pater in manus. Propterea traducatur sermo noster à litera ad mysterium, à fidei soliditate ad morum puritatem, & à diuina filiatione naturali ad participatam filiationis adoptiuæ ge- D nerationem.

Pertractemus quo pacto spiritu quilibet Christianus Christi frater & amicus sit aut esse debeat princeps omnium. Contemplemur quanta & quam superæffusa liberalitate omnia dederit nobis pater in manus si volumus. Quis pater? Pater ille qui possedit & fecit & creauit nos? Deuter.32. Qui à nobis pater agnosci, pater vocari altissima prorsus & obstupescenda dignatione voluit, monuit atque iussit. Matth.6. Quid enim mirabilius, quid ad audiendum iocundius, quam vt E vnusquisque fidelium instar Christi monarcha sit omnium si placet, & ita est, vnusquisque spiritus verè fidelis, monarcha est omnium, & multiplici non vno, sed triplici iure & titulo ad exemplar Christi. Ius vnum dat filialis adoptio. Ius alterum dat triumphalis debellatio. Ius tertium readamationis vicissitudo. Erigite aures dilectissimi, hilarescat facies, serenentur oculi, omnis exurgat affectio, gratiarum resonent actiones. Os, lingua, mens, sensus, vigor, confessionem, F iubilum, benedictionem & laudem personent. Quæ ratio? Quæ tantorum nouitas gaudiorum? Magna valde, præclara, insignis, nihil supra, quia iam non vno, sed triplici titulo Christianus monarcha est Christiano omnia dedit in manus, Christianum fas est dicere potentissimũ. Audebo dicere & omnipotentissimum, & arguar blasphemiæ, si non hoc apostolus similis nobis de se dixerit.

Omnia possum, omnipotẽs sum, exponit Bern. in eo qui me cõfortat Christus, ad Phil.4. Si parua est apostoli authoritas tibi, satis sit illa Christi qui ait: Credenti nihil est impossibile. Matt.17. Si quis adhuc hæsitat, & pro libito nos fingere putat quæ dicimus super hoc vinculi dominio, audiat apostolũ ad Rom.8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ, quomodo non etiam non cum illo nobis omnia nouit? Ecce qualiter ô fidelis anima perspicuũ habes apostoli testimonium, immo argumentum, quod omnia dedit tibi pater in manus. De quo patre idem scribens.1.ad Timot.6. Asserit quod præstat nobis abundè omnia ad fruendum. Hoc dominium Hieronymus ad Paulinum scribens non tacuit. Credenti ait, totus mundus diuitiarum est, infidelis autem etiam obolo indiget. Sic viuamus quasi nihil habentes & omnia possidentes. Sumptum ab apostolo.2.Corinth.6. Hęc autem & similia multa nunquid non obsecro monarchiam nostram stabili diuinæ scripturæ fundamento confirmant? Nonne palam ostẽdunt de fideli quolibet, quod omnia dedit ei pater in manus? Verũ disseramus de titulis quos posuimus esse tres, id est filialem adoptionẽ, triumphalem debellationẽ, readamationis vicissitudinẽ. Meditemur in exercitatione nostra, si forsan ex præsentis euangelicæ lectionis serie triplex hoc ius inuenire poterimus. Iustum quidem arbitror vt euangelicum præsens mysterium potius quã externa loquamur si possumus, vt posuimus. Triplex itaq; cõspicio memoratum nunc esse mysterium, ablutionem, humilitatem, sacramẽtalem refectionem. Primum est fidei purificantis. Secundum spei corroborãtis. Tertium charitatis reficientis. Ablutio spectat ad titulum filiationis, humiliatio ad titulum debellationis, sacramentalis refectio ad titulum readamationis. Fides corda purificans. Actuum.15. Dat esse filiũ Dei. Iohan.1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Si quęris, quibus dedit? His qui credũt in nomine eius. Spes humilians sub expectatione futurorum dat victoriam de hostibus, quia spes non confundit, ad Rom.5. In me sperauit (inquit Dominus per prophetam) liberabo eum &c. Charitas reficiens vnit Deo per dilectionem, quoniam qui adhæret Deo, vnus est spiritus cum eo. 1.Cori.6. Qui autem edit Christum & bibit eius sanguinẽ, in Deo manet & Deus in eo. Ioan.6. Ac proinde vnus spiritus est cum eo. Si vnus spiritus, quãto magis vnus Dominus. In primo se habet Deus ad spiritum nostrum vt pater ad filium, quem hæreditat. In secundo vt Dominus & rex ad militem, quem coronat. In tertio vt amicus ad amicum, cui omnia communicat, & omnia dat in manus.

Sed notandum est valde ne calumnientur nobis superbi quemadmodum ridet Horatius poëta Stoicos qui se reges omnium appellabant. Notandum inquam quod hæres quanto tempore paruulus est, nihil differre videtur à seruo cum sit Dominus omnium, ad Galat. 4. Similiter in hac peregrinatione & militia spiritus noster quantumcunque sit Dominus omnium, nihil differre videtur à seruo, quoniam infantulus est, puerulus aut adolescentulus & minor annis. Siquidem quantumcunque profecerit quousque excreuerit in virum perfectum, in ætatem plenitudinis Christi, more loquendi apostoli ad Ephes.4. Nihil distare videtur à seruo.

Sunt fateor nonullæ in Christo profectu ętatis didistantię. Itaq; aliquis dici valet infantulus sicut insipientes, aliquis puerulus, vt proficientes, aliquis adolescentulus, vt perfecti. Sed nunquam pertingunt in hac regione ad plenam virilem ætatem, crescant in Deum moriendo necesse est. Infantulos dicimus nouiter ablutos & renatos per baptismum aut pœnitentiam, quoad primum articulum vel titulum. Puerulos maiusculos qui proficiunt ad vitiorum expugnationem, quoad secundum. Adolescentulos denique qui cum Bẽiamin adolescentulo sunt in mentis excessu per liberam diuinorum contemplationem & fruitionem, quoad tertium. Contra eos nihilominus conturbantur sæpe omnes insipiẽtes corde quasi serui sint viles, pauperes & abiecti, cum sint genus electum, regale sacerdotium, regnum & sacerdotes, filij & hæredes. Quibus omnia dedit pater in manus.

Collocatis fundamentis nostræ collationis ne plus inania & sonora quam vera & solida videremur attulisse, superædificare propositum erat tres monitorias orationes cum suis cõsiderationibus moralibus & speculatiuis conformiter ad trimẽbrem participationem iuris præexpositam. Prima oratio de iure in monarchatu per ablutionem gratiæ quæ regenerat. Secunda oratio de iure per humiliationem quæ triumphat. Tertia de iure per refectionem sacramentalem quæ Deo vnit & incorporat. Ego autem animaduertens materiam hanc latissimam, quam non pateretur præsentis collationis breuitas exequi, contentabor de primo nunc de titulo orationem cum suis considerationibus texere, de reliquis si vita comes fuerit, in posterum differere proposui.

Sic igitur exordior. Noli precor ô rationalis spiritus, noli gratiam negligere quam offert tibi pater, ipse te monarcham stabili, ipse tibi omnia in manus dare disposuit, tantummodo laueris ab iniquitate tua, & ab omnibus inquinamentis tuis ablutus emunderis. Audi ô rationalis spiritus, & si grandem rem tibi præcepisset pater, tu tamen facere debueras, quãto magis quia dixi tibi, vt laueris septies id est perfectè, & mundaberis à lepra peccati, & te hæredem suum, te monarcham omnium constituet, & omnia dabit tibi in manus. At verò si non lauero te inquit, non habebis partem mecum. Horrenda nimis comminatio. Non habebis partem mecum. Et quam partem? partem de qua propheta exultat gloriabundus, dicens: Pars mea Deus in æternum. *Psal. 72.* Pars hæc est merces magna nimis, hæreditas præclara, immo omne bonum, propterea non conturbet nomen partis quasi tuæ aliquid auiditati vel monarchatui derogetur, quoniá si pars ista Deus est sicut est, quis negauerit possessorẽ eius habere dominium bonorum omnium aggregatione perfectum? Verè felix ablutio cui pars talis, tanta portio, tam insignis præstatur hæreditas. Attende tibi ô fidelis spiritus si primam baptismatis ablutionem incoinquinatam seruasti, tecum bene actum est, lauacri non eges, mundus es totus, filius & hæres existis. Sed si rursus instinctus es sordibus peccatorũ, si volutatus in sterquilinio flagitiorum, non desperes, quoniam tibi relinquitur pœnitentialis ablutio pro peccatis & ad gratiam regeneratio.

Parua ne tibi videtur ista patris dignatio, parua A ne tam facilis ad hæreditatem perditam reuocatio? Laua te & mundaberis, & mundatus hæres eris. Caue caue nè abutaris tantæ misericordiæ largitate, quoniam tanto detestabilior vtique erit transgressio, quanto erat impletio facilior.

Præcingere igitur fidelis spiritus, præpara pelnim cordis tui, quæ sursum patula sit per cæleste desiderium & non euersa humi per cupiditatem terrestrium. Eijciatur ab ea omnis aliena repletio, præsertim aceruus grandis, aut lapidosarum, aut lutosarum cogitationum & affectionum, alio- B quin aquam mundatiuam quomodo susciperet? quomodo contineret? tota dilaberetur, tota foras efflueret. Hęc aqua (si nescis) aqua est tuarum piarum lachrymarum, hauritur ipsa à puteo contritionis profundè cauato per acutum ligonem meditationis, situla fidei illam continet, corda spei sursum trahit, fornax ardens charitatis eam calefacit, miscet cineres recordatio peccatorum. Tale sibi lauacrum quotidie præparabat inclytus rex. *Psal. 6.* Lauabo (inquit) per singulas noctes lectum meũ, C lachrymis meis stratum meum rigabo. Vult ecce Christus pater noster lauare tibi pedes, noli prohibere, sed dic cum Petro, Domine non tantum pedes affectionum, sed & manus operationum & caput cogitationum. Lauas quotidiana sollicitudine manum corporalem aut tunicam, sit tibi quæso cura vigilãtior de anima tua quá de manu vel tunica. Non sis oro piger ad lauandum animam tuam, pro cuius lotione Christi sanguis effusus est. Non vis habere immundam domum, D immundum vas, immundum seruum, immundã caligam, immundam animam habere quare non refugis? Sit tibi charior anima tua quam caliga, monet Augustinus. Portò confessor noster locum tenet Christi, ostendendæ illi sunt sordes nostræ, quas per absolutionis manum tanget & abluet, & linteo satisfactionis absterget. Linteum istud satisfactionis triplici filo vel stamine contextum est. Filum aliud est orationis, aliud est ieiunij, aliud eleemosynæ salutaris. Vis ergo habere partẽ cum Christo, vis omnia tibi in manus dari? E Respondebis, volo, & valde volo. Vt ergo taliter munderis & in filium mundatus & tersus adopteris, necesse est.

Sed heu qualiter & amplius Iudam reprobum imitantur quam plurimi, quorum corda quæ dæmonum occupat, nulla deuotionis vnda subintrat, proditores sunt, hypocritæ sunt, fures sunt aut & sacrilegi, ecclesiasticorũ loculorum raptores, propter quicquid exterius agatur circa eos remanent intus sordidi. Nulla eos prędicatio, nulla horrendæ damnationis interpretatio, nullum di- F uinæ dignationis & humiliationis obsequium, nullum beneuolentiæ signum osculum vel alloquium, nulla postremò bonorum societas à præconceptis facinoribus plus quam Iudam absterrent aut reuocant. Quamobrem nihil eis dolor de commissis, nihil confessio, nihil restitutio, sicut nec Iudæ proficiunt, palam est ratio. Deest quippe spes veniæ, quæ in dilectione iustitiæ & in non peccandi deinceps proposito collocatur.

Nos verò salubriori credentes consilio (ô præclari & eruditi viri) lauemur obsecro & tergamur interius à sordibus quæ sunt in pedibus affectio-

num,

num, quatenus abluti efficiamur de seruis Domini de exulibus ciues, de abdicatis filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, quibus perinde omnia dabit pater in manus, fiat fiat.

Circa prædicta mihi quatuor dignè considerandæ per modum quadruplicis pulchritudinis veritates inspicio.

Prima consideratio.

Ablutis per gratiam omnia sunt communia. Perspicua est probatio ex præmissis. Eorum nempe quilibet hæres est & cohæres Christi. Miratur hoc aliquis, miretur potius quando legit quod multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna Actuum. 4. Si cor vnum & anima, immo vnum corpus & vnus spiritus (prout loquitur apostolus ad Ephes. 4.) Quid conuenientius quam vt eorum sit vna prorsus hæreditas, vna dominatio, vnus castus principatus? Hoc mihi sensisse videtur propheta, dum gratus clamat ad Deum. Particeps ego sum omnium timentium te & custodientium &c. & titulum subdit. Misericordia tua Domine plena est terra. Hanc veritatem agnouit egregius doctor August. dum posuit, iure poli omnia esse communia. *Psal.* 118.

Irridebit scio sententiam istam aliquis homo qui non capit ea quæ Dei sunt, stultitia est enim illi. 1. Cor. 2. Excæcauit enim eum cupiditas, quæ ad oblatrandum ora laxat. Obijcit stomachans & & sibi sapiens. Si iustis omnia sunt communia, ipsi nihil rapere, nullum furtum facere poterunt, vtentur enim re sua. Porrò nullus est eo ditior, sed & nullus à iustis quicquam poterit auferre vel tollere, ex quo res manebunt suæ vbicunque trásferre eas contigeret. Sunt quippe Domini omnium. Denique ius erit commune apud omnes super vxoribus, seruis & ancillis & similibus. Sic in errorem Socratis relabemur, & has absurditates ferre quis poterit? Sic paralogizat aliquis homo, similiter ad illum de quo refert Seneca 7. de beneficijs, quod si deorsum sunt omnia, nihil erit sacrilegium & ablatio qualibet, nihilominus sacrilegium dicetur, vbi deductio posita est & similiter solutio, vbi expressa est Senecæ sententia, quod iustis omnia sunt communia & pulchrè deducitur. Huic veritati super Cant. Bernard. attestatur.

Falluntur oppositum sentientes, quia solum attendunt acceptionem dominij polliciti & ciuilis grossam atque palpabilem, nihil de dominio naturali & originali, nihil de gratuito & euangelico concipiunt. Tradit magnus Albertus, & ita est, quod didici à puero, circa particulares hominum actiones vix aut nũquam possunt aliquid subtile, altum & abstractum concipere (omnia ad sensum referunt & experientiam) quod agere maximum esse veritatis adipiscendi impedimentum posuerunt Plato in Thim. Tullius in Tusculanis quæstionibus, & Augustinus in de vera religione.

Altius igitur repetentes dicamus pro elucidatione præcedentium & sequentium, quod Dominus qui vniuersitatis Dominus est iure plenissimo creationis, conseruationis & gubernationis. Deuteron. 32. Communicauit dominium suum creaturis capacibus dominij, quæ propriæ sunt creaturæ rationales solæ, quibus vti & frui competit rebus alijs assumendo eas in sui facultatem. Ad naturam sic conditam in ratione & arbitrio & tali facultate consequitur dominium, quod appellamus naturale vel originale. Hoc fundatum est in statu innocentiæ & promulgatum Gen. 1. Subijcite terram &c. deturpatum est per peccatum, sed restauratum ipsi Noë post diluuium. Genes. 9.

Ad hoc & super hoc dominium vt perfectum integrumque sit, superaddéda fuit gratia & plena sancti spiritus communicatio. Ex quibus resultaret titulus adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater, ad Roman. 8. Iste est titulus fœcundissimus, supra quem fundatur dominium gratuitũ & euangelicum, per quod creatura rationalis habet ius propinquum super res quaslibet inferiores ad vtendum eis debitè & liberè pro fine suo consequendo. Diximus ius propinquum propinquum propter prædestinatos peccatores, habentes ius remotum & impedimentum per peccatum.

Additũ est super res quaslibet inferiores, quoniam propriè dictum dominium non habet locũ super res excelsiores, quamuis sub sensu aliquo tropico dici possit creatura rationalis huiusmodi habere dominium in Deo per gratuitam eius cõmunicationem, & dignatiuam condescensionem ipsius ad faciendum quicquid creatura rationalis rationabiliter voluerit, quemadmodum dicimus amicorum idem esse velle & nolle. Taliter haberi & dari spiritussanctus dicitur secundum determinationem sanctorum. Et habetur distin. 14. primi sententiarum cum ibidem tractatis per doctores. Plus etiam videtur concedere scriptura sacra Iosue 14. vbi dicitur quod stetit sol, obediente Deo voci hominis. Hoc modo dicebatur Dominus teneri per Moysem & alios sanctos cum nequaquam ageret contra eorum votum & orationem. Sed & neminem esse qui sibi obsisteret, conquerebatur Deus in prophetis.

Deinde subiunctum est prout rationabiliter voluerit, quoniam de ratione dominij & dominationis est, quod non potest quis irrationabiliter vti rebus suis manens Dominus, alioquin non esset Dominus vsquequaque perfectus ipse Deus, cui repugnans est omnis abusus in suo dominio. Sed & nequit ab inuito tolli tale dominium plusquam nequit à gratiæ titulo, nisi prauè consenserit spoliari. Hinc affirmat apostolus quod neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei. Rom. 8. quoniam etiam ipsis diligẽtibus Deum qui filij sunt per adoptionem, & loti per gratiam, omnia cooperantur in bonum. Sic omnia, vt omnis tribulatio, omnis rapina bonorum, omnis aduersariorum insultus. Ipsa denique mors corporalis seruiunt & militat pro iusto tanquam pro vniuersali monarcha. Dicam mirabilius, ipse etiam infernus damnatorũ, horrenda illa supplicia, immo aliorum casus & peccata ad vtilitatem eius agonizant, prosunt & obsequuntur. Excedo mensuram veritatis, si non hoc asserat propheta regius. Lætabitur inquit, iustus cum viderit vindictam. Ecce de pœna qualibet manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Ecce de peccato vtilitas proueniens. Quod si *Psal.* 17.

adhuc tardior es ad credendum hæc omnia, accedat apostolus & testimonium planè dicat 1. Cor. 3. Omnia nostra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, præsentia siue futura, omnia nostra sunt. Quid quæris amplius? quale tibi vis testimonium apertius? omnia nostra sunt, etiam mors. Quo pacto sic dicis, O Paule? quia nimirum per mortem quasi per militem officiosissimum iustus adipiscitur triumphum beatitudinis æternæ. Iustus insuper per aliorum tyrannidem & facinora perpetua securitate coronatur. Ita liceret ostendere (si vacaret) per singula de vxoribus, de diuitijs, de agro, de cœlo, de terra & mari, quod omnia sunt iustis ablutis per gratiam verissimo dominio ad omnem vsum licitum, prout congruit & proficit consecutioni finis sui, iuxta promissionē Christi Matt. 19. Sic de fama vel infamia, vel de nobilitate, vel ignobilitate, de nuditate & abundantia deducit apostolus 2. Cor. 6. Vbi omnia talia vocat arma iustitiæ à dextris & à sinistris. Si arma nonne adiutoria? Sed aduertite quia dixit arma non simpliciter, sed arma iustitiæ, quia ex eius titulo robur habent. Non oberrauit in hoc à traditione supremi legislatoris nostri, qui subtili verbo monarchiam hanc fundauit in eodem titulo iustitiæ Mat. 5. Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & omnia adijcientur vobis. Iustitia regni est gratia, ad quam sequitur possessio omnium, vt verum sit Matth. 13. & Luc 19. Qui habet sc. charitatem & gratiam, dabitur ei & abundabit. Habemus igitur patefactum quod ablutis per gratiam omnia sunt communia, & omnia dedit eis pater in manus.

Secunda consideratio principalis nostra est. Pulchrior est dominatio, fœcundior atque diuinior quæ ex titulo gratiæ quam ea quæ ex titulo ciuilis aut politicæ iustitiæ oritur & accrescit. Prēmittemus quid per dominium ciuile & politicū importatur, & quid per gratuitum seu euangelicum, ne per ignota vagemur. Ciuile dominium est ius fundatum in traditionibus humanitus adinuentis, introductum occasione peccati, incommunicabile simul & ex ęquo pluribus dominis & abdicabile seruata iustitia. Gratuitum vel euangelicū dominium describitur per tres oppositas conditiones. Nam est dominium fundatū in lege Dei, & ab eadem immediatè constitutum quodlibet dominos ex æquo secum compatiens, & inabdicabile seruata iustitia. Conferamus mutuo istas tres conditiones contrarias, & quæ præclariores sint faciliter agnoscemus. Gratuitū siquidem dominium immediatè constitutum est à Deo & ante peccatum, præsupposito tamen quod Adā fuerit in gratia. Ciuile nequaquam, quoniam si nulla fuisset transgressio, si præterea, non esset effrenis hominum cupiditas (cui etiam ipse Deus nō sufficit, prēlium tantum & tam grandis perosio) nullum fuisset inter homines plus quam inter angelos ciuile dominium. Visum est in Adam & patebit in gloria. Qua propter radix infecta est origo talis dominij. Hoc apertè in illius executione & retentione & acquisitione sapimus, quoniam vix aut nunquam absque peccati sordibus acquiritur, retinetur, dispensatur nunquam absque curis vltricibus, absq; anxietatibus plurimis aut litibus inquietis, aut periculis multis suos detinet amatores. Compatitur insuper secum nequissimam

A seruitutem & pessimis sæpe collatum est, eis qui proditores sunt veri DOMINI; rei criminis læsæ maiestatis, in eum seditiosi, in ciues regni, homicidæ sui, & indigni pane quo vescuntur. Qualiter verò & quam propriè tales se dominos appellāt; ipsi viderint. Secus est de dominio gratiæ, quod purum est, lætum, sanctum, iocundum, quietum & securum. Fundatum deniq; in regulis diuinæ artis, nō vt ciuile dominium in traditionibus hominum, quandoq; superuacuis, quādoq; nequissimis.

B Secundam differentiam assignat prædicta descriptio, quod dominium ciuile simul & ex æquo est incommunicabile pluribus, quamquā diuersis modis non ex ęquo compatiatur plures dominos, vt regem & Burgensem vel militem. Consurgit autem hæc incommunicabilitas ex imperfectione, arctatione, grossicie & egestate talis dominij. Non enim potest diuersis & multis æquè plenè sicut paucis in vsum suum cedere. Ex aduerso gratuitum & euangelicum dominium cōpatitur

C secum quodlibet dominos, propter sui spiritualitatem & communicabilitatem & bonitatem ad exemplar supremi dominij, quod ex ęquo cōmunicat se pluribus sicut vni. Hoc est dominium charitatis latum nimis. Quæ charitas nō est ambitiosa, nec appropriare sibi quærit quæ sua sunt. 1. Cor. 13. Sic parētes primi nihil sibi ante casum appropriassent, sed nec angeli vel beati. Sic Deus absq; sui dominij detrimēto coassumit angelos & homines, in quos transfundit monarchialem potestatem, dans eis omnia in manus. Sic demū pa-

D ter & filius & spiritussanctus tres personæ ex æquo plenissimè sibi cuncta subijciunt. Tertia super additur differentia, quoniam ciuile dominiū potest abdicari & repudiari seruata iustitia. Potest etiam ab inuito tolli. Nam propter quid aliud quotidie fiunt mercationes, emptiones, venditiones & aliæ commutationes? Propter quid aliud insuper perstrepunt & reboant odiosę lites, rabiosa iurgia, improbæ contentiones iudiciorū forensium pro repetendo aut tuendo rem suam,

E cui taliter dominans semet astringit? Et ô Deus æquissime quanto est in hoc præcellentia dignitatis, in gratuito super ciuili dominio, quoniam sicut tu Deus tuum communicas dominium absque deperditione & abdicatione, sic iusto cuilibet fas est compati secum quantumlibet plures dominos, & nihil deperdere, immo extensius habere dominium. Propterea non habet necesse iustus contendere in iudicio propter hoc dominiū, sciens omnia esse sua, vbicunque & quocunque fuerint transportata siue collocata. Vsurpare quo-

F que sibi fas est vocem illam philosophi cuiusdam ab incensa vrbe sua fugientis, & nihil bonorum terrenorum secum ferentis. Omnia mea inquit, mecum porto. Sęuiant tyranni, fortuna ferox insurgat aduersus iusti corpus aut bona quælibet extrinseca, nihil ab eo rapietur, quin in suum dominium & commodum reseruetur, & seruiat etiam pro statu naturæ lapsæ, quia de statu naturæ integræ vel glorificatæ nulla est dubitatio. Amplius nulla tale dominium contrahit inops auaritia, quo minus fœneretur cum Deo & proximo, bona sua emit & vendit, iuxta Esaiæ præceptum.

ptum,& absq; auro & argento & vlla commutatione supple ciuili, vinum compunctionis & lac deuotionis,& cum Deo negotiatur de regno cęlorum. Ex quo & quomodo negotiatur? ex numismate precioso & aureo charitatis. Sed de eo quod prius suum erat, quo pacto negotiari dicetur? quia certè illud quod suũ prius erat vno modo, efficit suum pluribus modis tali negociationis, fœnore quemadmodum speculum concauũ recipiens radiosam solis illuminationem, illam à se reflectendo sursum copiosiorem efficit & iterum iterumq; luminosiorem. Non dissimiliter anima sancta concaua per humilitatem, & tersa per vitæ munditiam, dona Dei per gratiam redonationem sibijpsi multiplicat, & in tali donandi meditatione exardescit ignis coruscus & splendidissimus diuinæ illustrationis atq; dilectionis. Sciunt experti quod loquimur. Sic plus absq; vlla æstimatione acquirit liberalis charitas errogando & communicando, quam reseruando & appropriando possit auara sordidáq; tenacitas. De qua verè & philosophicè Hiero. enunciauit ad Paulinum, quod ei deest tam quod habet quam quod non habet. Sic postremò fructum vberiorem placidioremq; recipit iustus ex diuitijs alienis, ex auro, ex margaritis, ex equis, thesauris, & alijs, quam plerumque solus ciuiliter talium dominator & amator. Hoc ex alto intuebatur sapiens dum ait Ecclesiast. 5. Quod qui diligit diuitias, fructum non capiet ex eis. Fructus diuitiarum est redemptio animæ propriæ, & sufficientia & satietas atq; securitas. Hoc fructus magis capit iustus, alienas diuitias vel contemnendo, vel per eas in Dei laudem assurgendo, quam proprietarij, qui tantummodo capiunt spinas curarum pungentium, & tribulos anxiarum occupationum. Debet hæc consideratio plurimum compescere animum bene institutum & morigeratum ab appetitu anxio grandis possessionis aut administrationis ciuilis, quoniam peccatorum maculis contrectantes inquinant, aut saltem peccandi periculis inuoluunt & innectunt. Non satiant hominem, excruciant potius nouis cupiditatibus & curis superfluis. Et vbi sunt opes, ibi sunt & qui consumunt eas. Agnoscitis (vt arbitror) ex hac differentia triplici, quoniam pulchrior est dominatio, fœcundior atque diuinior quæ ex titulo gratiæ, quam ea quę ex titulo politicæ aut ciuilis iustitiæ oritur & accrescit. Posset igitur ecclesiasticus monarchatus absq; tali multitudine dominiorum ciuilium qualem aspicimus, esse perfectior & Christo similior, qui dominij exercitium à se penitus abdicauit.

Confundit postremò hęc pręclara veritas stultam auaritiam nostram, confundit & crudelem inuidiam. Verè & propriè stultam dixerim auaritiam, quæ gaudet sola appropriatione eorum quæ diuinius habentur communia. Sed nonne crudelis, nonne monstroso similis inuidia, quæ bona sua aut quæ sua essent si vellet, odit, quia in alijs adesse conspicit, mordet, lacerat, consumit, & dissipat. Profectò si quis bene prædicat, si quis gloriosè operatur, si quis etiam miraculis claret, omnia hæc mea sunt, omnia hæc ago in proximis, tantummodo vitam & titulum gratiæ inuidiæ culpa non destruat. Similitudinem offerat apostolus 1. ad Corinth. 12. & ad Rom. similiter 12. de corpore vero, in quo manus operatur pro oculo, & de manu videt oculus.

A

Superaddamus tertiam considerationem ostendentem ex præmissis, qualiter idem homo est in vnum diues & pauper. Vel vt apostolus loquitur: Nihil habens & omnia possidens, sciens abundare & sciens penuriam pati, & in altissima paupertate superabundans 2. Corinth. 8. Hoc ita accipiendum est, vt idem homo sit pauper mundo, & diues in Deum. Sic enim loquitur Christus Lucæ 12. Nihil habens (saltem quoad affectum) ciuilicè & politicè, & omnia gratuitè possidens.

B

Tales inuenimus omnes iustos nolentes vti rebus secundum traditiones humanas, defendendo eas in contentioso iudicio propter curas inextricabiles, quæ dominium tale vt plurimum consequuntur. Matth. 5. Sufficit eis titulus gratiæ, & volenti tollere tunicam aut beneficium, dimittunt & pallium, aut ipso facto si expedit, aut sic agere promptus & paratus est animus, primo Timoth. 2. habentes alimenta & quibus tegantur, his contenti sunt. Etiam si diuitijs omnibus terrenis opulentissimi videantur. Erunt igitur tales (dicet nobis aliquis) soli religiosi & paupertatis professores? Nequaquam ita necesse est. Non oportet vt voto aut conuersationis mutatione res à se terrenas abijciant. Paupertas est introrsus in animo sibi bene conscio, quæ effugans tyrannidem sæuam cupiditatis, dilatat regnum charitatis, & ambulare facit in latitudine in innocentia cordis quæ est gratia.

C

Hic attendite ô doctissimi & sapientissimi viri, hic intelligite qua ratione priores argutiæ carnalium facili distinctione soluuntur. Nam & si iusto omnia sunt communia & data in manus non oportet quod in iure fori, aut ad omnem vsum ciuilem qui sibi frequenter abusus esset, sed iure politiæ & ad vsum conformem principijs diuinæ iustitiæ.

D

Animaduertite rursus obsecro, quemadmodum omnis peccans, in eo quod re aliqua peruersè vtitur, iniuriatur cuilibet iusto tanquam fur & raptor rei suæ, est enim furtum contrectatio rei alienæ inuito domino. Tractat autem iniustus abutendo re aliqua rem illam quæ iusti est ipso nõ consentiente, nam consentiendo peccaret. Hæc est radicalis ratio, cur fraternalis correctio cuilibet iusto competit, quoniam de re sua agitur dum peccatur.

E

In hoc verò comperi proprijssimum & philosophicum esse intellectum Iacobi dicentis, quod qui in vno offendit factus est omnium reus. Iacobi 2. Nam peccans in vno peccat in omnes, tremenda nimis, sed vera sententia. Peccans in vno peccat in omnes, immo in ipsum cœlum, & omnia quæ cœli ambitu continentur. Vis audire hoc ab ore vnius qui abierat in regionem longinquam dissimilitudinis, qui ad se reuersus à quo prius longissimè aberrauerat, dicebat: Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei. Pater peccaui in cœlum & coram te Lucæ 15. Si ratio placet, eam accipe. Homo itaque per peccatum se & res quibus abutitur, surripit vi quantum in eo est ab alijs, abrumpens membra corporis mystici,

F

& integritatem vniuersitatis violans. Peruertit insuper harmoniam vniuersi velut chorda discors in cythara aut fistula mutata vel stridula in organo. Infirmat exercitum vel exercitium spiritualis militiæ, tanquam fugitiuus & proditor. Subtrahit deniq; iuuamen & dilectionem & partem regis vel regiminis, & ordinem subuertit aliter quam debet ad omnia. At è contra iustus prodest omnibus veluti membrum viuax & pars congruens suo toti, sicut chorda sonora & fistula suauis: & insuper miles fidus, atq; vt adiutor fortis, & rector omnium sollicitus, sciens quoniam plus abhorret gratia otium quam natura vacuum. Opponet confestim nobis argumentator aliquis subtilior, quomodo iustis fit iniuria, fraus & rapina & peccatum in eos, si pro ipsis militare omnia probatum est. Si præterea Chrysostomus & Seneca validissimis rationibus probauerunt hoc quod nemo nisi à seipso læditur, itaq; in sapientem nulla cadit iniuria, & ita probatum est, consentio. Non enim fit iustis, inuitis se iniuria vel læsio ex aliorum improbitatibus, sed fieri quæritur, aut fieret, si non omnipotens sapientiæ diuinæ virtus de peccatis aliorum bona pro iustis eliceret. Attingit enim ipsa à fine peccati nouissimo vsque ad finem primum quod Dominus est, fortiter, & disponit omnia suauiter, facit quoq; vt secundum dictum Greg. qui in cunctis delinquunt, in cunctis feriantur, vt verum sit illud Sap. 5. Pugnabit contra insensatos orbis terrarum. Nunquid non hoc iustissimè. Toto siquidem orbe terrarum in domini sui contumeliam abusi sunt, &: omnia quantum in eis fuit, in iniuriam eius peruersissima libidine contorserunt. Ita peccator est ille alter. Hismael, cuius manus contra omnes, & manus omnium contra eum. Ita iustus est Dominus, & rectum iudicium suum, quādo contra nos peccatores maledictiones sterilitatum & aliarum pestilentiarum multiplicium inducit, armādo creaturas in obsequium nostrum conditas ad vindictam, sicut traditur diffusè Deuteron. 28. Et sicut tempore passionis ex horrore iudaici facinoris tota vniuersitatis harmonia turbata est.

Quæreret ad extremum forsan curiosior aliquis, si iustis ex æquo sunt omnia communia, duo tales extremū famis periculū incidant, nec habeāt præter panem vnicum, per quem solus eorum poterit sustentari, cuius erit panis ille? Respondeo, quod iure recto occupanti concedetur. Mors verò pro alio pereunte militabit, & seruiet in bonum suū, amplius fortassis quam alteri panis comestio proficiat, quoniam in patientia sua possidet animam suam securus in cœlo, quam ille in breui moritur odioso moribundóq; corpore non securus seruat. Perges vltra quærere casu paululum variato. Si sit alter iniustus, habeat tamen titulum ciuilis dominij super panem illum, & iustus nequaquā, in cuius vsum cedit panis ille? Videri potest quod iusto per titulum gratiæ, in quo verius ius & Deo placidius sibi fundauit & quæsiuit. Sed hæc & similia subtilioris indagationis scholastico exercitio dimittentes.

Ponamus quartam & hanc extremam considerationem tempori huius dominicæ passionis conuenientem. Monarchatus ex titulo gratiæ consurgens, fuit restitutus per Christi passionem extensius & vberius, quam fuisset ante peccatum. Extensius dixi, quoniam infernus damnatorum hominum & eorum multitudo atque peccata non fuissent. Sunt tamen de dominio iusti, & ei militant ad coronam & gaudium & cautelam. Accedant ad hanc monarchiam omnia Christi facta, dicta & exempla, sacramenta insuper omnia, postremò nouæ legis mysteria. Ad hunc sensum ausus est dicere Gregorius. O felix culpa Euę. Quare felix? Non intrinseca bonitate, vt cæca æmulatio culpabat, sed extrinseca denominatione, quia talem & tantum habuit redemptorem. Aliter quippe non fuisset Deus homo, non virgo mater, non humana natura super angelos collocata & similia multa. Sed neque fuissent iusto omnia data in manus, altero duplici iure & titulo præmemorato, titulo videlicet debellationis & conquæstus, & titulo sacramentalis restitutionis.

Verum sentio vos inclyti domini finem loquēdi rationabiliter expectare. Parebo libens, ne pariam fastidium. Expectare tamen prius oro patimini. Vtinam saperent & intelligerent quatuor has veritates pulcherrimas ecclesiastici nostri tēporis, illos loquor improbos, qui spreto & calcato monarchatu gratiæ ditissimo, cæcos se ad inopem & languidum ciuilitatis titulum contecerunt, toti funditus incubuerunt beneficijs sibi per fas perq, nefas coaceruandis per discrimen certissimum, & perditionem animarum suarum, & sæpe alienarum. Præponunt filiationem immundam mundi, immo iugum ferreum diaboli, filiationi & iugo suaui Christi. Prouocant in flagitijs spurcidis & rapinis sacrilegis audacter Deum, cū dederit omnia eis in manus, prout apud Iob verbum est. Extollunt sibi titulos caducos, anxios & egenos. Ille huius ciuilitatis & possessionis, ille alterius, quibus adeptis, dicit quilibet talium cum angelo Laodicæ: Ecce diues sum, & nullius egeo, & nescit talis (quod exprobrans Ioannes subinfert) quod miser est & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus. Cui militant omnia ad oppugnationem sui, non minus prospera quam aduersa. In prosperis resoluuntur segnicie & luxuria, in aduersis per impatientiam & murmur non subsistunt. Quare sic? Quoniam titulum gratiæ commodissimum & pręclarissimum, quo habito, dantur nobis omnia in manus longè proijciunt. O quisquis adest gloriosiori, generosiori superbia & ambitione dignus, quisquis latius & insignius dominari quærit, quisquis imperiosius ardet gloriari, pergat huc facile, iter apertum est, peruium, latum pulcherrimum. Non necesse habet vt euagetur anxius, aut turbetur erga plurima, tantummodo lauetur ab inquinamentis suis, seruet gratię titulum, omnia dabit ei pater in manus. In præsenti quidē nō absq; discrimine belli & militiæ multæ. Nam hic vbi terra, vbi guerra, tanquam nihil differt a seruo, sed præstabit in futuro, speret æquanimiter cum pace & tranquillitate perpetua. Ad quam nos intromittat ille qui habet omnia in manibus Dominus noster Iesus Christus, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

Finit.

Carmen

CARMEN DE VOLUNTARIA PAUPERTATE.


O Pauperies iure beata
Quæ voce Iesu cælica regnas
Dum spiritui grata, nec horrens.
Dum sufficiens lætáque degis.
Diuina tibi gratia dat ius
Veri tituli, quo dominatu
Pleno valeas omnia vti.
Sub lege sua omnia quæque
Primo statui nonne fuere?
Si principio quærere regnum
Horis domini, cuncta sequentur.
Est pauperies indiga panis.
Mendicat egens, fiat, oportet.
Pandit miseram se querulamque
Morbo, senio, torpore fractam.
Heu pauperies nomine solo,
Quæ corde tumes perdita luxu.
Effrons graderis voce procaci.
Buccis nitidis, veste fluenti.
Ceruice riges, naribus efflas
Vis ex alijs viuere lauta
Qui non dederit, murmura rodis
Discrimen habet fama negantis
Vos effugite, credite mordet.
Est pauperies officiosa.
Quæ parca sibi largiter amplas
Dispensat opes, vsibus aptans
Discreta pijs, curat honesto
Frugique statu plebi placere
Clamas, decus hac liuide pompas
Cedens proprijs, altera viuit
Commune tenens more priorum
Gazas medias spernere prorsus
Nolo, fragilis terat egestas,
Heu sim per eam sordibus excors.
Curis lacerus, corde molestus
Liberque minus corde tenere.

ALIVS SERMO PER EVNDEM CANCELLARIVM, IN COENA DOMINI, *ad ecclesiasticorum cautelam & eruditionem.*


TRADIDIT Iesum Iudas Simonis Iscariothis. Originaliter in sententia Ioan 13. Vnde sumptum est euangelium præsentialiter recitatum, de proditore Iuda, de obstinato & incorrigibili. Quo vtar nomine, clerico vel prædicatori vel apostolo vel sacerdote locuturus. Totus in meditatione mea contremui, totus horrore concussus sum recogitans quam terribilis in consilijs Deus super filios hominum. Videns insuper cum Ecclesiaste opera Dei mirabilia valde, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. Si claudit, quis aperiet? Si mittit chrystallum obdurationis, à facie frigoris eius quis sustinebit? Si diabolus cor subintret, nonne sicut malleatorum incudem indurat illud, ita vt rideat vibrantem damnationis hastam, vertuntur sibi in stipulam lapides fundę, nec acquiescit cuiusquam precibus. Iudas in exemplo est, quæ nec efficacissima prædicatio, nec maledictionis æternæ insinuatio per Christum facta deterrere potuit à præconcepto parricidio, nec cōsideratio tuæ dignitatis, ô virgo beata, ô mater pietatis emollescere potuit, vt misericordius ageret erga te & filium tuum benedictum. Maledictus furor talis, quia pertinax & æmulatio, quia dura, dum tradidit Iesum Iudas Simonis Iscariothis. Nunc autem ô virgo serena, ne sit in aliquo nostrum tale cor incredulum & durum, cor à sathana occupatum, cor ad diuinas monitiones vel increpationes clausum, adimus cum fiducia thronum gratiæ tuæ suppliciter exorantes, vt irroratione eiusdem gratiæ percepta quæ cor emolliat, vt abiecta omni nequitia diabolicę fraudis, ne cor induret, inueniatur nemo nostrum proditor filij tui, spernens legis suæ monita salubria. Quod vt impetremus, præsentamus tibi illud euangelicum. Aue gratia plena, &c.

Tradidit Iesum Iudas Simonis Iscariothis &c. Memini, meminerunt & præsentium (vt opinor) aliqui, quemadmodum hoc eodem vespere, ducto semel in circulos suos annuales sole, tractauimus literaliter thema præsens, incipientes ab hoc verbo. Cum iam diabolus misisset in cor Iudæ &c. Quam particulam ex industria dimittimus, circa quam præcipuè motæ sunt tunc quæstiunculæ plures, quasi ex persona studiositatis speculatiuæ, quarum dissolutio vel ad scholasticum exercitium, vel ad tempus alterum linquebatur. Quas etiam nunc vel repetere vel dissoluere nequaquam est animus. Satis adest materiæ plangere potius, & plangendo clerum nostri temporis, ne proditor Christi sit admonere libet, vt clerus qui in apostolico ordine inde successor inuenitur, nullo pacto fiat eiusdem imitator in crimine, quali crimine? Nimirum in eo quod narrat euāgelicus sermo comprehensus in verbis thematis. Tradidit &c. Hæc totius nostræ intentionis summa hic cardo circa quem dicendorum omnium voluetur oratio. Nam illos cōmonere qui vel foris sunt in alio ordine vel absentes, quid ad nos? Studeamus igitur ostendere modos, quibus & quot Iudas tradidit Iesum, & ex eius damnatissimis proditoriæ fraudis operibus sciamus nos de clero, nos dicti per antonomasiam ecclesiastici, à quibus & qualiter abstinere debeamus, ne si similes fuerimus in execrando facinore, par nos inuoluat horrenda damnatio. Iactamus in primis hoc pro dicendis fundamentum, quod proditio est fraudulenta læsio alicuius sub amicitiæ vel officij simulatione. Et ita proditio duplex est iniquitas, quia & odium est simulatio. Proditor est qui simulat officium & affert detrimentum. Vel proditor est familiaris inimicus, eò perniciosior quò efficacior est & ineuitabilior ad nocendum. De tali in prouerbijs: Simulator ore decipit amicum suum. Contingit autem fieri simulationem amicitiæ vel obsequij tripliciter, in statu & professione, in gestu & operatione, in affatu seu locutione. Hanc triplicem beneuolentiæ simulationem si quærimus, in Iuda reperimus erga Iesum, sicut his tribus modis ingerere finxit se Iudas sibi beneuolum; scilicet in statu, vt quia apostolus eius fuit, in gestu, vt quia osculum ei de-

dit, in affatu, vt quia eum rabbi nominauit. Ædificemus (si placet) super hanc basim triplicem duos nostræ collationis parietes principales, traducendo Iudę proditionem ad ecclesiasticorum omnium cautelam & eruditionem.

TRadidit itaque Iesum Iudas Simonis Iscariothis. Primum, quia amicitiam obsequiosam prætendebat in statu quam longè proiecerat ab affectu. De gestu autem & affatu similiter in altera parte videbimus. Porrò status Iudę quadruplici titulo fuerat insignitus. Erat quippe Iudas clericus, hoc est, in sortem Domini electus, tanquam domesticus eius & hæres. Ad quid? Vt Dominus sua pars suáq; esset hæreditas. Cleros enim græcè, est sors latinè. Erat præterea Iudas ciuis sanctorum ascriptus de ciuitate Hierusalem, tanquam domesticus commensalis & canonicus regularis sub abbate Christo. Erat rursus prædicator & apostolus, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Sibi quippe data erat potestas super omnem virtutem inimici, communicata simul eloquia diuina & secreta cœlestia. Erat denique sacerdos Dei altissimi institutus à Christo secundum ordinem Melchisedech. In primo filius Iesu & hæres. In secundo frater & conciuis & religiosus. In tertio amicus, immo mater propter spiritualem propagationem in aliorum cordibus. In quarto socius & comminister. Agnoscitis qualia & quot in statu suo, & quam magnifica dilectionis pignora Iudas susceperat. Atverò quid pro his omnibus retribuerit scitis. Tradidit quippe Iesum patrem suum fratrem suum, domesticum suum & abbatem, amicum & pontificem & socium dignantissimum. Sed ad hæc audita quis ex nobis non indignè ferat? Quis non exhorreat tam inexpiabile piaculum? Quis non sceleratissimum perditissimumq; Iudam damnatum pronunciet? Veruntamen inspiciamus nosmetipsos charissimi, qui vel clerici vel ecclesiastici dicimur, qui prædicatores, qui præsbyteri, non nos fallamus adulatione propria, non terga vertamus lucidæ veritati, fortasse videbimus quod hæc de nobis fieri potest narratio. Qualis narratio? Vtiq; quod inter nos sit qui tradiderit Iesum exemplo Iudæ Iscariothis. Tradidit inquies, & quomodo potest hoc fieri? Nōne Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, apostolo dicente quod non moritur, neq; ad mortem traditur? Audi verò alio loco apostolum tu ô homo qui apostolū appellasti. Rursus inquit crucifigentes in se filium Dei & ostentui habentes, si crucifigentes, cur non pati more loquendi morti tradentes? crucifigitur in membris suis? Crucifigitur quantum in nobis est, dum causa suę crucifixionis peccatum iteratur. Proditur autem, dum simulatoriè colitur, statu, gestu, vel effatu. Inhonoratur verò prauo cordis affectu. Esto dicet aliquis de clero, crucifigam Christum modo quo loqueris, esto prodam eum, attamen longè est peccatum meum à sceleratissimo facinore Iudæ proditoris, qui miracula testatissima Christi vidit, non ego, Iesum prædicantem, commonentem deterrentemq; audiuit, non ego. Consors apostolorum fuit, non ego. Desperando se suspendit: gratia Dei non ego. Appello te homo qui sic loqueris, præ Iuda te iustificans. Credis ne Iudam

A vidisse & audiuisse quæ dicis? Si nequaquam, tu vanè crimen Iudæ per hoc exaggerandum pronuncias? Si credis, iam igitur miracula confiteris quæ vidit Iudas, tu pœnam proditoribus æternaliter infligendam agnoscis. Amplius verò tu multitudinem testimoniorum & scripturarū per successionem tanti temporis huius, post occubitum Iudæ plus agnoscere debuisti. Quod si tam certissimis historijs fidem derogas, sed dicis, si miracula videro, credam. Accipe responsione Epuloni datam, non si quis ex mortuis resurrexerit coram te,

B credes. Clarissima certè miraculorum lux peruersos reprobósq; animos non tam illustrauit ad credulitatem quam radiando cęcauit. Hoc fuit in Iuda, hoc in Iudæis & hæreticis perspicuum. Caue tibi igitur, ne si Iudæ præbueris te similem in vita, similis in obduratione & reproba morte iusto Dei iudicio Dei relinquaris. Quocirca pro explicatione maiori quadruplicem considerationem assumimus.

Prima consideratio.

C Ad exemplum Iudæ proditor est ecclesiasticus, qui spreta parte sua ditissima, egenam, auaritiam consectatur. Ad quid? Vt vxorem, immo adulteram pessimam nutriat, concupiscentiam suam, & fiat Iscarioth, id est mercedem accipiens. Auaritiam hic intelligite affectum inordinatum, malè cupidum, non tantum pecuniæ, sed rei cuiuslibet transitoriæ. Vultis audire considerationis huius rationem? Debuerat quippe perseueranter clerus dicere id quod ab initio suæ institutionis iuxta nominis interpretationem protuli, cum pro-

D pheta: Dominus pars hæreditatis meæ &c. Et rursus: Pars mea Deus in æternum. Hæc sors hæreditaria, hæc vberrima portio, hæc pars optima, nonne clero sufficere debuerat? Nonne cum eodem propheta gloriari æquum erat, quando subditur. Funes id est diuisiones, ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Valde præclara, quales opes, quæ diuitiarum copię satiabunt animam clerici, si Deus omne bonum, si merces magna nimis velut insufficiens ab-

Psal. 9.
Psal. 72.

E ijcitur? Fit nihilominus stoliditate mirabili, magis verò miserabili, vt clerus per auaritiæ cupiditatem auertatur à sorte sua Deo suo, quem deserens & ab eius facie passibus non tam corporis quam graui affectionis egrediens, primum in se recuruus corruit. Stulta verè prauáque mutatio, de Deo in se. Nam in se quid nisi vastum quoddam indigentiæ desertum inuenit aut sentit? Anima quippe sine Deo quid oro est, nisi horribilis quædam & inhabitabilis terra, deserta, inuia, inaquosa, vel potius tenebrosissima quædam & pro-

F fundissima miseriarum abyssus. Præterea clerus sic auersus à Deo, neque iam consolationem aliquam, neque refectionem aut satietatem ab eo sentiens, quidni auertente Deo faciem suam, cōturbetur? Quidni ad tenebrositatis vesperam veniens, famem patiatur vt canes? Quid ni querulus dicat Deo: Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? Itaque fit sibimet regio egestatis, longinqua valde à peccatoribus salus. Occupante igitur regionem illam fame valida miseriarum, consolationum falsorumque bonorum, perditóque gustu viui & veri boni, egreditur *Iob. 7.*

ditur iam homo ecclesiasticus semetipsum, per exteriorum quinque sensuum portas, quia nullibi peius hospitium, neque amarius consortium quam in se & secum inuenit, egredietur foras & congregat iniquitatem sibi. Egredietur si fortè videndo, audiendo, sentiendo, gustando vel olfaciendo vmbras aut picturas veri boni res sensibiles, afferat sibi inde consolatiunculas aliquas quas substernat animæ suæ ægrotanti & sauciæ, ex quibus pascat concupiscentiam insatiabili auiditate voracem, cum filijs suis operibus carnis, quasi totidem catulis fame rabidis. Sed expertus quam verè enunciauerit qui dixit: Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur, reperit cum Aug. omnia miris amaritudinibus respersa, quia iuxta Satyricum, plus aloës quam mellis habent. Misera planè, sed digna sors, vt eiectus clerus cum Cain à facie Domini, vagus sit post concupiscentias suas & à contristantibus eum profugus super terram, non viuentium in æternitate, sed morientium in temporalitate. Deniq; clerus sic auersus à Deo & conuersus ad mundum quid patitur? Nonne sentit & videt quam amarum sit reliquisse Dominũ? Sentit profectò nisi sensum perdiderit. Nam adhęret vni ciuium regionis illius, hoc est carni, quę de mundo non de supernis est vt spiritus. Hæc mittit eum pascere porcos sordidos, brutales & furibũdos desideriorum pessimorum, quibus dat siliquas inanes voluptatũ. Sed quid dicit scriptura de adolescẽte filio vnde parabolam assumpsimus? Cupiebat ventrem implere de siliquis quas porci comedebant, & nemo illi dabat. Onerat quippe talis cibus voluptatis, irritátque famem, non satiat. Superest ergo, vt quia satietatem in nulla re vna reperit, nitatur euagari per varia, propterea fit dispersus multipliciter & inquietus, semper hians, semper ad ampliora coaceruanda ne desit aliquid elaborãs, sẽper nescio quid curtæ deest rei, inquit Satyricus. Finita sunt quippe omnia, animæ autẽ desideriũ & os & venter capaces sunt infiniti, propterea quicquid obiectum fuerit, non plus affert satietatis quam gutta vno gulpho vastissimo. Totus iste mundus sensibilis ad animæ ventrẽ quid est nisi bolus exiguus, nam si mille milia mundorum adieceris, eum non implebunt. Patuit in Alexandro, in Cæsare, in alijs tyrannis. Vę misero mihi (inquit Alexander) cum ex Democriti sententia innumerabiles mũdos audisset, ego nec vnum subiugaui. Idem de scientiæ cupiditate. Exemplum deinde senserunt qui tota studiositate sua nihil aliud inuenerunt quam nihil scire, & quod multa scire magna fatuitas. Porrò quid mirãdum si non satiatur comedens in somnis, vt loquitur Esaias, & vt poëtæ de Tantalo fabulantur? Sed & vmbram & ventum dentibus atterens & pascens, saturitate quomodo implebitur? Ideo bene enunciauit qui dixit appetitum diuitiarum esse infinitum. Midam & Tantalum poëtæ, & Cresum cum innumeris diuitijs historicis pro exemplo posuerunt. Ecce cui assignata erat sors vberrima, sorsque plenissima, dum derelicta ea vmbram & ventum consectatur temporalium commodorum vel lucrorum, dum quærit ea tanquam precium quoddam huius commutationis Dei cum mammona, ipse neque rem habet neq; pre-

Luc. 15.

cium. Postremò cum Iuda suspenditur, strangulaturque laqueo temporalis sollicitudinis intercipientis spiritum vitalem gratiæ, ne interiora refrigeret & crepat medius, & diffundantur omnia viscera eius in terram. Fingo istud, nisi esset testis sapiens: Auaro inquit, nihil est scelestius.

A

Sequitur. Proiecit enim in vita sua intima sua.

Vultis accipere similitudinem (vt dicitur) palpabilem pro prædictis. Ponite ante oculos vestræ considerationis canem aliquem mordicitus inter dentes gestantem frustum carnis, transnatet canis iste flumen aliquod, videatque vmbram carnis in aqueo speculo, hic canis vt auidum est animal, si hiando nititur vmbram hanc arripere vel glutire, quid agit nisi vt verum carnis cibum perdat, elabitur enim fundóque mergitur, non tamen vanescente potitur. Aut si similitudo magis placet in hominibus. Recogitate aliquem in horto pomifero positum, super cuius horti filices humi repentes super vrticas & vepres, iaciantur ab alto vmbræ pomorum ex radiatione solis obiecta, quanta precor æstimabitur stoliditas in hoc homine, si spretis veris pomis ipse nitendo & serpendo pedibus manibusque totus incumbat inhians aperto ore super huiusmodi vepres & vrticas, cupiens vmbratilibus pomis saturari? Quid ipse nisi vstiones puncturasque, quid nisi lacerationes referret de toto conatu suo? Profectò hic est typus auari, qui spreto Deo, vero cibo & fructu, persequitur vmbras eius, vmbratiles scilicet diuitias, quas Iesus spinis quia cruentant & pungentibus curarum aculeis vulnerant, comparauit. Itaque nisi hæc vmbra quasi somnialiter & vmbratiliter fieret sicut vnus poëtarum dicit) referente Fulgentio) non cecinisset psalmista: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Et rursus: Veruntamen in imagine pertansit homo. Minus quippe habet entitatis & permanentiæ temporalitas æternitati comparata, quam somnium auolans vel vmbra pertransiens, si earum cum temporalitate quantumlibet extensa fiat collatio. Talem (nisi me fallit æstimatio) formauerant imaginem rerum humanarum duo philosophi, Democritus & Heraclitus, quorum alter mox vt ingrediebatur soliũ domus ridebat, ita nihil sibi serium sed ineptum videbatur. Alter flebat, arbitrãs omnia quæ gerebantur miserrima. Talem Iob, talem ille qui introierat in sanctuarium Dei imaginem pinxerat. Iob dicit: Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim. Alter: Velut somnium surgentium Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Clerus vtinam sic sentiret ex intimis rerum vanitatem, quod quia non facit tradit Iesum, prætendens ex statu & nomine se habere solum Deum in sortem hæreditatis, à quo longissimè proiectus est per vitium cupiditatis. Quod si vult regredi, formam habeat iam allegatam adolescentis, reuertatur de exterioribus ad se, de se ad patrem dicens: Pater, peccaui in cœlum & coram te, proditor nedum tui sed cuiuslibet creaturæ, fac me sicut vnum ex mercennarijs non mundi sed tuis, ne peream cũ Iuda Simonis Iscariothis.

B C D E F

Psal. 75.
Psal. 38.
Iob. 5.

Secunda consideratio.

A Ad imitationem Iudæ proditor est ecclesiasticus qui corporaliter etiam asscriptus ad consortium ecclesiamque sanctorum deserit illos corde nequam transiens ad synagogam peccantiū.Ibiq; Simon existens.i.mœrorem audiens. Hęc fuit iniqua Iudæ proditio, vt dū cum sanctis apostolis & Maria matre Iesū corporaliter versaretur, ipse totus animo cum Iudæis, de traditione Domini sui, de desolatione cœtus istius pertractaret, vt verū sit illud per psalmistam. Etenim homo pacis meæ, Psal. 40. qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Imitantur autem eum qui sunt B ex parte illius quorum conuersatio corporalis cū catholicis, mentitur fidem & deuotionem, quæ longè sunt ab eis. Non enim sunt fratrum amatores, sed spoliatores, fraudatores, irrisores eorum, etiam spiritualiter in moribus, ciuiliter in fama, peruersissimis machinationibus occisores. Ita traditur Christus in membris suis. Ecclesiasticos itaq; quos auaritia peruertit iam à Deo, inuidia comes auaritiæ suscipit, dum vident in alio quod nō habent, fraus insuper, dolus, detractio, ira, furtum, C sacrilegium, odium, tædium veri boni, & similes vitiorum pestes, tanquam latrones aliqui & proditores inueniunt eos, inuentosq; cæcant, alligāt, sauciant, trahunt, distrahunt. Deniq; extra viā virtutis eijciunt. Vix ad tēpus relinquitur palliū hypocrisis, tegēs cadauerosam fœditatē intrinsecus horridam, operimento quodā conuersationis exterioris cū reliquijs velut in sepulchris dealbatis. Dignum planè est vt qui talem tantamq; portionem Deum fastidiuit, quiq; auaritiæ tyrannide D distractus à loco vberis pascuæ, à monte coagulato & pingui corruit in desertum valléq; totius egestatis & salsuginis ipse incidat in latrones cum illo qui de Hierusalem descendebat in Hierico, & de pace in mutabilitatem, & de quiete in confusionem. Ita qui nolūt esse socius apostolorum, nec habere soliditatem fidei cum Petro, mititatem cum Andræa, puritatem cum Ioanne, & sic de reliquis, fit consors perfidorum, fit præda vitiorum, & qui prius nutriebatur in croceis, amplexatur stercora, & cum inimicis Domini terram E lingit.

Occurrit verò inter loquendum venerandus ille cœtus apostolicus, cui gratissima castissimáque præsentiæ tuæ serenitas ô virgo benedicta, splendorem sanctamq; lætitiam aspirabat, quo magis execranda redditur Iudę proditiosa malignitas, quæ cum tot sanctis, sanctus esse non voluit. Dico Iuda sceleratissime, quid hæc virgo commensalis tua, familiaris tua, obsequiosa tua. Dic vt de F reliquis sileam, quid fecit tibi, quid molestiæ intulit, vt filium suum charissimū traderes ad mortem, & tam duram mortem? Nunquid tibi dura fuit vel iniuriosa quæ benignitate nitebat apud omnes. Nequaquam prorsus, quinetiam pia credulitate suspicor, & si euangelium sileat, quod erga te plus officij, plus beneuolentiæ mōstrauerat, exemplo filij, tentans si forte durissimam cordis tui nequitiam cuius non erat penitus ignara, molliri, leniri vel fraterna vel materna correctione contingere. Sentiebat te ad Iudæos cursitare clam & redire, neq; tamen prodebat te, sed in bonam potius partē trahens omnia, forsan precabatur te, rogabat, hortabatur vt inuidiam Iudæorum erga A filium suum, magistrum tuum tu mitigares, tu pacis conciliator fieres, nec deerant quantum suspicari fas est, blanditiæ virginales cum graui maturitate monendi per verba potentia gignere compassionem in cordibus beluarū. An forte seorsum te aduocās alloquebatur. Vides ô Iuda charissime, quo pacto magistrum tuum, filium meū quærunt Iudæi perdere. Sciuisti, aderas enim quādo sustulerunt lapides vt iacerent in eum, quando vix è tēplo viuus euasit. Nūc precor te per socialem omnium nostrum cōuictum, si & quid ipse totus bonus nosq; omnes bene vnquā de te meruimus, roga Iudæos quæ ad pacem sunt. Is enim & redis ad eos, ostende nihil esse in filio meo dignum morte, qui infirmos eorum curauit, qui doctrinis erudiuit, qui solum Dei honorem & gloriam viuēdo prædicandóq; quæsiuit. Cur in huius morte peribimus omnes? Scis quod ex eius vita pendet mea. Quinetiam tuipse qualē aliū Dominū vel magistrum habiturus es, in quo plus benignitatis, gratiæ & fauoris expectas? Elegit te in fratrē, in apostolum, in amicum, pauit te, ministrauit tibi, potēstate miraculorum cum auctoritate prædicādi dotauit te, dispensatorem suum constituit te. Deniq; maiora sunt quæ promittit. Ad hæc & similia virginis alloquia scire vellē ô crudelissime Iuda, quæ tibi facies, qui gestus, qualis pro responsione vel sermo vel nutus. Sed certè leue erat te impudenti simulatione velle fallere matrem, qui filium Dei putasti decipere dicens: Nunquid ego sum rabbi? Et rursus si oportuerit me mori tecum non te negabo. Nam teste Matthæo, omnes discipuli cum Petro similiter hoc dixerunt, alij forsan improuidè, tu proditoriè. Cupiditas tua (ô Iuda) obuoluebat te tanta noctis caligine, vt in lucidissimo die turpitudinem tuā latere putares nec erubesceres. Nunquid non in ipsa proditionis hora verba reuerendæ blandæq; salutationis protulisti dicens: Aue rabbi? Magistrum vocas, de quo nuper ad Iudæos tanquam de malefico & fraudulento dixeras, tenete eum & ducite cautè.

Animaduertitis ô viri patres & fratres, animaduertitis quā cęca sit auaritia quę ita cor Iudę firmauit occlusitq;, vt ægresceret, medendóq; deterior redderetur. Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Nam ad ipsos etiam Iudæos vltrò cucurrit, non sollicitatus ab eis, sed more emptoris interrogās: Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam? Habet itaque cogitatio auaritiæ radicatam suam ebrietatem, suum furorem, suamque insaniam, inexorabilē precibus, inflexibilem consilijs, surdam monitis, demum ad minas omnes iamiam irruentes imperterritam. Et putatis auaritiæ soli propriam hanc esse surditatem ad cōsilia? Putatis huic Iudę soli contigisse? Habet hanc incorrigibilitatem comitem, hanc melancholicam insaniam, hoc dæmonium surdum, affectio quælibet vel passio vitiosa, dum profundari radicaríq; sinitur, hoc in philocaptis ad amorem, hoc in vanè gloriosis ad gloriam, pompas, prælationem, hoc in inuidis, ad odiosam malignandi libidinem quotidie conspicimus, Alioquin melius irent res humanæ, pręsertim ecclesiasticæ, si non salubribus monitis, consilijsque legū æternarum, passiones vitiosæ, ebriosæ, stultæ, furiosæ, vel

vel dominationis vel auaritiæ, vel ambitionis obstitissent. Neq; tam diuturna contagione scisma præsens labefactasset ecclesiam si pro extirpando solū scismate, non pro obsequendo passioni multiplici vitiosè fuisset insudatum. Exitus verò qualis habebitur, nescio, Deus scit. Hoc vnum fidenter assero, quod pax quam auara superbia clericorum, præsertim in sublimitate positorum exulare fecit ab ecclesiæ domo, non regredietur per eandem viam auaritiæ & superbiæ in regionem nostram. Non muneribus, non terroribus sollicitando animos contrariantium, sed per viam liberalem ac benignę humilitatis. A qua tamen quam longè abierimus, cogitare stupor est, quærentibus omnibus quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, non sine reatu proditionis cum Iuda Simonis Iscariothis.

Tertia consideratio.

Proditor est cum Iuda ecclesiasticus prædicans & confitens Iesum verbis, operibus autem negans Iudas interpretatur confitens, sed est confiteri Deum ore, negare verò factis, secundum apostolum. Ignosce mihi Domine Iesu, quoniam hic contra meipsum prophetaturus sum, contra animam meam nisi merearis locuturus. Heu quotiés ego cum meis similibus te Iesum, legémq; tuam ore tractauimus? Quotiens aliorum languores prædicando sanare, quotiens spiritus immundos errorum & vitiorum ab alijs depellere quotiens teipsum in eorum cordibus per semen verbi tui spiritualiter gignere tentauimus? Cor autem nostrum longè erat à te, languidum, ægrum, vitijs obsessum, cui ex sententia dicere potueras illud prouerbij: Medice cura teipsum. Illud insuper dictum tuum peccatori, quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meū per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, proiecisti sermones meos retrorsum, & cætera, quæ sequuntur. Sic Vrias tulit secum litteras propriæ mortis. Sic fabricatores arce pro saluando Noë cum suis perierunt, sic dicente Seneca Turpissimum est quod nobis obijci solet, verba philosophię tractarę non opera. Sic dominum cognoscentes philophi, neq; tamen eum sicut Deum glorificantes, non gratias agentes, dati sunt in reprobum sensum, quanto magis theologi Christiani.

Nolo tamen insultent prędicatoribus canes muti non valentes neq; volentes latrare, quoniam si proditionis rei sunt ecclesiastici qui loquētes bona non faciunt, nunquid obsecro gloriabuntur illi, nunquid excusabuntur quorum officio annexa est obligatio prædicandi? Ipsi autem bona neq; dicunt neq; faciunt. Itaq; duplici contritione conterentur, quia & seipsos interimunt lętali gladio criminum, & alios silendo ociandóque malè perdunt. Quamquam terribile sit valde, vnde tanta surditas in auribus prędicantium qui propriam vocem non audiunt, quo pacto non verentur ferre damnationis in seipsos sententiam. Quomodo pręsumūt Deum (vt ita loquamur) edocere quali pœna mulctandi sunt? Qua fronte non expauescunt seuerissimum illud de euangelio improperium: Ex ore tuo te iudicio serue nequam? Sed profectò aliquando facilius est accusare vitia quā vitare, facilius laudare virtutes quam implere. Deniq; non omnes qui scripturarum verba vel legūt

A vel loquuntur, formauerunt, in seipsos veros proprios & intimos conceptus eorum quę dicuntur, non plus aliquando quam pueri vel picæ vel cæci de coloribus. Proprij nimirum & veri conceptus spirituales per gustum intimum, gustus verò intimus per operis exercitium cum desiderio vehementi gignuntur formantúrq;. Notauit hoc qui dixit: Amādatis tuis intellexi. Et rursus: Gustate operādo & videte cognoscēdo. Nā gustus ipse cognitio est & experimētalis notitia, 2. Greg. in ho.

At verò ne miserabilis hæc admiratio, hæc fatuitas insensibilis, hæc incorrigibilis insania, B videatur apud arrogantes & ęmulos propria solis theologicis, communis est affirmamus omnibus hominibus quos non exceperit gratia saluatoris. Miraris tu & mirando detestaris & irrides, quod theologus dicit aliqua de contemptu mundi & gloria futuri seculi, & ea interpretaris quod non credit quæ loquitur. Ostendam tibi plus vel æquè mirandum. Quis precor est ex hominibus qui nesciat se moriturum, qui non fateatur & dicat: Ego absq; vlla momenti interpolatione sicut reus fugio ad mortis suspendium, ego sicut vmbra C prætereo. Nihilominus quam raros ex hominibus ostendas mihi qui non talia & taliter operantur in acquisitione diuitiarum, in luxu seculum contentionibus & æmulationibus & similibus insanijs quasi perpetuò victuri sint, quasi non protinus & repente velint nolint ab hoc vmbratili seculo migraturi. Currunt ad mortem sicut vitulus aliquis saltans lasciuiens & ludens. Ita nihil mouet eos illud quod sciunt quod loquuntur, quod pro D certissima re profitentur. Mentior si non viderim hominem damnatum suspendio, mox interiturum cum socijs qui iam pēdebant, fabulari in quadriga, ridere, iocari. Denique quotiens videmus homines hilari vultu cum risibus & cachinnis, recentia aliorum funera præsentiáq; celebrare. Intra ecclesias quotidianum tibi erit hoc spectaculum monstruosum. Desipant igitur theologorum insanias ipsi qui non minus insaniunt, subsannare. Accipiet talis quilibet illud Horatij: Tu tandem maior parcas insanæ minori. Cæterū habet E hoc vnum prædicatio, commonitióq; superba, quia fit interdum vt loquens alijs, seipsum tandem aliquando audiat, se instruat, se conuertat, quemadmodum contigit vni ex sanctis patribus, & ita de proditorio peccatore verus iustus exoritur, carens spiritu obdurationis, iamiamq; dissimilis Iudæ Simonis Iscariothis.

Quarta consideratio.

Proditor est ecclesiasticus suscipiens sacrum presbyteratus honorem & officium, si perditè viuendo F exhibet se diabolo execrabile mancipium, quem oportuerat sanctis operibus esse Dei sacerdotem & ministrū. Nimirum quāto status altior, tanto casus grauior. Pergebam in sacerdotes nostri temporis declarare, volens exaggerare proditionis suæ nequitiam supra iniquitatem Iudæ quoad plurima. Nam Iudas mortalem, isti immortalem tradunt, vendunt, prostituunt fœdant, dilaniant, crucifigunt. Sed affuit studiositas speculatrix familiaris nostra contra faciem mentis meę. Querelam inquit hanc declamatoriā linque. Noli frustra niti, & nitendo odiū quærere, desine surdos immo obduratos supra petram quorūdam

animos velle verbis emendare. Cótereres eos potius quam emollires, habeto Iudam in exemplú. Quamobrem his sibi derelictis dic obsecro te, solutionem ad dubitationes aliquas literales ex dictis habentes originem. ¶Dic si Iudas quem apostatasse iam constabat à Deo, vendiderat quippe eum nocte præcedenti, dic inquam si in hac cena verè sacerdos est effectus? Respondi verè effectum sacerdotem, ita enim doctores sentiunt, ex quo suscipere intendebat id quod Christus dabat omnibus apostolis dicens: Hoc facite in meam
Luc. 22. commemorationem.

Dic igitur si potuisset corpus Christi verum cósecrasse? Respondi consequens esse vt hoc potuerit. Dic igitur si supra corpus Christi mysticum potestatem susceperat sacramentaliter absoluendi? Respondi non suscepisse sicut nec Petrus nec apostolorum cæteri vsq; post resurrectioné. Promissa fuerat antea talis potestas, sed post resurrectionem exhibita, sicut pontificatus summus: nisi dixerimus quod ecclesia duos papas, Iesum & Petrum tunc in carne mortali simul viuentes habuerit. Itaque sacerdotalis ordo pro sui complemento duas formas habet, habetq; duplicem characterem sicut duplicem potestatem, vnum super corpus Christi verum, super mysticum alteram.

Dic consequenter cur Cyprianus & alij doctores plurimi quorum dicta recitantur in decretis, posuerunt nihil fieri in sacramentis, nihilq; conferri à scismaticis qualis erat Iudas? Hoc etiam in præsenti scismate quidam dogmatizare scriberéq; voluerunt. Respondi determinationem Augustini & ecclesiæ ad oppositum esse, si simpliciter ita sentiebat Cyprianus cum suis. Est quoq; ratio manifesta, quoniam potestas inabdicabilis est humanitus quæ charactere indelibili stabilitur. Intelliguntur autem dicta Cypriani cum cæteris de scismaticis vel hæreticis qui vel non faciunt vel facere non intendunt secundum obseruationem formæ & materiæ ab ecclesia traditam & à Christo institutam. Vel dic, non possunt glo. sine peccato.

Dic si Iudas statim vt excidit à fide & à religione per apostasiam proditoriam vendendo Iesum Iudæis, perdiderit ius in apostolatu, & vt clarior sermo fiat in simili, dic si episcopus vel prælatus aliquis eo facto quod errat in fide, & pertinaciter sit depositus? Respondi quod & si prelatus hæreticus dignus sit deponi, nihilominus nó est eo facto depositus, sicut aliquis quantumcunq; sit dignus episcopari, non est propter hoc eo facto factus episcopus, nisi per electionem humanam vel diuinam manifestam. Itaq; neq; deponitur intuitus nisi diuina vel humana auctoritate coagente. Alioquin incertissimæ essent & vagæ ecclesiasticæ potestates hierarchicæ. Signum huius manifestum habetur in Iuda, quem in honore apostolico Iesus tenuit, nec à consortio separaui, quantumcunque sciret illum apostatam in occulto. Sed nec virgo eum Maria sui facinoris conscia deuitauit.

Dic igitur qualiter ille erit caput in ecclesiastica hierarchia qui non meretur dici membrum? Respondi potestates & gratias istas esse distinctas secundum donum prælationis & donum charitatis
A seu fidei. Propterea potestas prælationis manere potest, immo dari desinentibus alijs, sicut abscedente charitate, manet sæpe fides & spes. Error oppositus magnam vt audio in Anglia rixam dedit. Materia igitur sufficiens ad prælationem de facto vel suscipiendam vel recipiendam, est homo baptizatus viator intendens recipere id quod ecclesia conferre constituit. Dic cur Dominus Io. 6.
Iudam quem casurum sciebat, elegit in apostolú, Ego inquit duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Respondi quæstionem istam esse vnam
B de illis quas intuens apostolus reuerenti silentio præteriens honorauit exclamans! O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientię &c. Hoc vnum scimus quod in Iuda non causauit Deus improbam voluntatem proditionis sceleratæ inesse malitiæ. Attamen ipse hac macula voluntate bene vsus est tanquam Dei sapientia, attingens à fine vsq; ad finem fortiter & disponens omnia suauiter. Corripitur hic stulta ambitio cordis humani, proruens impauidè ad culmina dignitatum, qué honorem
C homo etiam vocatus, etiam electus à Deo, nó tutè neq; sine multo cadendi discrimine suscipit, testimonio sunt Iudas & Saul plurimiq;. Quis igitur manet exitus dum ingerit se quispiam prece precio non vocatum, non electum, vtinam non reprobatum?

Dic si miracula fiebant à Iuda vtiq; reprobo, quale erit pro canonizatione sanctorum apud ecclesiam argumentum? Respondi vitam inspici debere, quæ si in humilitate certa & non ficta có-
D iuncta sit miraculis, resultat (vt determinat Gregorius in dialo.) duo signa sufficientis sanctitatis ostensiua. Porrò miracula sine vita quoad hoc signú fallax. Properabat ingeniositas studiosa multiplicare quæstiones huiusmodi super numerum, cui ego valefaciens, noli inquam amplius me interrogando morari, quoniam grádis adhuc restat dicendorum via de signis proditionis Iudæ Iscariothis. Patuit illa, petens scholasticum exercitium, ego ad morale negocium redeo &c.

E ENumeratis itaq; quatuor simulationibus sumptis ex Iudæ statu vel professione pro collationis parte prima, supersunt iuxta propositú ab initio simulationes aliæ quibus proditionem suam Iudas vel tegere vel excusare conatus est, tam gestu quam affatu. Quatuor vtrinq; notaueram, quamquam plures inueniri posse non abnuo. Has simulationes tum occupationum turba irruens, tum amica breuitas præterire iubebat, quas nihilominus breui compendio, non tam ambulare quam excurrere proposui, octona-
F rium sub quaternario complexurus, & ad mores sub quadruplici consideratione traducturus.

Prima consideratio.

Iudas cum Iesu cibum sumpsit, nedum carnalem sed sacramentalem, quod esse debuerat non mediocre fœderis argumentum. Omittamus Iudam, clerum intueamur, & prohdolor ecclesiasticos similes inuenimus, comedentes patrimonium Iesu, eum verò in suis pauperibus spoliantes, sumentes eucharistiam, sed eam venalem faciétes. Hinc prouenit æstimo táta super omnes homines

homines in ecclesiasticis quibusdam cæcitas, tam incorrigibilis obduratio iuxta imprecationẽ prophetæ. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum &c. Tolerat nihilominus ecclesia tales sicut Christus Iudam, agricola zizaniam, præsertim in occultis, ne vel confessio prodatur vel secretum. Psal. 68.

Secunda consideratio.

Iudas tolerauit lotionem pedum à Christo sibi fieri, quibus pridie ambulauerat ad vendendum eum. Fuerat hoc signum munditiæ & amicitiæ, quamquã non emundatior interius sed sordidior & odiosior effectus est. Tales aliquos videre in clero est, extendentes palam pedes affectionũ, vel in compunctione vel in cõfessione tanquã Christi manibus abluendos, sed remanent sordes in pedibus eorum. Quare? quia nolunt peccandi deserere penitus voluntatem, sed eligunt vel in sterquilinio libidinis computrescere, vel in alieni retentione rubigine consumi, vel igneo vindicandi zelo succendi. Tales & si quotidie videantur confiteri & celebrent, irrisores sunt proditorij, non pœnitentes idonei. Horum cuilibet dum osculantur Christum in sacramento vel fratrem in ecclesia, dici potest ex sententia: Iuda filium hominis osculo tradis. Et rursus ex persona ipsius Christi: Amice ad quid venisti? Amicum intellige non moribus sed natura. Vel ideo amicum nominat Christus, quia ad amicitiam quemlibet peccatorem recipere si non obstiterit, paratus est in hac vita.

Tertia consideratio.

Iudas se curam pauperum gerere officio, gestu & verbo videri voluit. Erat quippe Iudas loculos habens, inferens ea quæ asportabantur, propterea indignè tulit effusionem vnguenti dicẽs: Vt quid perditio hæc? Hoc præterea velamine exitum suum à cœna cooperuit, cuius intentioni accommodans Christus vocem ait: Quod facis fac citius, quod ita acceptum esse ab apostolis quasi ad vsus necessarios exisset tradit euangelium. Si à Iuda ad ecclesiasticos huius temporis deuoluamus nostræ considerationis oculos, quot inspiciemus qui sub titulo alendi sustentandique pauperes, reditus vberrimos in loculos beneficiorum reconditos habent, curant nullos, auferunt ea quę asportata sunt, non iam vt dent vxori & filijs, sed execrando sacrilegio in obscœniores vsus vertũt. Currunt alij, discurruntque Martham se iactantes, qui ociosorum Mariæ similium vnctionem, hoc est deuotionem fastidiunt, improbantq; dicentes: Vt quid perditio hæc? Quasi videlicet ipsos practica talia tractare ingens amor Christi & pauperum, non lucrorum temporalium ardor agitaret. Tales nihil magnũ, nihil ecclesiastico viro dignum deputãt, nisi quod lucrum affert temporalium commodorum, in pecuniæ vel nescio cuius sollicitæ iurisdictionis dilatatione. Profundè apud eos inualuit illud: Spiritualia sine temporalibus diu esse non possunt. Et illud Horatij:

O ciues ciues quærenda pecunia primum.
Virtus post numos,

Mat. 6. Prædicante ex aduerso Iesu. Primum quęrite regnum Dei &c. Cum præterea Christus vt exemplo suo doceret non magnipendendam esse apud ecclesiasticos prælatos temporalium curam, ipse Iudam reprobum, furẽ, sacrilegumq; talibus præ-

fecerit, nolens tali sollicitudine cõteri sanctiores A apostolos. O Deus, ô religio, ô fides, ô pietas, eloquar an sileam? Nunc heu spiritualitas omnis, vt animarum cura, cõfessio vel prædicatio, vel omittitur, vel pessimis sordidis, infidis, discolis, inscijs passim committitur. Et à quibus? Ab illis qui non tutè seruanda traderent talium alicui bona sua, nisi sub quotidiana ratione. Et quæ bona? Nõ dicam aurum, non argentum, non vasa preciosa, dicam poma, dicam cibaria, vel alia vilia sua seu ludicra. Tam vilis est apud eos, tam nullius precij animarum perditio pro quibus mortuus est Christus. B Quotidie vigilanter apud eos calculus ponitur de expensis, de moribus vltima fit quæstio, vtinam vel vltima, sed iam nulla. Ex hoc loco de loculis Iesu grandis olim quæstionum & assertionum rixa, præsertim tempore Io. 22. excitata est, dicentibus plurimis, Christum habuisse aliquid in communi expressam esse in euangelio veritatem, neq; mendicasse apostolos, nec paupertatem vouisse, sicut nec castitatem. Erat enim Iudas vxoratus nimirum sicut Petrus. Decertabant alij tota animo- C sitate ponẽtes ex aduerso pro hæresi dicere quod Christus habuit aliquid in proprio vel communi. Nã hæc est inquiũt euãgelica perfectio, altissimáq; paupertas. Studiosos remitto ad scripta, nisi placeat pharisaicas de perfectione contentiones magis spernere quam inspicere, perfectio Christiana est Dei dilectio in qua qui feruentior est, hic & perfectior iudicatur.

Quarta consideratio.

Iudas ad extremum referens triginta argenteos D dixi: Peccaui tradens sanguinem iustum. Sed dicam hic quod sentio, vox ista non pœnitentis est, sed proditoris proditionem suam ad complemẽtum deducentis. Quo pacto inquies. Nonne Iudas hic & confitetur peccatum, & ablatum restituit, & magistro suo iustitiæ titulum ascribit, quomodo vox ista proditionis erit non contritionis? Ponat igitur volo Iudas mecum rationẽ. Appello te ô Iuda, si iustus est ille quẽ tradidisti sicut iustũ nominas, verax fuerit necesse est, debuisti credere quę docuerat te quę ve prędicãda tradiderat. Do- E cuerat autẽ Dominus dicẽs: Veni animas nõ perdere sed saluare. Iusserat insuper quod fratri peccanti dimitteretur peccatũ, nõ tãtũ septies, sed vsq; septuagiessepties. Cur ergo de tã veraci misericordíq; doctore desperas? Porrò si tanta est iniquitas tradidisse Iesum, cur hoc prius quasi dissimulando paruipendebas. Hæc planè fuit diabolica fraus quæ te possiderat te volente. Ille enim proditor & homicida diabolus, peccata prius quã fiant quasi nulla esse suadet vt præsumat homo, dum verò perpetrata fuerint, illa nimis exagge- F rat vt desperet. Inde est forsan quod in vocem Cain erumpis ô Iuda perfide dicens: Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear. Veniam merearis ô Iuda, vis igitur gratiam Dei, vis eius misericordiam meritis emi, vis eam operum tuorum mercede conduci. Hoc prorsus est quod dico, tu à mercenaria cogitatione tua non discedis. Complens eam potius dum iustitiam tuam constituere volens per merita tua, non es iustitiæ Dei subiectus, illi inquam iustitiæ cui vox tua testimoniũ perhibet dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum, sed cor negat, suspendiũ contradicit. Mat. 28.

Quomodo iustus si sperantes in se, si pœnitentes abijceret & damnaret? Sed quis eram inquies, qui facere possem irritum verbum Dei dicentis: Væ tamen homini illi per quem tradar, melius erat illi si natus non fuisset homo ille. Comminatio hęc erat ô Iuda quatenus resipisceres, non necessitatis inductio. Alioquin Petrus necessitate peccasset, nec iam peccasset si necessitatus. Alioquin prætera plurimis nunquam post propheticas minas salus patuisset. Mutasses voluntatem pœnitendo, mutasset sententiam indulgendo. Sed irriserunt inquies, sacerdotes Iudæorum, spem auferentes & dicentes. Quid ad nos, tu videris. Nunc ergo cognoscis cum qualibus mercatus es, quia cum odiosis & perfidia, nihil solatij, irrisionis verò plurimum afferentibus. Propterea cur eorum subsannationes iusta vicissitudine non irrisisti, fugiens præsertim ad matrem illam totam beneuolam & misericordem? Affirmo secutus ipsa tibi venienti gremiũ pietatis extendisset apertum, quæ quando subsannasset aut improperasset tibi more Iudæorum, aut stultorum illorum qui de sanctitate sibi blandientes, abijciunt cum austeritate vocis aut gestus humiles in confessione pœnitentes non attendentes illud apostoli: Fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite eum in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris. Sed iam pridem sentio ô doctissimi & sapientes viri, quod & memoria quæ fallit in aliquibus quæ dictaueram, & prolixitas inculta gignere potest fastidium. Esto finis igitur in obsecratione domini nostri Iesu Christi & misericordissimæ matris suæ, ne sit in aliquo nostrum cor obduratum & desperans, instar Iudæ Simonis Iscariotis, sed pœniteamus temporaliter, hic in spe, vt tandem re ipsa gaudeamus in æternitate, præstante eo qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Luc. 22.

Gal. 1.

SERMO DE CHRISTI RESVRRECTIONE IN DIE PASCHÆ *eiusdem Cancellarij.*

SI consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Originaliter ad Col. 3. & recitatiuè in epistola hodierna. In nostræ breuis vtinam efficacis collationis exordio pro impetranda spiritus sancti gratia vt affectum boni generet, genitum nutriat, nutritũ vsq; in effectum perducat matrem virginem salutabimus corde humiliato & voce pia dicentes: Aue Maria.

Si consurrexistis &c. Circa hæc apostoli verba tres considerationes occurrunt pro nunc quantum dederit Deus prosequendæ. Prima de Christi resurrectione meditanda iugiter. Secunda de nostri consuscitatione affectanda salubriter. Tertia de cœli habitatione inquirenda feliciter. Prima & secunda considerationes sumuntur ex prima parte thematis. Si consurrexistis &c. per hoc enim apertè innititur resurrexisse Christum. Tertia sumitur ex secũda parte, quæ sursum sunt quærite. Est igitur prima consideratio de Christi resurrectione meditanda iugiter. Meditanda prorsus hæc gloriosissima Christi scilicet Iesu resurrectio, in eamq; fidelium mentes sedulò conuertendæ, cuius vigor inęstimabilis, cuius valor inappreciabilis, cuius insuper infallibilis certitudo. Infallibilis planè certitudo, quippe hanc angelici spiritus locuti, hanc sanctæ mulieres agnouerunt, hanc Thomas prius hæsitans ex palpatione Christi certior effectus professus est, hanc prius irridens Paulus constantissimè prædicauit, hæc demum nunc piscantibus, nunc orantibus apostolis, nunc simul nunc diuisim, apertissimis ostensa est indicijs, ex Christi palam facta assumptione, ex miraculis innumeris in veritatis huius attestatione celebratis mirabiliter affirmata. Addamus hos penè omnes aliósque innumerabiles summæ sanctitatis viros, quorum nonnulli ex ex reuelatione sancti spiritus, vt Paulus acceperant, pro hac assertione spontaneam subijsse mortem, in quibus nihil erat cur mentiri aut fallere vellent, vt qui promptissimi erant pro hac fidei promulgatione, contumelias, carceresq; perpeti, omnésq; à seipsis præsentis vitæ iocunditates abdicare. Damnabile igitur est de ea vel tãtisper trepidare, aut eam quasi nouellam velle post tot attestationes discutere. Sed est etiam resurrectionis huius benedictissimæ vigor inæstimabilis, quam ostendit propria resurgentis virtus, alieno non egens subsidio, quod antea non siluerat Christus dicens: Potestatem habeo ponendi animam meam & iterum sumendi eam. Io. 10. Vigor insuper palam fit ex eo quod per eã Christus in morte assumpsit nomen quod est super omne nomẽ secundum apostolum, fortior gloriosissimum que quam prius erat, resurrexit Christus, instar fabulosi illius regis Anthei, cuius occisor Hercules fuit, si qui (quid vetustati creditur) quotiens aduersarij impetu humi procũbebat, quasi vires eiusdem eidem terra ministraret robustior consurgebat, atq; ad pugnandũ alacrior. Itaq; terræ visceribus cauernosóq; sepulchro virtuosior exit Christus, plurésq; hostes Samsonis ad modum moriẽdo quam antea viuendo contriuit. Est prætera resurrectionis Christi valor inappreciabilis. Hæc siquidem peccati nostri cyrographũ deleuit, hæc dissoluit hominem sub dura dæmonis tyrannide compeditum & è teterrimo tenebrarum carcere eundem eripuit. Hæc secundum prophetam ferreos infregit vectes, æreasq; obtriuit portas, hæc supernæ ciuitatis aditũ reseraiut, hæc postremò omnes in Adam mortuos viuificæ vitæ restituit, suscitauitq;. Per quod vltimum proprijssimè Christus sicut per propheticum os olim insonuerat, Similis factus est pellicano, qui proprio sanguine propriáq; morte fœtus inanimatos viuificat amore quodam mirabili. Itaque ex resurrectione hac magis habemus vnde gratulemur, vnde gratias cumulatius referamus quam ex nostra creatione, quoniamquidem nil, aut parũ creasse profuerat nisi lapsos releuasse, mortuosque suscitasse contigisset, magnum prætera & ad erigendos animos præcipuum festiuitatis hodiernæ recitionis dominicæ mysterium, hominem namq; nihil adeò vitæ huius moribundæ constituit amatorem, eundem nihil ita in vitiorum præceps trahit, sicut futuræ vitæ immortalitatisque desperatio. Etenim quo pacto aspernabitur vitium & amplexabitur virtus cum hoc plerumque delectet

lectet, hæc contristet, si nec illius supplicium, nec huius præmium finaliter expectetur, præsertim cũ in præsenti sæculo nequam vt plurimum, via impiorum prosperetur. Fitque iusto sed occulto Dei iudicio suum iniquitati præmium, suus honor, suæque voluptates, virtute aut nequiter spreta, aut nequius irrisa, aut nequissimè contempta. Hanc autem futuræ immortalitatis retributionisque desperationem, è fidelium mẽtibus hodierna Christi resurrectio funditus euellit, quoniam si Christus resurrexit, & nos resurgemus, prout cõscius arcanorum Dei Paulus apostolus. 1. ad Cor. 15. per totum capitulum copiosè manifestat: & 1. Pet. 2. de Deo scribitur, quod propter misericordiam resuscitauit nos in spem vitæ per resurrectionem Iesu Christi à mortuis. Et egregius quoque doctor Gregorius, Exemplo inquit, Dominus monstrauit quod promisit in præmio, vt sicut ipsum resurrexisse fideles cognoscerent, ita in finem mundi præmia resurrectionis sperarent. Et ideo non plus quam triduanam mortem esse voluit, nisi in illo resurrectio differretur, in nobis desperaretur. Præterea ille cuius statim memini, Paulus apostolus ad Colos. scribens omnes nihilominus instruens Christianos ad hanc spem & retributionis expectationem exhortabatur dicẽs verba assumpta pro themate. Si consurrexistis cũ Christo &c.

Iuxta secundam thematis particulam videndũ erat tertio de cœli habitatione inquirenda feliciter. Et hanc considerationem exhortationis in modum prosequar, & in ea collationem terminabo & sine discussione. Adestote nunc vigiles, fortesque peregrini, cito passu quæ sursum sunt quærite, celeriter omnes præcipitate moras, & ad illam propter quam facti estis manentem ciuitatem, omni tempore discusso, cursum dirigite. Nõ vos tenebrosa mortis nox occupet, quia trãsuolat ecce irremeabile tempus. Iamq; sol decliuis celerem minatur occasum. Det animos pollicitatio præmiantis, & stimulos adhibeat damnantis comminatio, & virtutes alliciat honestatis nomen, ipsis etiam infidelibus venerãdum. Moueat creantis bonitas, moueat charitas redimẽtis, moueat viuificantis gratuitas, moueat ad extremum infallibilis instantia obligantis. Excitet mentem mortalitatis vestræ recordatio assidua, & quo pacto mundum hunc intraueritis perpendite. Non vos deuiare compellant infeliciter mulcẽtes peruersi itineris lati atque spaciosi oblectationes, quarum amarissimi sunt exitus, nec virtuosæ semitæ deterreat asperitas. Spes lucri minuat vim flagelli, breuis labor est, momentanea vexatio, pro æternis omnia vt breuia æquo animo toleranda sunt, etiam si anxia, si aspera, sique dolorosa existãt. Deinde seipsum quisque interroget & per quæ momenta aut superuacua, aut quod sæpe accidit nocitura, in quos lãguores, in quas mentis & corporis perturbationes, in quanta famæ aut vitæ pericula se vltro proiecerit. Recogitet audiatque pro humanæ laudis cupidine, aut patriæ temporalis libertate, quam horrenda quidam sponte perpessi sunt. Mutius manũ rogis ardentibus iniecit. Occidit duos filios Brutus. Curtius armatus equo concito in abruptum terræ hiatũ se præcipitẽ dedit. Propriũ filiũ peremit Mãlius Torquatus. Duo

Gerson. Secunda pars.

Decij fauentes oraculis vt exercitũ liberarent, se morti spontaneę deuouerunt. Regulus ad crudelissimos hostes ne fidem violasse putaretur, redijt intrepidus. Fabricius pro quarta parte regni Pyrrhi regis Epyrotarum à Romana ciuitate nequit auelli. Cato ne Iulio Cæsari subderetur, propria manu è pectore vitã extrahit, & vt verbis vtar Senecæ. 1. epistolarũ epist. 4. Alius ante amicæ fores laqueo pependit. Alius se præcipitauit è tecto, nẽ Dominũ stomachãtem diutius audiret. Alius ne reduceretur è fuga, ferrũ redegit in viscera. Hæc & similia quisquis qui ad æterna suspirat, profunda mente inspexerit, delicatã vt arbitror cõprimet querelã, suæq; ni fallor, pudebit desidiæ. Properate igitur, nec vt inertis peregrini mos est, diurnitatẽ temporis vobis promittite. Inspiciatur rerum veritas nõ multorũ error aut rumor impiorũ, qui vt scribitur Sapientiæ. 2. dicunt apud se cogitãtes non rectè. Exiguũ & cũ tædio est tẽpus vitæ nostræ, non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus est reuersus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus, & spiritus diffundetur tanquam mollis aër, & nemo habebit operum nostrorum. Venite ergo vt fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino precioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos tẽporis, coronemus nos rosis antequam marcescant. Nullum pratum sit quod nõ pertrãseat luxuria nostra nemo nostrum sit exors luxuriæ nostræ, vbiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniã hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Non vos ad æmulationem prouocẽt tam nefandæ carnalium sententiæ, suos toto impetu, totoq; malignitatis ardore brutales prosequantur affectus nec prosequantur modo, sed incitent & euocent in spurcitijs, in cubilibus, in impudicitijs breuem hanc transiliant vitam, suas sibi diuitias habeant, suos mores, suas voluptates. Nempe quas æternas vellent diuitiæ abibunt, & ipsæ quibus maximè astricti sunt voluptates, fugient. At quibus caruisse cuperent peruersi mores stabunt & comitabuntur inuitos. Cuncta hæc quæ illos vulgo mirabiles ostendunt, momento temporis euanescunt, sed impia formidine viuunt si illa percerit, mors non parcet, ducunt in bonis dies suos, sed expectate paululum, ad inferna descendent. Quamobrem deuoti fideles peregrini, quos preciosissimus agni immaculati regenerauit sanguis, si peccata tanquam hospites pestiferos expulistis, si non tantummodo peccata, sed affectum propositumque peccandi, quæ vtique sine peccato non sunt, bona fide deseruistis, si persinceram fidem resurrectionis Dominicæ participes effecti estis, si per viuam spem vos indubitanter resurrecturos expectatis, si postremò per charitatem & gratiam cum Christo consurrexistis, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei patris. Quærite inquam, in præsenti per bonorum operum & meritorum abundantiam, vt comprehendatis in futuro per gloriam, quam nobis præstare dignetur qui mortuus est & reuixit Dominus noster Iesus Christus. Amen.

Finis.

SERMO IN CONCILIO REMENSI PER PRÆFATUM CANCELLARIUM *Parisiensem factus anno Domini.* 1408.

BONUS pastor animam suam dat pro ouibus suis. Originaliter Io.10. & recitatiuè in euangelio dominicæ currentis præsentialiter lecto. Animaduerte nunc ô bone pastor. O reuerendissime pater sanctæ sedis huius Remensis, antistes animaduerte tu qui animam tuam habes pro ouibus tuis, dare non venalem habere, non præiudicialiter retinere. Leua nunc in circuitu oculos tuos, & vide omnes isti congregati venerunt tibi obedientes sunt, non sicut oues errantes, sed conuersi sunt ad te pastorem & episcopum animarum suarum, secundum verba primi pastoris Petri in epistola eiusdē dominicæ currentis. Interrogentur qui & quales ipsi sunt. Respondere conuenit eis ex sententia illud Genesis. Pastores ouium sumus. Conueniat & ô vtinam illud alterum de euangelio cuilibet eorūdem: Ego sum pastor bonus, qualis animam suam dat pro ouibus suis. Pro illis inquam ouibus quæ propheticum illud canunt Deo. Nos autem populus tuus & oues pascuæ tuæ. Miretur igitur & affluat & dilatetur cor tuū, cum videas tu bone pastor, coadiutores tuos, consodales, duces gregis tui, ipsosque rationales quosdam pascuæ tuæ, hoc est prouinciæ tuæ Remensis arietes. Quidni miretur in hac die & afluat & dilatetur cor tuum, cum promiserit summus pastor noster dicēs: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum? Grandis promissio viri patres & fratres & omni consolatione plenissima. Hæc nempe celeberrima congregatio, hæc tua conuocatio sanctissima ô bone pastor, nunquid in nomine Iesu facta esse verè putanda est? Putanda est profectò, fit enim ad extirpationem vitiorum & virtutum plantationem. Fit ad euulsionem scismatum & pulcherrimę pacis radicationē. Fit denique ad fortem custodiam gregis dominici, ne malè dispersum, ne vagabūdum per deserta negligentię rapiat, dissipet, perdat, deuoret ipsum lupus ille vorax infernalis, quin potius visitatus crebro colligatur sub vnius ouilis tectum, quod est fides Christiana. Illic protectione sollicita foueatur. Ecce ergo Dominus noster Iesus Christus in medio nostrum est viri patres & fratres. Intendite quæ dico, Dominus in medio nostrum est, quid aspicitis quid stupetis? Ita est, credite non mihi sed pollicenti, qui mentiri non potest: Ego (inquit) in medio eorum sum. Et quis ego, qui loquitur. Dominus fortis & potens. Ipse est pastor bonus qui animam suam dedit pro ouibus suis. O certè pulchra, ô felix hæc & Deo grata societas in cuius medio Dominus ille est, cui angeli seruiunt, cui sol & luna famulantur. Nemo iam desperet, nemo trepidet ex aspectu vel occursu tot luporum rapacium insidiantiū quotidie gregi Christi, confidat potius vnusquisq; in verbo Helisæi. Plures pro nobis sunt, quam cum illis. Adest quippe Deus, adsunt & ministri eius milium & decies centena milia, quod si tales pro nobis, quis contra nos? Ades & tu pulcherrima, non dicam

*Genes.*45.

*Psal.*78.

A Pales, quam pastorum deam gentilitas fabulatur, sed sūma veri pastoris mater virgo misericordiæ, virgo benedicta. Ades planè, nam vbi mater, si nō vbi filius inuenitur. Adimus ergo nunc te cum fiducia quæ thronus es gratiæ, mater misericordiæ, vt gratiam & misericordam inueniamus in auxilio oportuno, quod vt assequamur, præsentemus illud angelicum, Aue gratia plena Dominus tecum &c.

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, fiat hoc fiat: Congratulor tibi ô bone pastor, B congaudeo & glorior in Domino, quoniā video, vident & cæteri omnes hic præsentes studiū tuū, zelum tuum quo ad imitationē veri pastoris, quęris per hoc sacratissimum cōcilium dare animam tuam pro ouibus tuis. Et qualem animam? Animā sanè quæ triplici virtute prędita est. Habet itaque anima tua sicut & reliquæ de humana specie vim triplicem, habet vim rationalē respectu veri, vim irascibilem respectu ardui, vim concupiscibilem respectu boni. Itaque bonus pastor dat hanc totā animam pro ouibus suis. Fiat hoc igitur fiat, quia C tempus faciendi Domini, loquitur propheta ad Dominum. Quare tempus faciendi, quia dissipauerūnt legem tuam. Qualem legem? legem euangelicam, naturalem & canonicam. Quibus modis? Innumeris & pessimis. Propterea conuenit nūc ecclesia magna, ecclesia totius huius Remēsis prouinciæ, cogitare quid facerent. Et bene quid facerent, quia tempus faciendi, tempus ponendi manus ad opus & aratrum, alioquin quid proderit nouas veteribus superaddere sanctionis si non D veteres fiāt nec nouę? Apponatur manus ori necesse est, hoc est operatio locutioni, ne sit vox quidem vox Iacob, manus autem manus sint Esau. Euitetur improperium quod vulgari prouerbio melius sonat dictum optimū est, sed quærite quis hoc aget. Illud insuper quod obiectum fuisse Platoni Seneca refert. Aliter loqueris, aliter viuis. Denique satis fuit mordax in pastores responsio fœminæ cuiusdam deuotæ. Hæc ridebat de sermone quodam cum turba multa. Interrogatur ab obuio quodam si sermo factus esset, nequaquam inquit. E Porro dum interrogans miraretur, suæque reuersionis cum hominum hac copia causam requireret, ex quo non erat sermo factus, subintulit ipsa: Sermo vtique dictus est, sed non factus. Dicunt enim & non faciunt.

Fiat igitur ab vnoquoque pastore quod proponit Dominus det animam suam pro ouibus suis. Illam itaque animam quæ imago est beatæ Trinitatis, secundum triplicem vim prænominatam. Relucet nimirum in sua vi rationali sapientia seu F veritas, quæ appropriatur filio. Relucet in irascibili potētia seu strenuitas quę appropriatur patri. Relucet in concupiscibili beneuolentia seu bonitas quę appropriatur spiritui sancto. Hanc ô bone pastor totam animam, non vnicam suæ virtutis portionem curaueris dare pro ouibus tuis, triplici sedulitate pascendis. Nec enim æstimo te latere, quemadmodum olim primo pastori. Petro ter interrogato terque respondenti, bonus pastor Christus ter subintulit dicens: Pasce oues meas, pasce agnos meos. Et rursus: Si diligis me pasce oues meas, pasce verbo, pasce exemplo, pasce subsidio, pasce verbo prædicationis doctæ, pasce

pasce exemplo conuersationis sanctæ, pasce subsidio charitatis piæ. Prædictio docta fundatur in fide quoad vim rationalem. Conuersio sancta roboratur in spe, quoad vim irascibilem. Subuentio pia consummatur in charitate quoad vim concupiscilem. Quisquis hoc modo pauerit oues suas triplici pabulo salutari, verus imitator censendus est pastoris boni, implens sententiam suam comprehensam in verbis thematis: Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Sic enim repellit ab ouibus suis rationalibus tres turmas Chaldæorum interficere quærentium greges cum pueris, iuxta figuram in principio Iob positam. Sic arcet, sic reprimit tria luporum spiritualium genera sæuissima ab ouibus Christi, lupum carnem, lupum mundum, lupum diabolum. Fides appropriatè reprimit mundum. Quæ est hęc victoria quæ vincit mundum? Fides nostra. Spes coercet & configit carnem, dum agit vt nostra conuersatio sit in cœlis, non carnalis. Charitas demum fugat diabolū, quia sola diuidit inter filios regni & perditionis, Dei scilicet & diaboli. His itaque prælocutionis tam pro fundamento quasi solido dicendorum quam vt posito ordine lucido confusio fastidiosa & memoriæ inimica vitetur. Pergamus consequenter iuxta hanc tripartitam animæ tuę virtutē ô beate pastor, & exequamur tres in hac nostra qualicunque exhortatione pertitiones principales sub ternario considerationum in vnoquoque partitionis articulo, quatenus ædificium nostrum tanquam triāgulari triplicitate subnixum, fortiori stabilitate subsistat. Erit prima partitio de pabulo doctæ prædicationis. Erit secunda de pabulo sanctæ conuersationis. Erit tertia de pabulo piæ subuentionis. Fiat fiat.

EXequentes igitur primæ partitionis structurā collocemus in ea primam considerationem quæ talis est.

Prima consideratio.

Pascere oues pabulo prędicationis dando animam quo ad vim rationalem pro eis, est officium de necessitate annexum pastorali dignitati. Dura pro quibusdam, sed verissima sententia. Proba, perspicuum certè est politiam ecclesiasticam à Christo legislatore sapientissimo perfectè constitutam esse, quippe ille est de quo Moyses cecinit: Dei perfecta sunt opera. Sed ad huius institutionis perfectionem exigitur nutritio spiritualis pro vita animarum conseruanda, quemadmodum in policia terrena necessarius est corporalis cibus, alioquin sine pabulo conuenienti sicut illa temporalis, sic & illa spiritualis vita suo modo deficeret, nec esset communitas per se sufficiēs. Ad hoc respicit dictum vetus à Christo renouatum. Non in solo pane viuit homo &c. *Lucæ 4.* Oportuit igitur ordinare ministratores aliquos pabuli huius spiritualis pro rationalibus ouibus gregis Christi, ne perirent, qui hoc agere & possent ex officij auctoritate & deberent ex superioris obligatione. Tales verò quales alios conuentius accipimus quā prælatos? Hos ideo pastores appellat crebrò scriptura tam veteris quā noui testamenti, increpās eos qui non oues sed se pascūt. Vnde nec puduit Deū ad huius rusticanū humilitatis exemplū sese deijcere: Ego sum pastor bonus &c. Hinc Malachias: Labia sacerdotis custodiūt scientiā, vt legē ex ore eius requirant. Propterea enim dedit Deus ipsis regiones gentiuū & labores populorum vt custodiant iustificationes eius, & legem eius exquirāt, & sunt parati iuxta quod vult Petrus, omni poscenti reddere rationem de ea quæ in eis est fide & spe. Hinc Paulus ad Thimo. & ad Titum & alibi pluries vult episcopum doctorem esse & potentem instruere in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Hoc officium prędicationis ita prętulit quasi de reliquis nulla sibi cura videretur. Vnde & dixit: Non misit me Dominus baptizare sed prędicare. *1. Cor. 1.* Conformis est ad hoc apostolorum responsio dicentium. Non est æquum nos relinquere verbum & ministrare mensis. Quanto magis existimas hoc dixissent de alijs operibus minus sanctis, minus spiritualibus atque pijs. Sed ô mores, ô tempora ludibrium nunc apud quosdā ex prælatis vel probrosum aliquod artificiū, suaq; indignū dignitate prædicatio vel publica ad populum exhortatio iudicatur. Est inquiunt, hoc officium vel mendicantiū vel pauperum theologorū. Adeò nihil sapit quæ Dei sunt animalis homo, adeò qui de terra est, nihil nisi de terra loqui potest. Sed dicūt: Prædicamus gregi nostro per substitutos, prædicamus per tales qui se libenter ad hoc opus ingerunt & hoc nonne satis est? Nōne multiplicatio fit sermonum tanta quod in nauseā transit audientium? Agimus vtique alia grandia & ardua dum iurisdictionem nostrā, dum tēporalitatem vigilāter protegimus, spiritualia enim sine temporalibus diu esse non possunt. Sed respondeant velim primò quid decentius atq; salubrius, aut quod accessorium prælatus per seipsum exerceat, & principale per substitutos, vel è contra? Si enim illud oportuit facere scilicet prædicare, & aliud non omittere scilicet iurisdictionem defendere, sit executor principaliorum ipse qui principaliorum ipse qui principalis est habendus, quia & si prædicatio possit per substitutum fieri, quāto magis id quod minus est, temporalium defensio? Aduertat proinde quam pauci sunt sermones in tam multis inquā, numero sed perfectionis laude rarissimis. Quare? quia adulteratur verbum Dei atque corrumpitur, dum vel quæstus existimatur pietas, vel dum miscentur errorum mala semina, vel inutilia, steriliáque narrationum friuolarum zizania super seminantur. Ita profectò cura vigilantior apud quosdam ex prælatis habetur in eligendis mercenarijs pro cultura agrorum suorum quam habeant in electione bonorum prædicatorum pro cultura spirituali animarū. Deniq; quia solum temporaliū defensionem vel administrationem attendunt, nil mirandum si consequēter censeant procuratores & aduocatos vel prudētes aliquos de sæculo in cautelis & traditionibus humanis præferendos esse viris quantumlibet in sacra doctrina & spiritali conuersatione pollentibus. Nam secundum præstitutionē finis de cōferentibus ad finē iudicamus. Addamus ad priora quod officio cuilibet hierarchico tātū annexa est prædicationis obligatio, quantum plus vel minus approximauerit apostolicæ dignitati, quéadmodum sunt archipresbyteratus, curæ parochiales, archidiaconatus, decanatus & similes. Vnde spectat ad curatos cognoscere sūmatim & in quodā

generali præcepta legis cum quadã explanatione grossa, articulos similiter fidei nostræ, traditionẽ quoq; sacramentorum, distinctionem peccatorũ ac eorum quæ sunt reseruata à non reseruatis, institutiones festorũ, & si qua sunt similia. Pertinet autem vltra hæc ad prælatos scire rationem subtiliter ac particulariter reddere aduersus hæreticos proteruos de prędictis. Deniq; cum beneficiũ detur propter officium (officium inquam non tantũ in horis dicendũ, sed tantũdem vel amplius in cõcernentibus de propinquo vitam & pasturã gregis dominici) dijudicent apud se hi qui prædicationis officium sibi maximè debitum, vel nesciũt vel omittunt, vel deteriori sacrilegio spernunt & irrident. Diiudicent oro si beneficium tale ritè iusteq; recipiunt aut retinent non minus quam si negligerent ecclesiasticum in horis dicendis officium. Dijudicent an fructus beneficiorum, suos satiant, & similia qualia non est mecum nunc definire, quamuis æmula curiositas vehementer exposceret difficillimũ in hac re iudicium, sed abeat aliorsum in toto hoc nostræ exhortationis excursu, & quod fieri debere monstratum est, fiat, fiat.

Consideratio secunda.

Pascere oues pabulo prędicationis, dando animam rationalem pro eis, sicut est officium magnę dignitatis ac pietatis, sic grandis in eo difficultas inuenitur. Si pietas iuxta apostolicam vocem valet ad omnia, quæ maior altera, quæ dignior pietas excogitari possit, quam quæ liberat animam à morte perpetua, quæ protegit eam ne lupis infernalibus pateat in deuorationem, quæ tandem ducit & perducit vbi ingredietur & egredietur & pascua inueniet? Huic officio quæ vel qualis altera misericors largitio valebit æquari? Si magnum est pascere tamen protinus morituram vt interim viuat, animam in æternum victuram quam preciosum est pascere ne pereat? Dura est nimis illa prophetæ lamentatio: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis, ad carnem referas, sed durior in immensum si de spiritu sermo fiat. Accipite quomodo concluserit Iacobus epistolam suam. Fratres inquit, si quis ex vobis errauerit à veritate & conuertat quis eum, scire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Porrò difficultatem curæ pastoralis pastores sancti Gregorius in suo pastorali, & Chrysostomus in alio similiter pastorali suo ad Basilium diligenter aperuerunt, assignantes præcipuam difficultatis rationem ex prędicatione verbi Dei. Tanta quippe in ouibus pascendis pabulo prædicationis varietas & velut cõtrarietas accidit, vt quod vnam nutrit, maceret alteram aut mactet, pascẽtes vorio multum diuersa palato. Culpauerit aliquis auaros, prodigus inde sumet argumenta suæ profusionis iniquæ. Culpauerit prodigos, auarus inde tenacior sordidiorq; efficietur. Sic est inuenire in omni vitiorum extremitate, nisi cautissima sollicitudine sic arguat vnum vitium, quod alterum similiter inculpetur. Hoc autem semper & solerter agere per gladium verbi Dei secantem à dextris & à sinistris, vt medium virtuosi itineris liberum pateat, ad incedendum viam regiam mandatorum Dei, tam arduum puto prædicatorem quoque, tam prudentem & vigilem exigere sensu, vt vix possit vnus ex milib. inueniri. Adde quod auditorum quidam hebetes sunt quibus penè nihil potest quantacunque prolixitas decies repetita inculcare. Alij præuolãt ingenio, confestimque fit apud eos omnis morositas onerosa. Quam paucissimos insuper videbis auditores, qui fideliter & diligenter attendant ea quæ dicuntur, qui nõ ea quæ audierint, sed quę audire putauerint, trahãt ad sua desideria fouẽda potius quam eradicanda seu moderãda. Vertitur eis verbum Dei in prouerbium & fabulam, trahuntq; illud ad omnem partem contradictionis, sicut de sono campanarum agunt pueri. Sicut etiã in fabulis de lupo syllabizãte narratur qui audiẽs pa, & ter, diiunxit ex his Agnel. Quare? quia sic in imagine sua versabatur. Tales deniq; ea quæ malè intellexerint peius interpretatur, & pessimè deferunt ad cæteros inuidia vel stultitia stimulati, gerunt similitudinem cribri vel colatorij lactis effluit ab eis quicquid purum susceperant. Purgamenta sola vt festucæ, sordes & paleæ retinentur. Exigitur ergo ad officium prædicationis ingeniũ velox, solers atque versatile velut in non prospecto tempore à dextris, à sinistris, ante, retro, sursũ, & deorsum. Exigitur eloquentia torrens & vehemens, suadibilis & suauis, copiosaque ne adhęreat lingua palato & arescat. Nec minus temperatam esse conuenit ne nimis effluat semen generatiuũ filiorum Dei, & sordescens inutile fiat ad generationem. Exigitur cognitio scripturarum sacrarum cum cæteris omnibus quæ ad mores spectãt. Inde est illa dum pastor consecratur, interrogatio, scis vtrumque testamentum? Quorum aliqui qua cõscientia respondeant, scio, ipsi viderint. Exigitur multiplex experientia actuum humanorum & conditionis annotatio eorum qui docendi sunt. Exigitur exemplaris vita & conuersatio irreprehensibilis in medio nationis prauæ, aliena ab omni crimine, præsertim ab auaritia & luxuria, quæ maximè sunt cõtraria famę, alioquin plus destruit exemplo quem ædificet verbo. Vox operum fortius sonat quam verborum. Exigitur denique gustatio spiritus per contemplationem, alioquin cęteros accẽdere ad æternorum desideria, qua frõte præsumpserit, si frigidus in se totus & algidus remanserit? Vide nunc si officium prædicationis existimaueris leue, passimq; omnibus imponendum. Nihilominus ipsum quod tantæ pietatis & difficultatis ostensum est, fiat, fiat.

Tertia consideratio.

Pascere oues auctoritatiue pabulo prædicationis dando animam rationalem pro eis, est officiũ quod nullis fas est exercere nisi misso, nec mitti quispiã debet nisi idoneus & probatus. Primã partẽ breuibus verbis absoluit apostolus. Quomodo inquit, prædicabunt nisi mittantur. Confunderetur enim penitus ecclesiastica hierarchia, si cuilibet indifferenter auctoritatiuum prædicationis officium laxaretur. Patuit turelupinis & alijs idiotis, quos hæc audacia fefellit & in varios traduxit errores. Auctoritatiuum vigilanter diximus, quia fraternam correctionem, secretam scilicet aut amicabilem, quæ ædificare, non scandalizare præsumit lex Christiana cuius finis est charitas, concedit omnibus dum ait: si peccauerit in te frater tuus &c. Sic enim dicit sapiens mandasse Deum cuilibet

cuilibet de proximo suo. Et nihil humanum putabat comicus senex à se alienum. Nullus enim peccat quin noceat vniuersis tanquam si membrum corporis vel pars exercitus spiritualis depereat. Fit autem missio ad prædicandum solemniter, vel per Deum immediatè quæ tamen probari debet apud recipientes, vel per miraculum vel per prophetiam vel aliud sufficiens tale signum. Aut fit per Deum mediante superiorum auctoritate vinculum sit, fit rursus nonnunquam missio talis ex ipsa necessitatis lege, quando non aliter posset fidei seu morum veritas inuiolata seruari. Vbi verum est illud: pasce fame morientē, si non pauisti, occidisti. Porrò nullum debere mitti qui non fuerit idoneus & probatus, docens artes cæteræ quas exercere non præsumit ignarus ipsarum. Sicut ex Horatio sumpsit Hieron. Quod medicorū est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Remouet apostolus ab officio prędicationis mulieres. Mulierem inquit docere non permitto. Inuestigemus rationem & inueniemus multos ex viris prohibitos. Spectat nimirum ad pastoralem doctorem constantia, spectat prudentia, spectat pudicitia, vt sit in eo facultas, veritas & bonitas. Constantia dat ne succumbat aduersis, ne cedat conuitijs vel iniurijs, ne rumoribus falsis & indignis, vel infletur ad gloriam, vel contabescat ad ignominiam. Neque enim gladiator (sicut dicit Chryso.) plus habere debet animam in manibus, hoc est eam vltro morti dare quam prædicator. At verò quis nesciat mulierē imbecillem esse, fragilē, inconstantem, sic pueri vel adolescentes, pueros dico vel ætate vel moribus, sic omnes quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Cedunt naq; ad primam iniuriæ vel contumeliæ personalis seu iacturę temporalis suspicionem, tanquam arundines vento mundani timoris agitatæ. Prudentia dat pastorali doctori vt nec fallere velit nec falli leuiter possit. Sed audi quid de iudicio mulierum dixit Aristot. quoniam instabile est & inualidum, sic apud comicum dicuntur mulieres prope sicut pueri leui sententia. Quod viderat egregius poëta dicēs: Varium & mutabile semper fœmina. Quot autem inueniuntur inter viros quorum iudicia circa agibilia & credibilia vel nullum est vel obscurum, timidum & incertum vel erroneum, quia nec ipsos erudiuit lex Dei, nec regularis bene viuendi disciplina perdocuit. Solidum idcirco nequeunt alijs circa scrupulosas quæstiones suas dare consilium, tanquam interrogatio fiat eis de ignotis nec expertis. Continentia denique dat pastorali doctori, vt nec in se lubricitatem admittat, nec ad illam auditores alliciat. At verò mulieris vox, facies, gestus, quasi tedę sulphuribus illitę, audientes & spectantes adurunt faciliter, & in prauam desideriorum carnalium flammam accendunt. Sic virorum aliqui muliebriter fracti sine neruis disciplinæ, plus eloquio & gestibus effluunt in lasciuiam, ipsamque prouocant, nutriūt & augent quam extinguant. Festinabam in ipsa meditatione mea pergere post hanc triplicem primę partitionis considerationem ad aggressum secundæ partitionis locuturus de pabulo sanctæ conuersationis, tum ecce visa est astitisse industriosa sedulitas, affirmans non satis esse si deducantur in medium defectus existentes circa pabulum dominici gregis, nisi pariter inuenirentur
A prouisiones, & hoc tanto efficacius quanto particularius. Vniuersalia enim parum sed singularia multum docent. At ego dum has prouisiones ab eadem industriosa sedulitate perquirerem (citò enim secum sensi) enumerauit plurimas hic & in posterioribus, quarum paucas ante conspectum conuocationis huius celeberrimę rememorari iussit repetens crebrò: fiat, fiat.

Prima prouisio.

B Fiat in primis iuxta præmissa executio decretalis illius quę in omni metropolitana ecclesia scholam Tholigiæ constituit. Nec videtur schola mēdicantium satis esse. Expediret amplius vt hæc institutio (cuius quotationem sicut & aliarum, dominis iuristis linquo) extenderetur ad ecclesias cathedrales & alias collegiatas notabiles, sic quod vna præbenda esset ad officium hoc salutiferum specialiter & irreuocabiliter applicata. Quemadmodum Dominus noster Benedictus procurante præceptore meo inclyto Domino
C Cameracensi constituerat, sed nescio quo pacto tam sanctum opus è medijs (vt dicitur) manibus elapsum est. Concedebatur vt legentes & studentes perciperent certis diebus & horis distributiones quotidianas hac ratione qua intendentes temporalibus ecclesiæ commodis sine vlla contradictione recipiunt. Expediret insuper vt monasteria notabilia non carerent viris docentibus suos religiosos etiam ab adolescentia meditari in lege Domini die ac nocte. Alioquin post-
D modum in ipso otio suo quod contemplationi deditum esse conuenit, æqualiter exercebuntur ad diuina? Tenenda denique esset decretalis prohibens ipsos audire leges vel physicam, artes scilicet practicis negotijs accommodas. Nam apud eos quæ scientia magis quam Theologia deberet vel doceri vel cognosci?

Secunda prouisio.

Fiat amplius apud ipsos qui se prædicationibus exponunt, examinatio prius circa genera-
E lia nostræ fidei & circa præcepta & mores, vt cognoscatur si talia prædicare nouerint, & ad ea principaliter prædicanda seclusis fabulis anilibus & ludicris compellantur. Arceatur insuper tam generalis licentia apud quosdam religiosos qui protinus vt aliquis sciuerit duo verba proferre volubilitate linguæ, intronizant eum in cathedra prædicandi. Instruantur denique non detrahere superioribus absentibus in subditorum præsentia. Nam hoc agere quid proficit nisi ad subuersionem auditorum, apud quos
F inde nutritur rebellio, murmur, odium, impatientia, contumacia, proteruia, & detractionis libido, cuius signum est, quia extollunt se detractores huiusmodi, quasi soli sint qui veritatem audeant palam dicere. Doceatur populus è contra obedire præpositis suis etiam discolis, ostendendo quod Dominus regnare facit malos & hypocritas propter peccata populi & in eorum grauem pœnam. Sic habeat prædicator linguam & linguam. Linguam pro subditis, & linguam pro dominis & prælatis.

Tertia prouisio.

A Fiat rursus prouisio sufficiens curis parochialibus, vt sibi possint de pabulo prædicationis prouidere, sicut institutio prior habuerat, quæ apud multos adhuc obseruatur, vbi mendicantes non abundát. Sic etiam in qualibet parochia cura specialis iuxta sacros canones de instructione paruulorum, præsertim in morum disciplina secundum primitiua nostræ religionis rudimenta. Ecclesiæ siquidem reformatio (sicut quidem ait) debet inchoari à paruulis, quoniam eius deformatio venit ab eis prauè & nequiter institutis. Quamobré B fiat sicut prætactum est, prouisio sufficiens aliqua pro magistris, fiat pro prædicatoribus idoneis, si sint sæculares, de præbendis, si mendicantes, aliunde, per prælatos & curatos, quatenus ad pietatem magis quam ad quæstum suum valeant attentionem ordinare. Itaque si procuratoribus, si aduocatis, si alijs practicantibus assignantur sedulò pensiones certæ & magnæ quamuis aliunde lucrentur, qualiter non absurdum erit, non magis hoc fieri pro laborantibus gratis ad spiritalem otium dominicarum nutritionem dum exercent C officium, quod de necessitate monstrauimus annexum esse pastorali dignitati? Sed improperádo dicunt nonnulli prælatorum. Cur inquiunt vos Theologi maximè doctorati non prædicatis? cur statis in studio vel in cameris tota die otiosi? Cur talentum scientiæ vobis collatum retinetis? Accipiant sic loquentes veram hanc pro multis responsionem. Nemo nos conduxit, neque licentia magistralis in Theologia dat obligationem prædicandi, sed ostendit idoneitatem, quam exercere D non tenentur nisi velint vel aliunde mittantur cum mercede sua. Addito quod plus sollicitudinis & temporis apponet aliquis prædicator verbi Dei in vno sermone ritè componendo, retinendo & pronunciando, quam aduocatus vnus per multos dies patrocinando. Cur ergo sua mercede cariturus est recipienda ab illo cuius debitum exercet officium, & non solum à populo? Hoc igitur fiat. Quod audacius introduxit, quia me sentio ab omni specie quæstus alienum, cum satis iam habeam Dei dono de bonis ecclesiæ, vt E ponam sine sumptu alieno euangelio.

Quarta prouisio.

Fiat postremò quoad publicatio quorundam tractatulorum compositorum vel componendorum, vel qui iam forte compilati sunt, in quibus generalis tenor nostræ fidei & præceptorum & sacramentorum cum similibus contineantur, quatenus in eis sacerdotes & curati simpliciores legere possint & instrui quid ipsi scire, quid alios docere debeant, docere inquam etiam per F scripturam talem, si non aliter cognouerint. Compelli quoque poterunt, talia suis expensis exemplaria sibi comparare, quemadmodú fit de statutis humanis synodalibus pro cura téporaliú, & hoc nisi forsan aliunde charitas abundans prælatorum, indigentiæ pauperiorum subuenire voluerit. Hic inseri potuisset de lectionibus sacris legendis ad mensem ecclesiasticorum, & præsertim prælatorum. Item de cohibendis quæstoribus istis laxátibus linguas suas ad falsitates & ineptias. Sed hæc interim sufficiant de prouisionibus circa primam partitionem, & suas considerationes ita commemoratas.

Secunda partitio principalis.

AVdistis præstantissimi viri patres & fratres quemadmodum diximus aliqua de pascendis ouibus pabulo prædicationis doctæ dando animam propriam secundum portionem vel vim rationalem pro eis, nec sum nescius quantoplus plura & altiora dici potuerant, sed supplebit imperfectum meum ditissima vestræ sapientiæ magnitudo. Nunc prius quam conuertatur oratió ad alium modum pascendi oues secundum portionem irascibilem animæ, & hoc exemplo sanctæ conuersationis, dicatur id quod obtigit mihi in ipsa meditatione mea, dum circa hoc eloqui recogitarem duce vel comite industriosa sedulitate. Circumuolebam oculos meæ considerationis per ouilia varia ecclesiæ militantis. Illud aspexi viros pastores habitantes in casulis & portatilibus tabernaculis, scientes hic se non habere ciuitatem manentem, sed debere futuram inquirere. Illic similiter visæ sunt oues rationales gregis Christi, signatę omnes signo thau de sanguine agni. Sed heu pericula, heu seductores, heu mille nocendi artes, mille mouendi discrimina, quælibet ouis suos patitur hostes, suas insidias, sua certamina. Hanc vepres, spinæ sentésque dilacerant, hanc æstus vrens, hanc bruma rigens discrassiant, hæc infixa est in limo profundi, hæc ex altis rupibus præceps ruit, adhæret huic veterna scabies, alteri contagiosa societas morbum affricat, sicq; fascinatio morbidarum transit in teneriores agniculos. Denique quid ouibus miseris erit tutum, quando (iuxta prouerbium Græcum) lupi funguntur officio pastorum? Vel certè pastores versi sunt in lupos qui non parcunt ouibus. An non lupus tyrannus rapax qui lanam & lac ouium, immo carnes & ossa per violentam exactionem surripit, cassat & opprimit? An non lupus tyrannus fallax qui lanam & lac ouium, carnes & ossa per astutiam procurationum & aduocationum surripit, cassat & deijcit? An non demum lupus tyrannus vorax qui lanam & lac ouium, carnes & ossa per gulam & luxuriam surripit, cassat & inficit? Et vbi iam obsecro tales lupos rapaces, fallaces & voraces non poteris inuenire qui rapiunt, qui fallunt, qui deuorant? Rapiunt cauillando, fallunt litigando: deuorant luxuriando, audiamus ex Ezechiele veterem summi pastoris quærimoniam: Lac comedebatis & lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum erat non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod obiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis & eis cum potentia, & reliqua in hanc sententiam. Iuxta quæ pro complemento nostræ huius secundæ partitionis, induco tres considerationes cum duodecim prouisionibus quas industriosa sedulitas recensuit.

Prima consideratio.

Bonus pastor nequit animam dare pro ouibus secúdum vim irascibilem, nisi prius studuerit eijcere tyrannidem rapacem quæ est lupus auaritiæ. Instituens itaq; Paulus verum pastoré docuit hospitalem

spitalem esse debere, & non turpis lucri cupidum. Sed quomodo daret hospitibus sua qui tollere satagit aliena, quique raptoribus alienis non obsistit? Videatur ergo quid admonet hoc loco industriosa sedulitas.

Prima prouisio.

Fiat inquit reformatio hospitalium, hoc est enim de cura pastoris, fiat hæc reformatio tam in temporali quã in spirituali regimine, ne illic cura pauperum negligatur, præsertim ad salutem animarum suarum in patientia & pœnitentia congruis, & in sacramentorum susceptione, qualis fructus est in hospitalium fundatione principaliter intentus. Expediret quoque sic fieri in quolibet hospitali, qualiter obseruatur Parisijs vniformiter satis ad decretalem de aduocandis prius medicis animarum quam corporum. Illic confestim vt aliquis ægrotus quæritur introduci, prius intra ianuam confitetur & absoluitur. Erit insuper prouidendum apud professos & professas in huiusmodi religionibus sicut etiam fieri consueuit in alijs omnibus, quatenus tria vota sua custodiant, obedientiæ, paupertatis, & castitatis. Nam inueniuntur ibi appropriationes manifestę, sicut apud seculares, sed eos exterrere debuerat mors Ananiæ & Saphiræ. Quid insuper sibi volunt tot discursiones eorum per domos secularium? Et ô vtinam nulla sint monasteria mulierum quæ facta sunt prostibula meretricum, & prohibeat adhuc deteriora Deus.

Secunda prouisio.

Fiat amplius prouisio contra tyrannides varias & oppressiones miserabiles & indignas pauperis populi, maximè eius qui subditus est Ecclesijs, & hoc per prædones domesticos, per familiares inimicos sub vmbra secularium dominorum. Has oppressiones videre facilius est in rebus quam exponere sermonibus. Quod si mouentur pastores ex atrocitate rerum prouidere qualis erit sermo meus, qui iacentes eos & torpentes valeat excitare? Moueat eos recogitata & lecta constans auctoritas Ambrosij vt cui succedant in pari constantiæ stabilis inflexibilitate. Videant pastores ne odiosi mores sui fœtentes coram Deo & hominibus, dent hanc causam grauaminis pauperis sui gregis.

Tertia prouisio.

Fiat vlterior prouisio ne pauperibus sua bona auferantur vel detineãtur. Hæc sunt ea bona quæ viris Ecclesiasticis supersunt vltra simplicẽ victum & vestitum, iuxta decentiam sui status in Ecclesiæ republica. Notissima est hoc loco, sed durissima Bernardi atq; Hieronymi sẽtẽtia, qui retentionem huiusmodi vel luxuriosam profusionem non dubitauerunt sacrilegium, immo omni sacrilegio & deprædatione damnabiliorem appellare. Videant Ecclesiastici, ne fortè ob hoc iusto Dei iudicio proueniant rapinæ eius & conculcationes indignæ & iurisdictionum suarum vsurpationes, quia quandoque quod non habet Christus tollit fiscus, & quod subtrahitur egeno, rapit prædo. Hoc enim est veteris prouerbij sententia, quod abdita vulpium fiunt rapinæ luporum, vt qui prædatus fuerit, prædetur & ipse. Hic insuper prouidendum erit de celeri testamentorum complemento, non impedimento per eos qui accelerare debuerant, Ecclesiasticos curiales loquor per quos abusus incredibiles fieri memorantur, ita vt nec fidelis inueniatur in testamento huius vel illius.

Quarta prouisio.

Fiat demum prouisio circa Ecclesias versas in dissipationem, quarum primitus extitit magnifica fundatio, quatenus in eis seruitores assignentur iuxta facultatem redituum, vel cum alijs vniantur, aut ex toto cassentur, ne sint huiusmodi beneficia depauperata, plus in scandalum & opprobrium quam in Dei laudem & populi ædificationem, sicut in prioritatibus nonnullis experiuntur. His itaque subuenire fundationibus antiquis sanctius esset atque salubrius quam fundare nouas ecclesiolas volẽdo sibi facere nomen. Supra modum conuenit occurrere tantæ tanquam fœdæ & abiectæ paupertati, immo mendacitati curatorum in locis plurimis, qui tamen positi sunt in ordine essentiali & hierarchico Ecclesiæ militantis tanquam minores prælati, & discipulorũ successores, quibus tamen nulla ob egestatem suam reuerentia vel obedientia datur à subiectis ouibus, quia nec inueniuntur viri sufficientes qui talibus parochijs sic in egestatem versis, velint personaliter deseruire. Quidquam adduntur eis frequenter à pastoribus crassis vel officiarijs suis ipsis volentibus onera oneribus citationes, angariæ, taliationes, ita vt liberior sit iam laicorum quam Ecclesiasticorum talium conditio, nec iam vt populus sic sacerdos, sed liberior & honestior populus quam sacerdos. Quod si tales deseruientes parochijs sint tantummodo vicarij religiosorum vel canonicorum, vel per proprios curatos substituti, cogantur ipsi principales de sufficienti vitæ sustentatione prouisionẽ assignare, ne alijs in penuria laborantibus, ipsi in otio totum diripiant, fiat hoc fiat.

Consideratio secunda.

Bonus pastor nequit animam suam dare pro ouibus suis secundum vim irascibilem, si retinet vel in se vel in suis tyrannidem deceptricem, quæ est lupus fallaciæ. Iubet Apostolus: Episcopus qui pastor est, sit domui suæ benè præpositus. Aliter enim sicut idem arguit, qua ratione diligentiam habebit Ecclesiæ Dei qui regere propriam nescit domum? Domus autem prælati curia est, habens ministros, familiares & officiatos pro reddendo vnicuique bona & simplici fide quod suum est, non ad spoliationem sed correctionem, non ad corruptionem sed ædificationem, non ad multiplicandum lites super lites, sed ad compendiosum pacis stabilimentum. Sicut autem charitas incipit à se, sic & reformatio debet inchoari, vt primò fiat iudicium à domo prælati, sicut fit in vniuerso à domo Dei, ne præterea contingat obijci prælato, medice cura teipsum. Et illud Apostoli: Qui prædicas non furandum, furaris, immo & sacrilegium facis. Rom. 2.

Prima prouisio.

Quocirca suadet industriosa sedulitas, vt fiat efficax non verbalis prouisio contra astutissimam illam immo sæpe apertam tyrannidẽ promotorum & procuratorum in angarijs & citationibus, quæ omnia cum iniustissimè comperti fuerint commisisse, gratis abscedunt à querela, nec iam

gratis, quia recipiunt expensas ab innocentibus absolutis déque calumnijs peruersissimis, de diffamationibus præterea crudelissimè impositis ipsi mercedem quæ eis malè vertatur recipiunt. *C'est le droict de la porte Bodet.* Et hoc precor æquitas nonne claudicat hæc disceptatio? Esset nonne iustius vt huiusmodi procuratores perciperent stipendia laboris sui à dominis suis vel prælatis, qui deberent subditis dare iustitiam, quam ab innocentibus sic vexatis? Væ qui condunt leges iniquas, ait dominus Esaiam, & scribentes iniustitiam scripserunt vt opprimerent in iudicio pauperes & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Notetur hic iuramentum quale debitum est præstari per aduocatos, per promotores, per notarios, per procuratores, præsertim vt nihil agant vel foueant quod iniustum esse vel crediderint ab initio vel postmodum compererint.

Secunda prouisio.

Fiat insuper abbreuiatio tam dispendiosarum litium, moderatio tot excommunicationum tam à iure quam ab homine fulminatarum. Et hoc nonnunquam pro defendenda seu recuperanda re modica parum vtili vel prophana, cum tamen baculus iste primitus fuerit institutus à Christo tanquam durissimum summumque supplicium, quo nolentes Ecclesiam audire plecti deberent. Quod si Ecclesiam non audierit, inquit Christus, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Nunc apud quosdam talis regnat stoliditas, qualis apud illum qui vt muscam abigeret à fronte proximi, ictu securis excerebrauit eum. Itaq; temporalis incommoditas vix reputari debet musca pungens per respectum ad æternam salutem, quam auferunt aliquando percussiones istæ per excommunicationes grauissimas, quæ vt in aliquem ceciderint, vix abijci possint, trahentibus de vna in aliam lupis curiæ rapacibus.

Tertia prouisio.

Fiat amplius obseruatio decretalium prohibentium ne detur aliquod omnino in spiritualium administratione, aut saltem adhibeatur moderatio tam in collationibus ordinum quam beneficiorum, in approbationibus sacerdotum officiare debentium, in sigillationibus quoque & multis similibus plus ad quæstum (sicut dicunt aliqui) quam ad spiritualem profectum super impositis. Exequantur saltem ista tali modo quod ab omni specie mala simoniaci scandali semet abstineant.

Quarta prouisio.

Fiat vlterius correctio subditorum secundum qualitatem delictorum, & plus ad emendationem suam & timorem aliorum quam ad pecuniarum exactionem, quæ gregem simplicem scandalizat frequentius quam ædificat, quod si delicti qualitas exigat imponere pœnam pecuniariam, exponatur illa in pios vsus manifestè, ne plus ad auaritiam pastorum quam subditorum correctionē exacta videatur. Addimus hic incidenter de iuramētis terribilibus exactis per officiales & à curialibus officiatos, dum examinant aliquem criminosum super dicenda veritate, quibus tamen iuramētis deferre nolunt seu credere, qualia etiam violatum iri fore probabilius quam oppositum suspicantur. Hic nonne laqueus est manifestæ ac crudelissimæ perditionis animarum? Cum insuper dicat Apostolus quod omnis controuersiæ finis est iuramentum. *Hebr. 6.*

Consideratio tertia.

Bonus pastor nescit dare animam suam pro ouibus suis, si in se vel in suis tyrannidem voracem nutrit quæ est lupus gulæ atque luxuriæ. Sobrium quidem nec multo vino deditum, nec præterea bigamum iubet Apostolus Episcopum institui, prohibens ex consequenti crapulosas comessationes, potus ad æqualia, meretricationes sordidas, dare symbola, frequenter tabernas, quasi non eis domus sint ad comedendum, aut velut histrionum more nullibi peius habeant quam in domo, & quæ illic detractiones bone Deus, quales gonliardiæ, quanta in vitam hominum bene viuentium & sobriorum derisio, qui risus, lusus & gestus indecori vsque ad scandalum vilissimorum mancipiorum vel muliercularum sibi ministrantium, sciunt qui viderunt.

Prima prouisio.

Qua in re consulit industriosa sedulitas, vt fiat primò restrictio frugalis tantæ varietatis & multiplicitatis ferculorum sumptuosissimorum in eadem mensa vsque ad nauseam & prodigam vastationem earum rerum ex quibus multi ventres pauperum pasci possent. Sileamus hic de ægritudinibus inde nascentibus, de hebetudine mentis, de subuersione rationis, de occasione rapacitatis, de temporis quod preciosissimum est consumptione. Consideretur iniquitas illa qualis quantáque est apud Ecclesiasticos viuentes ex laboribus & oblationibus pauperum, qui ita luxuriantur quasi gratis obuenerint sibi, quasi præterea ad nihil aliud nati fuerint, diligentius quoque pascuntur apud eos & charius aliquando canes quam pauperes. Nec ista dicuntur vt laudetur in prælatis personis Ecclesiasticis sordida tenacitas, honestati hospitalitatíque contraria, sed adsit frugalitas liberalis, quæ non secundum inanem iactantiam aut opinionem prodigorum, sed secundum conscientiæ virtuosæ iudicium mensuretur. Vtrum verò pensata temporum modernorum qualitate sit expedientius prælatos splendere in ornatibus exterioribus vel ducere vitam pauperum Christo & Apostolis conformem in nuditate aut vilitate vestium, alio loco deductum est.

Secunda prouisio.

Fiat amplius honesta restrictio talis pompæ in multitudine onerosa & incomposita tot seruitorum, tot equorum & mulorum consumentium opes sine mensura, sine fructu. Adde quod enutrit homines istos comatulos & adolescentes lasciuos otiositas pessima doctrix. Nam multa mala docuit otiositas, ait sapiens, cui pessimæ comites ebrietas & crapula coniunguntur. Ad quid aliud isti tunc student, nisi vel insidiari alienæ pudicitiæ, prodigi suæ, vel lusibus illecebralibus occupari? Hinc illa adinuentio deformissima habituum variorum, hinc iuramenta, blasphemiæ, & similia, hinc lusus taxilorum & similium prohibiti, hinc omnia denique tollentia morum honestatem. Subditi verò cæteri quid faciunt, nisi quod viderint familiam sui pastoris facientem, imitantur certè & libenter, aut qua frōte iuberet pastor crapulam & luxuriā à subditis eijci qui assiduè coram oculis

oculis & in penetralibus suis illa intuetur & gaudet exerceri? Prouerbium est: Qualis rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea, & mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Tertia prouisio.

Fiat obseruatio ieiuniorum ab Ecclesia statutorum constantior apud diuites & potentes præsertim Ecclesiasticos, apud quos prohdolor versa sunt iam velut in derisum, cum soli ferè pauperes atque rusticani ieiunent, quibus vix est panis cibarius relictus ad saturitatem sufficiens.

Quarta prouisio.

Fiat inquisitio diligens & cauta super peccatis enormissimis, qualia commemorat Apostolus in principio ad Romanos, quibus corrupit heu omnis caro viam suam plus quam Sodoma & Gomorra, & hoc sine differentia sexus, aut ordinis, aut gradus, aut generis, aut ætatis, aut religionis sacræ, aut matrimonialis vinculi, aut affinitatis spiritualis, aut partium corporis honestarum. Credite fodientibus parietem per districtam inquisitionem in foro pœnitentiali, qui habentes obstetricandi scientiam, educunt colubrum tortuosum & vident abominationes pessimas quę fiunt. Credite inquam, quia prouidendum esset omnino cum effectu & discretione contra tantam familiaritatem in cubilibus, & alibi quam exercent parentes vtrique cum vtraque progenie & affines affinibus in adolescentia, senesque cum iunioribus tam in religione quam in scholis & alibi. Dubitauerim prorsus, si non deteriores mores trahunt aliquando pueri & puellę hac occasione in parentum domicilijs & religionum & scholarum contubernijs, quam facturi erant in prostibulis lænonum vel meretricum. Et hæc interim dicta sint de secunda partitione principali, operibus dicta firmentur. Fiat, fiat.

Tertia partitio principalis.

TANDEM reliquum est pro complemento susceptæ commonitionis aliquid dicere pro tertia & vltima partitione de pascendis ouibus pabulæ charitatiuæ subuentionis, dando animam quoad vim concupiscibilem pro eis. Et quidem non inuenio pabulum charitatis & gratiæ melius efficaciusve tradi posse gregi Christi quam per debitam collationem sacramentorum. Illic quippe gratia confertur in suscipiente virtute operis operati, hoc est vltra vel supra meritum suscipientis in virtute meriti Christi instituentis sacramentum, & illud spirituali priuilegio ditantis, vt inde opus priuilegiatum nominetur. Condecet præterea vt minister sacramētorum tunc maximè se disponat ad gratiam, dum eam suo ministerio studet apud subditas oues transfundere. Alioquin iuxta probabilem sed formidabilem quorundam doctorum sententiam, ipse nouo se peccati laqueo stringit. Proposueram verò velut in antecedentibus, ita & hic reducere tertiam hanc partitionem ad tres considerationes principales, ostensurus in prima de pabulo salutaris gratiæ per sacramentum baptismi, confirmationis & Eucharistiæ. Baptismus enim generat, confirmatio roborat, Eucharistia complementum præstat. In secunda de papulo salutaris gratiæ per sacramentum pœnitentiæ, quod lapsos reparat, mortuosque viuificat. In tertio de pabulo salutaris gratiæ per reliquum triplex sacramentum scilicet ordinis, matrimonij & extremæ vnctionis. Sed præoccupauit industriosa sedulitas breuitatem diligens & allegans sufficere si prouisiones idoneæ saltem aliquæ vsque ad duodenarium numerentur.

Prima prouisio.

Quamobrem dic inquit vt fiat primò diligens examinatio illorum qui ministraturi sunt sacramenta, ne fortè sint ignorantes formam necessariò requisitam in collatione huius vel illius sacramenti, ac proinde nihil agant seu conferant. Expertum est crebrò multos ex confessoribus per ignorantiam culpabilem formæ sacramētalis non veram dare sacramentalem absolutionem. Sic obstetrices aut laici baptizare quandoque putantes paruulos, de quorum morte dubitant, non verè baptizant, quia forma debita & à Christo instituta non vtuntur. Sic inuenti sunt quidam ex prælatis nonnunquam errasse in collatione ordine ex defectu vel formæ, vel materiæ vel intentionis debitæ, ita vt suppleri vel de nouo fieri necesse fuerit ea quæ prius acta credebantur.

Secunda prouisio.

Fiat administratio sacramentorum omnium sicut Apostolus iubet, de omnibus honestè & secundum ordinem, non in locis & scurrilitatibus quæ ad rem non pertinent. Errent hic fatui & fatuæ in baptismo paruulorum, in celebratione matrimoniorum cum vlulatibus impudicis & fœdis irrisionibus. In auditione autem Missarum cum quanta irreuerentia & indecentia videre quotidie est ad oculum. Nonne tangitur altare per laicos incompositos comitatos canibus mingentibus ad pallas altaris? Quid de viris Ecclesiasticis tēpore ministerij sui in Ecclesia & choro, quas ibi garrulitates non videbis, velut in foro muliercularum & rerum venalium est, quas distractiones, quos risus, quos clamores, prohibente nemine ex superioribus, nam & superiores culpa par inuoluit? Quid demum de ritibus impijs illorum quos Deus omnipotens vel corrigat vel malè perdat, qui nedum blasphemias & insanias falsas exercere, immo defendere non verentur, etiā in Ecclesijs nobilioribus & hora Missæ, quas palliant sub nomine fatuorum, aduersus quas alias conscripsimus.

Tertia prouisio.

Fiat collatio Confirmationis sacramentalis frequentior per diocesim, quia & si non semper necessitatis vel actualiter suscipiatur, est tamen necessitatis ne contemnatur.

Quarta prouisio.

Fiat auditio Missarum totalis diligentius à subditis, præsertim diebus Dominicis & festiuis, & in suis parochijs. Versatur enim in hoc principaliter præceptū de obseruatione sabbati, nec excusatur omittēs à violatione cessante causa legitima. Prouideatur hic ne insistant mercaturis & operibus seruilibus tempore illo. Item de recedentibus statim post aspersionem aquæ benedictæ vel Dominici corporis eleuationem. Quid insuper de multitudine præceptiua tot festorum quę vel non obseruantur & ita peccatur, vel egestati subditorum

mechanichorum non sufficienter consulitur, vel pessimæ otiositati qua nesciunt rurales benè vti, ianua grandis aperitur. Subintroeunt consequenter magno agmine ebrietates, lites, lusus improbi, expensæ sumptuosissimæ, choreæ plenæ peccatis & insanijs & carminibus blasphemis, immo & per inquisitorem damnandis, dissolutiones quoque luxuriosæ, & ad breue verbum subingreditur malum omne, ita vt quod pro honore Dei & pro animarum salute fuit sapienter institutum, vertitur in contumeliam eius & salutis detrimentum.

Quinta prouisio.

Fiat in vnaquaque diocesi diligens electio confessorum idoneorum pro sacraméto saluberrimo pœnitentiæ dignè ministrando. In hoc principalissima & ferè tota residet vtilitas pro pabulo gregis dominici. Nam per sacramentum hoc pœnitentiæ reducuntur oues errantes, sanantur ægrotæ, pascuntur famelicæ, præsertim si confessor probus, si continens, si doctus atque sollicitus affuerit. Alioquin si sollicitat ad malum, vt si ad quæstum solum mendicat, si negligenter ignorantérque super confitentium transgressionibus inquirat, si per ebrietatem aut iracúdiam sigillum inuiolandum quomodolibet effregerit, aut si demum blandiens obstinatis neque deserere peccata volentibus eos absoluere tentauerit. Væ væ simplicibus ouibus Christi, à talibus sacerdotibus qui non iam mercenarij, sed rapaces lupi vocandi sunt quam longius abigendi.

Sexta prouisio.

Fiat confessio coram oculis omnium in patenti loco, ne subintroeat lupus rapax, in angulis suadens agere quæ turpe est etiam cogitare. Væ aliter agentibus & sub familiaritatis specie in angulis vel camerulis res ignominia plenas exercentibus, easque deteriore sacrilegio sub deuotionis specie pallliantibus excusantibúsque.

Septima prouisio.

Fiat reseruatio casuum seu peccatorum moderatior. : Prouidendum est saltem quod nullus casus iudicetur reseruatus, quoad iuuenes minores quatuordecim annis, quia nec habet ætas illa perfectum vsum rationis, nec faciliter resistit tentationibus suis vel malitijs alienis, nec audet leuiter coram personis extraneis & autenticis comparere, quantominus de pudendis & verendis confiteri. Consulendum est insuper verecundiæ & famæ mulierum, ne in suspicionem veniant maritorum vel parentum, si crebrò, si palam, si de longinquo ad pœnitentiarios mitterentur. Expedit denique faciliter & citò relinquere potestatem super occultis casibus ipsis curatis & ordinarijs. Non enim de publicis loquimur peccatis. Relinquatur etiam omnibus quos bona fide constiterit velle & scire proficere animabus, non ad quæstum vel subuersionem. Tales quippe diligenter inquirendi essent, inducendi & rogandi, immo conducendi, quanto magis dum se vltro & gratis offerunt admittendi. Pœnitentiam itaque dicit Hieronym. secundum post naufragium tabulam quam amplificare & dilatare plus expedit quam vt nimia arctatio sua nequeat illos recipere qui allici, immo velut impelli debuerant. Qua super re extat quædam epistola longior ad pastoralem dignitatem.

Octaua prouisio.

A Fiat examinatio diligentior clericorum ad sacros ordines se offerentium, præsertim in vita & moribus, de spe insuper continentiam quam voueant obseruandi, & vt Latinam linguam competenter intelligát, cum his quæ sacerdotale requirit officium. Alioquin consultius esset pauciores sed electiores constituere, quam laxare passim per ouilia domini tales sine disciplina, sine eruditione, sine continentia, nihil à dissipatoribus lupis differentes. Hic de concubinarijs & de suscipiendo B vel non suscipiendo sacramenta ab eis, de tolerando quoque eos vel abijciendo, de corripiendo insuper eos per superiores, non pro quæstu annuali eos confouendo, multa se offerrent tractanda, quæ alio loco disputata sunt. Hic præterea de non ordinandis ante ætatem legitimam dispensatione non habita cautè agendum est, quia peccant ordinans & ordinandus, nec datur executio, immo nec ordo quandoque, si prælatus tales per expressum ordinare non intendat, est enim essentiale in collatione cuiusuis sacramenti conferentis C intentio.

Nona prouisio.

Fiat matrimonialis coniunctio cum omni solennitate & bannis, neque in domibus prophanis, sed in Ecclesijs, ne incidat in illud improperium Apostoli: Ecclesiam Dei contemnitis. Moneantur quoque diligenter per suos confessores vt infra limites maritalis licentiæ sese contineant, ne abutátur inhonestius & execrabilius seipsis quam meretricantes in prostibulis.

Decima prouisio.

D Fiat collatio diligens extremæ vnctionis dum ad. uc patiens sentitur compos mentis, quatenus admonitio salubris de salute propria, pia quoque ad hoc sacramentum deuotio sibi proficiat aliter quam si pressus ægritudine animus nihil attenderet. Est quidem hoc sacramentum reiterabile, est etiam necessitatis vt non cótemnatur, quamuis non vt continuò vel semper suscipiatur. Hic de ægrotantibus specialiter in domibus hospitalium, déque sepeliendis eis cum pietate, dum illic fortè E ignoti moriuntur, esset attendendum.

Vndecima prouisio.

Fiat frequentior vtiliórque visitatio per totam diocesim vel prouinciam spargendo vbique bonum semen verbi Dei, etiam si fieri commodè potest, præsente prælato principali prout iura volunt vt circumeat parochiam. Hic est cardo totius reformationis Ecclesiasticæ. Hæc virtus omnis huius aut similis concilij prouincialis. Quemadmodum enim vetere prouerbio dicitur: Oculus do-F mini impinguat equum. Sic præsentis pastoris auctoritas nutrit & pascit gregem suum. Ita tamen si prouidus & compositus in se & familia suâ pastor fuerit & sagax, non lupus, non latro rapax. Hoc modo visitare nonne esset dare pondus auctoritatis & honoris verbo Dei quod nunc per inertiam vel omissionem ne dicamus vilipensionem prælatorum versum est apud subditas oues in opprobrium quoddam & fabulam. Quare? quia videt populus solos mendicantes & pauperes apud eos contemptibiles prædicare verbum, nec adesse prælatos, vt vel sua illud honorent præsentia.

Visitando

Visitando denique exerceretur inquisitionis officium, perquirédo de doctrinis varijs & peregrinis clam vel palam seminatis, de sortilegijs, de superstitionibus, de blasphemijs & contumelijs & grauaminibus plebis per exactores curiales vel alios, de excommunicationibus quoque iustis vel iniustis & citationibus vel angarijs. Exerceretur proinde sacramentum confessionis fructuosè & misericorditer, tam pro casibus reseruatis, quam pro quibusdam criminibus, quę parochiani celant quandoq; proprijs curatis, & aliquando non sine iusta ratione. Concernit quoque hic visitationis modus Archidiaconos, ne plus ad quæstũ & subuersionem, quam ad pietatem & ædificationem sua visitatio iudicetur executa. Et ne sit velut cattus abigens quidem mures à caseis, ipsos verò plus deuorans. Hoc præterea respicit celebrationem annuam conciliorum prouincialium, quia secundum verba iuris, nihil penè sic mores disciplinatos ab Ecclesia expellit quam negligétia sacerdotum, qui contemptis canonibus, ad corrigendos Ecclesiasticos mores synodum facere negligunt. Deinde ne quis diceret quod sufficiétes contra omnem præuaricationem constitutæ sunt leges à prioribus, subditur quod ea quæ frequenti præuaricatione iterantur, frequenti sententia debent condemnari, & velut repullulantia malis radicibus germina crebrius amputari, præsertim per visitationem, quæ est quædam applicatio legum ad operationem & sua viuificatio, quæ aliter mortuæ sunt vel languescunt.

Duodecima prouisio.

Fiat ad extremum reductio pulchræ pacis tam turpiter exultantis ad habitaculum totius Ecclesiæ, & hoc per implorationem diuinæ misericordiæ, Per morum correctionem, qui nos sua peruersitate à nobis Deoq; separant. Per concilij generalis (si ita visum fuerit) celebrationem in quo generales per christianitatem errores passim sparsi venirent hoc generali remedio corrigendi. Pergebat hoc loco industriosa sedulitas velle plura particulariáque super ipso scismate pestifero terminando differere, vt de subtractione, de neutralitate, de beneficiorum ad ordinarios reuocatione, sed modestia repressit dicens hic neque locum esse, neque tempus, iam quoque dandus est, ait multiloquio tuo finis. Parui modestiæ, & sub exhortatorio quodam epilogo concludere taliter institui. Bonus pastor, vt audiuit vestra deuotio præclarissima, viri patres & fratres, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, dixit Christus pastor ille qui fecit quod docuit. Nam cœpit facere, post docere, vt qui potens erat prius opere, post sermone, prius coram Deo, dehinc coram populo. Dedit animam suam pro ouibus suis in prædicatione, in operatione, in sacramentorum per mortem eius viuificatione. Fiat hoc similiter à vobis. Attendite prius vobis, dehinc vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus-sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Quamobrem inueniatur apud vnumquemque vestrum conformiter ad præmissam triplicitatem, & sacram Euangelij lectionem triplex conditio. Vocet vnusquisque oues suas proprio nomine, & hoc prędicatione & familiari exhortatione, vadat ante eas, & hoc exemplari conuersatione & solicita directione. Defendat & adiuuet eas, & hoc in sacramentorum religiosa ministratione. Sic associabunt eum sedula turba, canes latrantes in voce prædicationis. Sic audient vocem eius oues & sequentur, quia præcedet eas in gressibus operationis. Sic demum cognoscet singulas ex nomine attendens diligenter vultum pecoris, in sacramentorum præsertim confessionis exhibitione. Sic pascet eas tripliciter. Pascet verbo, pascet exemplo, pascet subsidio. Et hoc per seipsum, quod vtique sanctius efficaciúsque est, vel per idoneos visitatores substitutos. Adiuuante Deo & omnia confirmante, qui est pastor bonus & Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

FINIS.

TRACTATVS EIVSDEM CANCELLARII PARISIENSIS DE VIsitatione Prælatorum, vel de cura curatorum.

AD laudem Dei & ædificationem populi Christiani cõpilata est hæc breuis & rudis compilatio tempore quo celebratur Remis prouinciale concilium Annó Dõmini 1408. Aprilis, collecta tam ex sermone illic habito quam ex scedulis & dictis varijs plurimorum. Et in primis cum institutiones canonicæ sint inefficaces & languidæ, nisi per pastorem qui est lex viua, demandentur effectui, saluberrimum videtur pro reformatione morum & subditorum emendatione quod pastor iuxta canonicas sanctiones visitet diligenter & crebrò suum gregem, aut per ipsum, aut per vicarios doctos habentes plenariam ab eo potestatem, in negotijs præsertim spiritualibus ordinandis & expediendis, præcipuè circa materiam pœnitentiæ, prout eis visum fuerit expedire, & cum moderato stipendio eis ordinando per prælatum. Quæ in re videntur attendenda pro quandam generali rememoratione ea quæ sequuntur, cum additione vel diminutionę secundum circunstantiarum occurrentium qualitatem, & cum appositione remediorum secundum prudentiam visitantis.

Primò visitaturus prælatus aliquam parochiam personaliter, aduentum suum pronunciet per dies aliquot prius iudicans per scedulam, vt si quis indigeat consilio vel remedio salubri pro facto conscientiæ suæ, siue in commutatione votorum, siue in casibus reseruatis, siue in alijs quibuscumque sit paratus tali die, tali hora, & tunc confidenter adueniat. Indicetur præterea omnibus parochianis cessatio ab omni opere vt in Ecclesia compareant.

Item si visitator sit prælatus, indicetur eis vltra hoc quod ad sacramẽtum Confirmationis dignæ suscipiendum se præparent, & illud recipiatur. Qui si nõ sit prælatus, indicetur adire eum quamprimum cõmmodè poterunt. Est enim sacramentum salubre, nec contemnẽdum dum oportunitas se ingerit. Item visitator in principio sui aduentus poterit ad populum in Ecclesia per se vel per alium facere commotionem breuem conformiter ad illa quæ continentur in tractaculis compositis pro eruditione simplicium sacerdotum & populorum in materia præceptorum & conscientiæ,

Item visitator poterit, prius si voluerit, vel postmodum, interrogare ab illo vel de illo qui deseruit curæ parochiali, si sit curatus vel solum vicarius mercenarius conductus. Item qualis est in habitu, in tonsura, in victu, in conuersatione, in eruditione. Item quales reditus sunt in curis, & quomodo ministrantur, quoniam ex defectu sufficientis prouisionis illis qui altari deseruiunt, eueniunt mala multa. Item de presbyteratus domo, vt vtensilibus & reparationibus tam in Ecclesia quam alibi per matricularios seu parochianos faciendum. Item qualia habeat stipendia vicarius ille qui deseruit, sicut tactum est. Et fiat sufficiens prouisio per principalem, siue sit ille curatus, siue collegium, iuxta canonicas sanctiones. Et sciatur quo priuilegio gaudet curatus non residens, & si iustè. Item in parochia sit alia villa adiuncta pro succursu propter quam oporteat eum celebrare duas missas quandoque in die, & qualiter in illis se habet. Et si in prima missa capit absolutionem, quod fieri non debet, quia soluit ieiunium naturæ. Item videatur si ille sciat ea quæ spectant ad officium curati & specialiter in materia sacramentorum, vbi maius esset periculum vt sciat formam pro baptismo, pro Eucharistia, pro absolutione tam ab excommunicatione quam à peccatis, necnon pro matrimonio, & pro extrema vnctione, & si nesciat, doceatur. Item sciatur ab eo qualiter se habeat in casibus dubijs emergentibus quandoque circa ministrationem sacramentorum, vt circa celebrationem Missarum, dum cadit aliquod in calicem, vel dum sanguis effluit, vel dum reperitur esse vinum sine aqua in calice, vel in pyxide vbi est hostia sacra inueniuntur vermes, &c. Et si nesciat, doceatur.

Item circa baptismum, dum puer est baptizatus de obstetrice, qualiter se habeat & docetur.

Item si obstetrices sciant veram formam baptizandi in parochia sua, & super hoc poterunt obstetrices interrogari & doceri quod hæc forma est spargendo aquã super puerũ: Ioannes vel Christina, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus-sancti, Amen. Item qualiter se habeat erga infirmos visitandos in articulo mortis, & si nesciat doceatur. Item si celebret semper ieiunus, hoc est quod nihil sumpserit post mediam noctem eiusdem diei, quamquam post illam horam dormierit & ieiunus sit, quoniam hoc non debet.

Item si ostendit hostiam populo antequam sit consecrata, quoniam hoc fieri nunquam debet, & abusus obtentus corrigatur. Item si celebrauerit suspensus à iure vel ab homine per excommunicationem, quia ab irregularitate inde contracta solus Papa & summi pœnitentiarij tunc absoluunt & per hoc doceatur. Item si celebrauerit coram excommunicatis causa timoris vel fauoris, vel quia nolebant recedere, & iuxta rationem siue tenorem detur sibi consilium. Item si dixerit primam antequam celebret, sicut debet fieri nisi in die natalis Domini. Et si post pollutiones nocturnas aut diurnas statim celebret, super illa re doceatur quid agendum sit, nunc propter reuerentiam sacramenti, nunc propter officij sui necessitatem. Item quomodo se habet in foro pœnitentiæ erga confitentes sibi, qualiter interrogat de peccatis, qualiter instruit, qualiter absoluit, qualiter remittit pro casibus reseruatis. Et qui sunt casus reseruati, qualiter absoluit excommunicatos vel participantes, qualiter iniungit pœnitentias. Et si absoluit eos qui nolunt habere propositum desistendi à peccatis, vt rancore, furto, luxuria. Quibus locis & temporibus audit confessiones. Si pro peccatis occultis dat pœnitentiam publicam vel solemnem, sicut faciunt stulti pœnitentiarij in principio quadragesimæ mulierculis & hominibus qui sæpe nullam habent culpam, aut saltem non publicam super morte paruulorum suorum, & doceatur diligenter de omnibus verbo vel scripto.

Item si Ecclesiam suam cum sacris ornamentis & sacro chrismate & fontibus pro baptismo teneat decenter & honestè & securè. Item si altare suum sit integrum, si hostiam sacram mutat de mense in mensem, vel crebrius, vel super his sollicitè moneatur atque doceatur. Item sciscitetur cautè secretéque apud parochianos de alijs moribus suis, vt si sit continens vel concubinarius, si sollicitat ad malum mulieres confitentes, si per iram vel crapulam frangit sigillum confessionis signo vel verbo, si sit lusor ad taxillos vel aliter scandalosus populo, in tabernis, in iuramentis horribilibus, &c. Et sic admoneatur vt emendetur vel eijciatur. Item quos accipit adiutores in confessionibus audiendis circa pascha. Et si se fratres ingerunt eo tunc inuito, & si parochiani sui omnes seu sibi vel ordinarijs ab eo repræsentatis licet ab alijs se dicant fuisse confessos.

Item si per negligentiam suam aliqui exspirant sine sacramentis vel pueri vel ægroti, aut si mulieres habentes pueros ex concubinatu admittit solemniter ad Purificationem, quoniam hoc non debet. Item qualiter denunciantur festa, quoniã sæpe fit excessus & laqueus apponitur si nescit. Item qualiter facit absolutionem generalem in pascha, & si nescit, doceatur & detur sibi forma.

Item si habeat statuta synodalia, & si sciat legere ea, & si publicat ea quæ debet ex talibus populo nunciare, & in hoc debent esse prælati paucis contenti, quoad illa quæ concernunt temporalitatem Ecclesiæ, sed magis de salute prouideat animarum.

Item si sciat cantare & legere in Missali diuinæ legis, & si denunciat suis parochianis & qualiter. Item si habeat in scriptis tenorẽ generalium præceptorum, si sciat septem peccata mortalia, & videatur de doctrinali simplicium, vel de tractatulis alijs ad hoc ordinatis, quoniam hæc sunt magis necessaria & vtilia quam solæ constitutiones synodales, vt dictum est.

CÆTERUM post inquisitionem de moribus curati vel sui substituti, poterit fieri inquisitio ab eodem vel ab alijs probis, super conditionibus parochianorum, & hoc caute in generali petendo qualia vitia magis regnant in parochia, & secundum hoc posset visitatorum sermo melius adaptari. Inquiratur ergo si in parochia sint plures excommunicati, in quibus casibus, vt visitans possit ad eorum absolutionem procurandam melius procedere.

Item si regnant ibi hæreses, sortilegia, & qualiter, & si sint superbitiones in ligaturis scripturis & breuibus

uibus appēsis, si blasphemię, si vsuræ, si falsæ mercationes, si furtum, si peccatū contra naturā, si adulteria & similia, quia secundum ista poterit visitator prædicationem vel visitationem suam vel cōfessionem fructuosius adaptare vt dictum est.

Item si parochiani bene seruant festa principalia, veniendo ad missam, & stando per totum, vel si recedunt sumpta aqua benedicta, vel post eleuationem corporis Christi. Notetur hic de moderatione qualiter fieri possit in tot festis, siue per cōcilium generale, siue per prouincialia de consensu eiusdem cōcilij generalis. Et notetur de festo Trinitatis solemnizādo prout Papa nouiter instituit, Item si soluant decimas de quibus & quibus. Si veniunt omnes ad confessionem saltem in pascha, vt tactum est, & si sciant, Pater noster, & Credo, & si dicunt illa, & si non cōpellantur ad illa sciēda & dicenda. Item si vexantur ab officiarijs prælati vel alterius, & qualiter super his prouideat visitator. Itē si testamentorum executiones faciunt moneantur & cogantur. Item si fuerint inter aliquos inimicitiæ capitales, & sic finiantur prout poterit fieri. Item si sint lites motæ inter eos & quibus causis, & si possent ad concordiam summariè conuocari, vt tactū est, iuxta hoc moneantur simpliciter quæratur. Item si ieiunia Ecclesiæ obseruant, vel si irrident. Item si scholæ habētur pro iuuenibus. Item qualiter instruuntur pueri in parochia & alia loca visitando siue sit in religione siue alibi, quia à pueris debet inchoari reformatio Ecclesiæ. Et prohibeatur hic nimia familiaritas fratrum & sororum adinuicem & cum parentibus, quia iacendo cum eis aliquando suffocantur in corporibus, & deterius aliquādo prouenit in moribus, prouideatur igitur quod sint scholæ vbi non sunt. Item si morientes in puerperio aperiatur vt infans viuus recipiatur & baptizetur, quoniam hoc expedit sed cum cautela.

Item qualiter se habent parochiani in Ecclesia reuererēter & ordinatè & quietè, & si non moneātur ipsi nec fiant ludi diabolici fatuorum. Item si fiant sermones apud eos & quomodo missi sunt, & quid dicunt super materia indulgentiarum, si irrationabilia aut mendacia, esset prouidendum. Item si laici & mulieres intrant chorum, & si ducunt choreas in locis sacris, & si illic celebrant cōuiuia, & si induunt vestes sacras, & si sic, corrigantur & prohibeantur. Itē si irreuerenter se habeant dum baptizantur sui pueri, & dum fiunt matrimonia, vel in alijs sacramentis ridendo, iocando, garrulando, & si fiunt nuptiæ cum bānis & in ecclesia parochiali. Item si infirmi prius quærant medicos animarum quam corporū, & iuxta hoc quid fieri debet moneantur. Item si parochiani turbant vel per canes per infantes clamantes diuinum officium, quod nequaquam conueniens est fieri.

Item si diebus festiuis exercentur à secularibus iustitiarijs torturæ & quæstiones ad mortem, & si impediuntur ne confiteantur ante mortem, quæ omnia fieri non debent. Item si qui loquuntur irreuerenter de prælatis & dominis, & alijs scandalum procurantes, non correctionem. Si quærūt extremam vnctionem in infirmitate, si abortiuos & excommunicatos sepeliunt in cæmiterio. Si exercent mercaturas in festis & locis sacris, & si exercent tunc opera seruilia. Et si in Ecclesia sint arce sine necessitate guerrarum, & secundum hoc doceantur quid agendum est. Item si parochiani excedunt in crapulis & ludis prohibitis, & similibus, specialiter in nocte natalis Domini & alijs vigilijs sacris, & super his doceantur. Amplius si sint alicubi Iudæi, videatur quod non seducant Christianos, nec signis careant distinctis, & si velint conuerti, non omnino spolientur suis rebus. Amplius si in parochia sint domus religiosorum & hospitalia, fiat inquisitio secundum status eorundem, & qualiter seruant vota sua, specialiter continentiæ & paupertatis sine approbatione quomodo curant de pauperibus & specialiter in spiritualibus, & si antequam recipiantur infirmi, confiteantur, quemadmodum fit in domo Dei Parisijs. Item si illic sint monachi compatres. Si obligant ecclesias suas, & si sic, prohibeantur.

Rursus applicet se visitator per se vel suos comites ad audiendum confessiones diligenter & morosè, tam magnorum quam paruorū modis idoneis, & secundum instructiones alibi memoratas, præsertim in quoad peccata carnis, quæ difficilius extrahuntur, nam in hoc stabit fructus principalissimus reformationis. Item si ille qui deseruit curæ, repertus fuerit idoneus, detur sibi bona potestas super casibus occultis reseruantis, & præsertim quæ sint repetita, & erga iuuenes & fœminas. Item si non reperiatur esse talis, instituatur in proximiori loco vnus idoneus secularis vel religiosus tanquam pœnitentiarius, ad quem possent remitti parochiani super talibus casibus reseruatis, & super habendo cōsilio in talibus dubijs conscientiæ. Item de probata appositione remediorum per visitantem expetit vt habeat & haberi faciat tractatulos breues per parochias in vulgari de examinatione cōscientiæ, & de casibus reseruatis ad hos vel ad illos, cum statutis synodalibus abbreuiatis pro cognoscendo quæ sunt formæ præcisæ sacramentorum, necnon de præceptis Dei atque similibus. Item pro tractando certū & fructuosum modum reseruandi peccata, videtur primò quod nullus casus debet reputari reseruatus apud pueros & puellas iuniores 14. annis, propter causas in quadam quondam epistola notatas quæ incipit pontificali dignitati. Item modus traditus in synodalibus Domini Episcopi Cameracensis videtur idoneus, paucis additis aut remotis. Primò loquitur episcopus sic dicens: Reseruamus nobis maiora peccata videlicet peccata contra naturam in viris vltra. 20. annos, homicidia, incendia, simonias, hæreses, apostasias, sacrilegium vltra quadraginta solidos, incestus cum patre, matre filio, filia, sorore, fratre & cum religiosis mulieribus ac professis, iniectiones violentas manuum in parentes ex deliberatione factas, sortilegia in sacramentis, videlicet in Eucharistia & Chrismate, oppressiones paruulorum voluntarias & procuratas, negligentias parentum in igne vel aqua natos perdentium, periuria solennia & fidei fractiones solennes in terra nostra, votorum solēnium transgressiones, maleficia impedientia coitum coniugatorum, procurationes sterilitatū vel abortiuorū, propinationes veneni, magnas blasphemias Deo factas, casus eorum qui falsificant

litteras curiæ nostræ, vel abutuntur eisdem omnes excommunicationes tam à nobis quam à canone latas, exceptis inferius nominatis & expressis, & omnia alia peccata istis grauiora. Casus pœnitentiarijs per decanatus commissi committimus pœnitentiarijs nostris generalibus per decanatus deputatis. Peccata contra naturam in omni ætate à mulieribus perpetrata, & à viris infra vicesimum annum, pollutiones manuum in omni ætate, periuria & fidei fractiones quæ non fuerunt fractæ in curia nostra, votorum non solennium transgressiones, iniectiones manuum in parentes, vbi non fuit læsio grauis vel deliberatio, sortilegia quæ nõ sũt de Eucharistia vel Chrismate, iniectiones manuum paruulorum in Clericos vsque ad vicesimũ annum, oppressiones paruulorum non voluntarias sed casuales, clandestinas nuptias, incœstus exceptis patre, matre, filio, filia, fratre sorore, omnia adulteria, hoc saluo, quod si clãdestinæ nuptię incœstus adulteria per duos testes aut plures qui his interfuerint, aut alias per communem famam vel infamiam probari possint, prius super his Ecclesiæ vel nostram iurisdictionem exercentibus satisfaciant. Iniectiones manuum in clericum vel sacerdotem, vbi non est enormis læsio, quæ tamẽ si probari possit (vt prædictum est) prius Ecclesię & læso satisfaciat. Sacrilegia vsque ad 40. solidos, ita tamen quod debita fiat restitutio Ecclesię de eisdem. Omnia peccata in quibus curati habent potestatem. Item restitutiones incertæ conuertendæ ad pios vsus. Casus qui presbyteris parochianis curatis & eorum vices gerentibus committuntur. Inordinatus concubitus cum mulieribus, mollicies & peccata contra naturam in ætate puerili, in viris vsque ad nonum annum, adulteria ex parte viri prouenientia, damnificationes & furta, dummodo fiat restitutio Ecclesiæ, iniectio leuis manuum in parentes, sacrilegia in rebus minimis & communibus, vbi non est horror & turpitudo, periuria priuata in quibus nullus damnificatur, stuprum virginum, aborsus non procurati sed casuales. De casibus nobis aut pœnitentiarijs nostris reseruatis, curatis & eorum vices gerentibus, excepto mortis articulo aut alia manifesta necessitate, absoluere omnem intercedimus potestatem.

Sacerdotes verò confessiones mulierum cum quibus peccauerunt aut fautorum & mediatorũ non audiant, donec saltem de peccatis inter eos alijs confessi fuerint competẽter, & cessauerit infamia, si qua fuerit propter hoc cõtra eos, sed mittant eos ad honestos & idoneos confessores. Ac ibidem notetur quod hic expediret vt in concilijs prouincialibus esset maior auctoritas collata à Papa circa ordinem casuum reseruatorum & irregularitatis, vt salubrius prouideretur.

PORrò si talis visitatio de qua loquimur, non fiat per parochias, videntur tamen ista diligẽter esse interroganda singillatim à quolibet curato & vicario eius secundum statum suum, & hoc dum venit ad synodum Episcopi & aliorum, & hoc vel publicè vel ad partem, vulgari lingua vel Latina, prout expedientibus vel vtilius esse videbitur ad laudem scientium, & nescientium verecundiam ac doctrinam.

A Item quod fieret talis examinatio de omnibus quæ ad regimen curarũ priusquam eis litteræ concederentur. Item Domini Prælati & alij habentes iurisdictiones poterunt facere speciales instructiones pro inquisitione facienda super abusibus, qui dicuntur fieri in curijs suis, vt sciant & prouideant tanquam incipientes reformationem à seipsis & à domo sua. Item notetur hic de iuramẽtis officiariorum requirendis & seruandis, sicut ordinatum est eo quod cognitum est, quod multa facto iurent, sed ferè nihil obseruant. Item de iuramento exacto ab illis qui quæstionantur, vel per

B impositiones à mercationibus, quorum tamẽ iuramento non statur cum finis omnis controuersię sit iuramentum secundum apostolum. Nam per ista grandis laqueus ad periuria etiam publica & solennia procuratur. Item de testamentis expediendis sine tali sumptu & protractu in præiudiciũ graue animarum, quæ torquentur in purgatorio.

Item de excommunicationibus tam frequenter & leuiter fulminatis à iure & iudice. Item si absoluatur iudicialiter ab excommunicatione, con-

C fiteatur iterum sacramentaliter, quia sic oportet fieri vt super his fiat declaratio per hoc sacrum cõcilium, iuxta institutiones olim & nouiter per venerabilem Vniuersitatem Parisiensem compositas. Et licet sententia excommunicationis nõ ligat vt excõmunicatus vitetur, nisi sit iudicialiter pronunciatus esset talis. Similiter quod irregularitas nõ incurratur pro excommunicatione nisi sit declarata per iudicem, & ita de similibus quæ multos tollerent laqueos animarum, & inde melior

D ordo hierarchiæ ciuilis seruaretur. Item de promotoribus qui dum faciunt exactiones iniustissimas, nihil soluunt de expensis nec puniuntur, sed reportant salaria sua ab innocentibus absolutis diffamatis & exceptis. Item de applicatione pro emendis taxatorum in pios vsus & publicos, quia aliter est scandalum contra prælatos in populis.

Item ad euitãdum notam vel speciem simoniæ in omnibus vbi dantur pecuniæ ad ministrandum spiritualia, sicut sunt ordines, sepulturæ, baptism⁹, missæ, &c. expediens videretur & conformiter ad

E iura, aut quod nihil reciperetur aut cum moderatione maiori, aut quod prius darentur spiritualia quam aliquod exigeretur vel reciperetur temporale, sed postmodum quærerentur consueta, quæ si renuerentur contumaciter solui, fieret tunc honestius actio contra tales. Item hoc esset interpretandum si iura olim tradita contra dantes aliquid in omni re spirituali & in introitu religionis, sint in sua seueritate seruanda, sicut apparet quod non, alioquin ferè totus Ecclesiasticorum cœtus in damnationis statu esset, fiat igitur declaratio.

F Item in ministratione ordinum fiat diligẽtior inquisitio & obseruatio ætatum institutarum per canones, & hoc per religiosos sicut per alios.

Item idẽ si sint priuilegiati, quia hic est laqueus formidabilis pro prælatis, & pro talibus ordinatis propter suspẽsionem & alias pœnas iuris vel propter defectum prælati in intentione, quia prædicunt publicè quod intendunt tales ordinare, vt Subdiaconus fiat in 18. Diaconus in 20. sacerdos in 25. anno, nedum propter scientiam, sed etiam propter mores.

Item quod non promoueantur sine certo & stabili

stabili titulo beneficij vel patrimonij sine fraude. Item sciant competenter loqui Latinum & intelligere. Et prouideatur quod non sint sacerdotes in scandalum. Et hic proficeret ponere modum tot missis, quas habere volunt in domibus suis communiter homines parui status. Item denuncietur recipientibus sacros ordines quod faciant votum castitatis solenne, ne putent se liberos ad fornicandum, sicut fatui quidā putant. Itē contra prædones & vexatores terrarū ecclesiæ videretur procedendum per viā publicæ & pię prædicationis ad dominos, insinuando grauamina particulariter, & ostendēdo pericula suarū animarū nisi prouideretur, & nō dando onera denūciando curatis aut suis vicarijs, quia nec audēt nec possunt exequi. Item quæratur executio constitutionis quā Papa fecerat pro theologis, immò verius pro Ecclesijs, vt scilicet in qualibet Ecclesia Cathedrali & collegiata notabiliter sit vna præbenda effecta in perpetuum pro vno theologo qui legere docere & prædicare sit astrictus. Similiter prouidendum esset Abbatijs & monasterijs quod non carerent viris docentibus eos etiam à puero meditari in lege Domini die ac nocte, quia in tali quidem de diuinis intelligerent aut saperent.

Item reformetur honestas in diuino officio & seruitio contra ludos fatuorum contumeliosos Deo & Ecclesiæ, & per excommunicationem & priuationem distributionū vel incarcerationem.

Item contra garrulationes indecoras in choro tempore seruitij, & fiant nouæ constitutiones aut iam editæ conseruentur. Item deberet fieri specialis inquisitio, vt visitatio pro mendicantibus tam in facto sermonum & confessionum quam aliorū, & specialiter quod euitent consortia fœminarū in camerulis, & detractationes in sermonibus & fabulas inutiles, & assertiones temerarias, definiendo aliquid generaliter esse peccatum mortale vel non esse. Et quæratur qualiter in præmissis se ingerunt, & si contra decretalem, omnis vtriusque sexus. Item quæratur de quibus peccatis remittunt ad pœnitentiarios, quia dicitur quod aliqui absoluūt ab omnibus. Item si ministrent sacra prohibita cōtra prohibitionem iuris, si prædicāt contra prælatos & sepulturas & decimas, si admittunt excōmunicatos à iudicibus ad sua cōsortia in diuino officio seu seruitio & cæteros sicut fertur ab aliquibus esse. Item pro prioratibus desolatis vbi non sunt nisi vnus vel duo religiosi sæpè in scandalum sui & aliorum esset prouidendū, quia dum redeunt ad claustra, turbant alios nec proficiunt. Item de obseruatione Benedictini, pro monachis nigris & alijs videantur illa qui necessaria sunt & declarentur. Item videatur de modo conferendi bene & liberè beneficia in casu reductionis beneficiorum ad ordinarios & de reliquis consequentibus. Item prouidendū est in excessibus visitantium plus sæpe ad quæstum & pompā & destructionem quā ædificationem, & ordinētur circa moderata. Item videatur de modo habēdi certam contributionem pro tota prouincia ad defendendum & prosequendum ea quærunt ordinata. Et quod ipsa viriliter & prudenter exequantur vsque ad aliud prouinciale concilium, & de triēnio ad triēnium fieri debet ex pœna apposita, vel ordinetur alia, conseruetur & declaretur. Similiter qui debent compatere & qualiter.

A Item si expediat tres vel quatuor prouincias quinque conuenire. Item si ordinentur conformiter ad decretalem aliqui qui habent inquirere reformanda pro qualibet Diocesi, & referre auisamēta prouisionum decentium, in sequenti concilio.

Item fiat in qualibet diocesi monitio similis illi quam episcopus fecit Parisiensis contra loquētes sub specie ioci contra fidem & sacramenta, vt scilicet audientes denuncient tales episcopo loci vel officiali vel suo curato infra octo dies aut quam

B primo commodè potest fieri. Et hic essent grauiter prohibendæ cantilenæ erroneæ & lubricæ & contra honorem matrimonialis sacramenti compositæ, sed prudenter secundum locorum & tēporum & morum qualitates. Hæc inquam plus in modum cuiusdam memorialis quam doctrinæ subtilis notata sint, det autem in exequendis spiritus sui robur Deus qui est benedictus in sæcula. Amen.

FINIS.

C

SERMO EIVSDEM IN DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEM *de quatuor domibus, & potest dici in dedicatione Ecclesiæ.*



VADE in domum tuam. Originaliter Mat. 9. & Marc. 2. & recitatiuè in Euangelio dominicæ currentis. Et si hæc Christi vox ad me traduci potest quasi

D me iubeat in domum regredi & increpans dicat, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Attamen quia sic opus est, mouendi audaciam præstat paraliticus hodie à peccatis simul & morbo curatus in illa quam ingressus fuerat Christus domo. Sic agam, eo modo in domū vbi Christus grabato proprio fragilitatis instratus, plena fide deuoluar, quatenus morbidā ipse paralysim meæ mentis eijciat. Et quæ illa est Christi domus reuerendi patres? Domus haud dubiè de qua in hymno canitur. Do-

E mus pudici pectoris, templum repente fit Dei. Domus insuper quam pro asylo & tutissimo omnium criminosorum refugio Christus in cœlo lōgè præclariorem quam olim Romulus in Latio constituit. De asylo Romuli florus in epitomate libro primo. Hæc domus est ad quam te iubente Iesu pergo, in qua sanari custodirique confido, ac perinde verbum tuum te cōsentiente gratius eloqui, ad quam cū Gabriele nos omnes accedamus precor dicentes, Aue Maria.

F Vade in domum tuam. Apud indoctos verba Domini ac saluatoris nostri Iesu humilia quidam aridáque videntur. Qui si auctoris sapientiā perpenderēt, ipse enim est in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Col. 2. intelligerent profecto ea verba multa sententiarum maiestate plena esse, multa insuper sensuum varietate fœcunda. Nihil in eis otiosum reponi putandum est, nihil quod non fidem ædificet, mores compōnat, spem erigat, charitatem corroboret, & ad beatæ felicitatis desiderium accendat. Tot quippe sensus verbi auctor intendebat (secundū Guil. Parisiensem in de fide & legibus) quot ex eo elici

vel quomodolibet inspici veritates possunt, quéadmodum Deus tot in re creata bonitates, quot ex ea perueniunt bonitates præintendit. Qua in re perspicuum est sacram scripturam pro immensa capacitate sui, domum ex omni parte amplissimam existere, in qua fabricatrix sapientia mẽsam posuit, copiosissima ciborum omnium suauitate refertam. Prouerb. 9. Cæterum veluti speculum concanum quatuor facies & reflexione varia radiorum visualium ostendet, non aliter inspector solers verbi diuini quatuor saltem veritates, secũdum quadruplicem expositionis modum poterit intueri. Quod vt manifestius fiat & ad collocandum nostræ collationis fundamenta, ordinémq, in dicendis obseruandum ad thema nostrum conuertatur intuitus. Vade (inquit) in domum tuã. Potest certè domus ista ad materialem hominis inhabitationem referri iuxta sensum literalem, quomodo sumptum est in locis scripturarũ innumeris, nominatim Luc. 19. vbi Christ⁹ ad Zachęũ dicit: In domo tua oportet me manere.

Potest secũdò per domum Ecclesia militans intelligi iuxta sensum allegoricum 1. ad Thimo. 2. Scias quomodo oportet te in domo Domini cõuersari, & 2. ad Timoth. 2. In magna domo non solum sunt vasa aurea. Loquitur de prosperitate hominum in Ecclesia. Potest subinde domus ista humanam significare conscientiam iuxta moralem intellectum. Hebræ. 3. Filius in domo sua est, quæ domus sumus nos, de qua per Psal. Ambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Rursum quartò per domum hanc cœlestis accipitur paradisus secundum sensum anagogicum. Ioan. 14. inquit Christus: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Et in Psal. Beati qui habitant in domo tua domine. Quis igitur prohibet R. p. his animaduersis, arbitrari saluatorem nostrum Iesum Christum quadruplicem ad minus in præassumptis verbis dedisse monitionẽ? quasi dixisset.

Psal. 100.

Psal. 83.

Vade:
- In domum tuã quæ est materialis structura, iuxta primum.
- In domũ tuã quæ est militans ecclesia.
- In domũ tuã quæ est propria cõscientia.
- Postremò in domum tuam quæ est felicitas & gloria.

Cum hæc iacta sunt fundaméta, ait Lactantius ex verbis Tullij, quibus superædificare volens, quatuor componam orationes moderaturus vtriusque quoad potero stilum, prius magnopere præcauens ac studens ne sermo friuolus illiberalisque deformet ac sordeat, dehinc elaborans vt talis sit qui intelligatur, sed ab intelligentibus tantum verbáque latina scientibus. Prima auté oratio nostra erit secũdum historiam miraculi Christi commendatiua. Secunda erit secundum allegoriam ad Eclesiæ gubernationẽ hortatiua. Tertia erit secundum moralitatem ad cõscientiæ habitudinem inductiua. Quarta verò erit secundũ anagogiam ad felicem beatitudinem inductiua. Et has duas vltimas pro collatione reseruatas esse volo.

PRimam quæ aliquantulum speculationis habet, aggredior reserare. Magnum est patres

A inclyti, magnum & ad erigendum sursum animos præcipuum hodierni euangelij miraculum, quia & piam fidelium corroborat credulitatẽ, & execrabilem incredulorum contra deitatem Christi blasphemiã radicitus exterminat. Quod vt pateat historiæ veritas, summatim ad memoriam reuocetur.

Erat in Capharnaum vir quidam cuius membra paralysis adeò dissoluerat, vt nec se ferre nec vlla compage subsistere posset, sed emortua & quasi cohærentia in seipsa collabebantur. Neque enim

B à corde vitalis calor per meatus fibrarum diffundebatur in artus, quippe emarcuerat, aut ex frigore constringente, aut humore superfluo opilãte, siue in eis viuaces neruos corrugauerat calor nimius, siue vulnus inciderat. Hunc ægrotantem grabatum prouolutum, homines quatuor per tecta domus ante Christi pedes demittunt. Mira Iesu benignitas, mox namque suam deferentiúmq; fidem intuitus, eum à peccatis tanquam ægritudinis radice primitus absoluit. Deinde agnita inculpatáque blasphemorum Iudæorũ cogitatione, sa-

C nitati eũ restituit. Vigorem insuper domũ vsque pergendi grabatumque ferendi cumulauit. Tolle (inquit) grabatum tuũ & vade in domum tuam.

Non hæc humanis operibus, non arte magica proueniunt, ait Mõnicus rapax ad Æneã Æneido 12. Maiora agit Deus. Non adhibitus est herbarum succus, non peregrinorum vis lapidũ, sed solo iubentis sono repente exiliunt nerui, nutant venæ medullis sanguinéque introrsus imbibitis, calescunt ossa, rubet cutis, & inertia languidáque

D olim membra proprijs exultãt officijs restitui. En grande stupendúmque miraculum, en præclarissima humanitatis Christi dignitas, quæ tanto in opere diuinitati subseruiuit, vera enim probabilitate dici potest (quamuis cõtrarium Dominus Durandus opinetur. 3. sententiarũ distinct. 9.) quod in omnibus Christi miraculis, sua humanitas propter ipsius ad verbum hypostaticam vnionem tãquam causa secunda principalissima communicauit, & in hoc eminẽs est quædam ipsius (vt ita loquar) omnipotentia & prærogatiua singularis su-

E per cæteros homines sanctos, per quos tantũmodo meritoriè sine eorum causali concursu mirabilia patrata sunt. Exurge nunc quisquis ades, tolle grabatũ propriæ fragilitatis, & vade pedibus mentis in domum hanc in qua audis tam gloriosum opus fieri. Circumgira rationis oculos, vt lumine fidei collustrentur, atque affectu puro considera, quoniam hic tripliciter operata est Christi diuinitas. In peccatorum relaxatione. In cogitationum agnitione. In subita paralitici curatione. Hæc nẽ-

F pè opera diuinitatis esse propria Hieronymus in Homelijs testis est, & ex scripturis colligitur. De peccatorum dimissione Esaiæ 43. Ego Dominus qui deleo iniquitates. De notitia cogitationum 2. Paralipomen. 6. Tu solus nosti corda filiorum hominum. De miraculorum operatione in Psal. Facit mirabilia magna solus. Quod in de secretis secretorum Aristotelis non siluit. Operator inquit miraculorum vnus & solus est Deus, tria insuper personis diuinis appropriata hoc in actu conspicimus. Non ergo opificis Christi diffiteamur diuinitatem. Clementiæ Spiritus-sancti index est criminum absolutio. Sapien-

pientiæ filij inspectio secretorum. Potentiæ patris morbi depulsio, tam subita equidem & plenaria vt paralytico iuberet Christus. Tolle, &c. Sed ecce in domum istam vbi Christus operatur (veluti quondam in domum Loth) irruit perfida incredulorum diuinitatem Christo eripientium, turba quæ incondito murmure obstrepens, dat sine mente sonum, vt Maro ait, acclamans fragilia hæc esse, immò nulla ad diuinitatis in Christo attestationem argumenta. Qualiter inquiunt probat Christi diuinitatem peccatorum relaxatio, cum Mosaïcus sacerdos purus indubiè homo id habuisse legatur officium Leuit. 4. Quod si responderis eum non abstulisse peccata authoritatiuè vt Christus, sed quod dumtaxat ad peccatoris cum Deo reconciliationem per ipsum sacrificij, & precum fiebat oblatio. Non euadis inquit hæreticus, obijcio namque tibi presbyterũ nouæ legis, qui authoritatiuo verbo instar Christi vtitur dicens: Ego te absoluo, &c. Quod plus authoritatis arguere videtur quam dicere, dimittuntur tibi peccata tua. Hanc calumniam de medio tollit trimembris de potestate distinctio, quæ super 4. sentent. distinct. 2. communiter notata est, vbi Scotus arguit Bonauenturã. Est itaque in relaxandis criminibus potestas authoritatis, potestas excellentiæ & potestas nuda ministerialis. Potestatem authoritatis dicimus quæ sic summa est vt nulli alteri in sua actione innitatur, & illam solius Dei propriam esse constat. Potestas excellentiæ quamuis ab altero fluat atque deriuetur, hæc tamen est cum prærogatiua quam ministerialis potestas non obtinet. Et quæ sine sacrificio, sine sacramento, sine forma verborum determinata crimina diluit, & ministerialem ordinat, tribuítque potestatem. Conceditur igitur sacerdotibus ministerium peccata dimittendi, nec tamen diuinitas eis ascribatur. In Christo autem duas alias infuisse potestates, authoritatis scilicet & excellentiæ si conuincimus, eundem concludimus Deum esse, quia nemini qui Deus non esset, collatæ sunt, nec vt cõmunicarentur congruebat. Conuincimus autem. Vides enim quoniam peccata paralytici absque confessione siue sacrificio oratione, sacramentóve deleuit merito humanitatis, & diuinitatis imperio. Iuuat nostram hãc assertionem paralytici fides, ob quam in anima pariter & corpore sanatus est. Credidit itaque filium hominis illa præditum esse potentia, quam sibi inesse Iudaïca impietas detrectabat. Illa autẽ quæ alia erat quam authoritatiua, excellensque potestas, pro cuius attestatione miraculũ patens subinde monstratum est, vt sciatis inquit Iesus, quia filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata. Tunc ait paralytico: Surge & tolle grabatum tuum, &c. Ac si eum dicere Iudæis æstimares. Per hanc quam foris intuemini curationem, interiorem negare non potestis, nec arguere me mẽdacij in re occulta, quando palam miraculosè verba confirmo.

Insurgit rursum secundò hæreticus clamor, & impugnare cassaréque nititur alterum diuinitatis in Christo asseuerandæ argumentum de cogitationum cognitione. Nam & prophetæ inquiunt quibus nulla diuinitas tribuitur, non modò secreta aliqua cordium penetrati sunt, quinetiam plurima ab hominibus nondum cogitata prædixerunt. Quid respondebimus? P. R. planè fatebimur & prophetas occulta multa præuidisse, cuius causam inuestigantes Aristotelis. Auicen. plurésque philosophorum eos esse dixerunt homines purissimi intellectus, quem nec cæca vitiorũ caligo obnubilaret, nec tumultuantium curarum strepitus à tranquilla sede contemplationis abduceret, & perinde anima ipsorum vice speculi tersissimi & politissimi, in omni parte conformis fingebatur, diuinæ illustrationis radiũ suscipiens, abditáque cognoscens. Verumtamen à tractoribus Catholicis rectior veriórque prophetarum ratio assignatur, miraculosa sancti Spiritus inspiratio, quamquam ea quæ dicunt vehementes sint ad prophetandum dispositiones. Quid igitur? qualiter in Christo potius quam in prophetis diuinitatem probat cogitationũ agnitio? prorsus optimè. Quia si propheta esset, vt hoc & alia etiam plurima indicant, & Mahometus ipse concessit si talis insuper qui diuinæ illustrationis particeps esse mereretur, erat absque dubitatione bonus iustus, veráxque, se autem Deum esse asseruit, cui per consequens est credendum. Alioquin nõ bonum, sed blasphemum confiteri necesse est, quid impium credere omnis eius vita, omnisque doctrina diuinis oraculorum & miraculorũ vallata testimonijs patefecit. Qua de re Thomas Bragd. in summa lib. 1. parte. 32. primi corrolarij primi capituli copiosè disseruit.

Sed ecce tertiò adhuc indignatiori fremitu cõclamat incredulorum multitudo, asserens præclariora tum admiratione, tum dignitate miracula, alijs in domibus per homines puros effecta, quam hic per Christum, quorum si nullus est Deus, per hoc indubitanter nec ex simili Christus. Et vt de grandi historiarum aceruo pauca colligam, obijcit nobis Iudæus Helisæum, qui filium Sunamitis defunctum sua in domo viuificauit. 4. Regum 4. Et quid amplius obstupesces, solus ossium suorum contactus in cadauer humanum animam simul & vitam refudit, ibidem 13. Opponit nobis Arrianorum secta, suscitatam in cœnaculo Thabitam per Petrum Actuũ. 9. & alium in porticum templi curatum Actuum. 3. Nec miretur hæc Christianus, cum pollicitus sit Christus, dicens: Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ioan. 14. Quia, si quis dixerit, vt Dominus Armacanus de qu. ar. lib. 2. & capit. vltimo. & sicut Nicolaus de Lyra ponit vbi supra, quod Petrus aut alter non ideo Deus per hæc miracula conuincitur, quia non propria & imperatiua virtute vt Christus, sed inuocando orandóque perfecit, id facile refellitur. Vmbram namque Petri, & Helisæi ossa, & sudaria Pauli non orasse certum est vmbra tamen Petri & sudaria Pauli etiam absentis, certum est quod opem salutiferam præstiterunt languentibus. Actuum. 9. Et vt dictum est, Hælisæi ossa vitam sepulto cadaueri refuderunt. Nunquid insuper orauit Christus miracula faciens, fleuit, & in seipso turbatus est? Ioan. 11. Sciebam inquit pater quod semper me audis. Deinde gentilis idolorúmque cultores de suis miraculis celebres nobis ingerunt historias, quorum multa comple-

xus est, Valerius lib. 1. capit. de miraculis, narrátque Tarquinium cotem nouacula secuisse & vestalem virginem cribrum aqua Tybris impleuisse. Commemorat & hoc idem cum alijs August. 10. de Ciuitate Dei capit. 16. Suetonius quoque Tráquillus lib. de duodecim Cæsaribus, Vespasianum Imperatorem refert cœcum illuminasse, & alterius debile crus solo calcis tactu solidasse. Iosephus præterea secundo antiquitatum, ab Alexandro Macedone Pamphilicum mare fuisse diuisum narrat, sicut à Moyse rubrum. Pro his vide si libet Bragd. vbi supra. Ad extremum mirabiles artium magicarum effectus quis non audiuit, lege in litteris Exod. capit. 8. de magis Pharaonis. Et quod vrgentius est, vide Pithonissam Samuelis Prophetæ verè suscitatricem, prout littera sonat. 1. Regum 28. capit. Et August. opinatur in exempla ad Felicianum, & ponitur in gloss. ordinaria. 1. Reg. cap. allegato.

Quis ergo non desistat Christum esse Deum concludere ex miraculosis operibus, cum hæc audiat, videat & perpendat. Magna vtique R. P. difficilis & perplexa hæc quæstio est, vbi de verorum à falsis miraculorum discretione tangitur, & eam à doctoribus perrarò funditus euacuatam reperimus. Nimirum & si ad me altior peruenerit, quam aut ingenio tenui comprehendere valeam, aut arido breuique sermonis eloquio cóplecti. Dicam tamen aliquid, ne de silentio nostro gaudeat super nos inimicus.

Et teneamus in primis nullum propriè & verè dictum miraculú ab alio quàm à Deo posse creari, quoniam solus est qui super omnem causarum naturalium cursum & ordinem dominatur. Non præiudico tamen priuilegio humanitatis Christi singularissimo. Neque enim dæmoniorum, neque Angelorum, neque temperatæ complexionis, nec astrorum, nec humanæ imaginis quasi miraculorum factricem Auicenna. 4. sui de anima posuit. Tantæ virtutis sunt, vt vel creetur aliquid, vel absque certo causarum naturalium concursu formetur, quamuis plerumque tam secreto celerique fiat motu huiusmodi causarú applicatio quod actio quæ naturæ est, miraculo deputetur, præsertim ab indoctis, & in philosophia cæterisque artibus parum eruditis.

Amplius scire conuenit, quod sicut apud homines moris est quod in attestatione litterarum sigillú appenditur, vel apponitur signum proprium non aliter Deus miraculorum verorú operationé veluti sigillum & signú propriú inducit in robur veritatis illius quam iubet credi, & nulla vnquam inuocatione miraculorum conditor sit vel erit in opere mendoso quin reclamet, & quin per scripturas sacras, per prophetias, per reuelationé, vel aliter illam falsitatem, non esse credendá edoceat. Deus enim veritas est, seipsum negare non potest. Multorú siquidem & inter alios (vt opinor) Augustini sententia fuit, Deú per malos nonnunquá mirabilia operari, & hoc non vt sit falsi testis, absit, sed in damnationem tam illius qui facit, tam illorum qui seduci & erroribus excæcari meruerút. Et quemadmodú dicunt de antichristo ad probationem electorú. Vnde Apostolus sine charitate montes posse transferri non negant. 1. Cor. 13. Et de nouissimo die aiebat Christus. Multi dicét mihi in illa die. Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecim⁹, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et túc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Matth. 7. Et de Pithonissa & Iuda satis cogens est argumentum. Hæc ita quamuis se haberent quod per mendaces miraculi author esset Deus, nunquam tamen sigillum proprium sic falsari, nunquam eo abuti in mendacio sineret, quin & reclamaret & contradiceret. Alioquin quomodo eidem crederetur plusquam principi, qui falsarias litteras sigillo suo consignari scienter & absque vlla cótradictione permitteret. Ex his quantum æstimo, videre possumus credendam esse in Christo diuinitatem, quia Deus ipse ad huius rei affirmationem author fuit miraculi hodierni, cæterorúmq; plurimorum. Et Deus non solú non reclamauit, prohibens ne talibus crederetur, sed per os omnium prophetarum & gentilium Sybillarum hæc omnia longè ante prædicta sunt laudata & approbata. Super hoc legat dominum Armacanum, qui vult in tribus primis de qu. Armenicorum, & Nicolaum de Lyr. in q. contra Iudæos. Scotum q. 2. prol. & Bragd. vbi supra, & super omnes August. in lib. quem constituit de ciuitate Dei dici. Cum igitur asserunt increduli facta ab hominibus puris miracula, negabimus si de principali authore fiat assertio, si de ministro miraculi dicunt duntaxat, fatebimur. Neque enim eos audiendos puto, qui in omnibus huiusmodi historijs fidem negant. In ciuilis equidem grauisque temeritatis est, alteri nó adhiberi illam quá sibi rationabilem præstari vellent credulitatem.

Subinde cum sciscitantur à nobis, cur non deos pari modo affirmamus, aperta est ex præmissis responsio. Illa quippe mirabilia vel non adhibita sunt ad astruendum diuinitatem in facientibus, sicut de Prophetis, Apostolis, cæterisque viris iustis constat. Vel si hoc aliqui nequissimi & dæmonú familiares execrabili superbia, rapti intenderint, Deus palam contradicit, tum per prophetas & reuelationes, tum per naturale dictamen insitum insinuans non esse credendum deorum pluralitatem, conclamansque omnes Deos gentium dęmonia, magósque & ariolos execrans. Vides Iudææ, cur damnaberis antichristo miracula faciéti adhærens, & Christianus saluabitur Christum cófitens, miracula operantem. Affert & ostendit vterque signum regis summi, sed illi tanquam falsario per diuinas scripturas contradicitur, multiplex isti superadditur prophetarum approbatio.

Res igitur tota ad hoc redit, quod miraculum Christi hodiernum, cæteráque scripturarum authoritate addita & alijs circunstantijs signa sunt & argumenta suæ diuinitatis, sufficientia quidem pro fide gignenda, fouenda atque nutrienda, nisi affectionis obstet peruersitas, propterea dicebat: Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Et nisi opera ego fecissem qui nemo alius fecit, peccatum non haberent. Ioan. 10. Ratio, quia iam non credendum fuisset ipsum esse Messiam, quem prophetæ prænunciauerunt talia facturú miracula. Tamen illa argumenta euidétia esse non ponimus fidei. Itaque iá non crederemus, sed sciremus. Iam donum mercésque fidei eua-

euacuaretur. Iam (vt Bonauentura arguit. 3. sen. distin. 7.) totus orbis Christo credidisset. Apostolos insuper qui miraculis interfuerunt, impossibile fuisset de fide plus quam de quæstione euidenti vel monstrata dubitasse, dubitauerunt tamen & vacillauerunt in hora dominicæ passionis, in qua etiam miracula coruscabant, nam petræ scissæ sunt terra tremuit, sol obscuratus est &c. Recordari etiam poterant hodierni miraculi quod factum fuit, vt paralyticus ilico surgeret & tolleret grabatum suum, & iret in domum suam.

Sciens libensque multa prætereo, quia non est opus fidem quasi nouellam scrupulosè discutere quam tot sanctissimi, vitæque integerrimæ viri, constantissima assertione etiam vsque ad mortes durissimas confirmauerunt. Nec omnino miraculis innitamur scientes Iudæos increpatos à Christo. Generatio praua & adultera, signum quærit. Mat. 12. & 1. Corin. 14. Apostolus talia infidelibus dari in signum ait non fidelibus. Quamobrem si ętas nostra fidei & moris inops miracula habeat, incredulitatis nostræ signa sunt, & damnationis (nisi melioremur) indicia. Porro de artibus magicis hoc sub compendio habetote, secundum copiosam Guilhel. Parisiensis traditionem, quod in figuris & sculpturis, imaginibus, characteribus, signis, impressionibus verbis, carminibus, & in cæteris quibus vtuntur malefici, nulla virtus est penitus qualem prædicant, sed hæc singula dæmones fieri docent tanquam sacrificia, quandam diuinitatem sibi inesse profitentia, necnon tanquam signum proprium & sigillum sui pacti rememoratiuum, quo adhibito, pacta quæ permiserit Deus adimplent.

Postquam ternæ calumniæ incredulorum super miraculoso euangelij hodierni mysterio vtrinque responsum est, accipite si placet triplicem ex his considerationem.

Prima, quemadmodum iudæorum principes & prælati ex ignorantia suę theologiæ Christum eis promissum negauerunt, miraculaque abiecerunt, propter quod remittebat eos Christus ad scripturas, dicens. Scrutamini scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me. Iohan. 5. Simili modo ex ignorantia nostræ theologiæ multi etiam vt verendum est, de prælatis antichristum suscipient, eidemque & miraculis suis adhærebunt. Quod, si ita est immo quia ita est certissimè constat illos antichristi præcursores esse potissimos, qui studium theologiæ quod est scrutinium scripturarum, impediunt, aut eius promotionem implere sicut tenentur despiciunt.

Secunda consideratio.

Quod ad hominis alicuius canonizationem, aut cuiuspiam doctrinæ authorizationem, insufficiens est per se miraculorum ostensio, nisi in canonizando vitæ sanctitatis irreprehensibilis indicetur, nisi insuper doctrina approbanda, veræ fidei nullatenus aduersari censeatur. Mali quippe miraculis, vt Iudas & alij coruscant. Hanc ob causam inter cęteras, ne boni viri qui talium authores non sunt peccatores reputentur, cum dicat August. super Iohan. Vos Dei famulos non miracula, sed sola charitas facit. Aliam notauit causam Bonauen. 2. senten. vbi prius, vt boni facere miracula paruipendant, cum malis hoc conueniat. Vnde Christus apostolis. Nolite (inquit) gaudere quod spiritus vobis subijciuntur, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Lucæ 10. Culpabilis est itaque nimia videndorum aut faciendorum miraculorum cupiditas, & nonnunquam in superstitionem traducit & errorem.

Tertia consideratio.

Artes magicæ ad quas astronomiæ & medicinæ maxima pars spectat, rationabiliter sub interminatione mortis vetitæ sunt, non ideo quod in illis dæmones adorantur, & tanto damnabilius quanto per verba diuina & orationes sacras huiusmodi cultus exercetur: quinetiam ideo prohibitæ sunt, quia fides salubris has per artes impugnatur, quasi per sophisticas quasdam argumentationes, quæ apparentiam verorum miraculorum gerunt, existentiam verò nullam habent, vt falsa, aut si vera sint, non illam quam prętendunt & approbatione sua deficiant.

Hactenus. R. P. hæreticis respondimus, qui cōtumaciter altercantur diuinitatem in Christo non posse concludi per sacram euangelij hodierni historiam. Nec per peccatorum dimissionem, nec per reuelationem cogitationum, nec postremò per miraculorum operationem. Nunc rursus ad euangelicam domum nostram reuertamur, & pio cordis studio collaudemus primo Christi clementiam, quia læsę maiestatis reum, & peccatorum catenis vinctum confestim absoluit, & nos similiter absolui postulemus. Contremiscamus reuereamurque eius sapientiam & præsentiam, quia occultissimarum etiam cogitationum inspector est, vt in euangelio audiuimus. Hinc Boetius: Magna nobis est (si dissimulare non vultis) necessitas indita probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. Erubesce quæso illa cernente Deo peragere, à quibus desisteres homine inspiciente. Habeat apud te tantum honoris & timoris Dei vultus quantum viri.

Ceterum humiliemur sub potenti manu Dei Christi, & in nostris necessitatibus eam inuocemus, penes quam residere omnem ægritudinem corporalium & spiritualium curationem inspicimus. Fugiamus denique malorum consortia, animaduertentes quoniam paralyticus post curationem secedere à blasphematoribus Iudæis & in domum suam pergere iussus est.

Vade inquit &c. At verò firmo pede ambulantem inspectantes amici quid putas egerunt? Gressum sistunt stupore attoniti, nec aspectui primo bene credunt, defigunt in eo oculos, & hæsitant ne falsa ludantur imagine, totumque videndo pererrant, re cognita tandem ruunt in amplexus, stringunt pectus, & marcidis olim manibus oscula figunt.

Interea authorem sanitatis ac modum quęritant, quo comperto, Christi maiestas in cælum attollitur, & exaturari vt dendo, audiendo, gratulandoque non possunt. *Matth. 9.*

Ita (inquit euangelista) vt admirarentur omnes & honorarent Deum dicentes, quia nunquam sic vidimus. Demum paralyticus qui turbam suam vix subijt, domum subijt, tamen memor quia post curationem suam sibi Christus imperauerat dicés: Vade inquit in domum tuam, quod fuit thema, tanquam diceret eidem in his verbis, vt te sanum comprobes & roboratum penitus, vade. Vade in hac fortitudine tua. Iudic.6. Lucæ.17. Vade quia fides tua te saluum fecit, vt in vijs non excubes sub diuo expositus, vade in domum tuam. Vade in domum tuam secundi Regum. decimo quarto quoniam Dominus erit protectio & obumbraculum diei ab æstu, & in securitatem & in absconsionem à turbine & pluuia verba sunt Esa.4. Denique alieno ne te cibes mendicitati deditus sed vade in domum tuam, non alienam, sed tuam. Prouer.& hoc.5. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, &. 27. Domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ, contra illos qui discunt penetrare domos ad modum impudicarum viduarum, quas reprobat apostolus. 1. ad Timoth. 5. Et qui ab afflictis proximis dona petunt, vt in otio lautè viuant, spretores illius moniti. Pane tuo vescere, liber eris prophetiæ benedictionis ex parte qua dicitur. Labores manuum tuarum quia manducabis beatus es.&c. *Psal.117.*

Et hæc quidem de sensu historico tanquam fundamentalia dicta sint. Superaddamus allegoricum sensum, secundum quem domus nostra ecclesiam signare dicebatur, & fiat oratio exhortatiua, & in ecclesiasticos negligentes inuectiua.

Inter seuientes turbidósque aerearum potestatum ac spiritualium nequitiarum insultus, inter crebra periclitantis mundi discrimina, summus architector Iesus domum struxit, æternis basibus stabilitam, qui euntibus in ipsam esset in domum refugij, in asylum protectionis tutissimum, & extra quam imminet certus interitus. Huic domui ecclesiæ nomen indidit; cuius fundamentum est petra fidei solidissima, nec inferi portæ aduersus eam præualebunt. Mat.16. Descendit pluuia hæresum, venerunt flumina errorum, irruerunt venti persecutionum in Domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat supra firmam petram. Matthæi.7. Hanc describit Salomon ædificatam à sapientia, septemque columnis excisam, quæ sunt septem spiritussancti dona seu virtutum vniuersitas, quibus fulcita subsistit. Cæterum paralyticus prout audistis, in hanc domum iubetur accedere, vade inquit Iesus in domum tuam. Et quis iste paralyticus. R.P. Sanè genus humanum, quod per originalis criminis paralysim sensu veræ credulitatis & bonæ operationis motu priuatum est, ita vt domum hanc suam per se nequiret ingredi nisi eidem primum sanitas conferretur, qua præstita per saluatorem animarum Iesum, tulit grabatum vetustæ legis, in quo non erectum erat, sed prostratum, depressum, nihil enim ad perfectum adduxit lex. Hebræ.7. Dehinc in domum salutiferæ credulitatis & nouæ conuersationis, quæ domus ecclesia est, introiuit. Sed perpende quoniam per prius nudatur synagogæ tectum, quia primitus velata scripturæ veteris mysteria reserantur, & ita à quatuor defertur ante Christum, quia per quatuor euangeliorum volumina ad Christi cognitionem inclinatur. Quamuis autem domus ista sit generaliter omnium in vna vera Christi fide coadunatorum, vsitatiori, tamen nomine illorum quasi antonomasicè dicitur quos duces in ea custodes & speculatores summus paterfamilias instituit. Vnde eos & non sic passim alios ecclesiasticos appellamus. Ad istos præsens conuertenda est oratio, vt solliciti sint in suam ecclesiæ domum pergere, ne ex ipsorum absentia domui detrimentum incumbat. Quibus introgressis officio triplici eos fungi necesse est, vt sint speculatores, vt sint patres seu pastores, vt sint ianitores. Speculatores siquidem ad explorandum insidiasque declinandum. Ezechiæ. 3. &. c.33. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel. Sequitur, si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, & venerit gladius & tulerit de eis animam, sanguinem eius de manus speculatoris requiram. Metuenda nimis & ecclesiasticis speculatoribus formidanda hæc comminatio, quæ similis habetur. 3. R. 20. Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Deberent insuper ianitores esse ad claudendum, sapienterque aperiendum instar Christi, qui è templo tanquam ianitor eiecit vendentes & ementes, qui & alibi se esse ostium asserit, per quod si quis introierit, saluabitur. Amplius eos esse conuenit patres seu pastores ad fouendum gregem, spiritualiterque pascendum. Iob. vlti. Simon amas me, posce agnos meos, & Mat. 24. Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore. Sed heu quam versa omnia. Vade nunc precor in domum ecclesiæ, circunduc paulisper oculos, & in locis aliquibus quem ibi speculatorem qualem ianitorem, qualem denique pastorem inueneris, manifesta. Vidisti? Quid stupes, quid attonitis oculis stas? Scio prorsus scio, quia horrenda te monstrorum imago & abominandum desolationis portentum exterruit. Nam velut prælati abscesserint aditis arisque relictis, vt Maro ait, in eorum loco subijsse intuitus es. Cæcam ignorantiam pro exploratore, timidam ignauiam pro ianitore, rapacem sæuitiam pro pastore. O miserabiles & sufficientibus nunquam lachrymis deplorandas nostræ domus vices. Ecce in primis quampessima omnium exploratrix statuta est ignorantis, quæ & temeritate præceps est & elatione turgens. Græcum enim prouerbium est, vt ait Hieronymus in epistola de Melchisedech.

Ecce enim imperitia confidentiam, eruditio tumorem causat. Si exurgant hæreses, si peruersorum dogmatum gladij iaciantur, si errores cuneatim erumpant, non clanget buccina, non os aperiet, cæca quippe est, nec ab inimicis secernit amicos, arma non videt aduersa, nec vexillorum signa cognoscit.

Hinc fit vt simplices & plerumque literis secularibus inflati, à pestiferis erroribus rapiantur, seducantur, obruantur. Quot putas hanc ob causam hæreticos esse de his qui specietenus in ecclesia conuersantur? Horresco memorans, hoc vita monstrat, voces hoc sacrilegæ indicant, quas inter vina, epulas & conuiuia impudenter euomũt. Illic sub ioci specie hęreses effunduntur, cũ nullus

lus in fidem cadat locus. Vbi contra theologos totis itur sententijs & irrisorijs interrogationibus, A eo tunc de sacris bonis disputatur, vt in tempus nostrum vere inciderit illud Persij de Romanis?

Ecce inter pocula quærunt,
Romulidæ saturi quid diapoëmata narrent.

Theologia ab eis stultilogia nominatur, & quæ sola aut principalis in arce locari debuerat tanquã speculatrix sagacissima, & in cõparatione cuius quæuis alia ignorantia dici potest, ima deijcitur, calcatur, reputatur probrũ ingens, quinetiam si fama non mentitur, prælatorum nonnulli (quod vix credere ausim) stultitiæ palam arguunt homines B theologiæ operam impendentes, quasi ipsa res sit fatua, inutilis, phantastica theologicus inquiunt, ergo phantasticus. O nefandas, diabolicasque voces, & perditissimis authoribus suis simillimas. O putrida ora ferro cauterizanda, quæ tam spurcidum verbum expuerunt. Ista certè non irrisio est, sed mera blasphemia, & hæc igne & ferro exterminanda esset, præsertim in prælatis, qui de necessitate salutis fidem explicitè scire debent, persuadere insuper & contra hæreses si pullulant, acriter C sapienterque protegere. Tremenda hæc talibus, vera tamen sententia, neque enim domum suam prudenter instituisset Christus, nisi ad illius contra hæreses vastatrices tuitionem quosdam obligasset. Quos autem alios ex officio magis astrictos reperies? Potens sit (inquit apostolus de episcopo) hortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, ad Titum. 1. Probat hoc Durandus 3. distinc. 15. Audent tamen eorum aliqui (prout fertur) à theologiæ studio homines deterrere. O D fides ô religio. Et miramur igitur si ecclesiastica domus perturbatur, si spirituali, temporalique incommodo quatiatur, quando è specula theologiam præcipitant, & in eius locum domina ignorantia sublimatur. Propterea inquit ipsa: Captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Esaiæ. 5. Scientiam loquitur spiritualem diuinæ legis, non animalem & mundanam, quæ aut iudicare de porcis (sicut ait Antisiodorensis) aut de pecunijs numerandis & extorquendis solerter solet disserere. In spiritualibus autem cæci sunt (ait veritas) & duces cæcorum, nimirum si ambo in foueam cadunt. Et ætate nostra nimis heu verũ est prophetæ vaticinium: Speculatores eius cæci omnes. Esai. 56.

Tres secundum hoc de theologiæ contemptu & eiectione à specula elicio considerationes.

Prima in ecclesiastica domo in qua vnius corporis membra sumus, secundum apostolum in epistola hodierna, simile est si theologia odio habeatur aut eijciatur, quemadmodum si membra hominis in oculos coniurarent, eosque extinguerent, vel vt Æsopus refert, velut si ventrem hominis vsque ad exinanitionem sine cibo degere permitterent. Quod si homo tunc periclitationi vicinus esset, quid de ecclesia coniecturandum est, vestrum sit iudicium. Theologia quippe ecclesiastici corporis oculus est, & venter etiam spirituales cibos glutiens coquens, & in cetera membra delegans

Consideratio secunda.

In ecclesiastica domo maioris esset meriti qui theologiam foueret, & eam in populis lucem abundare faceret quam si institueret aduocatos & medicos qui gratis pauperibus patrocinia medicaminaque tribuerent. Miraris forsan, sed perspicua est ratio. Eligibilius enim præclarius atque diuinius est animarum, quam corporum indigentijs succurrere, quæ quãtæ sint, cogitare stupor est, ex quo liquide conspicimus quam alti meriti sit recto vt fieri decet fine, non quæstuoso, non ambitioso, ipsi theologiæ studium impendere, præcipuè in tanto eius odio, tantaque penuria.

De theologia loquor, non quæ ad verbosam & sophisticam loquacitatem & chymerinam nescio quam mathematicam redacta est, sed quæ metit fidem, moresque componit. Et ab aliquibus forte non minoris meriti iudicaretur se in hoc studiũ deuouere, quam sine eo religionem profiteri. Hic tamen nihil assero. Rursum eadem ex radice dilucidum est, quam friuola si nõ potius iniqua nominetur, iudicanda sit quorundam infidelium opinio, qui in regione ecclesiasticæ domus scientiã adinuentionum humanarum audent asserere ipsi theologiæ præferendam, nisi fortasse inquiunt vel in locis vbi publica viget hæresum dogmatizatio, ita videlicet quasi sacræ scripturæ nullum aliud officium, quam patentium hæresum extirpatio, & non etiam mores componere, erigere spem ad cælestia, discernere inter peccata, omnes humanas institutiones ad diuinæ legis lineam corrigere, fidem insuper iam plantatam ne euellatur: aut errorum zizanijs misceatur obseruare, quoniam verum est metricum illud.

Non minor est virtus quam quærere parta tueri.

Hæc autem & consimilia sapientiæ officia si preclariora sint, & viris domus ecclesiasticæ rectoribus digniora, quam assiduos litium disceptationumque tumultus super rebus innumeris audire, & secundum cerimonias quasdam & innumeras constitutionum ambages causas circunuoluere, iudices vos constituo hoc pacto, si prius ad memoriam reduxerim illud apostoli. 1. ad Corinth. 6. E Secularia igitur iudicia si habueritis contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constitute ad iudicandum.

Consideratio tertia.

Per scientias humanas temporaneo ecclesiasticæ domus regimini curam tantam impendere, vt spiritualis gubernatio penè deseratur, videtur non mediocris occasio diminuendę temporalitatis. Cur ita? Quoniam sublato fundamento cui F temporalitas innititur, & ob quam cumulatius abundauit ædificium, ruinam pati necesse est. Quamobrem hoc in loco recordari placet illud quod à Valerio lib. 7. c. 2. sapienter dictum ab Anaxagora prædicatur ipsis Atheniensibus: Videte inquit, ne dum cælum custoditis, terram amittatis, verto sententiam. Videte ecclesiastici ne dum terram custoditis, cælum amittatis. Agnoscitis per hoc quam perniciosa res est theologiam è specula ecclesiasticæ domus eijcere.

Sed expecta, omnia nondum audisti, neque enim tantummodo pro speculatore posita est ignorantia, verumetiam parte in aliqua domus videbis stantem pro ianitore mundanam timiditatem vel timidam ignauiam, praua vtique & ineptissima ostiaria, quia nec diuinum honorem, nec domus salutem in aperiendo, claudendove perpendit, sibi satis est dum placeat mundo. Veniunt indociles pueri vagi, moribus incompositissimi. Affirmant se alto claroque sanguine progenitos, familiares, regum, ducumque amicos, miscent cum precibus minas, dicuntque cum Abimelech Iudic. 9. Considerate quod os vestrum & caro vestra sum. Quid agit nostra ostiaria? Moribus nomini suo congruis vtitur, formidat, tremit, & vt verbo satyrico vtar, ad morem trepidat arundinis vmbram, nil ausa negare. Tales ad celsas ecclesiasticæ domus sedes euehit, atque illam implet propheticam maledictionem. Dabo pueros principes eorum, & effæminati dominabûtur eis, Esa. 3. Hi sunt qui ascenderunt de domo regis in domo Domini. Hierem. 26. Et qui velut Ozias ecclesiam violenta potestate subintrant 2. Paralipo. 6. Sed qui pares sunt in culpa, reformident ne simili aut deteriori pœna plectantur.

Ast alij qui ianitores sunt optimi. Helyseum imitentur, de quo Ecclesiastici 48. scriptum est: In diebus suis non pertimuit principem, & in potentia nemo vicit illum, nec superauit eum verbum aliquod, supple deprecationis aut comminationis, non inscij quod petere docet qui timidè negat.

Dicet fortassis intra se tacitus aliquis, fieri ista oportere pro qualitate temporum, vt ecclesiasticæ domui corroboratio maior accedat, quasi ista, scilicet gens sustentamentum ecclesiæ Dei sint, non Christus. Ecclesiam (mihi crede) sustinent, fulciunt & decorant, non longus famulantium ordo in morem decurtatorum, non faleratorum equorum numerositas, non aucupium, non venatio, non latorum vsus, non meretricum, sed sancti mores, humilitas, religio, pietas, pudicitia, scripturarumque cognitio.

Et quanto ecclesiastica domus à pluribus impugnatur, tanto sanctioribus exemplis regenda est, & scandalosis promotionibus minus & minus occupanda.

Occurrunt apud ostiariam nostram alij homines (si non bestiæ, sed potius spurcissimæ nominandi sunt) abiectissimi, spurcissimi, vilissimi, qui volunt intrare secreta domus, ac inde timeri, ait satyricus, quibus notum est illud eiusdem: Charus erit ventri id est pessimo homini, qui verrem tempore quo vult accusare potest, propter quod isti scortorum & muliercularum conquisitores sunt aromatariorum & aliorum quos effari pudet ne pudicas aures polluam, subministratores. Ad quid? vt prurientem dominorum suorum libidinem expleant, immo irritent, & succendant. Quare sic? vt inde chari habeantur, amentur, timeantur. Quid vltra? Isti ad beneficia diabolicum petunt ingressum, petunt cum iniquis portionem, & eo importunius & impudentius quò parua eis merita suffragantur.

Subeunt alij homines sceleratissimi bonorum criminatores, qui coniurationes contra ecclesiasticam domum fieri audacibus mendacijs asserunt vt solo inuigilare, soli rempublicam conseruare iudicentur, vt perinde sublimia dignitatum scandant loca. Ostiaria verò nostra tales &c. sed linguam compesco. Scio de quibus loquor. Qui verum dixerit, accusator esset, inquit satyricus. Non autem illud nouum est. Habes. 1. Machab. qualiter venerunt viri impij ex Israel, & Alchimus cum eis, qui volebat fieri summus sacerdos, & accusauerunt populum apud regem. Sequitur. Alchimum constituit rex in sacerdotium. Et vtinam nullos modo Alchimos haberemus. R.P. non sic profectò, si non sonantissima ecclesiasticæ domus tuba Parisiensis vniuersitas compulsa silere fuisset non talem in suis deliberationibus passa esset calumniam. Sileo de apertione & vsu clauium in vtroque foro, curiæ scilicet & conscientiæ, nec de collatione sacramentorum loquar, quia nullis vnquam verbis, nullis eloquentiæ viribus ne Tullius quidem exprimeret eos qui in hac parte abusus fiunt.

Postremò cernite quis in ecclesiasticæ domus locis plurimis pastor locatus est. Nunquid ambitiosa rapacitas? Fortissime Deus talem è terris abijce pestem, sæua est, crudelis, atrox, horrida, insatiabilis, truculenta. Credis eam oues pascere, erras. Expoliat, rodit, vorat, enecat, & leuissima occasione per fulminationes excommunicationum foras mittit. Suorum insuper satellitum turbis magna voce Terentianum illud in Echyra inculcat: Sedulò te moneo & hortor, ne cuiusquam misereat te, quin spolies, mutiles, laceres quem nacta sis. Audire tamen debuerat Tyberij Cæsaris rescriptum, boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. Suetonius lib. 3. Quanto satius tutiusque fuerat non habuisse pastorem. Sic irato Ioue, fabulosis ranis hydra transmittitur. Sic præficiuntur agnis lupi, ceruisque leones. Et formidandum est ne ad hanc iram peccata nostra Deum concitauerint, qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Iob. 34. Hæc ambitiosa rapacitas illa est quæ reditus ecclesiasticos diripit, & quæ gratis ministrare debuerat, vili precio comparare compellit, obaudiens Christo iubent. Gratis accepistis, gratis date. Matth. 10. Facetissima autem in hoc loco sed mordacissima est Ambrosij responsio: Nemo inquit, gratis dat, quia nemo gratis accipit.

Ista se dominam reputat eorum quæ in ecclesia sunt prouentuum, non administratricem, contra apostolicam diuinamque sententiam. 1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei &c. Prælator itaque est, idoneos ad diuinum seruitium eligere, quibus sic electis per modum accessorij, & pro sua sustentatione competunt temporales fructus non eligentibus prælatis. Ex quo probat tamen probatissima deductione Durâdus. 4. senten. dist. 25. prælatos nullam super venditione huiusmodi reddituum habere licentiam, nullam à symoniaca prauitate excusationẽ. Nunc igitur & ecclesiasticam domum quando talibus monstris repleta est, spera prosperari. Spera viros ecclesiasticos apud principes seculi de cætero honorandos esse, & non potius abiectissimè quando abiectissimè viuunt, conculcandos.

dos. Nam quos ad reuerentiam maximam & propriarum hæreditatum largitionem induxit docta humilisque sanctitas, mirarer si non per oppositū stultitia, superbia, rapacitas, nequitia, ad irrisionem eorum indignationemque prouocent, & ad retrahendum datrices manus suadent. Cur inquit dabimus? Vt scilicet isti lautissima fusione inebrientur, luxurient, voluptatibus omnibus impudentissimè demergantur, vt omne eorum sit studium alienæ pudicitiæ insidiari, opes fraudibus à populis rapere, & denique deteriores esse omnibus hominibus. Sed væ subditis, quia quicquid delirant reges, plectuntur Achiui, ait Horatius. Satis superque satis. R. P. ad ecclesiasticæ domus euersionem erat, cæcam ignorantiam in specula, mundanam timiditatem in ianua, ambitiosam rapacitatem super pascua collocare.

Sed heu nunquam solitarius est malæ sortis aduentus. Sed vt rectè Terentianus Laches conqueritur, venit aliud ex alio malum, rumpit ecce interim in ecclesiasticas sedes furens discordia, pertinacissimaque dissensio. Et cum ipsis miseriarum omnium cumulus effunditur. Dici nequit quantas animarū strages, quæve discrimina, quot odia quales plagas secum aduexerit. Nam dum finis est, fit indies sæuior, & vix est qui suæ depulsioni diligenter intendat.

Ignorantia nescit, humana timiditas non audet, ambitiosa rapacitas non curat, quamquam enim intensa rapacitas (quia de illa loquor) totum per fas vel nefas occupare desiderat, mauult tamen (iuxta decretistarum regulam) partem habere etiam iniustè, quam toto iustè priuari. Itaque crudelis & maternæ pietatis expers, horrendè intonat illud. 3. Regum. 3. Non mihi nec tibi sit, sed diuidatur. Proh Dei & hominum fidem, quæ vocum impietas est? Quæ ista dementia? Qualis crudelitas? Vah quam tristi malignoque sydere nati sumus, vt quid viuimus intuentes mala domus nostræ, nec obstamus? Quæ tanta in hominibus inhumanitas & barbaries, vt in eam in festo dissidiorum tumultu pax non quæratur? En quo discordia ciues perduxit miseros, inquit Maro. Expectat paulisper, & non dico odiosum, sed capitale crimen erit de vnienda, resartiendaque ecclesiæ domo verbum facere. Adeò res in malo loco sita est, adeò non miseretur omnipotentes, desperationi proxima, misereatur inquit. Et putas miserebitur Deus, & hoc impetrabit ceruix nostra & cor contumax, quæ tot malis pressa & obruta non deijcitur, non humiliatur, non à domino conuertitur. Monstra si potes quot processiones, orationesque generales ad diuinæ misericordiæ implorationem celebratæ sunt, quæ indicta ieiunia, qualis ad extremum morum emendatio? Relege tamen singulas in biblia de Iudæis historias, illæ te docebunt si nescis, nunquam eos à tribulationibus & schismatibus quas plurimas perpessi sunt, fuisse liberatos, quousq; in sacco & cinere humiliarentur, quousque orationum generalium & ieiuniorum frequentia diuinam placarent offensam. Ita est prima & recta pacis adipiscendæ via, potius quam per indignam potentium promotionem, aut martem sanguineum 3. Regum. 12. Non ascendetis neque bellabitis cōtra fratres vestros filios Israel, reuertatur vir in domum suam. Vulnus enim antea fomentis suauioribus temperandum est, quam viuam ferro carnē resecare, ne obtingat illud Lucani. Excessit medicina modum. Sed per viscera misericordiæ Dei nostri misereamini tandem quicunque potestis & debetis, atque succurrite. Ite in vestram ecclesiæ domum, & molli pectore pijsque oculis desolationem eius inspicite, accingimini velociter & virilis generosique animi robore, ad deffensionem eius ex aduerso consurgite. Audete tandem aliquid vestra virtute dignum, quod omnis ætas celebret, quod faciat vos fama super æthera notos, quod ad vltimū æterna vos fœlicitate coronet. Difficile est fateor, sed tendit in ardua virtus. Aderitque auxiliator dominus mox vt bona cæperitis. Sin autem, rationem date quo pacto de ecclesia viuitis, cur talentum à Domino dispensandum suscepistis? Nulla hic vulnera tolerāda sunt, nulla pericula mortis. Et hæc tamen si exigerentur pro gregis salute subeunda erant. Excusatio nulla est si vestris opibus, immo non vestris, sed Christi, si honoribus fictis, si caducis sedibus in tanto viuentium & mortuorum discrimine parcitis. Mea quidem opinio est, quod hi qui per negligentiam vestram in inferno, purgatoriove torquentur, acerrima vos lamentatione ante iudicem expauescendum exaudiendi accusant & inculpant. Et quò fugietis cū vindicta aduenerit infelicissimi qualiter horrendas Dei viuentis manus euadere confiditis perditissimi hominum? O hominum inquam perditissimi qualiter euadere confiditis?

At verò timeo ne in cassum verba fiant, ne absentibus & surdis, & (vt græcum est prouerbium) asino lyra tangatur. Et quando sic est, vendant, rapiant, lacerent, dissentiant, pugnent, periurent, & ecclesiasticam domum periculis expositam desertamque relinquant, & ita hercle relinquunt plurimi, & in alias domus se transferunt, propterea obsurdescunt ecclesiæ clamoribus, doloribus, & ærumnis.

Et quas domos abierunt, si interroges, responderent (si res ista lasciuiæ pateret) ipsos ad visendas poetarum domos emigrasse.

Quosdam apud Vergilium .j. Æneid. in tremulam Æolij ventorum regis domum. Et hi sunt qui assiduis superbiæ flatibus tument, vel vt euangelico exemplo vtar, qui arundo sunt vento agitata, aut qui nauiculam Petri in hoc mundo sali vasto turbine illidunt scopulis, & in rapidos schismatum fluctus obuoluunt, peneque demergunt.

Alij apud Valerium Flaccum in Argonauticon male iocundam spurcidæ Veneris domum frequentant, qui libidinibus obscænis immersi, illas desperatarum libidinum vel voluptatum voces egerunt.

Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ. Venite igitur fruamur bonis quæ sunt, non nos prætereat flos temporis, coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra. Sapie. 2.

Quosdam suscipit Ouidius lib. 3. metamor. in atram domum luminantis meridiei, qui in bonorum laudibus tabescunt, & nequeunt cum eis quicquam pacificè loqui. Gen. 37. Similes Saüli, qui non rectis oculis aspiciebat Dauid. 1. Regum. 10. Partemque collocat idem Ouidius

libro 11. in soporifera inhabilis somni domo qui cum fatuis virginibus dormitauerunt omnes & A dormierunt. Ab eodem introducitur pars altera in egenam marcidæ famis domum lib. 8. Quos auri sacra fames macerat, & exangues reddit semperque auidis faucibus aurum hiantes, quia non impletur auarus pecunia. Ecclesiastici 5. Incolunt nonnulli (apud Statium Theb. li. 7.) ferreas cruenti Martis ædes. De quibus dici potest illud. 2. Mach. 9. Bella nutriunt & seditiones mouent. Contra quos Psalmista imprecatur: Dissipa gentes quæ bella volunt. Alijs placet strepidula loquacis famæ domus, qui cum Atheniensibus ad nihil aliud vacant, nisi audire aut dicere aliquid noui. Actuum. 17. Et vt Naso ait:

Psal. 67.

B

Milia rumorum confusaque verba volutant.

Demum quod mireris, quibusdam in electione infernalis domus placet curialium furiarum, & & verè infernalis domus est. Metamor. 4. & Æneid. 6. Quibus apta est vox illa Iob. Infernus domus mea est. Iob. 17.

Possemus & in alijs poetarum domibus ecclesiasticos viros ostendere cum truci Polyphemo. C Æneid. 3. Cum sæuo Lychaone. Metamor. 1. Cum fure Caco. Æneid. 8. Cum sacrilego Busyride. Tragedia Sene. 1. 2. vlti. Cum æstuante vulcano. Æneid. 8. Et in labyrintho Dedali. Metamor. 7. Cum semifero minotauro. Et ita de plurimis iuxta morum merita, sed omittamus. Non est sobria res in tam vasta & tremenda ecclesiæ tempestate operosè fabulosa conquærere. Commonuisse ad extremum suffecerit ecclesiasticos viros domus suæ neglectores, vt si quid in eis paternæ virtutis D est, si quid viuifici Dei, si quid ad Deum timoris vel amoris, si vlla denique mortis æternorumque incendiorum recordatio, vnusquisque protinus resipiscat, redeat, acceleret, audiatque mysticis verbis inuitantem Christum ad curam huius domus præcipuam: Vade iuquit in domum tuam. Dicere Christum credito: Noli iustum contemnere, Dominus sum, quia præcipio, vade Lucæ 11. dicebat centurio Dominus militum: Dico huic vade, & vadit. Et si pudet ô homo præceptis hominum obedire, saltem obedienter pare Deo. E De hinc extra ne sis, sed fungere dato tibi officio, & vade in domum tuam. Nam oportet secundũ apostoli sententiam episcopum esse domui suæ bene præpositum. j. Timo. 3. Exemplo Ioseph, qui gubernabat creditam sibi domum. Gen. 39. & 2. Paral. 29. dicebat Ezechias. Mundate domum domini patrum vestrorũ. Sequitur: Sacerdotes ingressi sunt templum domini vt sanctificarẽt illud: Et vtinam verus esset sermo iste ætate nostra, non ita polluerent domum domini. Ad extremum debet ad hoc allicere proprietatis ratio quia non in F externam, sed tuam domum mitteris. Ob hoc Gen. 37. dicebat Iacob ad Laban: Iustum est aliquando vt etiam prouideam domui meæ. Et ecclesiastici debent prouidere vt non fiat domus orationis domus negotiationis. Ioan. 2. Ne de domo piæ sanctitatis verè interrogetur illud Hierem. 7. Nunquid spelunca latronum facta est domus ista? Et alibi. Quid est quod seruus meus facit in domo mea scelera multa? Ne insuper maledictionis illius si particeps Væ qui opulenti estis in Sion ingredientes pompaticè domum Israel. Amos. 6. De quibus Oseæ. 9. Eijciam eos de domo mea. Per oppositum bonis iustisque ecclesiasticis, & domum ecclesiæ secundum rectam regiminis regulam introeuntibus pollicetur Dominus Esai. 56. Lætificabo eos in domo orationis meæ, hic in præsenti per gratiam & bonæ conscientiæ tranquillitatem, & in futuro per gloriam & cælestis domus felicitatem. Quam nobis præstare dignetur &c. Amen.

FINIS.

COLLATIO EIVSDEM SERMONIS DE RELIQVIS DVABVS DOmibus, *scilicet propria conscientia & cælestis gloria*



AD imperialem summi regis domum fidenter vadimus immunitatis egẽtes, si non eam dedecoro errore polluentes violauerimus, violata quippe immunitas, immunitati locum non relinquit. Violant autem eam qui eam quocunque vitio sordidatam asserunt, contra prophetantis oraculum. Domũ tuam Domine decet sanctitudo in longitudine dierum. *Psal. 92.* Quis vnquam locus. P. Dei electior, singulariorque domus fuit quam Maria? quam si decet sanctitudo in longitudine dierum, nullus proculdubio vitæ dies, nulla hora à sanctitudine secluditur. Hoc ipsum pia credulitate confitentes ad hanc domum refugij vnanimes occurramus, occurrentes veneremur, venerantes imploremus, implorantes salutemus, dicentes: Aue Maria gratia plena &c.

Vade in domum tuam, vbi prius. Idcirco transsumptionibus metaphorisque prædicãtes vtimur, quatenus noua minus fastidiat varietas, & à cognitis ad apprehendenda magis ignota subnectet & subleuet. Quia enim nobis (exempli gratia) domus materialis sensu quotidianoque vsu maximè cognoscitur, per illius similitudinem quasi per vehiculum aliquod in occultarum rerum scilicet conscientiæ & gloriæ comprehensionem facilius eleuamur. Hæc me consideratio permonuit, vt post litteralem thematis nostri domum de ea postmodum per allegoriam tanquam de ecclesia dissererem multis quidem verbis, sed pro rei magnitudine ac etiam dignitate indignissimis vel paucissimis. Nunc quia in me eadem cogitatio est sicut pollicitus sum de adeunda, ordinanda, ornandaque conscientiæ domo, tranquillior sermo transcurrat, qui ad nosipsos nos reuocet, retorqueat atque reuerberet. Recto siquidem ordine post incitationem ad regimen ecclesiæ de exhortatione componendæ conscientiæ orditur oratio (quia vt apostolus ait. 1. Timoth. 3.) Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Eisdem verò verbis quibus præceptor meus dominus Cameracensis tractatum suum de anima exorsus est, incepi. Veterum tradit authoritas, diuinum illud fuisse Apollinis oraculum. Nosce teipsum. Inde est illud Iuuenalis. E cœlo descendit, γνῶτι σεαυτόν figendum & memori tradendum pectori. Huic conformis est Persij monitio: Tecum habita vt noris

noris quam sit tibi curta supellex. Et iterum; Ne te quæsiueris extra. Hanc eandemque sententiam thema nostrum si ad mores deflexeris insinuat. Nempe quid aliud est dicere, vade in domum tuam, quam habitare tecum, neque ipsum cognosce? Sunt itaque plurimi qui à semet longè peregrinantur, & vt hystrionum parasitorumque mos est, nullibi rarius quam in domo propria moram faciunt, nullibi molestius. Mirabile dictu. Eos citius in alia quauis regione quam apud seipsos reperies, modo per curias discursant cum adulatione, ambitione, detractione, nunc inter mulierculárum greges volutantur cum libidine, frequentissimè vero inter auri argenti ve cumulos incedunt, ductrice cupiditate nauigant maria, aera peruolant, humi repunt, prout stimulantium curarum varietas transuersos præcipitauerit. Qui apud se si quæratur, illud habebitur respõsum, Prouer. 7. Non est vir in domo sua. Horum quilibet vt in domum suam eat, nec se deferat, monendus est per vocem Christi salutiferam. Vade in domũ tuam.

At quidam forsitan operationes hominum volunt inepta extortaque appellatione domum dici, immo vide quæso quam aptissima ratione. Meministi opinor quemadmodum philosophus in Politi. lib. 1. c. 1. communitates instituturus diffiniuerit domum præstãtem ex viri & mulieris, sui quoque & liberorum sociali cohabitatione componi. Sicubi autem serui desint, bouem esse posuit pauperibus pro ministro. Et ita ex hac societate tres ordinat principatus, nuptialem inter virum & vxorem, despoticum & seruilem super seruum, paternum vel regalem patris ad filium. Singulis post hæc singula tribuit officia. Nolo autem mihi credas, si non omnia hæc eadem in homine monstrauero. Si authoritatem mauis, pro authoritate est Augustinus de spiritu & anima. c. 22. Si rationi plus consentis & patrem quæris, intellectum offero, qui principium origoque est totius spiritualis propagationis in anima. Si vxorem postulas, qualem aptius respondebo quam ipsam voluntatem? quæ inseparabilis socia est & indiuidua comes intellectus, sine quo voluntas inualidi nullius ve consilij est, est nisi vxorio fœdere secum misceatur infœcũda prole, sterilisque permanet. Prolem nuncupo, affectuum cogitationumque veluti totidem filiorum propaginem. Seruos verò in promptu monstrare est quinque sensus ipsos. Circunspice, neque bos deesse iudicabitur, si brutalis indomitique corporis naturam attenderis. His intellectis non operosum erit in homine triplicem assignare principatum, voluntatis & intellectus ad inuicem nuptialis est. Voluntatis & intellectus super actus suos, paternus & regalis. Amborum super sensus & corpus despoticus & seruilis. Vides vt suspicor, & ante oculos tuos positum habes quam descentissima similitudine homini dum ad sui cognitionem mittitur, dictum extitit, vade in domum tuam, hoc dicere est. Teipsum rege, cognosce, atque recogitans iugiter considera. Vade inquit, & officium quod vniuscuiusque prænominatorum proprium est, non inaniter exequere. Scieris quid patrem iubere, quo pacto vxorem conuiuere oporteat, qualiter procreare liberos, seruis imperare dominum, hospites suscipere cõ-

A ueniat. Et in principio siquidem ad materialis exemplar spiritualis fabricanda domus est, atque vt in basso humilitatis collocetur, tenendum est metricum illud Boetij præceptum:

Humili domum memento certo figere saxo.
Quamuis tonet ruinis miscens æquora ventus.
Tu conditus quieti fœlix robore valli.
Duces serenus æuum ridens ætherias iras.

Item tragicum illud in Hypolito:

Non capit vnquã magnos motus humilis tecti vel plebeia domus, circa regna tonat.

B Et rursum in Hercule furente tragedia prima, cuius titulus est Hercules furens Metro. 2.

Me mea tellus lare secreto tutoque tegat.
Certa sedet sordida parua fortunæ domus.

Talem sibi fabricauerat natura ille inops, sed securus amiclas de quo Lucanus:

Rectorem dominumque ratis secura tenebat,
Haud procul inde domus recte valli robore fulta.
Sed iuncto sterili, cannaque intexta palustri.

Sequitur.

C *Securus belli, prædam, ciuilibus armis.*
Scit non esse casas, ô vitæ tuta facultas.
Pauperis angustique lares, ô munera nondum,
Intellecta Deum.

In tali præterea vitam egisse ponit. Valerius li. 7. c. 1. ipsum Aglaum psophidium, qui quamuis Archadiæ esset pauperrimus, Apollinis tamen responso Gygi lydorum regi opulentissimo in felicitate prælatus est. Et respondit magis se probare securitatem ridẽs tugurium quam tristem curis & sollicitudinibus aulam. Nunquid hanc in habendis ædibus modestam humilitatem Cæsar Augu-

D stus tenuit, qui domum suam, eò quod paulo eminentior esset, alijs coæquauit? De hoc Ouidius in de fastis libro. 6. Nec paruum huius rei nobis Christus reliquit exemplum, qui non marmoreas domus, sed humile præsepium sua natiuitate illustrauit. Quamobrem his admonitus obseruatum habeas securam tibijpsi tranquillamque humilitatis domum cõstruere. Qui enim altam fecerit domum suam, quærit ruinam Prouerb. 17. Ratio, quia nisi Dominus qui tantummodo humilia re-

E spicit ædificauerit domum, in vanum &c.

Post extructam humilitatis domum cura restat præcipua ordinare familiam, ne domus sit in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, fugandaque omnibus modis à domo discordia, secundum Pytagoricorum sententiam, cuius meminit Hierony. in epistola ad Rufinum. Ad quod retorqueri potest illud Aristotelis ænigma ibidem positum, hirundinem in domo non suscipiendã id est garrulam loquacitatem quæ effectrix est iur-

F giorum.

Subinde vt voluntatem intellectus doceat, quasi maritus sponsam, necesse est, quatenus ea appetat quæ recta sunt, adhibeat modum desiderijs, & se inconsulto velit nihil. Semper memineris non ob aliud ægregiam, de domum miserabili ruina deiectam, quam quod vxor præcupida fuit & voluntas præceps temerè sine intellectus consilio pomum visu decorum præripuit. Porro obuia cautè ne rixosa sit voluntas, ne aut fumo domus abundet aut stillicidijs repleatur, alioquin abeundum tibi est, mihi non credis dicenti hoc, sapienti fidem præsta: Quid fumus si petis, nisi ignoran-

tia oculos intellectus perstringens qua circunseptus vix secum habitat, fugit se potius & horret veluti quandam mortis imaginem? Quod Seneca expressit, dicens: Ocium sine litteris mors est, & viui hominis sepultura. Dehinc quid per stillicidia nisi labiles instabilesque cogitationes accipimus, quibus exagitatus intellectus ad seipsum redire, & in seipso consistere nequit. Rixosa verò mulier est voluntas improba, & quæ in sensualitatis naturam penè degenerat. Hæc assiduis malarũ cupidinum stimulis vexat intellectum, eundéque volitionum ac nolitionum mutuo alternantium litibus inquietat, vult calcatis sponsi legibus imperare prout libet. Intonatque illud satyricũ. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Quid agat tunc intellectualis sensus, reclamat, non exaudietur, præcipiat, non obedietur, & obiurget acerbius sono remorsu conscientiæ ferietur? Quid igitur reliquum est nisi semet è domo præripere? Nihilominus persistendum est viriliter, videbis furore voluntatis sedato ipsam dare victas manus, lugere commissum, veniam vltro precari. Et quãuis recessum pares sponte reuocabit ingens illud dictum Creusæ ad Æneam.

Hanc primam tutare domum.

Æneid. 2. Ita tamen nisi obstinata sit ac in reprobum sensum data, tum etiam monenda est, tum coarguenda & ne talia præsumat in posterum legibus coercenda.

At altera superest intellectui, sollicitudo seruos compescere, & ne quando dominationem vsurpent, studiosissimè prouidere. Itaque effrenes sũt, contumaces sunt, ingratissimi sunt, confestim vt dominum suum eis beneuolum indulgentemque senserint, exiliunt. Repente Dominum proprium discerpunt vt canes sui. Metamor. 3. atque eum indignissima tyrannide premunt, verumque experietur illud sapientis. Qui delicate à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem. Prouerb. 29. Et Miche. vlti. Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Et ibidẽ: Inimici hominis domestici eius. Quamobrẽ eos si renitentes sint bonarum consuetudinum, arceat compedibus & inertes assiduis exercitationum verberibus vrgeat.

Quotidie insuper semel & amplius præcipuè hora nocturnæ quietis, cum te lectus susceperit, ponat intellectus cum eis quasi cum suspectissimis dispensatoribus rationem. Nullum hoc præcepto salubrius, nullum viro præsertim Christiano efficacius potest esse. Quod secum se facere solitum ipse Senec. 3. refert de ira. Interroget intellectus in tribunali mentis sedens à singulis, cur sic aut sic, tali in loco, tali in tempore, gesserint, cur sic viderint, sic audierint, tetigerint, locuti sint. Puniat mala per timorem carnificem, per increpationem errata corrigat, per amorem bona coronet, & quid deinceps agere à quibus subtrahere se debeant, iterum & iterum vehementissimè cõmoneat. Ita dum ad teipsum nocte saltem redieris verificetur illud Vergilij Æneid. 7.

Ipse domum sera, quamuis se nocte ferebat.

Hoc pacto tecum multa loquaris vt præcipit tamen caue ne malè loquaris. Hoc modo apud te coram Deo causam tuam agas, accusator tui seuerissimus, idemque verax testis & iudex æquissimus.

A Ages autem hoc vigilantiori sedulitate, si auribus tuis semper insonare putaueris illam vocem prophetæ ad Ezechiam. Dispone domui, quia morieris tu & non viues. Esay. 38. O quam vtilis prorsus recordatio, & quæ in prosperis simul & aduersis, hominem sancto timore pauidum & quod amplius est, liberum efficiat & mundi contemptorem? Facile inquit Hieronimus contemnit omnia &c.

B O quam felix somnus iste erit altus, liber & tranquillus post huiusmodi recognitionem sui. Anima itaque tanquam in sinu iaceat Dei, secura persistat, reiectis fœdorum dæmoniorum amplexibus. Nam totiens inter abominandos amplexus diaboli anima dormit, quotiens peccati mortalis conscia impœnitens requiescit. De mane vero intellectus ipsam oculatissimam prouidentiam cum memoria in speculam mittat, quæ diligenti prouisione ac solerti omnia accurrentia examinet atque denunciet, ne quid inopinatum, ne quid subi-

C tum, ne quid impræmeditatum surrepens conturbet, aut ne per inscitiam vtilia prætermittat. Porro ipsi voluntati quam sponsam hominis in domo posuimus, hæc obseruanda erunt, fides thori & castitas integerrima, consideratioque semitarum domus suæ, prout inter mulieris fortis præconia à Salomone positum est. Suspectos habeat omnes tentationum malarumque cogitationum introitus, cætus adulterorum atque latrunculorum insidias. Si pulsauerint fores, si fenestras impulerint, confugiat illico ad intellectum, & eo inscio

D & inconsulto nullos suscipiat. Si alloqui blandè cæperint, obsurdescat. Syrenes sunt, suaui cantu sopiunt vt demergant, si suos petant amplexus, cito reijciat, latronum morem gerunt, amplexantur vt perimant. Si blanda frons & suauis prætenditur, non confidat, arrident vt irrideant. Si promissa promissis accumulent, non credat. Quotidianum est prouerbium, magni sponsoris rara vt plurimum fides est. Cæterum si fallaciter sensimque obrepere, aut vi palam irruere conentur huiusmodi tentationes, à se continuò virili animo-

E sitate aut depellat, aut diro vultu & acribus verbis increpet, dicens: Seorsum vos malignissimi seductores nihil mihi vobiscum. Abite hinc procul cum dolis vestris, vestrisque fraudibus, quoniam intus vos & in cute noui, scio certè quid quæritis, meam quippe prostitutionem, meam infamiam, meam denique mortem. Et hæc ego patiar misera? non faciam hercle, non vobis assentiam, quamobrem auolate celeriter, aliam quæ-

F rite, si potestis, quam vestra blandimenta & malè suasa verba illaqueant, quæ vestris credula sit lenocinijs. Me interim sinite, quia non sum quam putatis, aut quæ vestro digna sum ludibrio. Hac & simili voce vtatur voluntas sponsa aduersus tentationum malarumque cupidinum insultus. Caueat ne eorum vinculis se ligari aut manibus prendi sinat vel facibus succendi. Obnitatur totis conatuum neruis impetui primo, memor tragici illius in Hypolito, qui blandiendo dulce nutriuit malum, sero recusat ferre quod subijt iugũ. Sciat præterea quod fœmina molliter & lemiple-

ne

ne negans petere docet & admonet. Felicissimam prorsus voluntatem dixerim, & beata gloriosaque prole fæcundam, quæ se fornicarijs huiusmodi suggestionibus nõ immiscuerit, infelicissimam vero si talibus seipsam exposuerit prostituendam, quia infaustissimos monstrosissimosque & vipereos peccatorum fætus gignet in parentem suam armatos, sicut leonem superbiæ, luxuriæ porcum, canem inuidiæ, & ita de similibus, per quæ cruciabitur, lacerabitur, perimetur. Ad vltimum corpus tuum qui efferus bos est, domabis, prouidebisque ne ocio torpeat. Malignæ naturæ est, abundè suauiterque pastus recalcitrat. Impinguatus excutit iugum & vehiculum, sessoremque deijcit.

Audistis quibus studijs domus propria regenda est, quibus exercenda disciplinis, quamquam fastidij timidus multa prætercam. Nunc quid extra te vagabundus incedis? Præcurre prior in domum tuam. Ecclesiastici. 32. & temet à communi hominum stulticia exime, de qua Hieronymus ad Sabinianum. Solemus mala domus nostræ scire nouissimi, & liberorum atque coniugum vitia, vicis canentibus ignorare. Ita est, alienæ domus curiosi, sumus neghgentes nostræ. Vitia idcirco nostra vltimi cognoscimus, hinc irridemur, hic nobis placentes, fabula populo & risus efficimur. Quo con. bene iubet Persius (vt præmisi & repeto.) Tecum habita, & noris quam sit tibi curta suppellex, quantum scilicet à virtutum possessione vel perfectione deficis. Vade igitur in domum tuam & cum paralytico surge per contritionem, tolle grabatum peccatorum per confessionem & per satisfactionem. In domo tua vigilans, oransque permane, illic expecta, & cum aduenerit dominus, confestim aperias ei. Sto inquit ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum & cænabo cum illo, & ipse mecum. Apocal. 3. O miserrimum te si abierit, si non tanto hospiti festinabundus succurreris, si non inuitaueris, dicens: Mane nobiscum domine, quoniam &c. Nec modo inuites, se violenter (vt sic loquar) trahe, verecundus enim hospes est, vult compelli. Quo introducto serui certatim domum exornent, nullæ reperiantur irarum araneæ, nullus cupiditatis puluis, nullæ caninarum rixarum aut curarum mordacium clamores audiantur. Sed & vxor tanquam vitis abundans in lateribus domus tuæ cum liberis tuis bonis scilicet affectionibus, in occursum culta festiuaque procedat. Sternatur domus tapetis bonarum cogitationum, virentibus herbis bonarum operationum spargatur, & omnibus deniq; sanctorum desideriorum flosculis pulcherrimè distinguatur. Ponat mensam pietas, authoritatiuam sellam obedientia, focum charitas accendat, ministret fides candelabrum, & lectum cõtemplatio substernat, linteamina verò vt pura sint abluãtur à contritione, à confessione ventilanda aeri exponantur, quousque demum exicabit satisfactio. Nec omissum sit illud quod de Palemone & Baucide deorum hospitibus. Naso ait Metamor. 7. Super omnia vultus accessere boni, hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Cor. 9. Rependet non dubita, vicem Deus, ab eoque audies: Hodie huic domui salus facta est. Luc. 19. Quia si verecundum tecx diuitiarũ carentia prospexerit, compellabit teijsdem vocibus quibus Euander Æneã:

A

Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.

Quę ista dignitas. R. P. quanta sublimitas esse hospitem diuinitatis? ita fit tamen si domum nostram nondeseruirimus, si attento studio excolucrimus, quod nec gentilis poëta siluit. Statius Theb. 12.

Nulli commissa metallo
Forma Dei mentes habitare & pectora gaudet.

B

Propterea patris sapientia Christus Iesus, cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum. Sapientiæ. 8. vnumquemque nostrum hodiernis verbis hortatur, monet, imperat, vt paratus sit, & eorum quæ extra se sunt curã deserat superfluã. Vade (inquit) in domum tuam quod fuit thema.

Admonere putes Christum: quid stas scrutans villas & rus, eripe te velociter & vade. 1. Reg. 27. Vade pacifice in domum tuam. Quia sicut auis transmigrans de nido suo varijs periculis exposita est, sic vir qui relinquit suum locum. Prouerb. 27.

C

Secundo quid stas periturus? tuam pete alacriter domum. Deutero. 6. Meditaberis sedens in domo tua, quemadmodum Hælyseus sedebat in domo sua. Sedendo enim & quiescendo secundum philosophum anima fit prudẽs, quidem verò non in domo, sed in monumentis manent. Lucæ. 8. Quia inter obscæna vitiorũ cadauerã volutãtur. Tertiò quid extra stas, te visurus domum intra sagaciter tuam. Exod. 16. Maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo.

D

Hæc tanta de domo morali hominis præcepta sunt.

NVNC de adeunda iuxta anagogiam beatificæ domus habitatione, quartam & hanc supremam orationem texturi stylum admouimus & eam finire patimini precor finis est, æquanimiter tolerate. Vade in domum tuam. Homo viator, homo terræ incola, homo qui peregrinans non habes hic compositam ciuitatem vel domum manentem, sed futuram inquiris. Eia rumpe moram, fugam præcipita, non in via terminum, non rapidis in fluctibus portum constitue, properat cursu vita citato, ait tragicus, solque in occasum volucer ruit, & negligis, tu tamen dissimulas, & medio in itinere stratus iaces, vbi si te vicina dirę mortis nox occupauerit, hercle peristi, & de te tuáque salute actum est. Age cur cessas? Quare fessi debilitatique viatores instar lentus vadis? Sed agnosco, paralyticus es, & dum niteris surgere, in molimine primo relaberis. Tu equidem pars viuax est, partem humor nimius carnalitati paralysi mortificauit. Nimirum si progredi non vales, tractus ad varia & tibimet oppositus.

E

F

Vult (inquit sapiens) & non vult piger. Nam dum viuida pars voluntatis diuinorum capax sursum erigitur à parte sensualitatis, emortua deorsũ trahitur, & in ipso conatu humi procliuius deprimitur. Notate comparationem Virgilij. 5. Æneid. proprijssimam.

Æqualis sæpe via deprensus in aggere serpens.
Ærea quem obliquum rota transijt, aut grauis ictu,
Seminecem liquit saxo lacerumque viator.
Ne quicquam longos fugiens dat corpore tortus.

Parte ferox ardensque oculis, & sybila colla,
Arduus attollens, pars vulnere clauda retentat,
Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.

Hæc ille. Sperandum tamen est, tibi consule & plena fide ante Christi pedes expositus, spiritualem ideoque nequissimam paralysim mitigare pete. Etenim liberari penitus non est præsentis vitæ nisi quibus rarissimè admodum concessum est. Dehinc exurge duplici amoris timorisque stimulo perfossus, spe salutis hilaris & alacer charitate, ac vade de virtute in virtutem, donec videas Deũ deorum in Sion, quæ domus est beatitudinis sempiternæ. At verò fortassis (vt verbo Boetij vtar) velut ebrius quo tramite domum reuertaris, ignoras, quo duce iter arripias, & ad supremum qualem in domo quam quæris conuersationem habiturus existimas, Nescis verò horum trium noticiam, si non pigeat aduertere paucis, edocebo. Et quamuis non alienum à proposi. esset Lactantij verba ponere sexto institutionum de limite bino, salutis & interitus, commodius reticere iudicans. Hoc moneo vt verum ducem & vnicũ habeas Deum quemadmodum de populo Israelitico in promissionis terram proficiscente legitur, quod Dominns solus dux eius fuit, & propheta insinuans ductoris huius vtilitatem, postquam dixerat. Domine in voluntate tua deduxisti me, subiungit, & cum gloria suscepisti me. Illius quidem ducere est, ad quem spectat ęternæ domus gloria. Hoc duce carpe viam, non quamlibet, sed quam propheta non modo iuisse, verunetiam cucurrisse gratulabatur, dicens: Viam mandatorum tuorum cucurri, conformiter ad sequens iussum Christi. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Matthæi. 19. Ab hac via quisquis aberrauerit duce abiecto, per abrupta vitiorum, per lubrica, per petrosa, per tenebrosa, in inuia, & non in via, lapsatur, impingitur, in baratri profundum lacum præceps ad vltimum deijcitur, ab illa domo quam longissimè raptus de qua præcipit Christus dicẽs: Vade in domum tuam. Verum quo pacto via mandatorum peragrabitur, si non agnoscatur? Quemadmodum cognoscetur nisi perscrutetur? Qualiter denique perscrutabitur nisi scripturis huiusmodi mandatorum expressissimis animus accomodetur: Quamobrem propheta in psalmis plurimis, tamen singulariter in illo: Beati immaculati in via aliud nihil agere videtur, quam aut orare intellectum vt discat mandata sua, aut beatos appellare, qui mandata eius scrutantur & exquirunt. Vnde beatum virum de scripturis primum opus tam præclarissimum posuit, quod in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et alibi: Beatus homo quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Quis error, immo quanta dementia ecclesiasticorum in domum beatitudinis (vt aiunt) vadentium, qui ob lucrosas adinuentiones hominum, mandatorum Dei perscrutationem despiciunt? Apud quos non animaduertitur, & animaduersa contemnitur Christi autoritas dicentis: Sine causa colunt me, docentes mandata hominum & doctrinas. Matthæi. 15. Respondeant velim ecclesiastici viri sacræ scripturæ desertores, qualem sibi in sua peregrinatione viam delegerint. Si seipsos suamque prudentiam, falluntur, sapientis dogma reliquentes. Fili ne innitaris prudentiæ tuæ. Prouer. 3. Et ibidem. 14. Est via quæ videtur homini iusta, nouissima eius ducunt ad mortem.

Psal. 72. *Psal. 1.* *Psal. 93.*

Si cæterorum adinuentiones hominum consectantur, parum prudenter, ne dixerim insipienter agunt neque enim leges aut humanæ traditiones quæcunque ad perspiciendam domus æternæ viam sufficiunt. Alioquin aliam frustra daret legem Deus humana ratione superiorem. Affirmo qui oppositum asserunt, errant, & in Pelagianam hæresim palam incidunt. Quod si quis diu solerterque indagauerit, quinta de via mandatorum Dei notitiam obtineant tales solis hominum adinuentionibus perscrutãdis dediti, de fide de peccatorum distinctione & quantitate siue de beatitudine & cæteris, puto mecum in hoc immo cum veritate assentiet.

Si viam mandatorum Dei vt dicunt, erigunt, reddant nobis rationẽ, cur non ea perscrutantur potius quam humana. Vani homines promptam in ore habent ex Horatio responsionem.

O ciues ciues quærenda pecunia primum, virtus post nummos.

Manet insuper alta mente repositum illud Aristo. Melius est pauperem ditari quam philosophari. Voces istæ R. p. non ecclesiasticorum sunt, sed agrestium hominum, terrenisque inhiantium. Esto excuset quosdam vtcunque paupertas. Neque enim omnes damnamus theologiam non studentes, vt mercatores, artium mechanicarum artifices, itemque alios plurimos. Sed interrogo, quid ecclesiasticus respondebit, qui beneficijs copiosè ditatus est aut qui aliunde diues beneficiari desiderat quid religiosi amplissimis redditibus locupletati, quid postremò omnes quos alia vrgens decentior occupatio non detinet, quorum non est tantummodo se, sed alios in viam mandatorum Dei deducere? Et cum rationem afferre enisi fuerint, an talis sit quæ eos graui culpæ non condemnet, ipsi viderint, fateor non video. Hoc vnum video, tutius salubriusque & viris ecclesiasticis dignius esse theologiæ studiũ, atque absque suspicione cupiditatis modicæ fidei & paruæ spei remotius. Et certè alia nulla vt ista scientia est hominum directiua incitatiuaque ad sanctos mores, vitiorum coercitiua, & ad suam felicitatis domum compendiosiori tramite perductiua. Non aspernandum est testimonium. Ecclesiastici. 24. Qui operantur in me non peccabunt, qui elucidant me vitam æternam habebunt. Odium ergo & raritas perscrutantium legem Domini signum est paucitatis saluandorum & modicæ fidei in multis ecclesiasticis rectoribus, & non tantummodo signum, sed etiam causa. Quo contra hoc interim grande solatium est abiectione & inopiæ theologorum quod salutis viam noscunt, quod Deum ducem assiduè in via peregrinationis suæ loquentem audiunt. Vetus namque Labetij prouerbium est in saturnalibus à Macrobio positum: Comes facundus in via pro vehiculo. Et quis est Deo in sacra scriptura loquẽte comes facundior? hoc non parui existimabat sapiens Sap. 8. Erit allocutio cogitationis & tædij mei.

mei Et infra. Intrans in domum meam requiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuersatio eius &c.

Cæterum quam præclara hominis laus est, quæ verè dicere prout apud semetipsum pro laude sua illud quod dicere Lucillum Seneca nouerat de naturalibus quæstionibus li. 10. Ego liberalibus studijs me tradidi, quamuis paupertas alias inuaderet & ingenium obduraret vbi præsens studij precium est, ad gratuita carmina deflexi me, & ad salutare studium me contuli.

Intellexisti arbitror quis tibi in tuam felicitatis domum vadendi dux sequendus est, quia Dominus solus, non mundus qui cæcus est, non diabolus fraude plenus, non brutali appetitus pessimè lasciuiens petulãs atque dissolutus. Aduertisti prætεrea qualis via vadenda tenendaque est, quia mandatorum Dei, non via hominum humanarumve adinuentionum. Felicem te si credideris me autem in Domino gloriabundum si orans exorauerim. Quod si effeci magna documentorũ fasce liberatus sum. Nam de reliquis, modo videlicet ambulandi, de hospicij societatisque electione, de viæ tolerantia & similibus, scrutatio mandatorum Dei te reddet prouidum, sagacem, doctissimum. Postremo illud vnum de domus inquam vadis conditione persuasum habeto. Illam nisi auro gemmisue radientibus, sed materiæ cælesti præciositate esse compositam. Cuius incolæ, non gulæ, non voluptatibus carnisue illecebris vacant. Etenim domus talis porcorum esset, non hominum. Cur ita? quia homo qui dicit præstantissimam hominis naturam, eam supra porcinos affectus nõ collocat neque nobilitat. Quo pacto? Quia si vocem porco præstiteris, non aliud ab istis pro summa iocunditate requiret. Qualis ergo beatorum felicitas est? sanctissima prorsus, iocũdissima & dignissima, quæ in operatione optima, optimæ potentiæ respectu obiecti optimi, quæ Deus est, reponitur. Quæ operatio optima est? Contemplatio diuinitatis intuitiua, cum quietatiua eius fruitione. Quæ optimæ hominis potentię? Intellectus & voluntas.

Quamobrem? Quia ipse nos super bruta sole eleuant, & Dei capaces efficiunt. Quid de potentijs sensitiuis? Nunquid saltem ipsæ voluntatibus perfruentur proprijs in obiectis.

Minimè. Quæ ratio? Prius enim aquam igni copulabis, & incompossibilia chymeræ membra compones, quam cum voluptate felicitatem consortes.

Quare sic? Gustato quippe spiritu desipit omnis caro. Quare necesse est superiorum potentiarum delectationem illam quæ inferior est extinguere, quoniam in eis ex superiorum, felicitate incomparabiliter amplior, quam ex eorum obiectis proprij accrescit iocunditas.

Ex quo videri potest maiorem esse delectationem in sensibus beatorum, quam sit dolorum acerbitas in corpore damnatorum.

In hoc autem loco grauissimè inculpandus est Auicenna, qui .9. metaphy. suæ vltimo posuit, quod sapientibus theologis multo magis cupiditatis sit ad consequendum felicitatem animarum quæ est coniuncta primæ veritati, quam corporum. Ab illo tamen porcino Mahometi sui paradiso non sequestrauit sententiam. Te autem A interrogo vir disciplina & philosophica eruditione plene, si homines immortales esu & potu delectabuntur in ore? Fateris. Esurient ergo & sitient necesse est, & tanto intentius, quanto eis intensiores tribuis delectationes, delectatio enim proportionatur appetitui: Quod si ita est, comedere & bibere amplius conueniet. Ventres idcirco incomparabiliter capaciores & turgidiores, quam nunc habere fierique, sine terminatione augmentum ad quod ordinatur comestio. Et pudet vt dicam, egestiones insuper fæculentiori cumulo in B ilia beatitudinis domo congerere oportebit.

Denuo si virgines plurimas habet vnus vir, cur non plurimos similiter viros mulier vna? Quæ si generent, immoderatissimè exit filiorum procreatio. Si à generatione vacant, pari modo à libidinosa copulatione, alioquin illic & naturæ ordo peruerteretur, quæ ex illa exigit copula generationem, & impotentia suæ virtutis generatiuæ cõuincitur, quæ appositis omnibus ad generationem futuram sufficientibus, illic suo caret effectu. C

Porrò reprobatione indignum iudico, quod angelorum felicitatem in coquorum, pincernarum & prostibulorum scortorumque officia redigitis. Quanto rectius est homines ad similem angelorum felicitatem sublimandos asserere cũm Christo dicente: In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei. Mat. 22. Et vbi inquies, erunt sicut angeli? In illa equidem beatitudinis domo, ad quam peregrinatio D nostra tendit, ad quam nisi infelicissimi simus, & in mala hora progeniti, totam vitæ labentis viam totam animæ intentionem ordinamus, ad quam inuitat Christus quemlibet qui salutem affectat suam. Vade inquit, in domum tuam, quæ fuerunt. &c. In quibus verbis arbitretur quilibet Christum ad se sermonem hunc dirigere, vade citius, ne torpesce, vade lætus, ne pauesce per salutis semitas. Pro primo 1. Regum. 2. Festina velociter, ne steteris. Et Prouer. 6. Vade ô piger ad formicam, & considera vias eius, & disce sapientiam E vt videlicet pigritiam ignauiamque deuites.

Pro altero imitare Philippum vel Eunuchum, qui ibat gaudens per viam suam. Act. 8. Et prophetam audi canentem: In domum Domini lætantes ibimus. Deinde secundò: In domum hanc *Psal. 121.* accelera, in domum hanc propera, vbi nulla calamitas.

In illam itaque domum cuius si nomen petis. Respondet Iacob. Gen. 35. Nomen loci illius domus Dei.

F Et 28. eiusdem: Vere non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli. Si eius conditiones prærequiris, opulentissima est, in Psalmus. Gloria *Psal. 111.* & diuitiæ in domo eius. Rursus speciosa est: Ob *Psal. 25.* hoc psal. Domine dilexi decorem domus tuæ. *Psal. 83.* Porro laudibus insonat in psal. Beati qui habitant in domo tua Domine &c. Denique omnem hominis appetitum, perfecta satietate delectat. In *Psal. 35.* Psal. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & *Psal. 64.* torrente voluptatis tuæ potabis eos. Et iterum: Replebimur in bonis domus tuæ.

Finaliter tertio tuam pete mansionem, tuam pe-

te mansionem, tuam pete portionem, quæ est felix paternitas, vt scilicet mansio tua sit in domo A æternæ retributionis, cum Psalm. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini &c. Portio quoque in terra viuentium, quam nos adire prospero imperturbatoque cursu præstet summus ille in domo paterfamilias Dominus noster Iesus Christus. Amen.

Psal. 26.

Finis.

SERMO EIVSDEM DE OMNIBVS SANCTIS.

B

EXVLTABVNT sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Originaliter Psal. 149. Collętantibus sanctis & exultantibus in gloria quid superest (ô doctissimi viri patres & fratres) ni satagere talem habere deuotionem, vt eis intercedentibus ad eorum peruenire mereamur societatem, quoniam non habemus hic ciuitatem manentem sed C futuram inquirimus. Quod si naturale est exulibus à patria sua, quod nescio quæ dulcedo cunctos allicit, sermonem de ea & frequenter facere & cupidius audire nos à tali patria tales exules, nonne multo amplius idipsum agere natura stimulante compellimur? Suspiremus igitur ad cælestia vt ibi sint corda nostra, vbi vera sunt gaudia, vbi ciues sanctorum habitant & domestici Dei, præstolantes aduentum nostrum, & in adiutorium promptissimi tantummodo non obsurdescamus vocantibus, non repellamus adiutores, D adeamus potius illuc deuotionis pedibus. Interpellantes in primis te reginam cælorum, te dominam angelorum, qua aperiente pro nobis os illud benedictum, os plenum gratiarum, protinus orabunt sancti sanctæque omnes. Quibus in commune orantibus, quo pacto formidabimus de repulsa? Eia aduocata nostra, illud os gloriosissimum pro nobis aperi ad orandum, quemadmodum in hac die solemnitatis & læticiæ nostra aperimus ad te salutandum, dicentes Aue gratia plena &c. E

Exultabunt sancti in gloria lætabuntur in cubilibus suis. Collaudaturi sanctos sanctasque omnes, vt & debitus eis honor fiat à nobis, ac vicissim sua nos intercessio adiuuet, vt demum ad imitandum eos, sua nos ęxempla alacriores efficiăt (Istæ enim tres sunt præsentis institutæ celebritatis rationes) proponimus verbum prophetici carminis: Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Et quidem ipse philosophus in experientiæ F naturalis schola versatus, tradit in rhetoricis, quod delectationem omnia prosequuntur, & gratia ipsius delectari appetunt delectari, nec semel in hac cadit sententiam. Nihilominus idem duas lætitiæ vel delectationis species condidit. Vnam (quæ est studiosorum) puram, laudabilem, tranquillam, diuturnam. Hinc est illud, quod philosophia admirabiles habet delectationes firmitate & puritate. Alteram dat, quæ à vitiosis vitam pecudum eligentibus inquiritur, & hæc fæda, turpis, inquieta, breuis, nocitura, qualis fuit Sardanapali.

Hanc lætitiarum varietatem locis plurimis scriptura sacra non siluit. Lętamini inquit iusti in domino, ecce bonam lętitiam. Audi malam: In maleficijs suis lætificiam regem. Et talia sine numero posuit sacra scriptura. Duo proportionabiliter cubilia eadem sacra scriptura condistinguit, prohibens vnum per os Pauli: Non in cubilibus innuit & inpudicitijs. Quo perlecto verbo lumen ecclesiæ Augustinus conuersus est. Laudat alteram in canticis, dicens: In cubilibus & in hortis aromatum. Habet quippe læticia & exultatio vitiosa probrosum vitiosumque cubiculum, sancta verò sanctum, quale notant verba thematis: Exultabunt sancti in gloria, lętabuntur in cubilibus suis. Poterat fortasse ambiguum esse, de qua lætitia de quibus ve cubilibus intelligeret propheta si dixisset: Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Nunc autem cum addit, sancti, omnis scrupulus dubietatis ablatus est, quoniam sanctorum non nisi sancta est gloria, sanctæ exultationes & læticiæ, sanctaque cubilia.

Psal. 31.

Rom. 13.

Sed quia cubilia, quibus in locis quæremus aut inueniemus illa? Puto quod non extra, non foris sit sanctorum gloria: sit exultatio & læticia, sed introrsus in abdito conscientiæ secreto. Hoc sensit qui dixit: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Nam & gloria omnis filiæ regis ab intus. Bonum igitur cubile & sanctum & lætum est sanctorum conscientia, in hac exultant, in hac gloriantur & lætantur tranquilla pace fruentes. Nam admodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Est quippe sanctorum cubile mundum, est molle, est quietum. Alioquin si vel sordidum esset & fętens, vel asperum & durũ, vel tumultuosum ac strepidulum, neq; quies in eo, lęticia & exultatio posset inueniri, neque diceret propheta de eis: Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

Habemus quid & quale sit sanctorum cubile, dicere superest pro nostra eruditione, quo pacto tale in eis cubile stratum paratumque fuerit, vt & mundum esset & molle & quietum. Dicam quid contigit, dum huiusmodi meditatio mea nouissimè perquireret, volens & circunducens quamquauersum suæ considerationis oculos. Incidit in euangelium præsentis celebritatis. Illic septem beatitudines quasi totidem cubicularias introspexit, quarum ministerio sancti Dei sanctæque omnes cubilia conscientiarum parauerunt.

Nam si quæritur, vnde sanctorum cubile mundiciam habuit? in promptu videre est, quia vel beatitudo luctus sordes abluit si præfuerint, mundi cordia innocens nullas huiusmodi sordium colluuiones introire permisit aut agglutinari.

Hæ duæ sunt cubiculariæ, quæ appropriatione quadam familiarius obsecutæ sunt confessoribus & virginibus. Proinde sequitur: Vnde in his cubilibus mollicies? Attendite quia mitas & misericordia tanquam doctissimę ad hoc opus cubiculariæ, omnem impatientiæ duriciem abiecerunt, & molliciem compassionis, etiam erga necatores suos indexerũt. Hoc in martyribus fuit præcipuum. Denique quies vnde comparata sit si quis voluerit agnoscere, aspiciat tres reliquas

quas beatitudines tanquam cubicularias ad hoc opus idoneas. Paupertatem spiritus, quæ spinosas rerum curas abigit. Esuriem præterea, & sitim iustitiæ, quæ fastidiosum & varium semper otium deijcit. Pacem denique quæ ab omni exteriorũ interiorúmque strepitu cubiculum conscientiæ tutum reddit. Hoc modo cubile quietũ in Apostolis, in Prophetis, in Patriarchis vtiq; pauperibꝰ spiritu, esurientibusque iustitiam, atque pacificis, cubiculariarum, hoc est beatitudinũ ternarius ille strauit. Neque tamẽ negauerim quin harum beatitudinum talis extiterit sedulitas, vt & mutuo se iuuarent, & omnibus in commune sanctis inseruirent. Sed ita loqui per appropriationem fas fuerit. Beati igitur sancti sanctæque omnes tot beatitudinibus olim circumsepti. Beati prorsus tali subsequẽtium septenario cubiculariarũ adornati, quatenus nulla spurcitia fœterent, nulla callositate rigescerent, nulla inquietudine turbarentur, vt hic in spe singulariter præditi, in pace in idipsum dormirent & requiescerent, & illic simul dono sentirent illud prophetici carminis: Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Psal. 149.*

Et quis dabit nobis ô viri fratres & patres, quis dabit exultare, hoc est extra nos quodammodo saltare in hac gloria: quis lętari in cubilibus nostris? Adsint vtinam igitur iugiter inter nos ad obsequium nostrum septem istæ cubiculariæ quas ex euangelio nominauimus, paupertas, mititas, luctus, esuries iustitiæ, misericordia, mundi corde, pax.

Felix planè qui tali contubernio potuerit gloriari. Affirmo quia totus in exultatione, totus in gloria positus lætabitur in cubili conscientiæ suæ replebitur cor suum iubilo, & gaudium suũ nemo tollet ab eo. Quidni totus iocundetur in cubili mundo, in cubili moli & placido, in cubili tranquillo & quieto. Nihil planè lætius bona conscientia, vel iocundius atque serenius, cum ex aduerso nihil horridius mala conscientia, nihil confusius & inquietius inuenitur. Exagitatur quippe stimulis cupidinum, miserisque modis sese rodit tepidate, semper præsumit sæua perturbata conscientia. Væ talibus qui semper vel dum tristãtur, furiunt, vel iuxta Sapientẽ, dũ lætantur, insaniunt. Audi lætam insaniam, vel si melius dicatur insanam lætitiam. *Prou. 2.* Lætantur (inquit Sapiens) cũ malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Qualis putas insania est videre hominem de cuius morte tractatur lasciuire & gestire, immò & vincula quibus stranguletur incessanter operari. Tales sunt qui iniquitatem meditantur in cubili suo, adsistũt omni viæ non bonæ. Væ cubili tali, quia fœtens & sordidum est, quia spinosum & asperum, quia nulla ex parte tranquillum. Nihilominus quidam iacere substinent in cubili tali sicut sus in volutabro luti, sicut iumenta quæ computruerunt in stercore, de quibus item apud Iob dicitur, quod sub sentibus delicias computant. Qui denique iam sentiunt in se illud maledictum propheticum: *Esa. 14.* Subter te sternetur tinea. Quæ tinea? Tinea mordax praui desiderij. Et operimentum tuum vermes, remorsus scilicet amarissimi peccatorũ. Iacet caro cum peccatore, & teterrimum fœtorem illecebrarum eructuat. Iacet mundus & duros curarum aculeos ingerit, atque mordaces desideriorũ pulices multiplicat. Iacet diabolus, & horridis A phantasiarum, errorum, æmulationũ, ambiguitatum spinis iter turbat. Perniciosos nimirum hos dixerim cubicularios animarum, quibus irrepentibus per ecclesiastica cubilia, attracta est sordidissima diràque dissensio, conculcans omnia, omnia proterens. Sed de hoc portentoso scismate, in sacris Ecclesiæ cubilibus se versante, qualis vnquam sermo pro rei indignitate sufficiet enarrare? Quãto consultius erat (viri patres & fratres) quanto iustius aduocare Deum in cubiculum conscientiæ, B quod adeò coangustatum & breue est (dicit sermo propheticus) vt duos capere nequeat. Quales duos? sponsum & adulterum, Deum & mundum.

Ita pergebam declamare contra vanitates & insanias falsas hominum contemnentiũ cubiculum propriæ conscientiæ, hominum alibi gloriã alibi lætitiæ oleũ cum fatuis virginibus mira stoliditate quærentiũ. Cupiebam insuper specialiori descensu tres orantium thalamos morales cõtexere secũdũ tres status hominũ, quos præsenti sermoni vi- C demus interesse. Quosdam intueor incipientes & iuniores, hos appropriatè monere conabar ad mũditiam cubiculi sui, quod conscientiam appellamus, nam in pueris nónne debet Angelica puritas effulgere? Alij sunt proficientes & prouectiores, his suadere conabar mollitiem cubiculi sui ꝙ est conscientia, vt & mites essent, non resistentes malo, & contra crebriores illius ętatis insultus, per patientiam & miserationem, nõ eneruatam segniciem fierent molliores. Denique reliquos aspicio D seniores & perfectos, hos magis decet quietum tranquillumq; cubiculum, vbi somno contẽplationis in pace in idipsum dormiant, corde in supernæ visionis spectacula vigilante, quale est illud: Ego dormio, & cor meum vigilat. Ita inquã pergere meditabar, dũ studiositas speculatrix aut affuit, aut affuisse visa est, quæ gressum orationis nostræ retorquere, & ad supernos vnde cœperamus ciues regredi suadebat, multa super eorum statu multa super eorum felicitate, lætitia & exultatione diligenter interrogans.

E Dic primò inquit, si lætitia sanctorum sit eorũ principalis beatitudo? Principalem non esse respondi, sed ad beatitudinem consequitur, quæ in clara Dei cognitione, & fruitiua eius dilectione consistit, quibus positis in anima bene disposita tanquam conuenientissimis formis, coniungentibus animæ potentias supremas cũ obiecto summè conuenienti cum omni bono, vt lætitia & exultatio consequatur necesse est. Laudat igitur sanctos thema nostrum à suæ felicitatis effectu, sicut ibi: F Torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Ps. 35.* Et ibi. Adimplebis me lætitia cum vultu suo. *Psal. 15.* Et ibi: Intra in gaudium Domini tui. *Matth. 25.* Sic & talia innumera. Ex quibus propheticæ sententiæ consonis eliditur positio hominum, felicitatem in voluptate, non in Dei contemplatione ponentium. Nam & si felicitati voluptas, vel (vt securius dicamus) iocunditas adiuncta sit, non tamen est felicitas, neque finis noster. Dic secundò. Si licet operari Dei mandata propter lætitiam & delectationem, quam omnes appetunt consequendam? Respondi nõ licere tanquam pro fine vel motiuo principali. Esset enim peruersa & quodammodo simo-

niaca aut adulterina affectio. Secus dum Deus est principalis finis intentionis, & delectatio secundarius sub hoc fine, quoniam vbi vnum propter aliud, iam nō plures quodammodo, sed existimatur vnus finis.

Dic tertiò. Si multo plures ex hominibus præponunt spiritualibus carnales lætitias? Præponūt respondi, quoniam in gustu corrupti sunt, & quia spiritualium gustationem non satis attigerunt.

Dic quartò. Si par sit in omnibus sanctis lætitia & exultatio, quælibet itaque secundum Anselmi deductionē videtur esse infinita, dum quælibet tātum gaudet de bono alterius sicut de proprio, & ita per reflexiones procedendo resultabit gaudiū sine modo? Respondi delectationes in sanctis & finitas esse & impares. Finitas quidē sicut animæ substantia & sua capacitas finitæ sunt. Impares verò secundum diuersas māsiones, & cubiculorum, hoc est conscientiarum dispositiones in gratia ac natura. Processus autem Anselmi non de infinitate formalis lætitiæ locum habet, sed de obiectali vel exemplari vel occasionali. Dic quintò. Si lætitia sanctorū vicissim quādoque vel minuitur vel augetur. Minuitur vel augetur respōdi, si fiat aspectus ad lætitiam ab accidentali beatitudine consequente, vt de creaturarum pulchritudine, gaudio, bonitate, & in aureolarum coronatione. Hoc intellexit doctor noster Iesus, dum ait gaudium esse in cœlo angelis Dei super vno peccatore pœnitētiā agente. Similiter gaudium est sanctis, dum ex eorum imitatione, dumque ex eorū prædicationibus vel scriptis ad bene agendum cōuertimur. Ita ergo nunc & alias dum honoramus sanctos, dum precamur, dū libros eorum legimus, dū de eis prędicamus, ipsos vtique lætificamus. Propterea grādis fiducia præstatur nobis quod repulsam nō patiemur, dum quod maximè cupiunt & quo delectantur, petimus, oramus, prosequimur.

Dic sextò. Si tristentur sancti compatientes malis nostris quale est illud, angeli pacis amarè flebūt? Respondi, non esse amplius in sanctis dolorē non luctum, passionem quidem perdiderunt, etsi non compassionem. Possunt nihilominus intelligi de nostra impietate tristari, dum gaudio illo carent quod de nostra sanctitate sentirent.

Dic septimò. Si hic super flumina Babylonis in tanto tāque in certo damnationis periculo liceat quandoque gloriari, exultare & lætari? Licet, respondi, sed in domino cum tremore. Alioquin trepidatio sine exultatione misera, & exultatio sine tremore superba vanāque reputatur.

Dic octauo. Si pro viatoribus damnandis orāt? Respondi, orant, vel quia fortassis eos damnādos nondum sciunt, vel vt minus mitiusque damnentur, vt cōpassionis habere viscera se demonstrent, nondum enim obstinati sunt, nōdum locus deest remedij, quamdiu incolæ sunt in terra, quamdiu sedem tenet misericordia Domini superexaltare potens iudicium, tamdiu fas est condemnandum in terra iustitiæ ad misericordiæ curiam appellare, vbi præter humanorum morem iudiciorum peccatorem absoluit accusatio propria, propriāque saluat damnatio. Si nosipsos iudicaremus, nō vtique iudicaremur. Dic nono. Si nostras orationes ad sanctos fusas ipsi semper agnoscunt? Agnoscūt respondi. Hoc quippe ad suam gloriam, hoc & ad beatitudinem saltem accidentalem pertinere cognoscitur. Hoc igitur fit vel in verbo, vel reuelāte orantis angelo, vel alio tali modo.

A

Dic decimò. Si tantumdem valeat orare sanctū aliquem minoris meriti vt maioris, & vnum sicut plures, & cur dictum est, ad aliquem sanctorum conuertere? Hoc dicendum esse respondi. Quoniam affectio nostra nostrāque deuotio nūc isto, nunc illo modo, nunc ad hunc, nunc ad illū sanctum plus & plus accenditur, quo fit vt commodi plus habeat oratio. Addito quod Deus vult sanctos suos quoslibet honorari, hunc in ista, hunc in ista gratiarum prærogatiua. Denique tāta charitas est inter sanctos, vt vno orante alij similiter deprecentur, sed neque ad diuinam maiestatem nostra vilis indignitas præsumere debet accedere sine medio domesticorum suorum, quorum orationes & deuotiores sunt & placidiores. Vrget nihilominus quosdam ad Deum sine medio nonnunquam accedere, vel necessitas vehemens non habens legem, vel charitas foras mittens timorem non cogitans maiestatem.

B

C

Dic vndecimò. Si pro nobis orātes sancti semper exaudiantur? Exaudiuntur respondi, dum petimus piè, hoc est pro vtilibus ad salutem, & pro nobis & perseueranter & in charitate. Secus non oportet, vt si petimus temporalia nocitura, aut pro alijs non se præparantibus ad gratiam, aut si non sumus in gratia, vel si non perseueramus in eadem.

Dic duodecimò. Si sancti nobis orantibus indulgentiam largiuntur? Largiuntur respondi, nō quidem auctoritatiuè vt in terra summus pōtifex, sed impetratiuè, excepto tamen Christo summo capite nostro, cuius auctoritas principalis semper est in indulgentijs.

D

Dic decimotertiò. Si sancti feruentius orāt pro illis quos in vita germanius dilexerunt vt pro parentibus & benefactoribus? Cui quæstioni par est illa. An adepta simul beatitudine, sancti tales inter se magis quam extranei delectentur & exultent? Respondi quod gloria non tollit naturam, sed perficit. Propterea nihil prohibet, quin cæteris paribus illud quod vtrobique quæritur, cōtineat veritatem, sic quod sancti pro suis amicis magis orant & eis saluatis cumulatius gloriantur, pro eis maximè qui suæ saluationi verbo vel exēplo vel opere quolibet causam præbuerunt, quēadmodum damnati suos acriori odio participes insectabuntur.

E

Dic decimo-quartò. Si de pœna damnatorum sancti collætentur? Collætantur respondi, dum vident vindictam, non quidem pro afflictione vt afflictio est, sed vt ipsa iustitiæ voluntatique diuinæ conformatur. Propterea nihil prohibet dicere eos cognoscere, immò visitare posse localiter pœnas & gemitus stridorésque damnatorum, quibus resonantibus cum gaudijs saluationis fit carmen amænissimum, quale canebat Psal. cum ait. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. O harmonia verè miserabilis, satis apprehensibilis, quæ resultat canente inferno tenorem iustitiæ & mollem cantum misericordiæ paradiso resonante.

F

Dic decimoquintò. Si lætitia sanctorū ex resumptione corporum augebitur? Augebitur respondi saltem

saltem extensiuè, sed an intensiuè, problema est ad vtrumque probabile, & habet pars vtraq; causas & doctores. A

Dic decimosextò. Si lætitia sanctorum in suis corporibus erit per sensationem extrinsecam propriorum obiectorum, vt quod visus delectatur in lucidis & pulchris, tactus in mulcentibus, gustus in dulci & sapido, similiter de cæteris? Respondi quod principalis in corporibus glorificatis lætitia ab internis conscientiarum cubilibus emanabit. Fiet quoque ex redundantia beatitudinis animæ ad corpus sua læta iocunditas, sua quadruplex dotatio. B Porrò de sensationibus forinsecis nullam imperfectionis dicentibus indigentiam vt sunt visio & auditio, nihil prohibet illas exerceri vt in decoris & harmonicis corpus hilarescat. Secus de tactu videtur & gustu, quos vel ad nutritionẽ vel generationem ipse naturæ Deus viantibus ingeniauit quamquam imperfectione seclusa quis audeat determinare quosdam proprios horũ sensuum actus non ibidem reperiri.

Dic decimoseptimò. Si cubiculariæ animarũ (si enim beatitudines nominatæ sunt septem) C si præterea ancillæ cæteræ, quas virtutes Cardinales, & theologicas dicimus, lætificabunt cubilia animarum in gloria? Hoc est quærere, si beatitudines & virtutes omnes illa felicitate manebunt? Non manebunt respondi quantum ad id quod imperfectionem sonat pro viæ statu, vt quod sint moderatiuæ passionum vel incommodorum toleratiuæ, vel expectatiuæ futurorum, aut lucentes in speculo & ænigmate. Cæterum quoad reliqua quæ decorem animarum quendam operantur, illos habitus pulcherrimos remanere, sicut non est D penitus improbabile, sic nec est cõtentiosa temeritate ponendum.

Denique quoad tres istas quæstiones vltimas, proportionabiliter satis dici potest de horrenda tristitia damnatorum quod & augebitur per resumptionem corporum vtique fœtidissimorum & omni cadauere viliorum. Quodque ab intus & ab extra erũt in omni acerbissimo cruciatuum genere foris deuorati ab igne, & ab intus vt clibanũ ignis positi. Turpissimis denique vitiorum habitibus fœdabuntur torquebunturque, nam & vermis eorum non morietur, & superbia eorũ ascendet semper, se furiosa rabie in omnipotentem erigens & impingens. E

Dic decimooctauo. Si delectabuntur sancti in gloria Deum corporalibus oculis intuendo? Respõdi eos corporaliter visuros fore Deum in carne assumpta, quod qualiter fieri simul poterit ab omnibus, mirantur illi qui vel Dei omnipotentiã vel status illius nouam totam consistentiam non aduertunt. F Porrò si vel iris multicolor, vel imago speculi videtur pariter à varijs distanter, non est inopinabile similia de corpore Christi ponere in cœlo, quemadmodum suo modo confitemur in benedicto sacramento. Quocunque demum acies corporalis oculi sese conuerterit, videbitur Deus omnia in omnibus oculo sanè spirituali, nõ corporali, sicut Deus in essentia sua non caro est, sed spiritus.

Proponebat studiositas speculatrix ampliora conquirere de secretis cœlestibus, etiam vsque ad curiositatem vel inutilem vel inopportunam, vt, Si possit haberi lætitia de patre sine filio. Si absque personis de essentia. Si de perfectione vna essentiali vel ideali absque reliqua. Si visionem quis habere posset sine delectatione, aut delectationem sine delectatione consequente. Si in acceptione Dei libera stat principaliter beatitudinis certa iocunditas & iocunda æternitas. Si sancti se posse damnari cognoscunt, sicut & verum cognoscere habent, quo pacto in suis cubilibus ineffabili securitate lætantur: Si Deus in beatis sit eorum formalis non solum efficiens vel exẽplaris vel obiectalis lætitia.

Tunc ego ad studiositatem abi precor, precor absiste, tempus disputandi & tempus instruendi; primum in schola, alterum in sermone. Suffecerit hactenus tuæ importunitati paruisse, noli ea quærere quæ vel impossibilia sunt inuentu, vel quæsitu superuacua vel pro tempore & loco parũ idonea? Redeat permitte orationis nostræ languidos iam & bene lassos gressus à cœlis ad terras, à sanctis ad nos, à quæstionibus ad morales eruditiones, quamquam non sine moralibus documenta multa quæsiueris.

Ita studiositas ad se, ego ad me redij. Protinus resumere cogitaui tres considerationes intermissas. Vnam de incipientibus, alteram de proficientibus, tertiam de perfectis, secundum tres conditiones cubilium sanctorum, in munditia mollicie & quiete, qualia loquitur vox prophetici carminis: Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Quæ fuerunt verba thematis, &c.

Sequitur oratio. Attendite ergo (ad vos mihi sermo est ô pueri) si ex Deo estis, verba Dei audite. Lætificate sanctos, pudorem diabolo facite. Non sileo, non quiesco sic studebo loqui, vt à vobis intelligar. Nihil loquar amplius nisi ad vos & pro vobis ô pueri, habete partem vestram in sermone illam, nolite repellere. Si frequenter in domibus vestris vt deceret instrueremini de salute vestra & puritate vestri cubiculi, quod est cõscientia, si diligenter incitaremini ad amorem Christianæ religionis, docendo sæpè, ad quid facti estis? ad quid tenditis? in quo periculo damnationis estis? ego faciliter dimitterem vos & silerem.

Dixi iam, non sileo, non quiesco, nolo quod in futuro mordeatis nasum meũ, quid admiramini? quid aspicitis? silueritis interim, & scietis quæ sit hæc parabola. Date quartam partem horæ verbo Dei, & honori sanctorum, & saluti vestræ, qui nõ vnam horam, non duas, sed dies integros, sed hebdomadas fabulis sæpè datis. Aut certè recedant mali pueri, recedant discoli, recedant perditi, maneant boni quibus loquar. Recedant inquam, nõ teneo, non impedio, aduertant tamẽ periculum, si sine benedictione finali discesserint. Denuncio vobis ô pueri & adolescentes ingenui, denuncio vobis tria quæ seruetis circa cubiculum conscientiarum vestrarum. Custodite cubiculũ conscientiæ vestræ mundum in vobis, vt sitis mũdicordes, id est mũdi corde. Cauete ne per malitiam vestrã cubiculum aliarum conscientiarum verbo malo vel opere deturpetis. Videte demum si hæc duo non seruaueritis, saltem post immunditias lauatæ per luctum pœnitentiæ & confessionis.

Sit in primis (ô pueri) cubiculum conscientiæ vestræ mūdum, vt tā re quam nomine pueri, id est puri dicamini. Estote similes Angelis Dei, similes innocentibus atque virginibus. Et dum scientiam quæritis, attendite quod in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Horret tale cubiculum coinquinatum & fœdum. Nolite perdere munditiam innocentiæ. Notat enim Ambrosius quod innocētia facilius custoditur, quam per veram pœnitentiam ipsa iam perdita reparetur. Videte specula noua, pulchra & nitida citò inficiuntur, citò maculantur, sed tardius emundatur. Talis est ætas puerilis atque virginalis, fœdatur celeriter & frāgitur, tardius emundatur, & ad integrū nunquam reparatur. Sed quid aget puer pro custodia munditiæ conscientiæ suæ? Dicā, audite. Procuret ante omnia à parētibus suis, vt collocetur apud magistrum bonum, sanctum, pudicum, incorruptū, quod Horatius maximum reputat. Alioquin si magister non sit morosus & deuotus, & de religione sollicitus ipse plus nocet frequēter moribus puerorum quam prosit ingenijs eorum, sicut de Archilocho dictum est. Talis est lupus inter pueros ouiculas, nō pastor, destructor, nō instructor, corruptor, non corrector. Alterum quod tu puer debes inquirere, est bona societas. Moneo semel & bis, immo milesies repetens monere nō sufficio. Declina ô puer à societate peruersorū & immundorum quales (teste Apostolo) regnum Dei non possidebunt. Sumpsit idem Apost. à gentili poëta, quod corrumpūt bonos mores colloquia praua. Si colloquia, quantò fortius consortia. Tales si tibi dentur, accusa reuela, aut certè potius fuge quam remane. Non mentiebatur propheta, dicēs:

Psal. 17. Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Et iterum: Habitauerunt inter gentes & didicerunt opera eorum. Et metricus:

Unica praua pecus inficit omne pecus.

Est alia societas, ô pueri, quam à vobis fugienda ostendo. Et qualis est ista societas? Mala credite mihi, mala valde & pessima. Ista est dæmonis societas. Cur audito miramini? Nolite mirari, quia verum est quod dicitur, aut certè miramini & cauete. Scitote quoniam dæmon manet habitat & iacet in lectis immundis malarum conscientiarum, quando sine labore sunt, sine studio & in otio, tunc eos inducit cogitare vilia & turpia, quæ verecundum est non solum facere, sed dicere. Hanc societatem nequissimam diaboli fugitote precor ô pueri. Sed quæritis inter vos forte & dicitis. Quomodo fugiemus? Audite beati Hieronymi consilium. Semper aliquid boni facito, ne te diabolus inueniat otiosum. Et rursus: Ama sciētiam scripturarū, & carnis vitia non amabis. Credite non mihi, sed sapienti. Quia multa mala docuit otiositas. Ipsa peruersa est doctrix, immò seductrix, quæ sufflat ignem furiosorum desideriorum carnalium, aut venenum nutrit infelicis inuidiæ. Sciebat hoc Horatius dum ait: Si non intendas animum studijs & rebus honestis. Inuidia vel amore vigil torquebere. Dicit forsan hic aliquis ex pueris. Ecce perdidi munditiam cubiculi mei vel ex propria vel aliena malitia, quid mihi restat, quid superest? Præposui iam & repeto, vide saltem ne dederis causam in verbo vel opere, quod alius in cubili conscientiæ suæ maculetur.

A Hoc certè est officium diabolicum, perdere socios suos, illos secum in damnationē trahere. Sufficiat tibi ô quisquis es immundus, damnatio tua, parce vitæ alterius immò famæ tuæ, immo vitæ propriæ si sciretur. Cogita precor quantum potes. Iterum quoque atque iterum vehementer recogita, quantum displicet Deo quātum in se peruersus est & malignus, quantum habet de periculo nunquam satisfaciendi plenariè puer ille qui causa est perditionis tot animarum ex immundo

B facto suo, dum tamen sit vitium sicut mala scabies de vno ad alium, immò ad alios fortè decem, forte viginti, forte centum, forte mille. Ille autē qui causam primam dedit, quomodo poterit tot & tales ad bonum & ad munditiam reuocare quomodo poterit satisfacere, quomodo pœnitere? O si attenderent omnes, quā facilius est aliquē maculare, & in lutum peccati proijcere, quam lauare, quā purgare, & à malo retrahere. Scit hoc inimicus noster ille diabolus procurat igitur tales ad inuicē corruptiones & cōtagiosas fœditates, cognoscēs

C difficultatē plenè postea pœnitēdi. Circa hoc debet esse magistrorum sollicitudo præcipua, & ne pueri maligni irrideant bonos & deuotos sub appellatione hypochritarū vel taliū nominum. Tales nō possent nimis acriter verberari, immò si nō desistant, debent exterminari ab omni consortio meliorum. Comparantur his qui fœtus in maternis vteris suffocant aut allidunt. Sed quid fiet eis, quid agent in inferno damnati ex malo aliorum consortio, vultis scire quid agent. Vlulabunt a-

D cerrimè præ rabie tormentorum, maledicentes illis & clamantes: Væ, væ, tali per quem ego dānatus sum, maledictus sit in æternum per quem crucior in hac flamma. Narrat author libelli de disciplina scolarium, quod filius quidam nobilis ciuis Romani, qui consumpserat miserè & immūdè iuuentutem suam, dum duceretur ad patibulū ad mortem, sequebatur eum pater suus flens. Vidit eum filius suus, quæsiuit vt oscularetur patrem suum. Pater approximauit, sed filius loco osculi, momordit sibi nasum & erasit. Dum alij culpa-

E rent & mirarentur, exclamauit. O pater, tu me suspendis, tu me interficis, si enim dum me iuuenem (vt debueras) correxisses, ego non venissem ad hanc mortem inhonestam.

Hoc est ô pueri quod ante notaueram, quod neque ego neque alij dum prædicamus, neq; magistri præcipuè, debemus vos dimittere quin moneamus & corrigamus vos, ne postmodum mordeatis nasos nostros. Hoc dicebat quædam pia mater pueris suis. Ego taliter vos corrigam, quod

F non mordebis nasum meum.

Hoc habetur in lib. de opibus cap. 30. Legi quendam magnum virum narrantem de seipso, quod habuerat vnum iuuenem nobilem, pudicum & castum in principio, sed per malitiā vnius magistri sui fuit seductus, & pluries monitus noluit tandem desistere, sed plus obediebat magistro illi in crimine pessimo, quam amicis suis & Deo. Quid euenit? Audite rem horrendam. Venerant amici illius pueri in magna pompa visitare eum. Et dum post cœnam retractis omnibus ad cameras ornatas, dum puer esset in lecto suo cœpit horribiliter clamare & plangere.

Vene-

Venerunt ad eum seruitores sui & amici, & dum nescirent cur clamaret, nec dicere vellet, aduocatus est decanus Ecclesiæ & alij canonici. Cocitus ille venit, residet ad lectum clamantis, suadet confiteri peccata, hortatur vt confidat in Deo, non in homine. Hæc cum decanus fortiter ei diceret: Tandem puer eum audiens, inspexit terribilibus oculis dicens: Væ illi qui me seduxit. Ad quid, ad quid super me diuinum auxilium inuocabo? Ecce iam video apertum infernum, video præsentes dæmones paratos me rapere. Et cum omnes vt se potius signaret, inclamarent, signa te puer. Ille quasi nihil aduertens, clausit oculos, & auertit faciem, & cum diris & miserabilibus vocibus miseram animam exhalauit.

Intellexistis ne hoc exemplum terribile ô pueri? Ad auditum eius nonne toti tremuistis? Nunquid nunc vos etiam pœnitet? pœnitet æstimo sed gaudete vos qui boni estis. Aliquid igitur audire non pigeat. Peto te ô puer, si quis induceret te ad comedendum carnes per totam quadragesimam, & in die veneris sancta quid diceres? nonne repelleres eum valde velociter cum cachinno? Nonne ostenderes digito, dicens: Videte quam malus est iste, quàm peruersus qui talia mihi dixit? Et ipse bene miser. Et ego tibi securus affirmo, quod peiores sunt & peius faciunt illi de quibus loquor, qui alios inducunt ad immunditiam conscientiarum suarum, quod si facerent comedere carnes in die veneris sancta. Nolo plus specificare, quia qui culpabilis est, intelligit, qui non est culpabilis, non eget vt intelligat, nisi fortè vt caueat. Denuncio vobis ô pueri, fugite tales immundos, & plus fugite, plus horrete, plus odite, quam si quærerent interficere corpus vestrum cultello euaginato, vel malè strangulare. Plus est anima quam caro, & vita spiritus quam corporis. Accusate tales, immò vi repellite, spuite contra eos in faciem, conclamate cum beato Bernardus ad latrones, ad latrones, ad ignem, ad ignem.

Postremò si tu puer non seruasti munditiã conscientiæ in te nec in alijs, saltem pœniteat te recurrere ad lotricem optimam, scilicet ad luctum. Nihil est magis diabolicum, nihil ita displicens Deo, quam post culpam nolle pœnitere. Humanum est peccare, diabolicum in peccatis perseuerare. Sed dices ad quid pœniterem & lauarem me, video fragilitatem meam, ego protinus statim iterũ maculabor? Noli sic æstimare frater, sed fac quod debes, & quod præcipit Deus, succurret ipse, tãdem miserebitur & sanabit, quid scis quando morieris & quomodo? Quid si morte subita, si repentina? Quæro à te si laues manus tuas, si vestes lineas. Respondebis, ita lauo vel lauare facio. Quæro præterea si post lotionem iterum maculantur? Respondebis ita. Lectum igitur consciẽtiæ tuæ cur non similiter emundabis, & si sordidanda sit posterius? Sit tibi precor conscientia tua charior quam camisia. Noli propter timorẽ futurarum macularum dimittere purgare præsentes & augere. Post pœnitentiam (crede mihi) & minus erit de sordibus, & minus adhærebunt, & facilius abluentur.

Dices rursus: O quomodo talia tam fœda, tam turpia peccata dicerem homini viuenti, homini sacerdoti, quid diceret quid fieret? Planè diceret. Parcat tibi Deus, & te diligeret & celaret. Si tantum times sacerdotem, cur non amplius Deũ omnia videntem, immò totam curiam cœlestem semper præsentem? Si times sacerdotem bonum, discretum & solum, cur non magis times socios, pueros indiscretos, qui nihil celare sciunt, nisi quod nesciunt, & nisi cui & qualiter quid deberent reuelare? Quid melius est, vel vt dicas nunc peccata tua vni, vel quod exponantur in morte tua, vel etiam in vita quandoque omnium aspectui? Nonne facilius est hominibus peccata confiteri, quam cum dæmonibus sine vlla miseratione torqueri? Si dictum est tam fœtidum, tam horridum & abominabile, plenum factum obsecro quale putabitur?

At si dices, vellem benefacere, vellem esse mundus in conscientia, vellem abstinere à peccatis, sed nequeo. Noli frater dicere nequeo, sed nolo. Certè potes, sed non vis iuuare te. Quomodo iuuare? Primò fugiendo otium, fugiendo malum consortium, denique orando & conuertendo te ad aliquem sanctorum, specialiter ad illam sanctarũ sanctam, percutiendo pectus, exemplo Hieronymi, & dicendo: Sancta virgo virginum ora pro me: adiuua me, mitte auxilium refugienti ad te. Denique exemplo Antonij & Hilarionis adolescentum increpa diabolum in ipsa tentatione tua quasi præsentem, & dic ei: Phy de te & de tentatione tua miser diabole. Ecce non obedio tibi.

Plurimæ sunt tales doctrinę pro mundicia cubilis propriæ conscientiæ seruanda, inter quas posuimus bonam societatem magistri & sociorũ & famulorum, occupationem in bono studio & oratione. Fatigabo vos non amplius ô pueri. Sit tandem nostri finis sermonis in oratione ad Deũ & sanctos sanctásque omnes, vt taliter paremus hic cubilia conscientiarum nostrarum in mundicia, molitie & quiete per gratiam, quod eorũ consortes effecti exultemus & lætemur in eisdem cubilibus nostris per gloriam. Amen.

FINIS.

SERMO EIVSDEM IN EADEM FESTIVITATE DE OMNIBVS SANctis per thema. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

BEATI qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Matth. 5. & sententialiter Luc. 6. & in Euangelio præsentis celebritatis. Nos de beato luctu & consolatione locuturi in hodierna celebritate sanctorũ illorum, à quorum oculis absterſit Deus omnem lachrymam, ita vt non sit amplius ibi luctus, neque clamor. Te reginam inclitam ciuitatis huiusmodi sanctorum, de qua gloriosa dicta sunt, matrem insuper illius qui est Deus totius consolationis, inuocabimus pro gratia qua egemus impetrãda dicentes: Aue Maria gratia plena, &c.

Beati qui lugent, quoniã ipsi cõsolabuntur. Scribitur vbi dictũ est. Proposita hac cœlesti stupendáque sentẽtia, insonante hanc grandi tonitruo ex ore diuinitatis in sublimi mõte ecclesiæ, audierũt

quamplurimi alti sonam huius extraneissimæ & à sapientibus mundi hactenus absconditæ doctrinę tubam: Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum. Auditam verò non omnes æqua mente vnoque iudicio cõprobarunt, nimirũ quot capita, tot sententiæ, & fides Dei donũ est ne quis glorietur. Audierũt eã omnes ex omni natione quæ sub cœlo est, quorum plurimis nihil profuit auditus nõ innixus fidei, vt apostolus loquitur, sed in depressiores suæ infidelitatis tenebras demersi sunt: Hi sunt pagani, idolatræ & Iudæi perfidi, qui quoniã foris sunt, & consurdescũt nostris vocibus, nihil ad nos, eos deserat sermo noster, & ad Christianos dirigatur, dicãtq;: Beati qui lugent, &c. Ecce autẽ apertis meditationis meæ oculis intueri videor plenas etiã Christianorum omnes aures hac sententia diuina: Quis enim est Christianus, cui hoc Euangelium in Ecclesia non sonuerit. Verbũ hoc nihilominus ad mentales aures suas introrsus non æqua profunditate & tenaci approbatione reponitur. Pars est hominũ simplicium absque eruditione & litteris, quos sola authoritas in hac fide stabilit nec vltra quicquã vel quærere vel intelligere student, morẽ discipulorum Pythagoræ in hoc tenẽtes. Satis habent scire quoniã magister hoc dixit, magister Christus. Beati qui lugẽt quoniã ipsi consolabuntur. Apud tales nõ rationibus, sed authoritatibus & exemplis agẽdum arbitror, quibus sufficiet insinuare, quoniã sancti sanctæq; omnes quorũ, hodie celebritas agitur, ad consolationẽ per luctũ transierũt, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Cõfessores & Virgines. Quid istos dinumero? quando & ipsum caput omnium Christũ pati oportuit, & sic intrare in gloriã. Hos ergo ad historias & legendas sanctorum, ad vitas patrũ, ad originalia doctorũ luctum collaudantia iudico remittendos. Altera pars est Christianorũ similiter simpliciũ & nullius eruditionis litteratorię, qui tamen pro consuetudine & gratia exercitatos habent sensus, ad hanc doctrinam cupientes ex intimis animæ præcordijs, qui experientia doctrinæ sentiũt & prægustant hoc donũ cœleste, & toto cordis assensu, toto mentis iubilo eunt in hãc sententiã. Beati qui lugent, &c. Tales sunt in scola deuotionis doctrina affectionis edoctæ personæ, quib⁹ lachrymabiliter iugiter est hæc vallis lachrymarum, qui dicunt cũ Psal. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum. Et rursum delectanter dicũt cum eodem: Secundũ multitudinem dolorũ meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animã meã. Quemadmodũ dixisse legitur beatus Bernardus. Multi vident cruces nostras, qui nõ attendũt consolationes nostras. Et Apostolus dixit: Quasi tristes, semper autem gaudentes. Apud istos quos vnctio docet, quos experientia erudit, importunum nimis, ne dicã temerarium, censeri deberet si aperirẽ os ad docendũ, à quibus vtinã mererer erudiri. Alios præterea cõsidero ex Christianis inflatos sapiẽtia, nõ qui de sursum est sobria & pudica, sed terrena, animali & diabolica & carnali, vitã pecudũ eligẽtes, qui ferè nihil de homine propter figuram retinent, intus ferrea sunt omnia. Ipsi dũ has beatitudines auribus recipiunt, animã intrinsecus surdam habent, aut ita pro ægritudine peccatorum miserabiliter conturbatam, quod dicunt opere & si nõ forsan ore. Durus est hic sermo & quis potest eũ audire? Nempè sapientia terrena diuitijs inhiat. Propterea non beatos, sed infelicissimos planè pauperes prædicat. Sapientia diabolica est superbia indignans & austera. Ipsa beatos mites quomodo iudicaret, & non potius viles & abiectos? Sapientia animalis tota illecebris vacat, ducit in bonis dies suos, cuius vox est. Sap. 2. Exiguum & cum tædio est tẽpus vitæ nostræ. Talibus obsecro quando persuasum esset eos beatos esse qui lugẽt, & non miserabiliores omnibus hominibus. Quãobrem istud perditum & cœcum genus Christianorum, & Christianorum nomine, non Christianorum conuersatione, relinquamus tanquam indisciplinabiles & impersuasibiles ad hanc clausam eis diuinam lectionem. Beati qui lugent, &c.

Superest ad extremum aliud genus hominum qui non sunt idiotæ vt primi, sed luminibus tam ingenij quam conscientiæ eruditionis scientificæ collustrantur. Qui & si nondum gustauerunt donum huius beatitudinis velut illi simplices de secundo ordine, attamen eorum vita aliena est ab his vitijs, quibus obstinatè corruptos mox esse diximus illos de tertio ordine. Credũt insuper vt tandem intelligant, hoc est præsupposita religione, philosophantur, quoniam persuasum habent, nisi credideritis, non intelligetis. Quod notauit Plato dum ait in Thimæo. Sumendum esse compendiũ ex credulitate. Istos tales, qualiũ magnus est hic numerus, nunc alloquendos esse decreuimus, quibus non solã dicentis auctoritatem (quæ tamen abundè satis esset) sed rationẽ certã & philosophicã afferre confidimus per quã iam non solũ credant, sed etiã intelligant huius mirãdæ sublimisq; doctrinæ veritatẽ. Beati qui lugẽt, &c. Hoc faciemus (siquidẽ permiserit Deus) ad Ciceronis imitationẽ in paradoxis, minori certè eloquentia, sed pari varietate & (vnde glorior in Domino) maiori fide, faciemus inquã, tum ad consolationẽ nostram, quatenus fides in intelligentiam migrãs, lucidius emisset, tum ad concludendũ linguã magniloquã eorum qui se dici philosophos volunt, nec sunt, quoniã dum à religione putant secernere philosophiã, vtrumque perdunt, qui verbũ diuinę nostræ fidei communibus verborum panniculis inuolutum vel fastidiunt ob simplicitatẽ (sicut eis videtur) rusticã & anilem, vt qui lugere vel flere iubeat, vel de opinabili fallacitate criminantur, nõ capientes quo pacto ex luctu suũ gignatur contrarium, quod est consolatio, nec proinde concipiũt beatos & consolatos esse lugentes. Et quoniam tres collati sunt in themate termini principales, beatitudo, luctus, consolatio, tripertita erit sermonis nostri fabrica quia super quẽlibet ex terminis ædificium nostræ ratiocinationis fundabitur & excrescet. Dicemus quoque breuius quam tanta res expostulat, quoniam in scholastico exercitio & in verbo ad populũ, latiori sermone super hoc Deo propiciante tractabimus.

PRimam exorsurus fabricam in hoc nomine beatitudo, recogito quod omnes qui de beatitudine hominis philosophica ratione perscrutati sunt, constituerunt eam in contemplatione primæ causæ, sicut Peripateticæ scholæ institutor Aristoteles docuit. 1. & 10. ethi.

Aut

Aut posuerunt eam in virtute vel bono honesto, & in viuendo consentaneè rationi & naturæ. A In qua sententia schola Stoicorum & quorundam Academicorum concordat. Aut deinceps collocauerunt eam in adoptione boni vniuersalis separati, quemadmodum prælato suique sectatores. Aut postremò dixerunt beatitudinẽ hominis esse animi voluptatem seu tranquillam pacem, cuius sẽtẽtiæ fuisse videtur Epicurus ille, cuius Seneca crebrè cum summa veneratione meminit in epistolis. Nam Epicurus alter quisquis ille fuit, & Aristippus & Sardanapalus & sordidus Mahometus, B qui in corporeis voluptatibus humanam beatitudinem detrudere conati sunt, ipsi certè non philosophi, nec inter philosophos annumerandi sunt, sed porci vocandi sunt, quia beatitudinem non hominis, sed pecoris descripserunt. Illi similiter à philosophica ratione procul accedunt, & ab eadem validissimè confutatur, qui diuitias, qui potentiam, qui gloriam, qui scientiam, & vniuersaliter bonũ aliquod tale fortuitum, fragile & caducũ homini pro beatitudine statuerunt. Quippe his omnibus ad votum fluentibus, reperire est hu- C iusmodi hominem, non dicam non beatum, sed planè nequissimũ, & supra beluinam seueritatem vel feritatẽ excedi malignitate peruersum. Denique hæc omnia fortunæ bona, & si decorẽ & ornatum quendam extrinsecum felicitatis humanæ præsentare & perficere dicantur ab Aristotele ipsa tamen ad componendum verum & intrinsecum hominis bonum nullatenus exiguntur. Notauit hoc ille qui ex incendio vrbis fugiens, omnia sua secum ferre dixit.

D Hæc igitur in summa est philosophantiũ de hominis beatitudine quædã partita traditio. In contemplatione primæ causæ, in honesto vel virtute, in bono separato, in animi voluptate seu consolatione. Quartum apparens varietas (si non me fallit iudicium) in vna connectitur cum conceptione seu dignitate per se nota, quã Aristoteles lucidius exposuit, quod beatitudo hominis sita est in coniunctione optimę potentię humanæ cum optimo obiecto suo. Virtus enim rei cuiuslibet & sua quędam beatitudo vt penes summum quod in ea est, E quantificetur necesse est, quemadmodum beatitudo oculi esset eius coniunctio cum summè pulchro sibi proportionabiliter oblato. At nota qualis est optima potentia humana, nisi ratio, qua sola præstatior est homo cæteris animalibus. Obiectũ præterea optimum quale aliud assignabitur quam ipse Deus gloriosus? cuius ratio capax est, & quo nihil maius à ratione potest intelligi. Quare manifestum est quam eleuatè Aristoteles beatitudinem hominis esse probauit contemplationem primæ causæ, conformiter ad illud Augustini dictum. Visio est tota merces, fundatũ videlicet in verbo Christi. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, &c. *Ioan. 17.* Intelligimus verò contemplationem non nudam cogitationem de Deo, sed cognitionem cum amore. Alioquin si dilectionem à cognitione separaueris, non iam ibi contemplatio tam dicenda est quam curiosa quædam inuestigatio, aut cogitatio vaga fructu carens atque sensu, quales habuerunt quos inculpat Apostolus cognouisse Deum, & cum non sicut Deum glorificasse, propterea euanuisse in cogitationibus suis, ecce vanitatem cogitationum si glorificatio secludatur, & datos fuisse in reprobum sensum, quales multos flemus nostris temporibus. Porrò locutiones cæterorum philosophorum quanquam diuerso calle verborum incederent, in eundem iudicio meo sententiæ finem conueniunt. Nam bonum separatum quod Plato posuit, cuius adeptione beati dicimur & sum⁹, nihil aliud à Deo potest intelligi, quod adipiscimur cogitando & amando hic in ænigmate & inchoatione quadam imperfecta tandem facie ad faciem plenitudine cõsummata. Rursus si Stoicorum & Academicorum & Epicuri prænominati positionem resoluamus, inueniemus quod nulla virtus est, nulla honestas speciosior, nulla vita plus consentanea naturæ atque rationi, sed nec aliqua operatio voluptuosior est aut si verbum voluptatis nimis molle iudicatur, nulla delectabilior quã sit operatio optimæ potentiæ hominis coniungens eam cum optimo obiecto suo, quod est Deus, hoc verò fit dũ ipsum ratio cognoscit, & cognoscens amat, & in cognito amatóque tanquam in fine suo & centro quietatur. Ecce habetis omnem de beatitudine philosophicam perscrutationem, quæ super vno cardine voluitur & vnitur, ad cuius notitiam Christiana religio compendiosa fidei traditione ducit, quod efficere philosophica disputatio vix longo circumitu quasi palpãdo & innitendo valuit, nec perfectè tamen valuit, nec stabiliter nec syncerè. Hinc præclarissimè dictum est ab Apostolo, quod quia mundus in Dei sapientia Deum non cognouit, supple cognitione quæ per dilectionem operatur. Et intellige quod hic Apostolus secundum discipulum eius Dionysium, philosophiã appellat Dei sapientiam, immo & reuelationem. Deus inquit reuelauit eis. Placuit ei per stultitiam prædicationis, hoc est per compendium credulitatis saluos facere credentes. Non quod philosophia inutilis aut falsa sit, quippe quæ est Dei sapientia & reuelatio, non quod verę religioni aduersa, non quod in articulo quocumque contraria, sicut velle demonstrare propositum est, sed quia homines bono dono malè & temerariè vsi sunt & alia ratione, vt ad felicitatis beatitudinem sine ratiocinatione, sine fluitatione ipsos etiam simplices & idiotas venire liceret fidei pede fulsitos, denique ne gloriaretur ante Deum stulta præsumptio omnis carnis.

His pro primo fundamento positis, & viua veritatis calce agglutinatis, quadruplici etiam consideratione instar quatuor laterum superædificare fas habemus.

Prima consideratio.

F Quia Dei cognitio perfecta nequit haberi per sensus solos, alioquin bruta essent Dei capacia, si nostræ beatitudinis esse volumus participes, vt à sensibilibus ad spiritualia conuertamur necesse est. Istud est inter Platonis dogmata præcipuum, auertendum esse scilicet à sensibus faciem nostræ mentis. Omnia nisi ad sensum referre est propriũ pecoris, & certissimum veritati inueniendæ affert detrimentum. Huius sententiæ pluries meminit Cicero, & Augustinus ex ea pulcherrimum illud volumen de vera religione texuit. Anima itaque nostram intellexerunt philosophi factam esse velut in horizonte duorum mundorum, spiritualis

& corporalis. Cuius facies dum ad corporalia conuertitur, fit quodammodo craſſior, nubilior & hebetior ad intuendum cœleſtia, & deprimit terrena inhibitatio ſenſum multa cogitantem, inquit vnus ex philoſophis Hebræorum. Cui conformis eſt ſermo Poëtæ, 6. Æneid. Terrenæque hebetant artus moribundáque membra. Poëticum etiam inuolumentum de hauſtu lethei fluminis, ad hoc tendit.

Secunda conſideratio.

Præpoſita rationis aggrauatione per peccatum auerſio à ſenſibilibus ad ſpiritualia cogitanda fieri nequit abſque luctu ſeu triſtitia. Haud magna in hoc loco ratiocinatione opus exiſtit, vbi quotidiana experientia plus quam ſatis eſt, hanc eloquitur veritatem. Quippe mortificatio ſenſualitatis, pugna vitiorum, virtutum victoria, fugere voluptates, triſtitias æquanimiter perpeti, & ſimilia humanæ militiæ ſtipendia nonne luctum ſuum ſaltem ab initio ſecum ferunt? Ferunt vtique. Attamen ſine iſtis nunquam ad ſyncerum & puriſſimum veritatis primæ lumen ſcanderemus, nunquam ſurſum raperemur & illic rapti ſtaremus, nec reſponderemus veraciter hortanti Eccleſiæ, ſurſum corda habemus ad dominum. Quando & qualiter obſecro forti contritione leuaremus nos ſuper nos, dum iniquitas ſuper talentum plumbi ſedens nos in ima deprimit inſtar poëtæ more Siſyphi, dum conquerimur cum propheta: Quo-
Pſal. 37. niam iniquitates meæ ſuper greſſæ ſunt caput, &c. Dum poſtremò multitudine noxiorum deſideriorum & volitantium cogitationum inſtabilitate, acies noſtræ mentis vndique confunditur, impeditur & turbatur? Et hanc Ariſtoteles (quamquam ſuæ originis ignarus) notauit, vbi dixit aliquid eſſe in nobis quod aduerſatur rationi, propterea tractaturus de noſtra beatitudine, ipſe de luctuoſitate paſſionum moderanda, per virtutes prius docendum eſſe neceſſariò iudicauit.

Tertia conſideratio.

Beatitudo noſtra eſt de numero delectabiliſſimorum immo delectabiliſſima. Hoc ipſum dicere ratio compulit Ariſtotelem 1. & 10. Ethic. Habebatur quoque pro oraculo apud veteres, vt infra latius docetur. In ſanctis propterea quorum hodie celebritas agitur, experientia multiplex illud certum facit. Quodque inſuper ſub altiſſimis conſiderationibus & ſapientum allegationibus, initium ſummæ communis de virtutibus manuducit.

Quarta conſideratio.

Veram & plenam conſolationem, ſicut nec veram beatitudinem vita humana præſens habere non poteſt abſque luctu. Perſpicuum eſt hoc ſequi ex præmiſſis. Propterea licet iam non ſolum credere, ſed etiam intelligere, quoniam beati qui lugent, &c. Et hæc de prima radice, ex qua terminus iſte beatitudo germinat hanc veritatis ſegetem beatos & conſolatos eſſe lugentes.

EVGE pergamus vltra ad ſecundam noſtræ orationis fabricam, quam fundabit terminus iſte luctus. Attamen ne perpendicularem noſtri ædificij regulam conturbet æquiuocationis irregularitas, deſcribendum eſt quid eſt luctus, quid conſolatio. Nam inuenietur luctus malus nihil ad beatitudinem conferens, nec afferens conſolationem quæ bona ſit. Hoc ſenſit qui dixit: Triſtitia ſeculi mortem operatur. Cum prius dixiſſet: Triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, 2. Corinth. 7. Luctus & conſolatio ſub vna acceptione generali duæ paſſiones ſunt illæ duæ contrariæ, quas aliter nominamus dolorem & gaudium, quę complectuntur in ſuo generis ſinu paſſiones omnes reliquas enumeratas à philoſopho 2. Ethic. & 2. Rhetor. & à Poëta 6. Æneid. & ab alijs alibi. Conſequuntur autem paſſiones iſtæ duæ luctus & conſolatio, vel dolor & gaudium ad duas rationes obiectales generales & extremas. Quarum vna eſt vt boni conuenientis, & altera mali diſconuenientis.

Deſcribitur hic luctus hoc modo ſumptus. Luctus eſt vitalis animæ motus, ſurgens ex apprehenſione obiecti vt diſconueniens eſt. Cuius effectus eſt (præſertim ſi ſit in ſenſu) conſtrictio quædam, horror & fuga & reniſus. Eſt autem ratio diſconuenientis diſproportio læſiua harmoniæ & vnitatis debitæ. Elucidationē harum deſcriptionum cum deductione omniū paſſionum ad has duas, quærat cui libuerit 2. Ethic. & Rhetoricæ cum notatis per commenta. Deinde quia tripliciter dicitur bonum, pro delectabili, pro vtili & pro honeſto. Et ſimiliter malū ex oppoſito pro triſtabili, pro nociuo & pro inhoneſto. Poſſemus conformiter ad has rationes obiectales boni & mali multiplicare ſermonem de luctu & conſolatione, prout cōſurgūt mediatè vel immediatè ex apprehenſione boni & honeſti, vel mali inhoneſti, & hoc dupliciter in actu vel in habitu. Hoc quippe modo luctus & conſolatio propriæ ſunt animæ rationalis, & ad ſenſualitatem non niſi ordinatæ ad rationem ſpectant, ſicut nec obiectales honeſti & inhoneſti rationes. Dicamus igitur quod luctus in propoſito, & prout dicitur beatitudo, non quidem formaliter, ſed quia communicat beatitudinem hic in via, vel quia ducit ad eam, habet ſic deſcribit pro habitu. Luctus eſt habitus animæ gratioſus quo inclinatur fugere & horrere obiectum ſub ratione mali inhoneſti & diſconuenientis apprehenſum. Apprehenditur verò obiectum vt inhoneſtum tripliciter, aut formaliter, & ſic eſt deformitas, aut ſecundò conſecutiuè quia eſt effectus culpæ, & reliquiæ eius ſicut reatus pœnæ & macula & offenſa, aut tertio occaſionatiuè, quia ad culpam inductiuum eſt, aut vt ab honeſtate diſtractiuum, vt noxiæ tentationes & rebelliones ſenſualitatis. Ratio autem diſconuenientiæ inhoneſtæ eſt violatio modi ſpeciei & ordinis, vel numeri, ponderis & menſuræ, vel vnitatis ſpeciei & bonitatis in libero arbitrio vt arbitrium eſt. Violentatur inſuper modus & menſura & vnitas in libero arbitrio, dum ipſum non inſequitur motionem Dei vt efficiens eſt. Violentatur ſpecies & numerus, dum non conformatur cauſæ ſuæ exemplari. Violentatur autem pondus & ordo & bonitas, dum non inſequitur motionem ſuæ cauſæ finalis. Per oppoſitum ſumitur ratio conuenientiæ honeſti.

Par eſt deſcribere conſolationem. Conſolatio pro habitu eſt habitus animæ quo inclinatur amplecti quodammodo, & vnire ſibi obiectum ſub ratione boni honeſti & conuenientis apprehenſum.

hensum. Et dicitur similiter honestum tripliciter, vel formaliter, vel consecutiuè, vel efficienter & dispositiuè. Has descriptiones neque fingimus, neque sola fide supponimus, quoniam ex philosophica traditione fundata in his qui nos docet experientia, possunt elici vallarique. Ex quibus quid sit luctus pro actu, quid consolatio actualis, liquidum est. Nam luctus & consolatio actuales, sunt vitales motus animi in talibus habitibus procedentes.

Iacto & ordinato hoc descriptionum fundamento, superaddamus quasdam litterales considerationes.

Prima consideratio est ista.

Luctus qualem descripsimus est consolationis inductiuus. Ita quod qui lugent, eoipso consolantur, vt verum sit ad litteram. Tristitia vera vertetur in gaudium. Habemus medium in omni demonstratione efficacissimam definitionẽ scilicet ad hoc ostendendum. Omnis quippe apprehẽsio obiecti vt honestum est & conueniens, est consolatoria, sed apprehẽsio huius luctus est honesti apprehensio & conuenientis, ergo est consolatoria. Maiore præsupposita ex definitione, minorem facile est deducere ex quam plurimis conditionibus honestis luctui attributis. Luctus quippe iustus est & deacceptus, tanquam reddẽs Deo quod suum est, vel dum punit peccata in se & in alijs Deo odiosa vel ab offensarum diuinarum reliquis aut occasionibus liberari desiderat.

Secunda consideratio.

Non est inopinabile secundum eandem animam simul & secundum idem, diuersis tamen respectibus lugere & consolari instar Christi. Si enim concedimus animam simul intelligere rectè & reflexè, & iudicio suo formidoloso certitudinaliter iudicare, non videtur repugnantia quod de luctu actuali tanquam de obiecto simul habeatur actualis consolatio. Nec aliquid apparet obstare, nisi quod motus horum actuum sunt ad cõtrarios effectus, vnus ad fugam, alius ad prosecutionem, vnus ad dilatationem cordis, alius ad constrictionem. Sed hoc vltimum de luctu & consolatione in sensualibus verum est ita se habere, in spiritualibus fortè non æquè. Cuius rei satis videntur experientiam dedisse Sanctorum plurimi, quorum vita cum in luctu cõtinuò esset, facies tamen serena & iocunda, & inter medias lachrymas mira læti hominis suauitate & tranquillitate respersa fulgebat, vt in Martino. Dat exemplum Climacus de puero similis flente & clarè ridente. Et venerabilis Richardus tradit in eodem homine contemplatiuo simul esse raptum mentis ad diuina, exemplo Moysi positi intra caliginem in monte, & simul fieri rebellionem in sensu morę idolatrantium in valle. Ad hoc potest trahi illud de Ænea.

Mens immota manet, lachrymæ voluuntur inanes.

Vel dicamus vt omnis calumniæ tollatur occasio, quod luctus & consolatio eandem animam tanta celeritate alternatim inuicem afficiunt, quantam discernere non valemus. Et consequenter ponetur motus cordis quasi tremulus & mixtus ex constrictione & dilatatione, fortè similis motui campanæ dum tremit, & chordę citharæ dum resonat, & ita mirabilis harmonia fit in corde nostro ex

A hac mutua percussione luctus & consolationis, qualem harmoniam explicare sicut difficile est ita experire facile. Hunc tremorem notabat exhortatio prophetica, exultare iubens Deo cum tremore. Exultatio quippe sola dilatando facile euanesceret, si luctus reprimens non induceret hunc tremorem. Quo tremore tandẽ exercitata anima more alaudę volitando cantantis cadit in fœlicem spasmum, & in illam extasim rapitur vbi dicat cum silentio: Bonum est nos hic esse. Et illud: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Denique *Matth. 17.*

B per dicta elucent veritates quas inopinabiles rident carnaliter sapientes, dum Apostolus præcipit esse sicut tristes semper autem gaudentes. Et Propheta: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. *Psal. 93.*

Tertia consideratio.

Aduersitates corporales & luctus sensuales trahunt de per accidens ad luctum bonum. Ex se enim indifferentiam habent ad honestum vel inhonestum. Ita prosperitates & vana gaudia ex op-

C posito vehementer impediunt, propter ea fortuna moderatè aduersa securior est regulariter & optabilior quam multum prospera. Hæc quidem deduxit certum ratione Boëtius. Et sapientis vox affirmat dicentis: Melius est ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, vt viuens cogitet quid futurum sit. Et rursum? Risum putaui errorẽ, & gaudio dixi, quid frustra decipis? Quod si omnia quæ considerationem nostram infor-

D mant de laude tribulationis & prosperitatis deceptione, inducere voluero, non dico partem sermonis, nec sermones integros immo nec libros multos ad hoc suffecturos esse scio. Legatur Chrysostomus in suo de compunctione cordis, Gregorius in moralibus, Guilelmus Parisiensis in suo de virtutibus, de laude tribulationis & paupertate & compilatio illa communis de virtutibus & vitijs prorsus & optima. Bonauentura in stimulo conscientiæ, & alij plures. Et in hac considera-

E tione stabiliri possent omnes beatitudines euangelij hodierni, præsertim prima, & nostra hæc tertia & vltima. Emersit consilium Platonis & similium vt assidua esset mortis meditatio.

Quarta consideratio.

Et si in beatis non erit amplius luctus neque clamor, sed nec vllus dolor, tamen pro hac valle miseriæ ille regulariter qui beatior est, est luctu bono plenior. Consideratio ista ab Augustino ponitur in suo de ciuitat. Dei. Et adeo vera est, quod nul-

F lus vnquam tantum luxit, quantum Christus caput nostrum & benedictus in secula. Non quidem pro suorum, sed pro nostrorum absolutione peccatorum etiam ab instanti suæ conceptionis gloriosæ, vt quidam tradunt. Ita luxit Maria, ita Paulus, ita Petrus & cæteri innumeri, post plenam & certam suorum peccatorum remissionem. Itaque ista tria se hic per communicationem quandam amplectuntur, beatitudo, luctus consolatio. Et ex opposito ad considerationem nostram inferre licet illos esse hominum miserrimos, & à beatitudine remotissimos pro hac vita, qui vel ex eleuatione vel ex vana consolatione vel peccatorum nimia obduratione lugere fugiunt, horrent,

despiciunt. Igitur beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Hæc tandem sumpta sint ex secunda radice in hoc termino luctus adhærente.

A

PRo tertia & postrema ædificij nostri structura consummanda in hoc termino consolatio, repetere non pigeat quid est consolatio. Consolatio est habitus animæ quo inclinatur amplecti quodammodo & venire tibi obiectum sub ratione boni, honesti, & conuenientis apprehensum. Consolatio autem actualis est vitalis & mulcebris motus animæ ex tali habitu & inclinatione consurgens. Ecce quod duo concurrunt ad integritatem bonæ consolationis, apprehensio potentiæ cognitiuæ, & ratio obiectalis honesti & conuenientis. Et quoniam potentia quæ apprehendit si sit indisposita, & ab harmonia debitæ proportionis discrassiata, faciliter decipitur in iudicio, aut quandoque nihil sentit, oportet omnino nostram cognitiuam rationalem bene dispositam esse, si bene per eam quærimus apprehendere & in obiecto conuenientis honestatis consolari. Exemplum à sensualitate sumamus. Da febricitanti vinũ, illud amaricabit linguam eius. Ostende lippo lumen gratissimum, ille conturbabitur. Exulceratum palpa leuiter, tamen non delectationem, sed dolorem acerrimum inferes. Odores suauissimos non sentit reumaticus. Surdastris non est delectamento vox canora dulcisq; simphonia. Non secus æstimandum est de sensibus animæ interioribus. Quid me respicis, quid admiraris, si rationi suos quinque sensus esse dixi? Nonne est in ea vis⁹ spiritualis, quo cernitur pulchritudo, decor & candor lucis illius æternæ, cuius lumen signatum est super nos? Quo visu videre nonne se dicit Apostolus, nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciẽ? Est auditus spiritualis, quo percipitur summa harmonia veritatis. De quo Propheta ait: Audiam quid loquatur in me dominus. Est præterea gustus ad quem inuitabat idem Propheta. Gustate & videte, &c. Est insuper tact⁹ spiritualis, alioquin non dixisset sponsa sponso in Canticis: Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, & osculetur me osculo oris sui. Denique olfactum esse in ratione probat vox eiusdem sponsæ ad sponsum. Trahe me post te, curremus in odorem vnguẽtorum tuorum. Nos verò cogitationes & motiones & sensationes huius quintuplicis sensus radicatæ in vno libero arbitrio hominis, soliti sumus appellare nomine visionis, vt vide quot sonet, quid lędit, & secundum hoc propriè & integrè dicit Augustinus quod visio est tota merces. Nam amorem & dilectionem cum delectatione hoc modo visio in se claudit & hoc modo qui plura diligit, plus cognoscit. Hoc modo contemplatio ad felicitatem sufficit integrandam. Proinde sensibus istis quinque reformatis & sanatis per luctum. (Nam luctus est potissimum ad huiusmodi purgationem & sanationem instrumentum) quis non agnoscat quam vehemens delectatio consequatur ex coniunctione cuiuslibet huiusmodi sensum cum suo obiecto cõuenientissimo? Et quod est obiectum illud? Vtiq; Deus omne bonum, sicut dominus Moysi repromisit: Ostendam tibi omne bonum. Ipse nimirum est visui summa pulchritudo, auditui summa harmonia, olfactui odor suauissimus, gustui panis sapidissimus, tactui summè suauis, intimus & coniunctus. Vide quam coniũctus. Nam qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Hæc omnia Augustinus, Gregorius & Hugo, & cæteri theologizantes, nobis valde impares, passim cãtant, & nos circa pugnas verborum, circa phãtasiarum fumos plus obnubilantes quam illuminãtes, plus fumantes quam flammantes, languemus, artamur, arescimus atque vanescimus vt ob tales fortè dixerit Climacus theologiam non conuenire nisi lugentibus. Et pensate precor, precor aduertite, si sensus naturales & imperfecti, tanta nos oblectatione trahant & rapiant, etiam vsq; ad furiam ex apprehensione obiectorum, planè imperfectorum & plurimum amaritudinis habentiũ, quis existimare sufficiet quanta est illa delectatio, quantus torrens voluptatis sobriæ & synceræ, dum perfectissima potẽtia obiecto suo perfectissimo sub hac ratione quintuplici simul apprehensione coniungitur & vnitur? Hoc sensit intimè qui tam altè clamauit: Quam magna multitudo dulcedinis tuę domine, quam abscondisti timentibus te!

B

Psal. 84.
Psal. 33.
Cantic. 2.
Exod. 33.
Psal. 30.

C

Vellem nobis tempus sufficere ad confirmandam hanc veritatem exemplis illustrissimis sanctorum illorum quorum memoriã recollit Ecclesia. Nam per adaptionem quandam liceret hos quinque sensus ad quintuplicem statum beatorum traducere. Olfactum ad Patriarchas & Prophetas, visum ad Apostolos & discipulos, auditum ad Martyres, gustum ad Confessores, tactum spiritualiter ad Virgines & continentes. Ostenderemus quemadmodum luctus purgauit & sanauit hos sensus in eis septima beatitudine mediante. Et ex descriptione boni luctus illud palã elicitur. Luctus sanauit olfactum à fluido reumate affluentium bonorum terrenorum per paupertatem spiritus in Patriarchis & Prophetis, etiam inter medias diuitias. Luctus purgauit visum ab inflatione superbiæ tumidæ, & ab acri morsu vindictæ felle atque pungitiuæ per mititatem in Apostolis. Luctus purgauit auditum in martyribus ab impletione tremula terrenarum sollicitudinum, & à proprij commodi viscositate per esuriem iustitiæ & misericordiæ impensionem. Luctus purgauit & sanauit gustum in confessoribus, à febrili & sordido humore fœdorũ desideriorum per munditiam cordis. Luctus denique purgauit & sanauit tactum spiritualem in virginibus & continentibus ab inæquitissima prurigine fœdæ carnalitatis per pacem spiritus. Porrò neque lingua dicere neque mens percipere potest, quanta ad hanc sanitatem & reformationem à luctu factam subsecuta sit consolatio, ex magnitudine suorum effectuum, eius plenitudo concludatur. Hæc nempe consolatio suo odore traxit Abraham de terra & cognatione sua, & immolationem proprij vnigeniti nihilipendere compulit. Sic de cęteris Patriarchis & Prophetis suo modo. Hæc consolatio sua pulchritudine ducebat Apostolos gaudentes à conspectu concilij, & cæt. Per ipsius dulcem harmoniam lapides Stephano, ignis Laurentio, Agathę carcer, carbones igniti Tyburtio, Vincentio sartagines dulcescebant. Quid amplius? Per hanc vtique sapidissimam consolationem vasta solitudo eremi, fames, sitis, nuditas, & omnia quæ horrida

D
E
F

horrida & aspera humana mortalitas refugit, ea à beatis confessoribus vltro suscepta sunt. Denique A tenellæ puellulæ hac consolatione diuini amplexus, confortatæ extinxerunt impetum ignis concupiscentiæ infernalis, & eis placuit celibatus nuptiæ despectæ sunt, mors omnium terribilior absq; vllo terrore suscepta est.

Benè ergo habet hoc tertium fundamentum in hoc termino consolatio, validum est sicut præcedentia, & sustineri sine collapsu structuram quadrifariæ considerationis potest.

Prima consideratio.

B Lugentes non solum non contristat quicquid eis acciderit vt de iusto sapiens loquitur, sed etiam ipsos lætificat & consolatur. Ratio in promptu est, quoniam apprehendit quicquid euenit eis, tanquam missum eis à patre misericordiarum & à sapientia diuinæ prouidentiæ, quæ attingit à fine vsque ad finē fortiter, & disponit omnia suauiter, tanquam etiam cooperans in bonum suum secundum Apostolicam sententiam. Si illud mors, sit tribulatio, sit angustia, sit lætum, sit triste eodem C per omnia vultu, eodem luctu, eadem consolatione pugnāt per arma iustitiæ à dextris & à sinistris. Miratur hic aliquis de sanctis nostris, miretur quomodo Epicurus voluptatis assertor dixit (teste Senec.) iocundum esse virtuoso, torreri in tauro Phalaridis. Et dum moriens vermibus scateret, hanc vocem emisit: Felicissimum hunc diem & beatissium ago. Nonne præterea hoc vidit oculatissimus philosophorum Aristoteles dicens in virtuosa omnia consonare rationi. Igitur erant fideles isti philosophi opponet aliquis aut absque D fide intelligi possunt quæ creduntur, vbi est ergo illud: Nisi credideritis non intelligetis? Ego autem quales isti fuerint philosophi, non disputo. Scio tamen nec mētitum fuisse philosophum, nec intellectum talium mercatum haberi posse, absq; præuia fidei saltem informis collustratione. Et fortè veritas sese per ora infidelium sicut olim per asinum Balaam, & per Caipham reuelauit. Propterea ipsos intellexisse plenè quæ dicebant non assero, sed ita tamen sentiendum esse constanter E affirmo. Sed dicunt nos dicere ita, vel ad fauorem fidei, vel religionis adulationem, vel nostræ professionis laudem, quasi videlicet officiū nostrum mentiri sit. Garriant quod voluerint, profectò & si cessaret nunc omnis obligatio ad fidem & religionem, certa tamen & comperta ratio in hac me veritate teneret, beatos & consolatos esse lugentes in multis quoque veritatibus fidei non minus extraneis. Subinde miraculum hoc consolationis in aduersitatibus fit ex gratia Dei specia- F liter & ex forti actuatione rationis in recogitatione diuinæ prouidentiæ, paternæ omnipotentissimæ & sapientissimæ & optimæ. Quæ actuatio fortis vel trahit ad se vel impedit actus inferiorum potentiarum, aut saltem ne suum actuum impediant, dimittit & remittit. Fundatur hoc in illa regula philosophiæ. Maiores motus impediunt minores. Quod autem in Christi passione non ita contigerit, miraculosæ dispensationis fuisse dubium non est. Hic ingerit se corollarium de te beata Virgo, quæ regina cœlorum vocari digna es, quia dum tuam pertransiuit animam gladius passionis filij tui anima tua, nihilominus consolatione plena fuit. Denique ex his elucet quo pacto in sapientem neque iniuria cadit, neque læsio.

Secunda consideratio.

Epicurus collocans hominis felicitatem in voluptate animi, si consequenter locutus est, posuit eam similiter in luctu pro statu præsenti. Itaque dici nequit, quod felicitas nostra sit in voluptate nisi comitante. Non enim ipsa est finis vltimus, sed solus Deus per dilectionem & cognitionem apprehensus. Comitatur autem pari modo de necessitate felicitatem istam luctus consurgens ex apprehensione malorum, vt inhonesta sunt vel honestatis impeditiua. Dicere enim quod cum vitijs & erroribus possit haberi vera voluptas & pax animi est ponere incompossibilia. Dominus erat qui dixit. Non est pax impijs, quoniam natura per os synderesis iugiter vitijs obmurmurat, & per intelligentiam erroribus, quemadmodum lapis extra locum positus, inquietus quodammodo est, cuius signum accipimus quod premit obstantia. Hinc collaudandus est Heraclitus, quem referunt Iuuenalis & Seneca continuè fleuisse, collaudandus si flebat eo fine & circunstantijs quibus oportebat.

Tertia consideratio.

Lugentes qui habitant in sepulchris, qui moriuntur tota die sicut oues occisionis, qui exasperant in seipsis qui renuunt consolari vt consolentur, qui descendunt in infernum viuentes, hoc est, considerando illum sibi præcauent, suscipiunt etiam in hac vita maiorem consolationem quam qui cōsolationibus carnalibus & indignis se totos præcipites dant. Quoniam ibi mox delectatio effluit, & stimuli graues & hami inclusi fixi manent, infœlicem animam corrodentes, adeò quod longè maioris vitæ sunt boni plerique, cum sit in eis secura & læta mens quasi iuge conuiuium, animus verò gaudens ætatem floridam facit.

Quarta consideratio.

Homines corrupti sensus specialiter per sapientiam terrenam, animalem & diabolicam, non plus audiendi sunt non plus consulendi aut credendi, si contra ea quæ diximus de luctu & beatitudine & consolatione latrauerint, quam si porcus laudaret voluptatum culpatis munditijs. Aut quomodo fabricatus, vel mulier prægnās, vel aliter læsus audiretur, si contra sensationes eorū hominum qui sani sunt, disceptarent. Vtrobique enim par est ratio deceptionis, non credendi, corruptio scilicet iudicij ex corruptione potentiæ apprehendentis iudicantis. Propterea de consolatione & beatitudine nostra plus aliquando credendum est simplicibus idiotis, tanquam plus in hoc verè sapientibus, & per experientiam intimam philosophantibus, & qui pro consuetudine & luctu & gratia puros habent sensus interiores, quam alijs quantumlibet eruditis cum suis corruptiuis & fœdis desiderijs obnubilantibus, & amaricare desiperéque facientibus omnem sensum rationis, cuius corruptionis manifestum signum est, quod dolere nequeunt de peccatis. Quid dico nequeunt? Lætantur etiam cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Adeò sensus eorum à sanctitate & à vita bona longè abest, adeò prorsus obtorpuit. Et quoniam

tanta occurrit nobis hodie testium turba sanctorum, sanctarúmque omnium nobis testificantium cum Christo beatos esse qui lugent, quoniam consolabuntur, profectò non minus eis in hoc quam philosophis in alijs suis inuestigationibus credere æquum est. Vtrumque enim par est ratiocinationis fulcimentum in experientia situm: vt palam tradit Dionysius, 2. cap. de diuinis nominibus. Et dominus Anthisiodorensis, in cap. de dono sapientiæ. Licet igitur non sola credulitate, sed etiam cum intelligentijs fideliter asserere thema propositum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Stabilita veritate fidei nostræ super hoc triplici fundamento trium terminorum sumpti thematis, beatitudo, luctus, consolatio, & fide ad intellectionem (sicut arbitror) deducta, non ad meriti euacuationem (semper enim primæ veritati, non rationi fides innititur) sed ad eius contra reprobos irrisores præconium, tota in admonitione transeat & finiatur oratio. Lugentes & pœnitentes, audite cum gaudio præmium vestrum, ne vos absorbeat tristitiæ exercitium. Audite beatos qui lugent, quoniam consolabuntur. Beatus verò luctus ad cuius mensam in secreto mentis cœnaculo 12. fructus spiritus ministrantur enumerati ab Apostolo ad Galat. 5. Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, munditia, continentia, castitas. Salubris luctus qui Ægyptiacam vitiorum turbam funditus mergit, qui capita draconum, hoc est initia malarum suggestionum contribulat in aquis suis, qui super aquas Babylonis sedens & flens, allidit paruulos eius ad petram, qui sordes carnalitatis abluens, obliuionem etiam inducit luxuriæ magnæ, cuius consolationi non miscetur alienus, cui cedit luctus infœlix mundanæ aduersitatis tanquam si clauus clauo retunditur.

Et ô Deus æquissime, si tam obstinatè fugiunt homines luctum, quærentes consolationem, quo pacto non intelligunt, quoniam ideo saltem lugere deberent, vt consolarentur? Experiantur licet quanta est in luctu bona iocunditas, quamuis cortex amarus videatur. Aut si nondum istud experti sunt vel experiri nolunt, credant expertis, credant demonstrationibus philosophicis, fidem habeant his hominibus, qui sicut soli vtramque consolationem experti sunt, carnalem primitus, postea spiritualem, ita soli de vtraque certissimum ex mutua collatione ferre possunt iudicium, quemadmodum fuit Augus, & aliorum plurimi, quibus gustato spiritu, continuò desipuit omnis caro, & horrori etiam fuit. Et audi ex me, parum enim esset auctoritatis experientia mea, sed experto crede. Dic tu nobis Bernarde. Quid de hac consolatione iudicas? Qui semel in contemplatione diuinam dulcedinem degustauit, nescio an ipsam gehennam ad tempus horribilius experiri pœnaliusve ducat, quam post spiritualis studij huius degustationem aut suauitatem exire denuò ad molestias carnis, & ad carnalium sensuum tumultus. Hoc expertissimus talium & testis veracissimus dixit, cui discredere nefas est.

Sed his auditis, suspirat protinus anima ad consolationem hanc habendam, vt igitur lugeat necesse est. Sed lugere volo inquies, nec valeo, quasi videlicet nulla, & non penitus vberrima

A esset fletus materia, & eò maior quò minus fletur. Nihilominus accipe consilium, tu hodie ad aliquem sanctorum conuertere, vt ibi gratiam hanc luctus sua impetret oratio, percutiat Deus silicem cordis tui virga disciplinæ, vt inde profluant aquæ suauissimæ & largissimæ, sic enim à beata illa, quæ fletu diluit peccata, Maria Magdalena quidam luctus gratiam obtinuit, secundum narrationem Guilelmi Parisiensis, in Rhetorica sua diuina, quæ in hac materia sicut & aliæ meditaB tiones sanctorum plurimum est idonea pro concussione mentis ad luctum.

Ecce constituamus ante considerationis nostræ oculos, non in transitu, sed in profundo fixóque intuitu, ad quid geniti sumus quid & vbi futuri sumus, ignoramus. Quid si abesse contigerit propter momentaneam delectatiunculam ab æterno consortio beatorum, quanta esset illa confusio Deus misericordiæ, quanta desolatio. Ite maledicti in ignem æternum. Si fletur lachrymis amissa pecunia veris, si mors amici pœnè nos C examinat, qualecumque infortunium nos temporale conturbat. Hæc omnia ad animæ nostræ mortem quantula sunt. Quale portentum est gestare secum funus animæ propriæ, nec iam gestare, sed trahere ad sepulturam infernalem, & instar phrenetici inter propria mala ridere & iocari, exemplóque vituli qui ducitur ad mortem peculco vanitatis pede saltare? Nonne præterea gaudium præsens sicut punctus est, à quo linea miseriæ trahitur in infinitum? Et qui ducunt in D bonis dies suos, in puncto ad inferna descendunt. Luctus bonus è contra lineam describit gaudiorum & consolationis sine termino duraturam, quoniam breue hic & momentaneum tribulationis in nobis supra modum, immensum gloriæ pondus operatur in nobis per gratiam, & in futuro per gloriam, præstante eo qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

E
ALIVS SERMO FACTVS IN DIE OMNIVM SANCTORVM *per eundem Cancellarium.*



EXVLTATE, quoniam merces vestra copiosa in cœlis, Matth. 5. & sententialiter, Luc. 6. Doctissimi & sapientes viri, venite exultemus domino, quoniam hoc habet hominum communis natura, vt de patria sua nescio qua dulcedine cunctos F loqui pariter audiréque delectet. Non degeneremus igitur ab hoc pio naturalique desiderio, dum de illa mercede cœlorum (quæ verè patria nostra est, patria finalis & æterna) sermonem facere instituimus. Nemo claudat aures, vel alijs tumultuosus existet, obmutescat garrulitas submurmurás, puerilis sibilatio quælibet conticescat, quinetiam seclusis ad tempus, reiectísque omnibus ad animæ ostium pulsantibus, audiamus & exultemus, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Quod vt agere & loqui dignè possimus, dispensatricem mercedis illius exorantes salutemus per illud angelicum: Aue Maria, &c.

Exultate,

Exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Si apud incredulos, & veræ religionis expertes, habendus mihi ſermo eſſet, eniti primum oporteret argumentis ſtabilire mercedem iuſtis, & reprobis ſupplicium poſt hanc vitam non deeſſe.

Quiſquis enim hoc vel negat vel in dubium reuocat, cætera quæ de virtutibus ac pietate diſſerueris facile contemnit. At verò melius nunc mecum compendioſiuſque agitur qui orationem facturos ſum viris, Christiana fide ac pietate diligenter imbutis, quibus certè perſuaſum eſſe debet, & fixa credulitate ſtabilitum, quoniam, qui B bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum. Nec incredula mente ſuſcipiunt vocem noſtri thematis. Exultate, quoniam merces veſtra &c. Nam ſi Deus & remunerator eſt in ſe credentium, quemadmodum publica nedum theologorum, verum etiam philoſophantium, & vniuerſaliter omnium ratione vtentium vox acclamat, alia poſt hanc vitam iuſtis merces neceſſariò ſperanda eſt. Neque enim diuinitatis iuſtitiæ pietatiſque cultoribus ſua merces in hac vita datur, quæ crebertimis exercetur C ærumnis quia omnes qui piè volunt viuere in Christo, perſecutionem patiuntur. Nec deſunt exempla Verte oculos ad quemlibet ſanctorum omnium, quorum celebritas memoratur. Et ſi mortalem præſentis vitæ ſuæ curſum diſcuſſeris, quid oro te niſi durum, pœnale, acerbum, & quodianæ mortificationi ſimillimum reperies? Propter te (inquit propheta) mortificamur tota die. Et apoſtolus: Scitis hæc r.p. ac fratres in Christo præcipui & idoneis teſtibus ſapienter crediditis. D Teſtibus inquam, qui nec fallere vellent, quippe pro ſua aſſertione nihil in mundo hoc niſi tormenta, mortem flagellaque reportantes. Qui nec prætere a falli poſſunt, quia inſpirante Deo locuti ſunt. 2. Petr. 1. Quod ſi quis in hoc cœtu venerando ita perditus eſſet, & indomitæ ad fidem ceruicis, quod nondum futuram ſanctorum mercedem crederet abſcedat peccator, non expectet vt illud ſibi probandum aſſumam, & ingeram ſolem cæcis oculis ſuis. Nam (ô Deus æquiſſime) E quid apud illum ageret mei ſermonis exiguitas, qui tot & tantis incaſſum audit doctiſſimorum ſanctiſſimorumque aſſertiones, teſtimonia quæ credibilia facta ſunt nimis, probationes & oracula, qui & ipſam ſpernit diuinam & cœlicam Christi vocem, dicentem: Exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Vis igitur ſcire ô fidelis anima, nam ad talem mihi ſermo eſt, vis ſcire quam copioſa merces ſit in cœlis, non ego, ſed Dominus ipſe reſpondeat: Gen. 15. Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. O F verè magna merces nimis Deus. Et tam magna prorſus, vt nihil magis poſſet cogitari & quicquid de mercede ſanctorum aliud dixeris, pro rei magnitudine parum eſt, exiguum eſt, indignum eſt. Illa quippe eſt quæ in ſe ſupereminenter habet ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum, & ſuperexcellenter in ſe amplectitur quicquid diuitiarum, quicquid delectationis, quicquid honoris & gloriæ deſiderabile eſt animæ rationali, & vltra in infinitum auctius, perfectius & excellentius. Grandis ſanè excellentia

A atque dignitas creaturæ rationalis. Eam itaque tam capacem fecit Deus vt nihil minus eo ipſam replere poſſit, quietare nihil, nihil ſatiare. Hinc Auguſtinus 1. confeſ. Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te. Qua in re canit propheta: Pars mea Deus in æternum. Et alibi. Portio mea &c. Iterum. Dominus pars hæreditatis meæ &c. Bona vtique pars & magna portio Deus. Et cui non ſufficit, nimis auarus eſt, nimis auidus & ſtolidus. Lætamini igitur in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Si pondus laborum vos premit, ſi propter iuſtitiam patimini, ſi fame, ſiti, frigore corpora veſtra propter Christum atteruntur, ſi ad obediendum Deo caſtigatis corpus veſtrum & in ſeruitutem redigitis, ſi malè ſuaues ſpernitis voluptates, honores vanos calcatis, omnia denique vt ſtercora arbitramini, gaudete quoniam non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Sileat querela de labore, cum tam certa ſpes ſit de denarij diurni perſolutione. Nunc fatigati parumper gemitis, ſed exultate, quoniam &c. Sed animi noſtri naturam agnoſco, ſingularium enumeratione magis capitur & mouetur. Cibus integer minus ſapit, & contrita ſuauius redolent aromata, quamobrem deciſior fiat noſter ſermo de Sanctorum mercede, & ex viſibilibus ad inuiſibilia tranſeuntes, deducamus à poſteriori vt poſſumus, quanta erit & quam multa ſanctorum retributio. Ex his quæ apud nos hic aguntur videnturque, & tanquam aliquo curru vtamur conſideratione ſenſibilium ad ea quæ ſenſum latent, vtcunque latent capienda. Neque enim in ſuo fulgore & lumine videre poteſt à nobis viatoribus, & corporea mole preſſis ſanctorum merces quæ Deus eſt, ſi non aliquibus inuolucris & ſimilibus rerum corporalium fiat obumbratio quædam, prout diuinus dixit pater Dionyſius. Et inter plurima (quoniam tempus & res exigunt) vertamus oculos noſtræ conſiderationis ad almam hanc vniuerſitatem Pariſienſem matrem noſtram, cuius nunc commemorata amplè dicta intueamur diligenter & ſolerter ea omnia quæ ibidem fiunt & tractantur, fortaſſis agnoſcemus, quod ſi tantum delectatur & afficitur animus in bonis minimis. Si tam vehementi ſollicitudine, tam vario multóque ſtudio in vmbra & veſtigio per modicum veri boni noſtri figitur & agglutinatur deſiderium. Si denique ſimilitudines huius pulchritudinis, ſapientiæ & bonitatis, in ſui delectationem tam incredibiliter nos incendunt, inflammant & capiunt, magna eſſe prorſus & miranda non ambigamus, quæ de hac ſanctorum mercede ſperare iubemur & debemus, nec inanem cohortationem eſſe noſtri ſaluatoris: Exultate quoniam merces veſtra &c.

Pſal. 72. Pſal. 118. Pſal. 15.

Aſſurgat igitur noſtra conſideratio ad quadruplex bonum, vel ſi rectius loqui libet quadruplicis boni vmbram, veſtigium & odorem recogitemus. In hac alma vniuerſitate matre noſtra, amari pro mercede, ſiue pariter & conqueri. In artium facultate merces eſt naturalium rerum cognitio, & habitudinis cauſarum ad effectus

quoad bonum quoddam honestum & liberale. In medicinę facultate merces est sanitatis adeptio restauratio seu conseruatio quoad bonum placés & delectabile. In decretorum facultate merces quædam est tranquilla ciuium cohabitatio, pax atque delectatio, quoad bonum conferens & vtile. Postremò in sacræ Theologiæ facultate merces est compositio morum & alta diuinorum contemplatio, quoad bonum heroicum & super naturale. Magnum esse putamus. R.p.& magistri magnum, si vel vnam aliquam ex his mercedibus adipisci contingat. Certum rei huius faciunt iudicium, labor assiduus & iuge studium, vigilamus, lucubramus, & cum multa cerebri vertigine & oculorum læsione libros totos euoluimus: Exulamus vltro à patria dulci, charos parentes linquimus, æstuamus algemus, siti, fame, pauperie, & mille incommodis afficimur, dura quælibet & aspera perpetimur. Ad quid ista, nisi vt vel in vna vel pluribus prædictarum facultatum excellentium, mercedis quam pollicentur assequi valeamus? Et tamē obsecro in his omnibus, quid perfectum, quid solidum, quid ve satiatiuum, immo si veritas acri iudicio metiatur, quid non diminutum, inane, anxium superuacuumque reperies?

Potest attamen tanta nos efficacia, talis spes ex illis attrahere, immo & impellere, vt in tot grauibus & molestis studiorum laboribus gaudeamus, iocundemur & exultemus. Quale hoc & quantum est argumentum ô scientifici & præcellentes viri de æterna mercede sanctorum, si sic temporale & momentaneum nos condelectat præmium de felicitate patriæ. Si sic placere potest exilium vallis miseriæ, de veri summiq; boni superplena gustatione, si tātum saporis est in eius pertenuissimo odore. Quamobrem omnes qui speratis in Domino, quorum conuersatio in cœlis est, qui sapienti consilio non facitis de naufrago mari portum, de via vbilibet obsessa terminum, nec habetis hic manentem ciuitatem, sed cum apostolo futuram inquiritis, Exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Quod si diutius in præassumptam similitudine vera fari libet, quatenus ex his quæ animus nouit, surgat ad cognoscenda quæ non nouit, & per ea quæ didicit amare, discat & inuisibilia diligere. Ostendamus vt possimus in vniuersitate illa supercœlesti (quæ est mater nostra & libera secundum apostolum) perfectissima sincerissimaque veritate constare omnia quæ in hac inferiori vniuersitate, tanquam in eius figura quadam & imagine, non sine multa imperfectionis admixtione continentur. Nunquid vniuersitas illa supercœlestis grammaticam habet sermonis congruitate, elegantia & proprietate venustissimam? Nulla solœcismorum & barbarismorum vitia, nulla barbaries incognita. Nulla subinde verborum sentētiarumque ieiuna pauperies. Secūdum hanc beatissimi spiritus illi angelici & humani, quorum celebritas agitur, nunc mutuo, nunc cum Deo cogitationes intimas affectionésque loquuntur & audiunt. Multos enim aut surdos eas quis dixerit, cum audiat apostolum. 1.Cor.13. Si linguis hominum inquit, loquar pariter & angelorum &c. Et Esa. infert Seraphin clamare. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth & talia sunt absque numero. Verum quomodo fiat ista locutio, quia nuper & olim disseruisse quod sentiebam memini, non repeto. Vos igitur qui grammaticam diligitis, exultate, quoniam merces vestra multa &c. Ad logicam vero transeamus. Cuius officium est à falso verum discernere. Sed ô veritas, quanti apud nos reperiuntur fallaciarū laquei, quod falsigraphæ & fucatæ sophismatum tendiculæ? At verò in vniuersitate illa cœlesti & mercede sanctorum abest omnis ab eorum logica deceptio, neque falsum aliquod veri faciem assumit, nuda fulget veritas, & velamine nullo falsitas operitur. Siue beati illi vtantur syllogisticis enthymematicisque discursibus. Seu potius (vt quibusdam placet) vni correctóque intuitu cognoscant omnia vel in verbo tanquam speculo lucidissimo & exemplari perfectissimo cuiuslibet veritatis, seu etiam in genere proprio & hoc per verbum productum in anima ad similitudinem verbi diuini, quod in se simplex existens sententiosissimum est, & numerosæ veritatis expressiuum. Qui igitur logicam excolitis, exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Porro in rhetorica beatissimas atque fœcundissimas incolas vniuersitatis illius cœlestis abūdare certissimum est, non ad abusum, qualis apud nos inuenitur, ad mentiendum facile, ad ridendum mordaciter, ad fallendum vafrè & nequiter, ad nectendum calumnias insontibus, denique ad attollendum contra veritatem mendacium, ad confundendum fásque nefásque. Sed rhetorica talis inibi regnat, per quam incessabili voce, & oratione decora, iocunda & florida, in hymnis omnimodis & psalmis Dei laudibus occupantur per quam insuper sancti omnes tanquam rhetores peritissimi & patroni, aduocatiq; disertissimi fidelissimi & placidissimi deflectunt iram iudicis, peccatoribus veniam, iustis gratiam & gloriam impetrantes. Nobis idcirco peccatoribus, quorū causa inquam perdita est, confugere saluberrimū est consilium ad tales eloquentissimos oratores, hodie præcipuè, quoniam multiplicatis intercessoribus Deus abundantiam suæ pietatis fauorabilius largietur. Qui igitur rhetoricam colitis, exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Cæterum si mathematicales scientias, geomotricam loquor, arithmeticam, musicam & astronomiam, in cœlis ponimus, non fallimur, non quod talis per omnia sit vsus scientiarum huiusmodi apud illos, qualis apud nos existit. Lōgè perfectior est atque diuinior, vbi omnia nudè, conspiciuntur facta in numero, pondere & mensura. Musicam prę cęteris ita illic exerceri perspicuum est: vt non alia videatur sapientissimo Augustino esse beatissimorum illorum spirituum occupatio, quam vt pleni sint modulis in laude & canore iubilo, vbi vna vox est lætantium, ardor cordium. O felix illa ciuitas in qua magna solennitas, & in qua iocunda curia, quæ curæ prorsus nescia. Nam sicut lætantium omnium habitatio est in te. Idcirco beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabūt te, & cantabunt canticū nouū, in choro & tympano, chordis & organo. Totus præterea mundus concinet auribus beatorum carmen pulcherrimum,

cherrimum,& harmoniam numerosam,suauémque resonabit. Ita etiam (vt quod mireris) infernales gemitus,stridores horridos & rabidi vlulatus dæmoniorum cõcurrunt ad integritatem melodiæ huiusmodi dulcisonæ, quia in inferno tenor est iustitia, & in cœlo mollior cantus misericordia. Iuxta illud: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Quod profundè notatum est in hymno paschali. Cum enim præmittitur. Aurora lucis rutilat &c. subinfertur pro integritate carminis, gemens infernus vlulat. Amplius essentialis beatitudo sanctorum instar tenoris cuiusdam inenarrabilis perseuerat. Accidentalis verò instar discantus varij, nunc intensior accrescit altius,nunc remissior depressius sonat. Qua in re nihil esse dicit deuotus Bernardus quod magis statum gloriæ cœlestis repræsentet,quam alacritas Deum laudantium, eique iubilantium & exultantium hilaritas. Hilaritatem intellige non petulantem,effrenem,dissolutam, & nescio quo lenocinio notularum lasciuam, & eiusdem repetitione fastidiosam, quasi perstrepunt magnatum templa,domus siue conuiuia. Hæc nempe hilaritas in se plus libidinosæ & vesanæ dissolutionis, quam spiritualis suauitatis quicquam habet. Ipsa verò hilaritas deuotorum sobria est grauis,modesta,& ineffabilique dulcore rapiens animum dilatans & absorbens,vt se iam non capiat, in se deficiat, fiatq; nescio qui spasmus, extasis vel excessus vt alaudam & philomenam videre est canẽdo deficere. Vel tunc exultat animus, id est extra se saltat per gestus corporis,decoros tamen,& iubilat inenarrabiliter.Hunc verò musicalem succentum non admittit nisi puritas cordis, verumque illud.Laus iocunda sit decora, quoniam voci cõcanora puritas est cordis. Ex his & alijs quæ circa facultatem artium aguntur, per quæ quid agitur in cœlis vtcunq; cognoscimus,colligite p.d. & f. quam rationabiliter exhortatur nos rector vniuersitatis illius dicens: Exultate &c.

Subsequenter obijcitur nostræ considerationi facultas medicinæ, cuius finis est sanitas, res omniumque hic optantur,desideratissima,quamquã innumerabiles sint morborum species, quibus mederi ars humana non sufficit. Satisque ad hanc rem probationis affert ipsum senium, quod vlla nequit arte restaurari. Quid autem in cœlis, vbi nec languor, nec senium, non mors, non æstus febrium, sed perpetuo vigore iuuentutis quatuor dotes corpus ipsum ornant, perficiunt, consolidant, vt sit præfulgidum, agile, peruium, pulchrum, impassibile.Exultate ergo quibus cura est sanitatis, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sed est fortasse quispiam,cui regnorum & principatuum placeret regimen,leges decretáque cognoscere, cognitas ad ciuium pacem & amorem dirigere, & per has coercere flagitiosos, & præmijs iustos allicere. Conformiter dicto egregij poëtæ quod pro singulari laude Romanis attribuit.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Æneidos.6. Sed ô quot anxietatibus,& plerumque frustra in his laboratur, quam sæpenumero pro pace discordia, pro vnitate lites atque diffidia, pro requie demum inquietudo acerbissima suboriuntur, vel ob onerosam multitudinem legum,& inuolutam canonum perplexitatem, aut
A quod subuertunt iudicum animos, spes, metus, mœror,gaudium. Aut maximè quia peruersi difficile corriguntur: & stultorum infinitus est numerus. Sic certè stultorum, vt glorientur cum malefecerint,& exultent in rebus pessimis. Qualiter exultant si me interrogas, quia profectò extra naturam suam, & in beluinam brutalitatem sese deijciunt & omnis exultatio talis maligna est. Iac.4.Sed ô verè beata ciuitas illa cœlestis vniuersitatis,vbi rex vnus Deus est, vnica lex charitas & hæc pace æterna colligat suos ciues, & opulentis-
B sima pascit in requie,obedit úrq; propheticæ monitioni,filiæ Sion exultẽt in rege suo.Exultate & vos quoniã merces &c. Ad postremũ conuertamus oculos mẽtis ad diuinã illã sacramq; Theologiæ facultatẽ, per quam bonũ heroicũ & diuinum cõtemplando adipisci satagimus, & sanè sic adipiscimur dum verborum doctrinam operibus cõpleamus. Tunc enim exultabimus,id est extra nos in cœlum & Deum saltabimus & leuabimus nos supra nos ad instar solitarij. Et hic obsecro &
C obtestor vos per hodiernam (quæ magna est) celebritatem,& per illum qui ait: Beati qui audiunt verbum Dei & cu.il. Et rursus: Qui ex Deo est, verba Dei audit,quatenus sustineatis me modicũ adhuc in sermone meo. Nunc enim ad altiora profundioráq; hodierni euangelij mysteria pergere disposui, & nisi me mea fallit æstimatio,libenter audietis.Summus itaq; theologus & doctor noster Iesus Christus in doctrina sua sublimissima,& à communi hominum sapientia alienissima, in euangelio hodiernæ celebritatis septẽ
D saltus edocuit sub numero septem beatitudinum, per quos iter in cœlum,& copiosa merces apprehenditur, nunc in spe scilicet & prægustatione quadam spiritus,tandem in re,&plena perfectáq; fruitione.Hæc sunt testimonia Domini: de quibus propheta: Hæreditate acquisiui testimonia &c. Hæc est mystica Iacob scala, vbi beatus ille vir cuius est auxilium abs te,nunc ascensiones in corde suo disposuit, & vadit de virtute in virtutem,donec videatur Deus Deorum in Sion. &
E quamuis vnicus in genere sit saltus, quem Augustinus posuit amorem Dei vsque ad contemptum sui,sicut è contra amor sui vsque ad contemptum Dei mergit in infernum, nihilominus septuplex hic gradus aut saltus in specie numeratur quibus exultant,id est extra se saltant & saliunt sancti in gloriam cœlestis mercedis, & per eos deducit Dominus populum suum in exultatione, Dominus ille qui ascendit, iter pendens ante eos, qui exultauit vt gigas ad currendam viam, à sum-
F mo cœlo egressio eius &c. Primus saltus est à rebus istis sensibilibus & diuitijs mundanis abstractio, dum ipsa ponit seipsam super res istas temporales, in altioráque surgit, & fit cœlo proximior. Hoc faciunt pauperes diuitias contemnentes, & subiectas pedibus humilis affectionis conculcantes. Ex opposito viri diuitiarum eis misero modo suppeditantur, & sicut onus graue per cupiditatis molem grauantur super eos, propterea diuitiæ sunt eis quasi mola asinaria ad collum suspensa,qua nitentes sursum saltare, retorquentur in profundum, quemadmodum de saxo Sisyphi poëtica est fictio. Et apostolica vox cla-

mat. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationẽ & in laqueum diaboli. Noli igitur cum sarcina diuitiarum & cupiditatis visco in cœlum saltare, tutius (mihi crede) consilium est, vt paupertatem spiritus arripias leuem, expeditam & liberam, quoniam (si Esaiæ credis) pauperes homines in sancto Israel exultabunt. Secundum saltem operatur secunda beatitudo mititatis seu mansuetudinis. Et hæc fit non tantummodo super res istas temporales, quinetiam super ipsos homines qui nobis viciniores sunt, à quibus plerumque grauatur saltator cœlestis iniurijs, molestationibus, contumelijs probrisque. Sed in hoc saltu super homines & ipsorum incommoda erigitur homo per mansuetudinem & sic erigit, vt in eo nihil turbationis inferre valeant nihil læsionis sed à talibus iniuriarum insultibus sursum magis impellitur, & Dei cooperatione attollitur. Probat hoc verbum Psal. Exultauit mansuetos in iterum. Et iterum: Suscipiens mansuetos Dominus, suscipiens, expone sursum capiens humilians autem peccatores & subijciens vsque ad terram. Hic exclamatio illa ad Dominum. Exultatio mea. i. saltatio mea, erue me à circundantibus me. In tertio gradu scalæ beatificæ & mysticæ, constituitur saltator noster cœlestis, dum transilit proprium corpus, & exemplo Abrahæ egreditur de domo patris sui, qui in primo saltu reliquerat terram suam, & in secundo dignationem suam, conformiter ad verba scripturæ in Gen. Egredere de terra, ecce saltum super opes terrenas. Et de cognatione tua, ecce saltum super omnes cognatos & affines. Et de domo patris tui, ecce saltum super sensus proprios corporales. Quid enim congruẽtius significat domus patris, quam contubernium proprij corporis? Quisquis verò ad hunc gradum tertium molitur ascendere, vt salubriter lugeat necesse est. Cur ita vt lugeat? Quia certè nisi per fletum lachrymarum exoneretur sensualitas à malis cupiditatibus intro nascentibus ex putri fomitis corruptione, & nisi diluuio aquarum talium submergantur Ægyptij vitiorum, confestim sensualis Pharao cum equitibus suis animam Israeliticam sursum nitentem comprehendit, comprehensam circumligat funibus peccatorum, & circumligatam trahit & detrudit in damnationis abyssum. Veraciterque tunc potest exclamare miserabilis homo, talis: Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et rursus. Intrauerunt aquę vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi &c. Sed tanto discrimini quale propinabitur remedium? Vtique luctus & lachrymæ. Ad quid ita? Vt reductis aquis maris, aquis scilicet amaræ pœnitudinis super Ægyptios sensualitatis, ascendat anima gratulabunda libertate per desertum huius infelicitatis, in terram cœlestis promissionis. Recogitet vehementer, profundè ac frequenter statum suum, conditionem suam, finem suum. Audiat quam terribilis in consilijs Deus super hominum. Penset quam incerta super ipsam sunt diuinæ seueritatis seu misericordiæ iudicia. Clamet proinde cum Anselmo: Heu vbi sum, & vbi non sum quæ vbi futura sum nescio. Ponat assiduè coram oculis suis in lumine fidei, quanta eam si rectè vixerit, merces manet in cœlis. Sin autem, quam horrenda addicenda est supplicio. Sic ô Domine exultauerunt filiæ Iudæ, animæ videlicet confitentes, propter iudicia tua. Sic post fletum & lachrymas exultationem inducis. Tob. 3. Sic proinde qui seminant in lachrymis in exultatione metent. Hæc est exultatio cum tremore, per quam anima deserit propriam carnalitatis domum, & ab omnibus voluptatum illecebrarumque tenacibus vinculis semet absoluit. Et siquidem tres isti gradus scalæ nostræ euangelicæ incipientes respiciunt. Subsequens gradus proficientes decet, quem per quartum beatitudinis saltum attingimus. Et hic est esuries sitisque iustitiæ. Hic anima seipsam exit & esurit, dum affectu commodi seposito non iam quęrit quę sua sunt, sed affectione iustitiæ tota succenditur, & ipsius esuriæ sitisque torquetur, dicens: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore, cum illis de quibus propheticus sermo est ad Dominum, in iustitia tua exultabunt, sicut exhortatur alibi. Exultate iusti in Domino. Iustos accipe qui esuriunt sitiuntque iustitiam. Tunc hoc agit anima, tunc exilit & exultat dum eleuata triplici gradu priori, videt adhuc quam longè sit ab illa iustitia beatorum quam impar existat tali tantæq; retributioni gratiarum & laudum, qualem & quantam apud se meretur creator suus, reparator suus, protector & saluator suus, & agnoscens imperfectum suum, iam non in se manet sed clamãs exultat: Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.

Isa. 29. Psal. 149. Psal. 146. Psal. 35. Gen. 12. Psal. 37. Psal. 68. Psal. 32.

Priusquam ad vlteriora pergamus, attendere libeat sub palpabili manuductione, qualiter in meditatione nostra sic exardescit ignis dilectionis diuinæ, quemadmodũ in ipsa lignorũ exustione prospicere est, de quibus in Psal. Exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini, qui ignis consumens est, secundum alium prophetam. Primò omnium consumitur humiditas extrinseca alium de concreta conformiter ad abiectionem diuitiarum. Dehinc cortex vicinior cum suo humore resoluitur, habes secundum gradum. Subinde calor intimius agens penetrat poros, eósque ab humore naturali sensim euacuat, habes tertium. Deinceps dominatur ignis super lignum adeò quod propriam incipit deserere formam substantialem, habes quartum. Relinquitur tandem carbo viuus, vbi iam nõ est fumalis euaporatio, non flamma subobscurior queadmodum in prima duplicitate. Nec est ibi volatilis scintillarum crepitus, nõ rapax aut sonorus vel stridulus ardor, velut in tertio gradu & quarto. Sed illic est igneitas quædam per lucida & quieta, totum carbonem succendẽs, illuminans, & tranquillè possidens, incorporans & veniens. Vbi res inuenies reliquos gradus, plus ratione quam tempore distinguibiles, ardorem videlicet, fulgorem, & quietum viuificumque calorem.

Psal. 95.

Et hic status respicit tres nouissimos gradus scalæ euangelicæ, secundum tres saltus beatitudinis trinæ, qui gradus & saltus sunt perfectorum, qui iam vltra semetipsos abeuntes, cum angelicis etiam spiritibus conuersantur in cœlis, & pedibus synceræ contemplationis in ipso Deo gradiuntur & exultantur.

Nec

Nec mireris si extra se animam in Deo saltare posuerim, cum dicat Gregorius angelos in Deo currere, & Maria in cantico: Exultauit inquit, spiritus meus in Deo salutari meo, quod esse futurũ vnus prophetarum Abacuk posuerat. Exultabo ait in Deo Iesu meo. Et Apostolus. Siue inquit mente excedimus Deo &c. Sunt planè in ipsa etiam Trinitate (si dicere fas est) secundum tria appropriata, tres animarum saltus siue exultationes, conformiter ad tres nouissimas beatitudines. Prima exultatio est misericordissimi amoris in spiritusancto, qualiter exultauit Christus in spiritusancto, sicut habetur Lucæ 10. Propterea beati misericordes, quia misericordiam quæ spiritui sancto propria est, consequentur. Secundam exultationem intelligo purissimè & mundissimè cognitionis in filio, in quem credentes (inquit Petrus) exultabitis lætitia inenarrabili. Idcirco beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. In tertia exultatione est pacatissima & imperturbabilis quies in ipso patris secretissimo altissimoque refugio. Nã beati pacifici, quia filij Dei vocabuntur. Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohęredes autẽ Christi. Tunc in pace factus est locus animæ, & habitatio eius in Sion. Ibi filiæ Sion filiæ pacis exultant in rege suo. Et quælibet secura dicit: In pace in idipsum, dormiam & requiescam. Ad hanc inuitabat Apostolus ad Colos. scribens: Pax Christi exultet in cordibus vestris: Hinc Petrus dicit: Bonum est nos hic esse. Et Paulus: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Hic requiescit anima in monte sancto Domini. Hic Rachele mortua, amantissimus Domini Beniamin nascitur in mentis excessu. Hic in cœlo mentis sereno apparet signum magnum mulier amicta sole, & luna totius mutabilitatis sub pedibus eius. Hic est pax quæ exuperat omnem sensum in qua pace si perficiatur, consistit felicitas & sanctorum merces, secundum deductionem Augustini. Hic Abraham ad ostium tabernaculi in feruore diei Deum suscepit in angelis. Hic Iacob, vitiorum supplantator, in lucta fortis est erga Deum, & carnalitatis neruus in femore marcescit. Hic Moyses diuinam intrat caliginem. Hic Aaron propiciatorium fœderis, & sancta sanctorum intrat. Hic Helias ad ostium speluncæ videt Dominum in sibilo auræ tenuis, post vehemẽtem spiritum &c. Idem postmodum in igneo curru amoris, in cœlũ subuehitur. Hic dicit Dauid in mentis excessu, omnis homo mendax. Hic sanctuarium Dei intrans, considerat nouissima peccatorum. Hic Salomon euectus, dum clamauit: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Hic anima osculatur Deum osculo oris sui, & in sui sponsi cubiculo cum amplexibus conquiescit. Hic tandem Ioannes est in spiritu, & nouissima contemplatur. Exultate igitur exultatione septemplici, correspondenter ad septem beatitudines in euangelica scala numeratas, secundum triplicem statum, incipientium, qui animalis est, proficientium, qui rationalis, perfectorum: qui spiritualis iudicatur, secundum Bernardum ad fratres de monte Dei. Status imperfectorum languet amore casto & diuino, quia per ipsum quodammodo incipit decoqui, & non absque grauibus molestijs ad innatorum vitiorum scoria & rubigine

Psal. 12. *Colos. 3.* *Marci. & Lucæ 9.* *Psal. 115.* *Eccles. 12.*

permundatur. Sic erat qui dicebat: Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum vt annuncietis ei, quia amore lãgueo. Et rursum: Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo. Porrò anima in statu perficientium amore iam moritur, dum talibus caret molestijs. Idcirco dicta est fortis vt mors dilectio. Denique in statu perfectorum anima post languorem & mortem, viuit amore quo viuebat Apostolus, dicens: Viuo ego, iam non ego, viuit in me Christus. Vide figuram in Christo, languit in passione, mortuus in tumulatione, vixit in resurrectione. Sic semen humi iactum premitur, alteratur, dehinc moritur, tandem in fructu viuificatur. Sic regina Sabba dum videre vult regem Salomonem, prius vexatur in itinere, post hoc moritur stupore, non enim erat præ stupore vltra in ea spiritus, 3. Reg. 10. Demum viuit lætitia & exultatione, iubilans & exultans: Beati inquit viri tui, & beati serui tui. 2. Paral. 9.

Supersunt plurima, quę prolixitatis odium subticere compellit, sed fingamus nunc quin potius sanctos sanctásque omnes, quorum merces copiosa est in cœlis, nos allocutione blãda & amica taliter exhortari. Exultate charissimi, exultate. Et ad nostram beatam societatem propero saltu virtutis occurrite. En adsumus, en expectamus, en promptos cernitis, ferre petimus auxilium, tum orationibus nostris ad Deum, tum protectionibus erga rugientem inimicum. Fuimus quod estis, nemo desperet, nemo excusationes quærat in peccatis. Erat par in carne fragilitas, similem hostium rabiem experti sumus. Quid autem? siquidem cor nostrum & caro nostra exultauerunt in Deum viuum, & in vmbra alarũ suarum exultauimus. Adhæsit anima post eum, nos suscepit dextera eius, & liberati sumus. Atq; eundem qui copiosa merces est inamissibiliter attingimus, idem vobis qui & nobis fuit auxiliator, est Dominus. Idem triumphus repromittitur, similis merces si exultantes in Deo exultaueritis, reseruatur. Verum si mercedis præmium placet, non terreat labor certaminum. Vnusquisque enim propriam mercedem accipiet secundũ laborem suũ. Quod si absq, vlla fictione nos amatis, & amantes honoratis, nostrũ diligite consortium, nostra vota complete & vehemẽs, quod de vestra salute gaudium capimus, frustrare nolite. Pigeat tamen aliquando, immo, & pudeat tot dura, aspera & horrida pro perituris quotidie perpeti, & pro insano amore mortalium tam indignè contumelioséque torqueri, vt indignius pereatis, ad nostrũ verò tã iocundũ, tam amabile, serenũ & desiderabile consortiũ lentis aut languidis vel emortuis affectibus aspirare & nequaquã ardua infractáq; ceruice, ad horam breuis ætatis exultate, vt in perpetuũ conregnetis, vbi tamen merces vestra copiosa est in cœlis. Si hæc & huiusmodi insonarent modo nostris auribus, illa felix beatorũ concio, illa superna sanctorũ ecclesia (ô doctissimi & sapientes viri) quid ageremus? quid cuperemus? quo pacto æstuaremus? quis nostrum est qui non totus exultaret? quis hoc audiens, non erubesceret putrescere iacens in peccatis? Quis non potius assurgeret saliens & exultans in Deum viuum, quoniam copiosa merces est in cœlis.

A B C D E F

Nihilominus si non in infidelitate obsurduerimus, sic dicunt sic vocant, sic acclamantes alliciunt. Obtemperemus igitur vocantibus amicis & talibus amicis, vt ad cœlestes nuptias inuitantes verecundia repulsa nequaquam confundamus, non reijciamus oblatam vltrò mercedem dum licet & tempus est, sed exultemus toto conatu mentis vbi nostra merces copiosa est in cœlis, quod ipse concedere dignetur regum & Dominus dominantium, qui est sanctorum suorum copiosa merces. Amen.

ALIVS SERMO FACTVS IN SOLEMNITATE OMNIVM *sanctorum ab eodem.*

VIDENS Iesus turbas, ascendit in montem. Matth. 5. Doctissimi ac sapientes viri, talis tantáque est diei huius celebritas, vt in collaudatione huius abũdantia magis laboremus quam inopia. Etenim in viarum simul occurrentium multiplicitas, viatorem quandoque turbat amplius, quam promoueat, verumque fit illud decepti amantis apud Nasonem: Inopem me copia fecit. Si enim vnus aut alter sanctorum famabilium, omni laude humana superior esse ab eloquentissimis viris sæpe confessus est meus sermo qualis erit, qui præconia non vnius aut paucorum, sed omnium complectatur. Adde quod hic vberrima & longè varia loquendi materia suppetit, tum de ciuitate superna, de qua gloriosa dicta sunt, tum de præmio beatorum tam essentiali, quam substantiali in anima, & consubstantiali in corpore, & actuali in vtriusque. Denique de virtutibus omnibus, de donis, de beatitudinibus, alijsque ornamentis quibus sancti tui in gloria nunc triumphantes, & olim in vita agonizantes, perditi sunt & fuerunt. Quod si omnia nunc dicere voluero, vanus erit & inexplebilis conatus meus, incidamque in illud: Omnia qui dicit, nihil dicit. Propterea vnum tantummodo quod isto sermone dici, illud penitus in exemplum reliqui nunc aggrediar, illius auxilium in quam velut in montem Iesus descendendo per Mariam matrem, ascendit implorantes, præsentemus illi aue angelicum: Aue Maria &c.

Videns Iesus turbas &c. Obsecro doctissimi & sapientes viri, omittamus interim corticem literalis materiæ & interiora mysteria penetrantes, verba hæc nostro proposito coaptemus, vt in primis neminem conturbet, quod de Iesu solo verba hæc contexta sunt, quoniam tanta est capitis membrorumque connexio, vt quod de capite Christo dicitur, dicatur & de quolibet sanctorum, quod videns turbas ascendit in montem. Sed quo ascensu & ad quem montem? Ascensus iste non pedibus corporis, sed pijs affectibus atque virtutibus perficitur. De quali ascensione loquitur ad Deum propheta: Beatus inquit homo cuius est auxilium à te, ascensiones in corde suo disposuit in val. la. in lo. q. po. Porrò mons iste ad quem ascenditur, mons Sion est, mons coagulatus, mons pinguis, in quo beneplacitum est Deo habitare, iuxta illud quod ibidem subinfertur. Etenim

A benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem vi. Deus de. in Sion. Cæterum à turbis secedere & in alta ascendere, conuenit iuxta numerum septem beatitudinum in euangelio hodiernæ celebritatis enumeratarum, priusquam veniat anima ad Deum & ad montem sanctum eius, nunc in spe per speculum & enigma, tandem in re per nudam perspicuam visionem.

B Et in huiusmodi qualicunque deductione nunc ad nostram exhortationem, nunc pro sanctorum collaudationem versabitur sermo noster. Et quamuis vnicus in genere sit ascensus in Deum & in montem sanctum eius quam ascensum August. posuit amorem vsque ad contemptum sui, sicut è contra amor sui vsque ad contemptum Dei mergit in infernum. Nihilominus septuplex hic ascensus in specie numeratur, quasi totidem gradus mysticæ Iacob scalæ, vbi sunt angeli ascendentes & descendentes, & Dominus innixus scalæ. Gen. 28.

C Primus gradus vel primus ascensus est à turba rerum istarum sensibilium & diuitiarum mundanarum. Quem facit paupertas spiritus. Beati inquit pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Contemnens itaque anima deuota temporales copias aurum & argentum cum suis sequelis, easdem contemptui suo sibique subijcit, subiectáque pedibus humilis affectionis calcat, & calcatis dominatur. Si quidem ita figuraliter promittit Dominus per Moysen: Omnem locum quem calcauit pes vester,

D vester erit. Pedem intellige affectionum.

Hinc fit vt anima in sursum altius erigitur velut super aggerem grandem constituta, & cœlestis montis cacumen iam redditur cœlo proximior. Ex aduerso viri diuitiarum eis misero modo suppeditantium, quoniam turba huiusmodi rerum terrestriũ sicut onus graue per cupiditatis molem grauatur super eos. Propterea diuitiæ sunt tali animæ tanquam mola asinaria ad collum suspensa, quæ animam nitentem mon-

E tem ascendere retorquet in profundum, quemadmodum de saxo Sisiphi poëtica est fictio. Hinc apostolica vox clamat: qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli, & tentationes & desideria multa nociua & inutilia quæ mergunt hominem in interitum. 1. Timoth. 6. Tunc ergo in montem contemplationis cœlestis scandere satage tutius est (crede mihi) vt paupertatem spiritus arripias, leuem, expeditam & liberam. Per hanc enim ascendit Christus in montem &c.

F Secunda turba est hominum, qui plerumque contumelijs, molestationibus & iniurijs & alijs mille modis impediunt ascensum in montem, quamobrem vt anima sancta ipsos transiliat necesse est. Hunc verò saltum & ascensum operatur secunda beatitudo mititatis seu mansuetudinis. Mititas quippe erigit homines super homines, vt nihil eis turbationis inferre valeant, nihil læsionis, quin potius ab his compressionibus per iniurias probra, molestia, sursũ magis impellũtur, & sicut arca Noë crescẽtibus vndis tribulationũ, sublimius attollitur & tandem fortius ascendit in montem. Tertia turba est turba passionum ex originali

originali fomite in hoc moribundo corpore scatentium, quemadmodum spes, metus, mæror, gaudium & similia. O turbam turbulentissimam turbam nostra omnia miseris modis conturbantem, turbam deniq; cum omnibus tum præcipuè adolescentibus infestam & fœda eos colluuione sordidantem. Hanc turbam egredi non aliter facile est quam per tertiam beatitudinem qua dictum est. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Cur ita necesse est? quia certè nisi per fletum exoneretur, lauetur & purgetur sensualitas à malis cupiditatibus intro nascentibus ex putri fomitis corruptione, nisi insuper diluuio aquarum talium summergatur turba Ægyptiaca vitiorum confestim sensualis Pharao cum curribus & equitibus suis animam Israëliticam sursum nitentem comprehendit, comprehēsa circumligat funibus peccatorum, circumligatam quoque trahit & detrudit in damnationis abyssum. Tunc veraciter exclamare potest miserabilis anima talis. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Et rursus: Intrauerunt aquæ &c. Tanto ergo discrimini quale propinabitur remedium vtique luctus & lachrimæ. Ad quid ita? vt reductis aquis maris aquis sc. pœnitentiæ super Ægyptios sensualitatis, ascendat anima per desertum huius infelicitatis in terram promissionis & in montem Dei Iacob. Sed animæ tali vnde luctus & lachrimæ? Vndique & abundè. Recogitet anima talis vehementer profundè atque frequenter statum suum, conditionem suam, suum quoq; finem. Iudicet quam terribilis Deus in concilijs super filios hominum, penset quam incerta sint super ipsam diuinæ seueritatis seu misericordiæ iudicia. Clamet proinde cum Anselmo. Heu vbi sum & vbi non sum, quæ vbi futura sum nescio. Ponat assiduè coram oculis in lumine fidei quanta eam si rectè vixerit, merces manet in cœlis. Sin autem quam horrendo addicenda est supplicio. Tunc lugebit & lugens ab omnibus voluptatum illecebrarum turbis irridentibus semet absoluet, & ascendet in montem. Et quidem triplices isti priores gradus vel ascensus scalæ nostræ euangelicæ quibus ascenditur in montem respiciunt insipiētes, & in ipso Abraham figurati sunt de quo habetur Gen. 12. Egredere de terra tua, ecce ascensum vel egressum à turba opum terrenarum quoad primam beatitudinem. Et de cognatione tua, ecce ascensum ex turba hominum, qui cognati sunt & affines secundam beatitudinem. Et de domo patris tui, ecce ascensum super sensus proprios corporales & suarum turbam passionum. Quid enim congruentius significat hic domus, patris quam contubernium proprij corporis? Et hoc quo ad ad tertiam beatitudinem. Subsequens gradus & ille est quartus, decet ipsos proficientes vbi anima seipsam quodammodo exit, dum proprias affectiones commodi tanquam turbas aliquas intimas deserit, hoc per quartam beatitudinem quæ est esuries, sitisque iustitiæ, per hanc autem affectu commodi deposito, non iam quærit quæ sua sunt, sed affectione iustitiæ tota succenditur, & ipsius esurie sitique contrahitur in sublimius montis. Quo pacto sic ipsa anima eleuata triplici gradu priori superat turbas prædictas.

Mat. 5.

Psal. 37.
Psal. 68.

Sed adhuc quam longè sit ab illa iustitia beatorum, recogitat, quam impar existat tali dignitati, tantæque retributioni gratiarum & laudum, qualem & quantum meretur apud se creator suus, reparator suus, protector suus & saluator suus. Denique agnoscens imperfectum suum iam non in se manet, sed deficit à se & in salutare Dei conscendit cum propheta dicens: Deficit caro mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Ita anima deficiendo à se & subleuata supra se liberius in montem ascendit. Mirabitur fortassis aliquis si iam vltra quippiam anima habet quod deserat & ascendat sublimius in mōtem. Ecce transilijt turbam rerū materialium extra se per primam beatitudinem. Exiuit turbam hominum iuxta se per secundam. Abducit se à turba passionum infra corpus, per tertiam. Deseruit tandem intra se turbam innatarum affectionum per quartam. Turbæ aliæ quales reliquę sunt amplius sunt nimirum turbæ ciuiū supernorum sub triplici hierarchia, coordinatorum, turbę pulcherrimæ & à prioribus longè dissimiles transeundæ. Ipsi enim sunt custodes ciuitatis, quos animæ deuota quærens, sponsum paululum cum pertransisset, inuenit quem diligebat. Itaq; nisi relicta hac triplici turba, non peruenitur ad supremum cacumen montis nostri, in quo Deus est innixus scalæ mysticæ quæ dicta est, vbi anima tutè requiescit in monte sancto Domini. Hi triplices ascensus sunt perfectorum atq; purgatissimorum, quales fuerunt sancti nostri dum viuerent, & multo felicius tales nunc sunt in gloria, vbi secundum dictum Gregorij ipsi in Deum nō solum ascendunt, sed in eo occurrunt. Sunt planè in Trinitate (quantum dicere fas est) tres perfectarum animarum ascensus, conformiter ad tria appropriata personis iuxta tres nouissimas beatitudines, quibus ascenditur in montem supremum.

Psal. 72.

Primus ascensus est misericordissimi amoris in spiritusancto, qualiter exultauit. i. extra se saltauit, & ascendit Christus in spiritusancto Lucæ 10. Propterea beati misericordes, quia misericordiam quæ spirituisancto propria est, consequuntur. Et hic pertransitur turba Seraphin.

Secundum ascensum intelligo purissimæ & mundissimæ cognitionis in filio, in quem credentes (inquit Petrus) exultabitis lætitia inenarrabili. Idcirco beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et hic pertransitur turba Cherubin.

In tertio ascensu est pacatissima & imperturbabilis quies in ipso patris secretissimo altissimóque refugio. Nam beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Si autem filij, & hæredes hæredes quidem Dei, & in eius adiutorio habitantes, propter quod in pace fit locus eorum, & exclamat anima quælibet talis cum propheta: In pace in idipsum dormiam & requiescam, & hic ascendit supra tertiam turbam, quæ est thronorum.

Sic igitur declaratum est, & superficiali quodā transcursu deductum est (doctissimi & sapientissimi viri) quibus gradibus quoue ascensu iuxta septemplicem beatitudinem quilibet sanctorum exemplo Christi, videns turbas, ascendit in montem, quod fuit thema.

Supersunt plurima quæ etiam ipse dictaueram,

præsertim de ascensu in montem contemplationis, sed breuitatis amor me retrahit, cogitque vt persuasione oratoria, & exhortatoria ad ascensum supernæ felicitatis finiatur quod cœptum est.

A

Oratio. Venite obsecro sapientes & doctissimi viri, venite iuuenes & paruuli, senes cum iunioribus, venite exultemus Domino, venite ascendamus in montem, vt exemplo Loth, saluos nos ibidem faciamus, fugiamus ocius à loco horroris & vastæ solitudinis ad locum vberrimum, à carcere fœtulento ad regnum splendidissimum, ab exilio durissimo & luctuosissimo ad patriam suauissimam, à procelloso mari ad portum tranquillum: Ab omnibus deniq; miseriarum, ærumnarumque circunstrepentibus turbis, ad beatitudinis montem, vbi status est omnium bonorum aggregatione perfectus, præcesserunt sancti, præcessit & Christus, qui nos subsecuturos præstolatur. Tollamus quicquid ascensui obstat recedamus præcipuè à circumfluis terrenarum curarum & anxietatum turbis: Illæ nos premunt & pressos atterunt, pressoq; & attritos funditus via prosternunt. Si splendidissimas opes, si gloriosos bonorum titulos, si præclaram denique sapientiam feliciter stabiliterq; adipisci satagimus, ascendendum est in montem. Fallitur pro certo, desipit & insanit, quisquis inter infirmas rerum caducarum turbas, ista se habiturum sperauit, vbi quicquid est, egenum est, anxium est, mobile, fluidum, à nulla stabilitate subnixum. An per quotidiana tot experimenta sic se habere iudicat, ita vt iudicatis non dubito. Qualis ergo miseria quorundam mihi similium quanto infelicitas & quanta dementia aliorsum scienter agitur, & in egestate diuitias in mœstitia voluptates, in dedecore gloriam, in stultitia sapientiam, in fluxibitate deuiam sperare stabilitatem. Vt quid fabricamus nobis montes? nescio quos vmbratiles atq; fantasticos vitiorum, nunc in elatione, nunc in elatione, nunc in credulitate nunc in enormi fluxu, voluptateq; & similibus. Nonne montes huiusmodi sunt montes Gelboë maledicti supra quos neq; ros diuinæ gratiæ, neq; pluuia virtuosæ consolationis descendit? At si verius loquimur hi montes non montes sunt, sed valles teterrimæ præcipites & lubricæ, quibus innitentes dilabuntur in abyssum, absorbenturq;, & vrget super eos puteus os suum. Exurgamus tandem libertate totu spiritus, ascendamus in mōtem societatis beatorum, disponamus ascensiones in corde nostro per gradus beatitudinum præmissarum, de paupertate spiritus in mititatem, de hac in luctum, de luctu in esuriem, sitimq; iustitiæ, de hac in misericordiam, de ipsa in munditiam cordis, & tandem intremus pacem quæ exuperat omnem sensum & in qua si compleamur, consistit humana felicitas, secundum deductionem Augustini 9. de ciui. Dei. O verè felices sancti sanctæq; omnes, quorum celebritas agitur, felices inquam qui sesecuri iam & vndiq; pacifici habitant in tabernaculo Domini, & requiescunt in monte sancto eius, non iam formidant laqueos tentationum vlibet expansos non sæuas irruentium hostium insidias, nullis mordentur conscientiarum aculeis, nulla vruntur infamia, non tristes metuunt senectutem, omnia deniq; inter eos serena pacataque persistunt. Et ô tandem qui tales estis æterna pace fruentes non pijs nunc oculis miseras quæsumus cernite terras. Et si nihil patimini compati tamen fas est. Compatimini nobis exulibus gementibus & flentibus in hac lachrimarum valle. Comprimunt ecce nos vndiq; hostiles malignantium turbæ, conculcant, lacerant, obruunt in carcerem detrudunt: Iam omne caput languidum & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in ecclesia hac sanitas. In illa heu dixerim ecclesia cuius fundamenta sunt in vobis montibus sanctis, quam vestro sanguine vestráq; morte consecrastis, dilatastis, roborastis eā, quam nunc heu immunitam cernitis miseram, & meritò quam fœdè laceratam, crudeliter decisam, similiter conculcatam aspicitis, vt humani spes auxilij iam nulla sit, propterea leuamus oculos nostros in vos montes vnde veniet auxilium nobis. Nam cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui vt oculos nostros ad Deū dirigamus. Potuistis olim moribundo corpore circundati mirabilia mirabiliter operari, tāquam habentes imperium vitæ & mortis, tanquam insuper potentes in eo qui vos confortabat Christus, nunquid abbreuiata est potestas vestra nunquid charitas tepefacta? Absit hoc, sc. aucta potius. Succurrite ergo miseremini, ferte subsidium. Suscipite vos montes pacem populo, quia alij qui suscipiant & eam præbeant non sunt.

B

C

D

Et tu Domine rex cœlorum corona sanctorum omnium, emitte lucem tuam & veritatem tuam vt nos deducant & adducant in montem sanctum tuum & in tabernacula tua, in præsenti per fidem, spem & gratiam, & in futuro per gloriam. Amen.

SERMO FACTVS IN DIE NATIVITATIS DOMINI *per eundem.*

VERBVM caro factum est & habitaui in nobis. Ioan. 1. Postulemus fratres in Christo vt verbum quod hodie caro factum est, illud in me propheticum adimpleat, Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa, quoniam insipidum inane & inualidum erit verbum oris mei, si non accipiat virtutem multam à verbo Dei patris. Poterit aures carnis, strepitus nostri sermonis percutere, sed in auribus mentis nec fortiter sonabit, nec in eas altè fixéq; descendet, si non à verbo hoc suam sonoritatem assumat & virtutem. Et hoc ipsum vt impetremus, te nescio an glorificandam magis aut stupendam verbi huius matrem inuocabimus salutantes & verbis angelicis salutabimus inuocantes & dicentes: Aue Maria &c.

E

F

Verbum caro fa. &c. Quoniam triplicem verbi Domini natiuitatem euangelica hæc continet particula ad sui commemorationem meum, inflexit animum, quatenus verbum creatum sententiosissimum assumerem, qui de verbo increato quod sententiosissimum est, fueram locuturus.

Vides itaque in præassumpto verbo quod nas-

citur Dei filius ex paterno intellectu æternaliter, ideo verbum appellatur. Aspicis quod ab vtero materno nascitur temporaliter, propterea dicitur caro factum est. Intueris postremò quod in corde humano nascitur spiritualiter, quamobrem subiungitur: & habitauit in nobis.

Verbum: quid altius quid immensius quid diuinius? Nam Deus erat verbum Ioan.1. Caro factum est, quid humilius, quid impotentius quid fragilius? quia omnis caro fœnum. Eccles.14. Habitauit in nobis: quid amabilius, quid iucundius, quid appetentius? Neq; enim est nec fuit alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquãtes sibi sicut adest nobis Deus noster? Deutero. 4. Verbum inquit, caro factum est. Verbum hoc immensæ est virtutis, nam omnia per ipsum facta sunt, & si quæ per eum facta non sunt, eoipso nulla prorsus sunt, quoniam sine ipso factum est nihil. Quo pacto igitur entitas complexè significãtibus tribuitur, quorum aliqua nullum habuerunt aut habere potuerunt factionis initium, eoipso quasi insaniens dicere audet Manichæus, à Deo tenebrarum facta esse multa, quæ Deus ipse non condidit, cum audiat quod per Dei verbum omnia facta sunt, & in Psal. Verbo Domini cœli firmati sunt. Et ad Heb. primo. Portans omnia verbo virtutis suæ. Verbum hoc insuper æternum est duratione, quia verbum quod erat in principio, erat apud Deum. Cui concors est propheta: In æternum Domine permanet verbum tuum. Verbum ergo istud non est, quod per auras efflando diffunditur, non quod in tabulis aut pellibus inscribitur, non deniq; quod animæ irrationali per inhæsionem innititur, sed verbum est æternaliter à parte emanans, per quod pater dicit omnia, in quo tanquam in verbo sententiosissimo & arte perfectissima omnium factorum, omniumq; producibilium imago relucet. Verbum ideo solum, quia sententiosissimum est & omnium expressiuum, cui nec imaginariè quidẽ addi potest aliud verbum absque nugatione & superflua repetitione. Idcirco verbum hoc nullum aliud in diuinis producit verbum, ne in Trinitate cadat nugatio, quippe est ipsum obiectum sufficiens, adæquans & terminans omnem producibilitatem verbi in diuinis, non tamen minus ob hoc potens, quam pater qui gignit, quia eadem prorsus ipsum est potentia cum patre qui gignit. Mira profectò & inexplicabilis natiuitas quam venerari potius & pia fide credi conuenit, quam curiosa verbi nostri penuria reserari, præsertim cum amplior & exquisitior de ea sermo aliud tempus expostulet, alium locum, aliam linguam, aliud ingenium. Verum ab hac ineffabili ac æterna generatione, ad temporalem qua dies hodiernus percelebris effectus est, pergat oratio, & quid euangelista subiungat, audiamus: Verbum inquit caro factum est. Ecce quod ait apostolus ad Rom.9. Verbum abbreuiatum fecit super terram. An non benè abbreuiatum, quia æternum temporale, omnipotens passibile, immensum mensurabile factum est, non tamen abbreuiatum per diuinitatis diminutionem, sed per susceptionem humanitatis & idiomatum communicationem. Verbum inquam, caro factũ est. Hoc nullus philosophorum intelligere, nullus concipere valuit, hoc doctus Plato nescit, Hoc Demosthenes eloquens ingnorauit. Fatetur Augustinus se in Platonicis legisse libris Ioannis hoc euangelium. In principio erat verbum &c. vsque hanc ipsam particulam, & verbũ caro factum est. Sed dum hic venit calamus suus stetit, & in folio tanti tamq; secreti mysterij istius vltra progredi ausus non est.

Psal. 33.

Psal.118.

Verbum inquit caro factum est. Hic absque vllo dubitationis scrupulo euangelista, Ioannes insinuat Christum esse Deum, nec quicquam apertius dici potest. Deus inquit erat verbum, & verbum caro factum est. Si quis nondum illustratus est, & quomodo Deus caro factus sit, non videt, non concipit, non iudicat, non intelligit, consulit scientia omnes humanitus adinuentas, & de mysterio huius natiuitatis qua verbum caro factum est, interrogat, sed aut nullam, aut dubiam, aut erroneam præstant responsionem.

Non video inquit grammatica, qua ratione aut nominum impositione æternus habere incipiat durationis initium, immensus mensuram, impassibilis passionem, omnipotens & immortalis impotentiæ mortalitatisque defectum. Si enim æternus est, non habet initium, si autem initium habeat, æternus appellari meis ex regulis prohibetur.

Interrogata super hoc logica qualiter inquit hic terminus homo, qui species specialissimà est, de pluribus specie & plus quam specie differentibus verificari continget, vtputa de sorte & Deo, hoc prædicabilia mea, hoc prædicamenta non habent. Porrò qualis sit prædicatio, Deus est homo, nisi aut per se, aut per accidens, non intueor eam. Si per se dixeris, ergo vel necessariam, vel simpliciter impossibilem confiteri necesse est, ipsam verò non esse necessariam constat impossibilis ergo dicenda. Et si prædicationem hanc per accidens asserere malueris, monstra quo pacto id fiet cum neutrum extremorum in accidentium prædicamento reponatur.

Rhetorica persuasionibus suis astruit quod si mulier peperit, corrupta est, si genuit, à viro cognita est.

Cæterùm arithmetica vltra suam esse fatetur perspicacitatem quod in Deo partium computetur numerus, quod duæ in eodem supposito naturæ integræ numerentur. Stupet geometria quantitatem maiorem corporis Christi per alteram vteri virginalis clausi quantitatem absq; diuisione progredi, quam penetrationis possibilitatem non concipit. Musica nullos prius in terris angelicos cantus audiuerat. Nullas hoc loco suarum personarum & calculationum, nullas constellationum vires astronomia perpendit.

Quid de naturali philosophia eloquar, eius experimenta nunquam ad hoc pertigerant, vt absque viri semine puer formaretur.

Quid postremò de metaphysica, qui Deum nec partibilem existere posse, nec compositum, nec genitum argumentis putat necessarijs conclusisse.

Sed fateamur magistri & fratres in Christo charissimi hoc esse præter naturalem inuestigationis modum quod agitur. Neque enim potentiam aut

sapientiam adeò coarctemus, vt infra angustos nostræ perscrutationis limites positam arbitremur. Miraris hanc natiuitatem fieri potuisse, natiuitatis huius effectricem potentiam considera, euolabit admiratio. Miraris tantam Dei erga homines beneuolentiam, attende quia si paruus amoris igniculus in tot & tam ardua nos rapiat, quid de immensi diuini amoris fornace existimandum putas? Ingens quippe amor magnum dilectionis opus flagitabat, quale fuit illud per quod verbum caro factum est, non inquam, quæ altera humanæ naturæ pars dicitur, vt impius sensit Appollinaris, sed caro prout totam integramque complectitur humanitatem. Caro inquam factum, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione carnis ad suppositum & vnione quadam ineffabili & insolita, quæ materiali tamen proximior est, non quod natura humana ex diuino supposito fiat materialiter, aut in eo sit subiectiuè, sed quia ab eo & in eo est suppositiuè.

Atverò iam non quæramus quomodo aut à quo sed propter quid verbum caro factum est, profectò reconciliaretur caro. Planè (inquit Bernardus) Deus iam nos despicere non poterit frater enim & caro nostra est. Naturalis quippe vsus habet, vt caro similem sibi carnem diligat, iuxta

Eccles. 13. illud Eccles. Omnis caro ad similem sibi coniungetur. Hæc est illa coniunctio, illa pax, illa concordia, illa societas, quæ per temporalem pacem figurata est in vniuerso orbe tunc habitantem,

Psal. 71. quam insuper prophetauerat Psal. 71. dicens: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Inde est iocundissimum illud & omni armonicarum modulationum suauitate præstantius angelicum carmen: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et heu quam non bonæ voluntatis esse conuincimur, qui scismatibus vndique & vndique dissensionibus agitamur. Verbum inquam, caro factum est, cur ita? quatenus videlicet ad ipsum omnis caro veniat, vt videat omnis caro salutare Dei, vt dicat quilibet gloriabunda voce cum propheta: Cor

Psal. 83. meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Corruperat itaque omnis caro viam suam. Genes. 6. propterea per carnem incorruptam sanare decreuit.

Nec alia veniendi causa fuit secundum attestationes sanctorum (quas omitto) quam peccatores saluos facere. Neque enim causa incarnationis fuit perfectio vniuersi, non creaturarum in Deum reductio, non manducatio ad capescendum Trinitatis mysterium, non aliæ huiusmodi causæ à quibusdam curiosè forsan magis quam piè aut fiduliter assignatæ, sed vnica incarnationis aut præcipua ratio fuit carnis nostræ purgatio.

O glorificanda prorsus Dei caro, quæ originalem ab omni carne sufficienter diluit corruptionem. Mirus hic amor, pietas eximia. Erubescat iam hominis caro peccatorum sordibus inquinari, pro qua verbum caro factum est, quinetiam benedicat omnis caro nomini sancto eius. Et quomodo benedicat? Vtiq; piè sanctèq; viuendo, & spurcissima carnalium libidinum inquinamenta declinando. Quod qui egerit, secura mente illam decantabit prophetæ vocem: Caro mea

A requiescet in spe. Felix spes, sed requies longè felicior, quam nec in futuro nec in presenti quidem adipiscitur caro, quæ in brutalem carnem degenerat, pro qua (adeò enim eam charam habuit) verbum caro factum est.

Penes me est quam multo plurima de hoc secundæ natiuitatis mysterio dici possunt, immo discutioni vltro sese offerunt & ingerunt, quibus prætergressis (nec enim aut potestas aut voluntas est omnia prosequi) ad tertiam Christi in cordibus nostris spiritualem natiuitatem me transfero.

B Et quemadmodum prima natiuitas est à nobis colenda & desideranda, quia ex eius visione beati erimus cum angelis: Et secunda est nobis celebranda, quia per illam visitati sumus in terra. Sic tertia est à nobis eligenda & procuranda, quia ex illius fœcunditate amici erimus & affines diuinitatis. Neque enim aliud est Dei filium spiritualiter gigni vel nasci in cordibus nostris, quam eum tanquam spiritualem amicum adiutorem protectorémque & viuificatorem in anima nostra no-

C uiter suscipere & inhabitatorem possidere.

Et ne absonum tibi forte videatur quod Deum nostris in cordibus gigni dico, quasi illius matres existamus, audi ipsum qui (Matthæi 12.) ait. Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater & soror & mater est. Totiens namque anima velut mater in se Deum parturit quotiens per mandatorum suorum obseruationem ad gratiam eius redit.

Optanda profectò & totis desideriorum nisi-

D bus affectanda talis natiuitas. Siquidem & à carnali & secunda natiuitate spiritualem hanc secreueris spiritualis eligibilior etiam Mariæ fuit, quam carnalis.

Verum quid faciemus cum natus nobis fuerit & habitauerit in nobis? Non expellemus quidem, sed sedulum eidem exhibebimus officium quasi ad nos putemus patrem de puero hoc dicere, quod de puero Moyse filia Pharaonis dixisse legitur. Exodi 2. Accipe puerum istum & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam. Et quam

E mercedem? sanè vitam æternam.

Itaque paruulus iste vt aliorum vsus requirit, septem tractetur obsequijs. Ad horum verò quodlibet septem obsequiorum debita congruitate prestandum, totidem assumendæ sunt nutrices & virginitate & diligentia & sagacitate praecellentes.

Primò inuoluendus est.
Secundò reclinandus.
Tertiò custodiendus.
Quartò leuandus.
F Quintò balneandus.
Sextò pascendus, & deinde alio portandus vel baiulandus. Puritas, charitas, tranquilitas, deuotio, pietas, misericordia, obedientia.

Inuoluit primò puerum Iesum pannis mundis & feruido lachrimarum lixiuio lotis, ipsa puritas quæ ex contritione confessionéque gignit iustitiam. Quippe notum est puerum hunc sordidis in pannis quiescere non posse, iuxta illud: In ma- Sap. 1.
leuolam animam &c. Quamobrem dicit cum Psal. 6.
Psal. Lauabo per singulas noctes lectum meum &c. Hæ verò lachrimæ dum per cineres peccatorum

rum & per austerum amaræ recordationis sacrum colatæ sunt efficacissimum ad mundificationem mentis lixiuium efficiunt.

De hinc ad puerum incubinale reclinandum est offert se nutrix secunda, quæ charitatis nomen habet, ad quam spectat illa. 1. Can. vox Fasciculus myrræ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.

Reclinati porrò ad custodiam pueri necessaria est nutrix tertia, quæ tranquilitatis vocabulo dicitur à malorum negotiorum fragore, & à litium strepitibus hunc sedulò puerum custodit, & dum alis vehementior terrenarum curarum clamor insonuerit Abner 1. Regum 26. fortiter exclamat, quis es tu qui clamas & inquietas regem? Suos insuper seruulos quos sensuum nomine appellamus iterum & iterum monere non cessat vt ab omni nociuorum incursu pueri huius lectulum custodiant, negligentibus autem minanti increpatione atrociter improperat, dicens illud quod ibidem in Dauid persona subditur: Viuit Dominus, filij mortis estis vos qui non custoditis dominum vestrum regem Christum Domini.

Subinde post dormitionem leuandus est puer. Hoc obsequium præstabit quarta nutrix sancta meditatio, quę totiens puerum hunc excitat quotiens horologium amoris suo pondere ceciderit atque pulsauerit, dicitque: Exurge, quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem. Ipsum verò excitatum euoluit, & pannos explicat, quibus ille induitur qui est amictus lumine sicut vestimento. Panni autem isti quid aliud sunt quam suæ diuinitatis suorumque secretorum arcana mysteria, quæ euoluuntur dum pia fide considerantur, instar Psalmistæ dicentis: Reuela oculos &c.

Psal. 118. Postmodum pueri huius balneum præparat quinta nutrix. s. pietas, hæc intuens sanctam meditationem quæ puerum excitauit: quæ excitatum explicuit: quæ explicatum suauiter allocuta, currit propè ad fontem compunctionis in imo pij cordis situm. Anima inquit, mea liquefacta est vt dilectus meus locutus est mihi. Et iterum: Cant. 5. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Hac ex aqua suauissimum efficitur puero Iesu balnaum, quia non per cineres peccatorum vt in contritione transit, sed de ipso compunctionis fonte pura nitens impermixtáque hauritur.

Amplius sextò necesse est vt puer taliter lotus pascatur. Opus hoc à misericordia quæ viscerosissima nutrix est adimpletur dum membra eius reficit, præsertim pane spiritualis doctrinæ quod est verbum Dei, eundem insuper dulcium sermonum lacte ab vberibus mansuetudinis eliquato potat, cui puer arridens: Esuriui inquit, & dedistis mihi manducare, & rursum: Fauus distillans Cant. 4. labia tua, mel & lac sub lingua tua.

Postremò puer noster Iesus baiulandus siue gestandus est, iuxta illud apostoli: Glorificate & portate Deum in corde vestro. Hoc ipsum præstabit obsequium septima nutrix videlicet obedientia, imitabiturque Noemi exemplum, de qua Ruth. 4. scriptum est, quod susceptum puerum posuit in sinu suo, & nutricis ac gerulę fungebatur officio. Et bene dicitur, posuit in sinu suo, neque enim retro aut contra cor Iesus quasi sarcina A grauis suis in præceptis ferendus est, sed in anteriori sinu, & ad cor inter bonæ operationis brachia amorosæ stringentibus est. Inde est illa ipsius postulatio in canticis. Cant. 6. Pone me vt signaculum super cor tuum, & sicut signaculum super brachium dextrum.

Atque summopere summaque sollicitudine & studio nutrix hæc obedientia præcauere debet, ne in via mandatorum Dei offendat ad lapidem inobedientiæ pedem suum, alioquin puero casus immineret, & in nobis tali criminis allisione spi- B ritualiter moreretur.

Audistis magistri & fratres in Christo charissimi, qualiter puerum Iesum in nobis per Dei gratiam spiritualiter hodie natum & inhabitantem inuoluere debet puritas, inuolutū reclinare charitas, reclinatum custodire tranquilitas, dehinc meditatio ipsum excitat, pietas lauat, misericordia cibat, obedientia gestat, quibus istis quemadmodum præmissum est solerter diligentérque exhibitis proficit in habitaculo cordis nostri puer Ie- C sus tam ætate quam sapientia coram Deo & hominibus, donec crescat ad mensuram verbi perfecti. Vbi tunc habitabit in nobis non per fidem tantummodo & gratiam, vt patet in præsenti vita, sed per gloriam consummatam quam nobis præstare dignetur verbum hodie caro factum, Dominus noster Iesus Christus. Amen.

SERMO FACTVS PER EVNDEM DOMINICA IN SEPTVAGESIMA. M. 388. *crastino Vincentij.*

D ISIT illos in vineam suam. Matth. 20. Reuerendissimi Domini, patres ac magistri, missus ego ad vos qui venustissimam hanc Parisiensis Vniuersitatis vineam bonis artibus excolitis, qua tu Deus optime de Ægypto transtulisti, quæ extendit palmites suos à mari vsque ad &c. Missus, inquam, vinum prædicationis expri- E mere, vbi illud hauriam vnde eliciam vix habeo. Ita enim hodie præclarus ille in primis & absque dubitatione doctissimus viticola noster præceptor meus à puero, & doctor cum reuerendissima autoritate rememorandus semper mihi. Ille inquam thematis nostri verba quasi totidem prægrauidos diuinæ scripturę racemos, per studij torcular tanta virtute qua posset & vinum admonitionis præferuidum tam acriter, nec minus abunter expressit, vt nihil mihi præter folliculos inanes, præter acinos, & nescio quas vini inopes re- F liquias dimissum videatur. Introductus tamen atque missus, nec retro pedem vertere, nec imperantibus non obsequi possum. Propterea cum Iesu Syrach sui libri. c. 30. quasi qui colligit acinos post vindemiatores, & ipse speraui.

Ego itaque tanti vindemiatoris vestigijs inhærens, quæ neglexit, vel sciens præterijt, vel liberaliter dedit recolligam, & vinum vtinam tam efficax quam rude & indigestum eliciens in vasa aurium vestrarum, meliori vtique modo imbui digna transfundam, illa prius exorata & in auxiliū accersita, quæ absque scissura virginalis terræ, vi-

tem veram parturijt, ad quam recurrentes dicamus Aue Maria.

Misit &c. Parabolicam Domini vineam ecclesiam figurare, nemo hæsitat, qui hodiernum legit euangelium, aut matutino sermoni præsens fuit. Verum expositio hæc non adeò aut solitaria est vt aliam prorsus excludat. Quam plures nempe vineas mysticas scriptura, loquitur, quibus omissis ad præsens tantum duas introibo. Vineam scilicet mentis humanæ de qua Cant. 8. Vinea mea coram me est. Vineam insuper sacræ sapientiæ de qua ad literam Ecclesi. 24. Ego quasi vitis fructificaui &c.

Istas ideo vineas coniunxi, quod neutra sine altera excoli feliciter possit.

Quod ne quis falsè dictum arbitretur, audiat absque sapientia animæ vitem destrui. Transiui (inquit sapiens) per vineam vini stulti id est sapientia carentis. Credis forte quod pulchram repererit audi quid sequitur. Et ecce totum inquit repleuerant vrticæ & vepres, sed & maceria lapidum destructura erat. Prouerbiorum 24. In vrtica datur intelligi mentis adustio, quam voluptas ingerit. In spinis punctuosa, lacerosa, vlcerosa & dolorosa mentis punctio, quam cupiditas parturit indestructis palis, in destructa maceria ruinosa mentis clausio, quam otiositas operatur. Sapientia verò non nisi in bona & bene instituta anima reperire posse apertè monstrat illud Sap. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore peccatis subdito. Piè autem agentibus dedit sapientiam. Ecclesiast. 3.

Hanc igitur vineam duplicem nunc introgressus, excolendam esse suadebo præsentem colatiunculam sub tribus persuasorijs orationibus absoluens. Est siquidem genus hoc dicendi vehementius atque concitatius, quod quasi aliquibus verborum stimulis mentes penetrat, & viuis eas faculis accendit ad virtutem.

Prima oratio persuasiua erit de vinea spirituali nostræ mentis vt ad eam primo mane consurgamus.

Secunda erit de eadem vt eam ipsam debitè excolamus.

Tertia erit de vinea sapientiæ vt eam diligamus. Auditores autem vos beneuolos habere precor, & hoc à vestra humanitate & clementia impetratum sperans incipio.

Adestote optimi adolescentes, & summi patrisfamilias iussionem credulis auribus attendite. Ite vos in vineam. Ite, currite, rumpite moras omnes. Omne vt Naso ait:

Labitur occultè falliturque volubile ætas & nihil est annis velocius.

Tragicus quoque Seneca, Properat cursu vita citato volucrique die. Rota præcipitis voluitur anni. Accelerandus idcirco cursus est. Neque ignotus piger ille est à quodam vulgari poëta descriptus.

Qui si mane vocetur, obaudit.
Si citetur adhuc iterata voce sonora.
Nare vigil stertit, tandem clamore coactus.
Ore tamen lento linguam mouet, & mihi quid vis?
Inquit surge Deus, miser en ego surgo.
Vade sequar, nec eum sequitur quem decipit, & tu
Non venies? dudum venissem, sed mihi vestes
A *Quæro nec inuenio, quis dæmon sustullit illas?*
Surge cito, Domine sum præsto, nec est tamen immo
Vel caput huc illud vertit vel brachia scalpit,
Membra vel in longum distendit, sic sibi quasdam
Vndelibet morulas quærit, sibi sic venit ore
Non pede, sic veniens nunquam venit ille coactus.

Quam multorum hic mors est qui non temporalis, sed æterni Domini vocationem somniantes audiunt, à cubilibus peccatorum, sordidissimis auelli nequeuntes. Verum aliter est agendum, quoniam magnum opus est, tempus verò breuissimum. B Meminisse siquidem debetis & à dominica parabola didicisse, vnius tantummodo diei spacium non amplius ad laborem datum esse, tam velox, tam breuis, tamque caduca est mortalium vita. Quemadmodum itaque dies ab algida aurora inchoans, paulatim per horas & momenta ad intensum meridiei feruorem, & ab inde in gelidam noctem progreditur. Non aliter homo ab infantia incipiens gradatim per pueritiam, per adolescentiamq; & iuuentutem quasi per totidem C horas ad viuidum & nubile virilitatis robur prouehitur, subinde in senectam & decrepitudinem in tenebrosam denique noctis mortem, sensimque ac sine strepitu relapsurus, quam vita breuis quæ tota fugacissimo diei vnius cursu mensuratur. Numera menses, annos atque lustra, nil aliud quam exigua diei vnius momenta sunt. Adde quod aliarum rerum perditioni vtcumque succurritur, temporis iactura irreparabilis est. Quod notauit vulgati versus grauis sententia:

D *Quisque potest rebus succurrere nemo diebus.*

Inde est lyricum illud Horatij ad Posthumum:

Eheu fugaces Posthume labuntur anni.

Quamobrem præclarissimi adolescentes, vnanimes dicite & in opus deducite illud Cant. 7. Mane surgamus ad vineas, periclosa quippe est mora, ridiculosa est curuatura, fructuosa excultura, ideo mane semina semen tuum. Eccli. 25. Ideo surgamus, surreximus & erecti sumus in ipso ad vineas. Plantabant vineas, & bibent vinum eo- E rum. Amos 9. Non expectetur tertia, non meridies, aut ipsius ad extremum solis occasus, sed mane fiat. Dedecorum est instar mortuorum prostratus humi iacere, & vt Persius indignans ait curuas in terris habere animas. Ideo surgamus commissæ sunt singulis singulæ vineæ, quæ neglectæ peccati virus pariunt, excultæ verò fructificant in vinum felicitatis æternæ. Ideo ad has surgamus vineas.

Sed dicet forsam aut pigrior aut somno lentior F aliquis, cur mane & non potius vespere? Accedentes itaque nouissimi præponemur primis, & mercedis tantumdem iuxta sententiam parabolæ hodiernæ sumus accepturi. Incassum igitur tota die sudantes nostra attereremus corpuscula, & æstus pondusque diei intolerabiles gratis subiremus. Ludendum potius est & adolescentiæ iuuentutisque affectibus gratissimis & placidissimis indulgendum ipsi naturæ, senectuti quandoquidem aliud agere fas non erit vineæ cultus relinquatur. O fallacissimas spes ô expectationes vanissimas, quot peremerunt adolescentes, quot ad

cœlum

cœlum euolaturos iuuenes, in æternæ damnationis præcipitium ruere coegerunt? Non vos moueant inertium seruorum voces, quoniá qui mane dedit nec meridiem nec ipsam quidem tertiam spopondit, sed vt sapiéter sapiens affirmat omnia in futurum seruantur incerta. Eccl. 9. Quam multi prolixos vitæ annos, aut somniantes, aut promittentes, vno die, vna hora, vnóq; momento miserabiliter obierunt, quot inter has vanæ spei voces occubuerunt videre stupor est. Propterea filio suo præcipiebat Dominus vineæ. Matth. 21. Filij vade operari in vineá meam. Dicere mihi visus est, pater sum, tu filius ob temperandum, vadendum est hodie, non procrastinandum est, operari non obtorpescendum est, in vinea fructificandum est. Sed assurgit hæc improba & temeraria spes tacito murmure secum insusurrans, non hodie, sed cras erit hodiernus dies vt Hesternus sit in voluptate, sit in iocis, sit in delectatione, cras ab his resipiscam, cras vineæ cultui operam adhibebo, an auditis coruinam vocem, an infidam fiduciam animaduertitis, audite potius illud non tam creditum quam expertum Nasonis verbum:

Qui non est hodie cras minus aptus erit;

Quousque cras & nunquam hodie, fiant quęso omnia ista cras vnum hodie, aut vnum mane in qua vineam tuam operaris. Nec frustra prophetá dixisse putes, bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sc. Tren. 3. Iugum liberum ac regium, & nisi Christum médacem putes, suaue atq; leue, grauat fortassis cum incipit, mox vt tuleris in oblectationem veniet. Ideo bene præcipit rhetor ille. Tul. Optima forma viuendi eligenda est, quam iocundam reddet consuetudo, & Naso: Quod male fers, assuesce feres. Iugum leue est si pensentur pabulum & præmiú, & facilis labor quem amor operatur, mollibus verò & eneruatis ac non amantibus nihil non difficile est. Porrò Seneca in se expertú esse ait quod facillimè tenera cóciliantur ingenia ad recti amorem, & Leuiti. 1. non multum corruptis inijcit manum veritas. Ferocissimarum enim beluarum catulos edomamus, & teneras plantas circunflectimus vt libet, senectam expectat solámq; temporis moram, frustra hæc agere conaberis. Nec alia ratio est, cur pueros suos confestim parentes aut scolis, aut aliarum rerum opificibus tradunt, nisi quod grandior ætas minus his apta est, quanto satius bonæ menti ac fertili ab ineunte ętate vacandum est, qua arte alia venustior nulla est, nulla insignior, nulláque sciri difficilior, cum è contra mala mens per se & sine magistris (vt Seneca ait) addiscatur. Quapropter ô ingenui adolescentes dum vinea vestra est instar ceræ flexibilis, dúque vitiorum frutices in eam nondum altè radices egerunt, eam excolite, ad eum vigilate. Facillimè siquidem violabilis est, aut ab æstuanti & igneo vapore libidinis seu à gelida bruma vel à turbido & exurenti vento ambitionis, aut alia peste huiusmodi, quæ & similia incommoda, si vineam teneram vobis non obstantibus inuaserint de ea actum est & periit. Aliqua te igitur ex ea primum ac purum vinum, nec sordidis criminum fœcibus mixtum, & vestris in vasis recondite, quoniam flacci verbum est quod Aug. placuit:

Quod semel imbuta recens seruabit odorem.

Gerson. Secunda pars.

Testa diu, ait enim Seneca 2. epist. 1. quod in ætate, simili vino, primum optimum est. Ideo Virg.

A

Optima quæque dies miseris mortalibus æui.

Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus.

Primum insuper vinum gratissimum est & Deo acceptissimum. Ad hoc Iudæi primitias vindemię offerre iubebantur sacerdotibus, contra detestandam illorú ignauiam, qui primitias ætatis & vindemiarum suarum spiritualium mundo largiter effluunt fœces suæ senectutis Deo dare dedicaréq; proponentes. Qui cauere debēt ne audire mereantur illud Christi: Non bibam amodo de gemine vitis huius Matt. 26. Quoniam vitis senex

B

quæ ab initio non exculta est, conuertitur in labruscam, aridá, nodosam & exosam, cuius liquor acerbissimus est. Nimirum si delicatius vini spiritualis potator Christus talis modi vitis germen aspernitur. Nimirum etiam si hos senes de miserijs suis quibus euelli sæpe frustra conantur, hora diei nouissima ingemiscentes nequaquá audiuit summus paterfamiliàs qui eum hactenus semper mittentem vocantemque habuerūt contemptui.

C

Mens erat mea generosorum adolescentum exépla, vt Platonis, Catonis, Cyri, Alexandri, Alcibradij, sanctissimorum præterea, vt Samuelis, Dauid, Ioannis, Nicolai, ac similium quorum ingés multitudo est, ad vestram reuocare memoriá, sed veritus sum ne potius obruerem aut fastidiré rerum multitudine. Satis est dictum modo agatis vt illorum sitis in numero qui vineam Domini. i. animá primo mane iuuentutis excoluerūt, de quibus hodiernæ parobolæ initio dicitur: quod exijt Dominus primo mane códucere operarios,

D

& misit illos in vineam suam, quod fuit thema præassumptum, vbi conformiter ad prædicta primo mittente nobis proponitur consummata iam actio sedulitatem exprimens imitandam cum dicit, misit de præterito Hiere. 44. Misit ad vos diligentiam quæ imitanda est. Nam Hiere. 23. dicitur quod non mittebantur prophetæ & præcurrebant. Ergo à maiori nos qui mittimur habemus præcurrere. Et sic in missis subiungitur firma operatio ociositatem reprimens fugiendam, ibi scil.

E

operarios. Eccles. 32. Mitte illum in operationem ne vacet. Multam enim malitiam docuit otiositas. Et ideo semper aliquid boni facito ne te diabolus inueniat otiosum. In vinea comprehenditur grata fructificatio sterilitatem perimens rescindendam, in vineam sc. Ezech. 17. Facta est vinea & fructificauit in palmites & emisit propagines & Cantic. 2. Fructum suum dabit vinea. De tribus simul illud iam præallegatum reputatur, fili vade quoad primum, operari quoad secundum, in vineam meam quoad tertium. Hæc de prima

F

oratione.

Secunda oratio qualiter vineam nostram excolere debeamus.

TOtis accingimini viribus insignes viticolæ, sumite sarculos, ligones, adaptate, ortus est sol, exeat homo ad opus suum & ad operationem suam vsque ad vesperum. Pudeat seruos stertere, pudeat iacere, cum iam clarum mane fenestras intrat vt apud Persium est. Cumque vigil ille venturus paterfami-

l:as pridem exierit qui tremendis vocibus intonans acclamat: Quid hic statis tota die otiosi, ite & vos in vineam meam, quæ est mens vestra, præcipit incunctanter. Ite in vineam meam ipsam excolite. Ite non quidem gressibus corporis, sed pijs affectibus, neq; enim maria nobis transfretanda sunt, aut desertæ solitudines adeundæ, sed quod præsentissimum est ad nos. Ite (& Persio obedientes) non vos quæsiueritis extra. Habet itaq; vestrû quilibet vitem intra se sui corporis interclusam, similem illi quam somnians ille incarceratus pincerna Pharaonis se vidisse refert. Gen. 40. Videbã inquit, vitem corã me in qua erant tres propagines. Mysticè vitis hæc anima nostra. Et propagines tres sunt ipsius vires, sc. vis rationalis, vis concupiscibilis, & vis irascibilis. Germina sunt cogitationes. Flores affectiones, vuæ sunt operationes, quæ dum prodeunt quasi in vinum exprimuntur. Hæc autem vitis, si neglecta nec cultu virtutum assiduè exercitata sit (vt fieri solet) conuertitur in labruscam, seu vineam siluestrem, qualis erat illa ab Helizei famulo reperta 4. Regum 4. Hanc conuersionem pessimam graui interrogatione culpat Deus. Hierem. 2. Ego inquit plantaui vineam electam, quomodo ergo conuersa est in pratam vinea aliena? Et Esa. 5. Expectaui vt faceret vuas & fecit labruscas. Et quoniam qualis arbor est, tales eius esse fructus necesse est. Matt. 7. Istarum tam diuersarum & aduersarum vinearum, disparia vina sunt, ambo tamen mixta. Primum est dulce, suaue & odoriferum, reliquum falsum putre & fœculentum. Primum pollicetur anima sancta dilecto suo. Dabo inquit, tibi poculum ex vino condito. Can. 8. Ideo condito, quia varijs confecto virtutibus tanquam ex multis aromatibus & pigmentis. Secundum vinum id est de quo Psal. ait plenû mixto. i. multiplici peccato cuius fex non est exinanita, de quo bib. o. pe. ter. & Deuter. 32.

Fel draconum vinum eorum. Videtis quã miseranda transformatio & quanto cum discrimine nostræ mentis vinea aut inerti torpore aut procrastinatione peruersa debito cultu exerceri contemnitur. Ecce nunc tempus putationis ac spiritualis exercitij aduenit, septuagesima. s. quæ in septemplici denario dierû, quasi septem horis clauditur, vbi quisquis operari renuerit, diurni expers erit denarij, nec cum Christo hora nouissima resurget ad vitam. Laboremus igitur & non labatur nec prodigè spargatur tempus res (vt Seneca ait) preciosissima, non perdamus vineam pro qua irriganda noster olim Dominus est crucifixus, & non sit vilis nobis anima nostra, quæ tam chara illi fuit. Neque enim domum, neq; vestem, neq; suppellectilem malas habere volumus, nõ malam similiter habeamus mẽtem, sit precor charior nobis anima nostra quam tunica. Vnde prorsus monet sapiens: Miserere inquit animæ tuæ placens Deo. Eccl. 30. Et quomodo illius miseris quã perimis? quomodo illã amas quam sentibus peccatorum durissimis cruentari & densissimis suffocari permittis? Ad misericordiam tamen si vllatenus flectere potest miseria illius abundè miserandum erat, cum nulla sit maior, nulla deterior, quã quæ ex peccato oritur calamitas. Quæso te dum districtissim laborum nostrorum exactor hora diei nouissima, quid egeris, percõtabitur, quid dices, quã

A contexes responsiunculã? Nõ erit mendaciorum locus tremens pudoreq; suffusus & attonitus respondebis illud Cant. 1. Vineam meam, nõ custodiui. Delicati verè & inertis serui responsio hæc est, quam non lento pede subsequetur crudelissima damnatio. Assurge igitur, & operam da vt animæ tuæ vitis radicetur per profundã humilitatẽ. Suffumigetur per doctrinæ susceptionẽ, fodiatur per cordis contritionem, irrigetur per lachrimarû effusionem, extirpetur per puram confessionem.

B Et tandem putetur per plenam satisfactionem. Sit in ea torcular disciplinatæ conuersationis, quod virtuosæ deuotionis vinû exprimat, sit turris aut specula altæ contemplationis, & diligens mandatorum obseruatio, tanquã sepes atq; maceria ferreum habeto ligonem fortitudinis acutum, sacculum temperantiæ, & vinum fraternæ dilectionis, sint capaces rationes tuæ in memoria, nec effluentes aut rimosæ, per præceptoris obligationẽ. Deniq; contra ostentationem sint obseruata atq; clausa cordis tui cellaria. Dum verò mortalitatis

C tuæ ac fragilitatis memor, terræ diu recuruus inhæseris, lubrige te interim æther altum intuere, lassaq; vires refoue. Sub dio, & in campestribus virtutum sit habitatio tua, & ingratæ tumultuantisq; vrbis curiosissima otia, & eneruatas rabidãsq; delicias, dolos, inuideam, fraudes, ex animo tuo dimoue & detestans fuge. Arceantur à portis ac introitibus vineæ tuæ insidiantium demolientiûq; ferarum occursationes, per portam oculorum tuorum, caue ne introeat elatus superbiæ ceruus,

D non onager iugi dominiq; impatiens, non ericius malarum cupiditatû aculeis respersus, obtrudatur aurium ianua, ne vulpeculæ adulationum fallaces ac subdolæ obrepant, non patet per gustus aperturam voracibus lupis ingressus, nec ebriosis lyncibus vim auidissimis, claudatur linguæ volubilis cardo ipsis canibus detractoribus clamoris atque mordacibus. Super omnia obseruetur ianua tactus & mille seris milleq; vectibus obseretur, alioqui in libidinosæ, immundæ, lutosæ ac sordidæ sues, olidi hirci, apri truces omnia subuerterent,

E conculcarent & solis afflatibus exurerent. Clama forti spiritu per tubam orationis contra aues cœli quæ sunt dæmones. Matth. 13. Easdem per signum crucis vineæ affixum vehementer exterreas. Hæc age ne in vineam tuam incidat illud prophetæ dictum. Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Itidem illud: Dirupuerunt eam omnes transeuntes viã &c. Naboth mori maluit quam vineam suam precio magno regi Achab venundaret, patet 3

F Reg. 21. Et quomodo tu vineam mentis tuæ his hostibus gratis offeres? quæ non vt vinea Naboth caulibus complantanda erit, sed lapis, tribulis salineisque peccatorum acutissimis & miseras animas discerpentibus erit respergẽda. Magna prorsus esset insania.

Curandum est præterea vt & prænominatæ vitis propagines tribus palis fulciantur. Vis rationalis palo fidei, vis concupiscibilis palo spei, vis irascibilis palo charitatis. Nam hoc neglecto vitis propriarum virium inops humi prosternitur, & & in altum surgere nequiens ex humido telluris attactu vitiosam contrahit putredinem. Hinc nascun-

nascuntur araneæ superuacuæ curiositatis, hinc spurcidę limaces crudelitatis, hinc vorax cupiditatis eruca deuotionis medullam & gratiæ rorem penitus exicantes, afferentes insuper secum illam maledictionem Abacuk 3. scriptam, non erit germen in vineis. Nihilq; altum, nil magnificũ, nil cœleste cogitare possunt, qui fidei, spei & charitatis arctis vinculis & firmis retinaculis non inhęrent, sed terrenis toto pōdere incumbentes ad omnia vitia procliui dilabũtur. Hoc est quod in bestias homines vertit, & rationis obtundit aciẽ, ita vt homo totus brutalis effectus sapere non possit cœlestia, sed in omne nefas atq; facinus impellitur. Nã vbi proiecta fide regnat ignorãtia, vbi desperatio spei locũ tenet, vbi cupiditati cedit charitas, cupiditas instimul atq;: ignorantia exculcat, & desperatio præcipitat. Longè aliter insignis ille vineæ cultor Paulus. Scio inquit cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex, ecce ligaturam eius cum fide & spe. 2. ad Timo. 1. & ad Rom. 8. Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli &c. & sequitur, neq; creatura alia nos separabit à charitate Dei, ecce tenacissimum charitatis amplexum. Hunc imitemur & summo patrisfamilias animo prompto pareamus, valeat apud nos tantumdem Dei iussio, quantum apud improbos nequissimarum cupiditatum possunt imperia. Nam si eos mittit auaritia, illico pergunt, si ambitio dicunt, ecce assumus, si luxuria præsto, si gula nō differunt, si inuidia, detractio, ira, in auditu solo auris obediunt, & fidelis Christianus Deum mittentem & vocantem non audiet, dissimulabit, obsurdescet & excitari non poterit? Absit. Nihil est quod cupiditas suos pati seruos non faciat famem, sitim frigora, sæuitiam cœli, aërisq; intemperiem, ignominias, probra, contumelias, durissima denique seruitute humeros premit sarcinas auget, in ferrum, in ignes, in pericula omnia nequiter impellit. Et tamẽ apud cupidos hęc pati ludus est, vt gloriunculam aliquam aut fœdam delectatiunculam adipiscantur, siue vt aliquãto opulentiores fiant, immo certè vt egentiores, vt inglorij & cruciandi perpetuò remaneãt. Cur charitas idipsum efficere non poterit quo tã leuiter potest cupiditas? Id quod mundus cur Deus non poterit? Certè bona tãtummodo & integra adsit voluntas. Operetur iuuenis constãter quidem & perseuerãter, ne honestum principium infamis dedecoret finis. Et ne (vt Hora. ait) atrum. Desinat in piscem mulier formosa supernè. Operetur feruenter senex, & instar peregrini, diei iacturam celeriori cursu currentis, operi bono totus insistat. Ponatur ante oculos præmium pollicentis, minãtis terror & omnium pro quibus humana mortalitas torquetur, atq; cruciatur, inanissima & vento simillima vanitas. Nemo missionẽ suã spernat, sed animaduertat queadmodum vox illa gratiam notat præcipuã. Misit illos in vineam suam. Vbi nota ad prædicta summi patrisfamiliàs mirandam bonitatem. Nam salubriter nos dirigens misit Dominus, misit me in Bethel 4. Reg. 2. Bethel autem habitaculum Dei interpretatur. Ecce salubris directio. Summi patrisfamiliàs gratam bonitatem, quæ singulariter est eligens illos scil. operarios. Elegit rex Salomon operarios de omni Israël. 3. Regum 5. Ecce singularis electio.

A Tertiò summi patrisfamiliàs magnam curialitatem quæ grata est alliciens in vineam suam. Vocabit vir, sc. Christus amicum suum id est Christianum subditus vineam suã Zach. 3. Alia realis horum trium concordia habetur ad Rom. 8. vbi Apostolus ait. Quos præsciuit hos & prædestinauit &c.

Finita igitur secunda oratione tertiam subiungo, quæ est de vinea sapientiæ vt eam diligamus.

B QVisquis adest qui cœlestem beatámq; vitam in terra quærit, & mores priscos cupit mutare, sapientiæ vineam petat, & post tergum missis terrenarum curarum vrbibus eiusdem se cultui deuoueat. Nulla oblectatio maior, sed nec purior vlla exercitatio aut fructuosior aut viro generoso ac libero dignior esse potest, non munus vllum penè grandius ab immobili Deo hominibus datum est, quam quod in hanc eos vineam initium & ingressum præstat, cuius culturam præposuit sapiens sedibus & regnis. Sanctè id quidem cum ipsamet sacræ sapientiæ vitis oblatum sibi regnum contempserit, vnde Iudicum 9. Locuta sunt ligna ad vitem impera nobis. Quæ respondit: Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoueri? Magnifica prorsus responsio. Sed quod est vinum hoc quod lætificat Deum & homines? Sanè intelligentia spiritualis sacræ scripturæ: quia scriptura cum per torcular vehementis studij comprimitur & constringitur, vino multiplicis intelligentiæ spiritualis exuberat, quod lætificat Deum, nam feruens inde deuotio oritur, qua inebriatus Deus exhilarescit & liberalis efficitur, adeò vt instar regis Assueri ipsi Hester quæ animæ deuotæ typum gerit quicquid petierit illico se daturum polliceatur. Hester 5. Lætificat verò homines ob doctrinã salutiferam quam bibunt, obliuiscuntur egestatis suæ & paupertatis, vt notatur Prouerbi. 31. Bibito enim modestè hoc vino, toti terris despectus in cœlum rapiuntur lętitiæ. Alia causa est, nam spirituales animæ morbos atque vulnera, vinum hoc doctrinæ sanctæ curat, quomodo sanasse legitur per vini superinfusionem Samaritanum, hominem qui descendens de Hierusalem in Hierico incidit in latrones. Lucæ 10. Hoc vinum est syncerum subtile ac temperatissimum quod ipsam Domini sabaoth vineam, ecclesiam s. hactenus aluit, & quo potata ac nutrita, in tãtum adeò robur vitẽmque præcelsam excreuit magnitudine. Hanc vineã viri olim ecclesiastici solam colebant, hanc amabãt, in hac exercebantur. Sed heu qualiter & quã mutata rerum facies quã aduerso sydere, immo quã peruerso scelere in contrarium versa sunt omnia. Quæ dudum sola viris summis in honore erat, nunc ab hominum infirmis habetur contẽptui, & iam apud nōnullos (quos magnus ille cœlo Deus malè perdat) infame & dedecorũ nomen est, & florẽtem eius odorẽ quemadmodũ venenifera animalia ferre nequeunt, & raros eius cultores rident, & in fabulosum suum vertunt iocum. Cur ita? Eò scil. quod nudi ac inopes eis videãtur, nec

infames diuitias habent malis artibus, fraude, dolor, rapinaq; cõquisitas, quod super beneficijs carent, quę talium importunitas, ne dicam indignissima peruersitas, surripit & extorquet. Hinc vinea ipsa sapientiæ raris colonis excolitur. Atvero creberrimis viticolis mundanæ ac diabolicæ sapientiæ vites frequentantur & obstrepunt, quarum vinum grossum est, rude, indigestum ac turbulentum, & optimus illorum effectuum opifex, de quibus 2. Esdræ 3. habent quod vinum seducit mentem, & hoc per errorem, omnia per talenta facit loqui per præsumptionem & non meminerunt homines cum biberint amicitiam neque fraternitatem, ob insatiabilem auaritiæ cupiditatem, sumere facit gladios litium, suscitat tumultus disceptationum, turbat oculos rationis, blesa reddit ora perdolosum fictumq; mendaciũ efferacissimásq; libidines gignit, & nihil est quod spernere quod audere, quod attentare non iubeat, inter hæc currunt tempus suum lucri spe turpissimi. Sed quid opus est teneras mordaci radere ferro auriculas, vt Satyricus ait? Hæc antiquam iam querela est, & non tam exaggerenda verbis quam ab omnipotenti Deo seuerissimè vlciscenda. Idcirco ad vineam sapientiæ redeamus qua nil pulchrius sol vidit, nil creauit natura venustius, nil quod ecclesiæ rectoribus magis congruat vsque adeò, vt præcipiat eis Petrus Apostolus, quod sint parati semper ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea quæ est in eis fide 1. Petr. 3. Illud infimis consilium est, prælatis autem necessarium ad salutem præceptum. Quanti sunt qui facere illud sciant ex raritate theologorum quos solos hoc scire contingit perpendi potest. Habet verò (vt vites cæteræ) vinea hæc sua superflua eam idcirco putare & expurgare necesse est. Habet sarmenta falsitatum ac hæresum quæ falce veritatis rescindere conuenit & iustis concremare incendijs eiusmodi sarmenta mysticè sunt illa quæ Paulus naufragio liberatus apud Mitilenam insulam congregauit, & in ignem misit ex quibus processit vipera quæ suam arripuit manum, sed in piram illæsus eam excussit, patet. Actuum vlti. Vetus hæc historia si ad tempus præsens referatur, inueniemus viperam hanc esse illum periurum transfugam, non nisi in malo notissimum, cuius nomen non sit in ore hominum, qui vt vipera solet propriam nuper in matrem immo & in matres, ecclesiam, vnitatem, pacem ac ordinem suum sæuire præsumpsit, & qui ex aridis errorum suorũ sarmentis egressus, Pauli manibus inhæsit, dum ad eius dicta improbo morsu pendere, dumque in ipsum sui erroris virus reijcere satagit, dicens, aut Paulum male dixisse, aut se bene. Sed ô æquissime rerum arbiter ecce sarmenta meritò rescisa ac amputata. Cur ignis deest? Ecce superflua vitis, cur cessant incendia? Quousque vipera Pauli manibus nequiter pendes? Quousque excussa non decidis? Sed decides volens aut nolens (nisi fallor) in rogum præcipitaberis temporale vel æternum. Ibi te linquens nisi reddas, ad vltiora progredior. Ita obseruandum est circa vineam sapientiæ, ne in eam iaciantur extrema & adulterina quarundam scientiarum semina iuxta Dei præceptum Deut. 22. Vinea inquit, altero semine non seminetur. Vitandę quoq; sunt & explodẽdæ araneę, quę ipsi Mineruæ (quam sapientiæ deam fingunt) ideo inuisę ac odiosę feruntur, quod in subtilissimorum sed fragilium filiorum contexione seipsas euiscerãt. Debent autem solida esse & fortia sapientiæ documenta, nec tam cassæ subtilitati quã planæ veritati deseruientia. Nec ob aliud enim Cato magnus expelli voluit ab vrbe Carneadã quã quod sophisticæ subtilitati plus ęquo deditus, veritatẽ aut obuoluere, aut offuscare videretur. Et talia quãquam operosa sint & difficultatis plurimum habentia, non ideo scrutari conuenit in tãta tẽporis egestate, cum aliæ tot occupationes se offerant tractari digniores. Multam operã dedit qui Homeri Iliada tã tenui in membrana & exigua litera scripsit, vt in nucis paruæ nucleo totam includeret. Item Callicrates dum in magnitudine propria ex ebore formicas effigeat. Nec minus Mirmichrides qui quadrigam eburneam adeò paruam fabricauit, vt à muscæ alis tegeretur & nauim quam apicula pennis absconderet. Esto hæc admirãda sint, inutilia tamen sunt nec modesti hominem ingenij detentura. Plus equidem prodesse quã admirari studendum est. Et ista studere curet, qui sapientiæ vineã colendam susceperit, vt nec inutilium & superuacuorum perscrutatione frustra se torqueat, nec in his acumen sui obtundat ingenij. Summopere ad extremum relegandæ sunt discursationes & desideria mentis vaga. Imitãdusque in hoc est Iudas, qui vt legitur Genes. 49. alligauit asinam suam ad vitem. Asina nostra, caro nostra est, aut animalis appetitus, hebes inersque. Quæ asina ad sapientiæ vitem colligatur, per prærupta, per incultave petrosa & aspera malarum cupidinum deuia non linquitur euagari, nec sessorem suum qui est spiritus noster, qua non licet, inuehit aut impellit. Hac autem ascella fortibus disciplinæ vinculis astricta & domita, liber spiritus se intrat, se spectat, & suæ dignitatis conscius assurgit alacer, leues contemplationis alas aptat, & cãdidissimis bonorũ affectuũ plumis induitur aëra pręteruolat, & ex alto exosas terras despiciens sydereos petit tractus, & supremum cœli verticem scandit, ibi gloriosum mundi conditorem redemptoremque suum ac æthereos incolas videt, admiratur, stupet, & eorũ familiarissima collocutione recreatur. Isti nãque sunt, vt Ozias (qui videns Deum interpretatur) qui vineas suas habuit in montibus, immo in subliori montibus omnibus cœlo, prout habetur. Paral. 36. Edocetur ibidem plenissimè ipse spiritus de vineæ suæ cultura, quid inserendum, quidve rescindendum est, & quid mercedis recipiendum. Introducitur interim in cellam charitatis vinariam, & vino deuotionis potatur, quo inebriatus iam se non capit in se. Viuit namque vbi totus amor suus est. Vbi autem amor, ibi & cor, vbi verò cor, ibi vitam esse necesse est. Quod ille tertium in cœlum raptus innuens. Nostra inquit, conuersatio in cœlis est. Hoc de viris sapientiæ deditis maximè dictum crediderim.

Interea apud ipsũ spiritũ omnis mortaliũ subit obliuio, nõ terrenorum cura surrepit. Et si verbis rigidi illius Ipoliti apud tragedicum Senecam vtimur. Non illum amarę mentis inflammat furor, Non aura populi & vulgus infidum bonis.

Non

Non pestilens inuidia in materia, non fragilis fauor, Non ille regno seruit aut regno imminet. Vanosque honores sequitur, aut fluxas opes. Spei metusque liber non scelera populosas inter vrbes sita, Nouit, nec omnis conscius strepitus pauet aut verba fingit mille, aut quærit tegi duris columnis. Sed rure vacuo potitur, & aperto æthere innocuus errat, Ethera ac lucem petit & teste cœlo viuit. Quam dispar & quam dissimilis hæc vita est illi cuius idem Seneca meminit tragedia, patet Actuum 2. Ille inquit superbos aditus regũ. Durasq; fores expers somni, Colit, ac nullo fine beatas, Componit opes gazis inhians, Et congesto pauper in auro, Illum populi fauor attonitum fluctuque magis mobile vulgus aura tumidũ voluit inani hic clamosi rabiosa fori iurgia vendens improbus iras & verba locat. Hæc ille. Non poterant duplicis vitæ terrenæ & spiritualis aduersi mores describi proprius, sed nec fidelius dici. Id verò totum ad illud redit quod de secundarum vinearum cultoribus nuper expressum est, quorum ibi sunt mundani ac bestiales viri, quos in vineam suam mittit terrena ac diabolica sapientia. Primi autem sunt spirituales homines, quos vera sapientia quæ Christus est, elegit per gratiam, & misit illos in vineam suam, quæ fuerunt verba à principio proposita. Vbi correspondentur ad dicta cernere licet quod ipsa sapientia artis doctos conspectat, autoritatem subministrat, quia misit illos. Hæc inertes non receptat, laboratores pueros optat illos operarios. Sibi soli non laborat, sed singulos curat in vineam suam. De primo misit illos prædicare regnum Dei. Matth. 10. Ad missionem autoritas refertur, ad prædicationem verò scientia, & idem habetur Matth. 3. & Luc. 1. De secundo Eccles. 9. Quicquid potest manus tua incessanter operare contra ignauiam & Eccles. 24. inquit ipsa sapientia: Qui operantur in me, non peccabunt. Ecce puritatem. Ideo Hieronymus: Ama scientiam scripturarum & carnis vitia non amabis. Pro tertio Eccles. 33. ait Iesus filius Syrach: Quasi qui vindemiat repleui torcular, quoniam non mihi soli laboraui, sed omnibus exquirentibus disciplinam. Pro tribus simul in typo fortis mulier habetur Prouer. vlti. De fructu manuum suarum plantauit vineam. In plantatione notatur ars & doctrina. In fructu manuũ operatio beata. In vinea vbertas opulenta. Vt ei tribuatur illud Cantic. 7. Vbera tua sicut botrus vineæ, & guttur vinum optimum. In hoc orationis huius tertiæ finem statuo. Nunc autem libet iisdem verbis quibus rhetoricam suam Aristoteles finit collationem terminare. Itaque dixi: audistis, tenete, iudicate. Dixi sed ruditer. Audistis benigniter. Tenete fideliter. Et iudicate salubriter, vt certam vestram vocationem faciatis 1. Pet. 1. & sitis iugiter sicut vitis abundans in lateribus domus Domini, vt deniq; vobis propinet vinum æternæ iocunditatis ille qui vitis vera est Dominus noster Iesus Christus qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

A

SERMO DE CONCEPTIONE B. VIRGINIS MARIÆ, QVI ASCRIBITUR EIDEM CANCELLARIO, *sed suus esse non apparet.*

TOTA pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cantic. 4. Magistri mei venerandi & patres dilectissimi, vt gratia almi spiritussancti in nos velit redundare Mariam plenam gratia, sic habeo inuocare: Aue virgo fons gratiæ tota gratiosa, tota pulchra facie, virgóq; formosa, sola sine scabie, maculáq, rosa.
B

Tota pulchra es amica mea &c. Magistri mei reuerendi dum quæro mentaliter huius verbi glossam, reperio beatam virginem apud Deum hominem creatam formosam. Nam in supremo cardine quodãmodo sub imagine fuit festũ celebratum cum multo solemni & grato contubernio, quod laudat cœtus vatũ. Scandunt ex hac nebula, virgines sine macula, fuit festum disputatum. Cõclusum est & terminatum quod amica Dei data pulchra est creata, nunquam quoq; maculata, sic fuit sententiarum. Ecce magistri mei quam festiuitas solennis, quam grata, quam perennis, tota pulchra. Quædam lis super delicta, super re nunquam neglecta, quia amica mea. Responsio quam gaudiosa & sententia quam famosa, macula non est in te. Iuxta hæc tria nostra consideratio, tractatu triplici est partita. Primus tractatus dicet festiuitatem tam solennem, tã gratam, tam perennem. Iuxta primum, tota pulchra. Secundus tractatus docet de lite super delicta, super re nunquam neglecta. Iuxta secundum, amica mea. Tertius tractatus dicet responsionem gaudiosam ad sententiam tam famosam, macula non est in te.
C
D

QVantum ad primum tractatum nostrę considerationis quæ notat festiuitatem solemnem &c. Est magistri mei deuotè speculandum fuisse festum solenne, de quo propheta. Zacha. vlt. loquitur in hæc verba: Percutiet Dominus omnes gentes quæ non ascendunt ad celebrandum festum tabernaculorum. In quo festo. Primò tabernaculum stellare dat mundo solemniũ. Secundò tabernaculum solare dat mundo solatium. Tertiò tabernaculum regale dat mundo spectaculum. Quartò tabernaculum diuinale dat mundo scrutinium.
E

Primò nãq; Mariæ caro in hoc festo fuit vt stella formata, Ecce primum tabernaculum. Secũdò in hoc festo Mariæ anima vt sol creata. Ecce secũdum tabernaculũ. Tertiò in hoc festo fuit Maria tota super naturam dotata. Ecce tertium tabernaculum. Quartò in hoc festo fuit Maria tota ex gratiis vallata. Ecce quartum tabernaculum. In hoc nempe festo in supremo cardine sub imagine celebrato, visus est olim rex ille, de quo Hierem. 10. Quis non timebit te ô rex gentium, tuum est enim decus inter cunctos sapientes gentium, & in vniuersis regnis eorum nullus est similis tibi. Hic rex altissimus visum est olim formare sibi tabernaculum, scilicet Mariæ carnem in munditia stellari. Numero 24. Visus est sibi formare
F

tabernaculum, scilicet Mariæ carnem sine languore locali. Prouerb. vlti. Visus est sibi formare tabernaculum, scilicet Mariæ carnem sine lege carnali. Augustinus in sermone. Ad hanc nempe visionem considero huius viæ tres sapientes in spiritu eleuatos. Ecce primus de lege naturæ Balaam filius Beor in quandam visionem eleuatus vidit mulierem secundum carnem formari in munditia stellari. Orietur inquit, stella ex Iacob, & consurget virga de Iraël, scilicet Maria secundum carnem, patet Num. 24. cum ibi notatis. Post hæc de lege scripta sapientissimus Salomon in quandam visionem imaginariam eleuatus, vidit procul mulierem fortem Mariam, scilicet secundum carnem formari, sed fortitudo & decor indumentum eius, scilicet carnis sine languore, naturæ. Prouer. vlti. Post hæc de lege gratiæ beatus Augustinus in quoddam lumen viuificum eleuatus vidit matrem Dei formari secundum carnem, prorupit in hæc verba: Quis potuit in huiusmodi anima vel carne locus esse vitiorum, quando ad cœli vicem continentis omnia domini tẽplum est effecta. Hæc est reuera illa domus Dei de qua per Salomonem dicitur: Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Namque virginalis huius domus columnis fulcita est, quia veneranda hæc mater Domini spiritussancti donis dotata fuit, qualem talem vtiq; æterna sapientia ædificauit, vt digna omnino esset ex qua ipse carnem assumeret in inæstimabile precium salutis humanæ. Quid dignius hac virgine? quid sanctius in humani generis serie potuerit exoriri? hæc Augustinus in sermone. Igitur nũquam fuit in carne Mariæ locus vel radix vitiorum, vt vult Aug. Quare videtur aliquibus quod nunquam in eius carne fuit languor naturæ vel lex membrorũ, vel fomes peccati, vel dominium politicum voluntatis ad sensum, sed dominium despoticum sicuti in statu primæ innocentiæ caroq; mundissima à principio sui, & tabernaculum altissimi Dei filio præparatũ. Et hoc est primum tabernaculorũ quod hodierna festiuitas solẽnizat. Et sic patet qualiter tabernaculũ stellare dat mundo solẽniũ.

Secundò dico quod tabernaculum solare dat mundo solatium. Nam secundo ordine temporum præfatus rex sub illa visione imaginaria visus est sibi formare aliud tabernaculum ad modum inebriantis contubernij per amorem, sc. animam Marię à sui principio vt radijs solaribus mũdissimis fulgentem, quam videns augmentata natura in lumine gloriæ, festo gaudioso in creationis principio eam considero decantare: Pulchritudo eius est vt species cœli in visione gloriæ. Ecclesiast. 43. Aspectus eius vt sol in exitu vas plenum gratiæ. Ibidem: Hæc vas castrorum lux in excelsis ordinata acie. Ibidem. Vidi arcum cœli, benedic factorem potentem curiæ. Ibidem: Candorem huius admirabitur oculus tumens in glacie: Ibidem: Ad quos cantus nonnullos viatores quadam luce imaginaria considero in spiritu eleuatos. Ad hanc formæ visionem eleuatus est sub lege naturæ sanctus vir Iob, cum vidit solem fulgere quoad animam Mariæ, & lunam incedentem clarè quoad eius carnem, & lætatum est cor eius in abscondito, patet Iob 31. cum suis notatis. Nam ille vsque ad fidem mediatoris Christi ponitur eleuatus, patet supra. 19.

A Ad hanc visionem de lege scripta ponunt nonnulli altius eleuatum, scilicet intellectualiter sanctum regem Dauid, cum vidit sponsum in sole ponere tabernaculum suum, & cum sole animæ carnem viuere Mariæ. Psal. 18. cum ibi notatis. Ad hanc visionem de lege gratiæ beatus Ambrosius est assumptus, qui videns Mariæ animam à sui principio præsentatione redemptam ait. Nec mirum si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoauit à Maria, vt per quam salus omnibus parabatur, eidem primò fructum

B hauriret ex pignore. Quid enim nobilius Dei matre, quid splendidius ea quam splendor elegit: Vt de cæteris eius virtutibus taceam, virgo erat non solum corpore, sed & mente. Hæc Ambros. super Lucam, & in lib. de sancta virginitate. Sicut patet ex visione sancti Ambrosij, non fuit à casu eleuata, sed præseruata, aliàs non virgo mente si peccato corrupta. Et sic patet qualiter tabernaculum solare dat mundo solatium.

Tertiò dixi quod tabernaculum regale dat mun-

C do spectaculum. Nam in tertio ordine naturę, sub illa visione imaginaria, præfatus rex visus est formare sibi aliud tabernaculum ad modum regalis triclinij pro lectulo, Salomonis, scilicet Mariam sub natura dotatam cum vnitus est sol stellæ, scilicet anima virginis suæ carni. In cuius vnione quas natura angelica protulit laudes ex terrenis sumitur argumentum. Cum Ouidius Naso existens in insula Ponti, ad visionem huius tabernaculi aliqualiter eleuatus de hac virgine in lib. 3. de vetula, prorupit in hæc verba:

D *Munda quidem magni animi, magnique decoris,*
Pluris honestatis.

Et ecce Albumazar sub ænigmate, & in illis nebulis existens, ad visionem huius tabernaculi aliqualiter est assumptus, ipso teste lib. 6. maioris introductorij. Et iterum existente Sibylla, Virgilius Maro in Europa ad visionem huius tertij tabernaculi est eleuatus ipso teste in Buccoli. egloga quarta:

Vltima Cumei iam venit carminis ætas,
E *Iam redit & virgo rede &c.*

Qualiter Hieronymus in Roma existens altiori lumine eleuatus hoc tabernaculum virgineum contemplans dicebat: Quid nobis tantilli, quid actione pusilli, quid in eius laudibus referamus cum & si omnium nostrorum membra vetterentur in linguas eam laudare sufficeret nullus. Altior enim cœlo est de qua loqui nitimur, abysso profundior, cui laudes dicere cõnamur. Si cœlum inquit, te vocem, altior es. Si matrem gentium, præ-

F cellis. Si formã Dei te appellem, digna existis. Si dominam angelorum, digna esse probaris. Quid ergo dignè de te dicam? Hæc Hieronymus in sermo. Sic patet qualiter tabernaculum regale dat mundo spectaculum.

Quartò dico quod tabernaculum diuinale dat mundo scrutinium. Nam quarto ordine naturæ præfatus rex visus est sibi formare aliud tabernaculum ad modum sacrarij spiritualis. Non quidem aliud quoad rationem essentialem, sed aliud quoad rationem moralem, s. totã Mariã in principio sui aliter se habentẽ sub magnitudine gratiarũ quam prius ordine causæ sub altitudine naturæ.

In

In cuius gratioso progressu ipse rex eam taliter commēdabat. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra. Cantico. 1. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea, &c. infra ca. seq. Oculi tui sicut colūbarum, eodem capite. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce, infra eodem capite. Nasus tuus sicut turris libani; quæ respicit damascum, infra capite. 7. Collum tuum sicut turris eburnea. Ibidem. Quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis, filia principis in calciamentis, scilicet carnis supra eodem cum ibi notatis. Statura tua assimulata est palmæ, & vbera tua botris. Ibidem. Tota pulchra es amica mea & macula &c. vbi thema. Sic eam eius cantor ille rex altissimus commendabat. Quas audiens in spiritu ille sapiētissimus Salomon vidēnsque sub lumine illud quartum tabernaculum hanc virginem gloriosā, quærebat de ea. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? quoad totam in naturalibus. Pulchra vt luna, quoad carnem. Electa vt sol, quoad animam, terribilis vt castrorum acies ordinata, quoad totam in gratuitis. Canticorū 6. Et cum nullus sibi responderet, iterum atque iterum quæreret. Quæ est ista quæ progreditur quasi &c. vt supra Can. 3. Et infra tandem naturam angelicam ad quæstiones præfatas considero respondisse:

Hæc est stella maris, vita via, porta salutis,
Regula iustitiæ, limes pietatis origo:
Virtutis, veniæ mater thalamusque pudoris,
Ortus conclusus, fons signatus, oliua
Fructificans, cedrus redolens, paradisus amœnus,
Virgula pigmenti, vinaria cella liquore.
Prædita diuino nectar cœleste propinans,
Nescia spineti florens rosa, nescia culpæ:
Gratiæ fons, expers limi, lux nubila pellens,
Spes miseris medicina reis, tutela beatis:
Proscriptis reditus erranti semita cæcis,
Lumen deiectis requies pausatio fessis.

Hæc Alanus in anticlaudiano.

HANC ERGO RESPONSIONEM AVDIENS PETRVS COMESTOR PRORUPIT in hæc verba.

Si fieri posset quod arenæ puluis, & vnda,
Vndarum guttæ, rosæ, gemmæ, lilia, flammæ:
Æthera cœlicolæ, nix, grando, sexus vterque.
Ventorum pennæ, volucrum pecudum genus omne,
Siluarum rami, frondes, auium quoque pennæ:
Ros, gramen, stellæ, piscis, simul anguis, aristæ,
Et lapides, montes, conualles, terra, dracones:
Linguæ cunctæ forent, minimè depromere possent,
Quæ sis vel quanta virgo regina Maria:
Quæ tua sit pietas, nec litera nec dabit ætas.

Ergo & fratres charissimi ascendite vos in spiritu, & videbitis Mariam absque pari, pulchram absq; fari, quia tota pulchra. Mariam amorosam, valde gratiosam, quia amica mea. Mariam in conceptu absque omni defectu, quia macula non est in te. Videte ergo Mariam sine culpa quoad mentē, quoad carnē, quoad dentē, quia tota pulchra. Videte Mariā præparatā suo nato iam dotatā, quia amica mea. Videte Mariam sine peccato originali absq, fato: quia macula non est in te. Ergo dic gēs pharisæa: Tota pulchra es amica mea nec est in te macula, quæ fuerunt thematis verba.

A Sequitur secundus tractatus nostræ considerationis qui notat de lite super delicta, super re nunquam neglecta, cum sit amica mea. Vbi est deuotè speculandum in hoc festo fuisse quandam litem, de qua monet sapiens Eccles. 4. dicens: Non contendas cum homine locuplete, ne forte contra te constituat litem. In qua lite primo actor præsentatur. Secundò causa propalatur. Tertiò reus connotatur. Quartò causa disputatur. Primò namque in lite huius festi tabernaculorum regis actor præsentatur, scilicet octo vetulæ quæ sæpe ad hoc festum scandunt ex hac nebula furibundæ. Prima

B vocatur litera occidens. Secunda ratio litigiosa. Tertia species sophistica. Quarta superficies canonum. Quinta apparentis legis. Sexta falsa mathesis. Septima falsa poësis. Octaua suspicio hæretica. Ascēdunt ad hoc festum octo vetulæ. Litera occidens in vultu iam rugata. Ratio litigiosa rixis comitata. Species sophistica fallacijs armata. Superficies canonum penitus inflata. Apparentia legis apparens aduocata. Falsa mathesis ex gestis diffamata. Falsa poësis apparēter adornata. Suspi-

C cio hæretica tremens antiquata. Cum his vetulis ascendit ad hoc festum,

Lis grauis, ira furens, odium immortale perennis,
Rancor, inhumanus strepitus, congressio dira:
Quæstio difficilis quam nulla solutio sedat.

Iuxta Nasonem. 2. de vetula. Sicque patet qualiter in hac lite actor præsentatur.

Prima ergo vetula scilicet litera occidens in illa visione imaginaria fricando vultum scalpendo caput in regis præsentia loquitur in hæc verba:

D Iustus quidem tu es Domine si disputem tecum, veruntamen loquar ad te, vt scribitur Hierem. 12. Ecce astat regina à dextris tuis investitu deaurato. Psal. 44. Quæ tamen fuit in originali peccato cōcepta. Argu. supra Psal. 52. cum ibi notatis. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum. Nam omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt &c. vsque ad vnum scilicet Christum secundum Gl. ergo regina fuit inutilis, & aliquando declinauit. Nec mirum, quia non iustificabitur in conspectu tuo

E omnis viuens. Infra Psal. 142. Super hoc sapientissimus Salomon lustrauit vniuersa, & virum de mille vnum reperit. Mulierem ex omnibus non inuenit. Eccles. 7. Quod confirmat apostolus Rom. 3. Omnes in Adam peccauerunt & egent gratia Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius. Et de hoc infra ca. 5. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit,

F & per peccatū mors, & ita omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Et Eph. 2. Eramus natura filiæ iræ, glo. August. In hac ira omnis homo nascitur. Vnde patet iustissime iudex quod Maria fuit in peccato originali concepta, & per consequens festū de eius conceptione celebrari non debet.

Secundò surgit secunda vetula, scilicet ratio litigiosa dicens se velle hoc probare euidenti ratione. Quoniam Maria fuit redempta à filio suo, sed non nisi à captiuitate & peccato, ergo contraxit aliquod peccatum. Secundò Maria habuit fomitem, sed fomes est sequela peccati,

ergo &c. Maior patet in li.3.dis.3.ca.2. Tertiò Maria fuit mortua, sed mors est sequela peccati, ergo. Quartò Maria fuit mundata & sanctificata, sed non nisi à peccato, ergo. Maior patet lib.3.cap.4. Quintò si Maria fuisset mortua ante filium, iuisset ad limbum patrum, sed non nisi propter peccatum, ergò. Maior patet, quia ianua cæli non fuisset aperta, nisi per passionem filij distinct. 14. tertij ca.fi. Sextò caro Christi fuit obnoxia peccato, sed illa est ratio peccati originalis, ergo. Maior patet.3.dist.tertij.ca.1. Septimò Maria fuit decimata in lumbis Abrahæ, sed ideo quia in originali concepta, ergo. Antecedens patet.3.dist. tertij. Octauò in Maria fuit fames & sitis, & multæ aliæ pœnæ contractæ, sed isti sunt effectus peccati originalis, ergo in ea fuit causa.

Tertiò surgit tertia vetula .s. species sophistica dicens se velle hoc subtiliter deducere. Solus Christus fuit sine peccato originali conceptus, & nihil quod non est Christus fuit sine peccato, sed Maria est aliquid quod nó est Christus, ergo &c. Exclusiua patet per sanctum August.2.lib.de baptis. paruulorum. Et lib. contra Iulianum hæreticum. Et supra Psal.34. Et per Ambro. super Lud. Et per Hieron. super illud Psal. de manu canis vnicam meam. Et per Grego. li. mora. Et per Damasc.4. sententia. Et per Ansel. Cur Deus homo. Et per Bern. in epistola ad canonicos Lugdunenses.

Quarto surgit quarta vetula, scilicet superficies canonum, dicens hoc esse expressum de conse. dist.4. ca. firmissimè & in 3.di.c. pronunciandum. in glo. igitur. Quintò surgit quinta vetula .s. apparentia legis clamans: Lex dicit. Si filiusfamilias extraneæ personæ, sit in adoptionem datus, ex hoc iura pietatis naturalis minimè dissoluuntur insti. de adop. sed hodie non obstante in Maria adoptione gratiosa adhuc fuit obligata culpæ iure naturali fraterno.

Sextò surgit sexta vetula .s. falsa methesis dicens in prima facie signi virginis ascendit hæc puella, & in ipsius manibus sunt spicæ suspensæ & vestimenta vetusta, teste Albumazar.6.lib. maioris introductorij. Et de hoc Naso.3. de vetula, sed talia vestimenta significant veterem hominem cum actibus suis, ergo ipsa induit veterem hominem.

Septimò surgit septima vetula, dicens hoc esse notum per communia metro, quæ notat Petrus Certensis semper Can. dicens:

Non aliquem potuit sine culpa gignere mundus,
Solus hic Christus fuit inter milia mundus.

Octauò & vltimò surgit octaua vetula .s. hæretica suspicio vel secundum alios nominatur præsumptio temeraria, dicens: Iustissime rex dicere quod Maria non contraxit peccatum originale hæreticum est censendum, & expressè contra fidem, & per consequens omnes sic tenentes sunt infideles. Primò sic dicere est contra determinationem ecclesiæ quæ approbat omnia dicta sanctorum patrum in cap. Sancta Romana. distinct. 15. in decretis. Sed multi sancti dicunt eam in peccato originali esse conceptam, vt Anselmus, Bernardus & cæteri igitur. Secundò quia est expressè contra sacram scripturam, igitur hæretica. Consequentia peccatum per Hieronym. 24. quæstio. 3. cap. hæreses in derelict Antecedens notum est ex dictis. Tertiò, quia

A August. in lib. de fide ad Petrum post cap. firmissimè, sic dicit Petro. Si quem contra hoc pertinacem cognoueris tanquam pestem fuge, & vt hæreticum abijce, ergo &c. Quartò, quia hoc festum sine falsitate fidei dogmatizari, non potest, ergo hæreticum, consequentia patet, & antecedens arguitur, quia hodierna festiuitas non est de conceptione seminum, quia ibi libido abfuit, nec de conceptu carnis, quia nec fuit hodie, neque de creatione animæ quia non fuit hodie, nec de creatione totius, eadem ratione ergo iu-

B stissime rex hoc festum non debet celebrari. Et sic patet quomodo in hac lite causa propalatur.

Tertiò dico quod in hac lite reus connotatur. Nam post hæc omnia dicta vetularum locutus est rex, dicens: Hæc causa vestra vt video contra reginam est de qua festum facimus. Ait prima vetula. Nequaquam Domine mi rex veritas non est contra reginam. Et rex. Quis est ergo reus contra quam agitis? Ait prima vetula. Sunt quædam puellæ viatrices modicum sapientes, &

C rex audiantur. Et ecce scandunt ad hoc festum tabernaculorum octo virgines viatrices verecundæ & timidæ quæ in conspectu omnium cœlestium admirabiles videbantur. Prima. Vera theologia in vultu gratiosa. Secunda. Ratio probabilis in gestu amorosa. Tertia. Patens autoritas grata velut rosa. Quarta. Lex canonico in habitu formosa. Quinta. Lex ciuilis tota imperiosa. Sexta. Vera mathesis apud multos prætiosa. Septima. Dulcis poësis super fauum dulcorosa.

D Octaua. Fides pia, firma & radiosa. Istæ octo virgines in illa visione imaginaria fecerunt partem in causa reginæ virginum, quam iam gratissimè cognouerunt. Et sic patet quis & qualis in hac reus connotatur. Quartò dico quod in hac lite causa disputatur. Nam post hæc omnia prima virgo scilicet vera theologia cum honestate indicibili in regis præsentia loquitur in hæc verba: Tu autem Domine Sabaoth qui iudicas iustè & probas renes & corda, videam vltionem tuam ab eis. Hierem. 11. Tibi enim reuelaui causam

E meam, infra eo. c. Ecce astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato. Psal. 44. Quæ nunquam fuit in originali concepta. August. in Psal. 92. cum ibi notatis: Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudine dierum. Nam hæc regina est domus tua quam tu ædificasti super columnas septem spiritus septiformis, patet. Prouer. 9. cum ibi notatis per August. Quæ ab initio & ante sæcula creata est, & per consequens in statu initiali primorum parentum patet. Ecclés. 24. cum ibi notatis. Item nec

F dum erant abyssi. i. peccata, & ipsa iam concepta erat, notatur Prouerb. 8. Item hæc est illa stella quam vidit. Balaam. Numeri. 24. Et si stella, ergo à peregrinis impressionibus aliena & abstracta, ergo à peccato originali præseruata. Item hæc est illa arca de lignis Sethin imputribilibus, patet Exod. 25. cum ibi notatis, ergo ligna huius arcæ virgineę fuerunt ab omni putredine pręseruata. Item hæc est mulier illa fortis quam vidit Salomon, cuius lucerna non fuit extincta in nocte peccati, patet Prouer. vlti. cum ibi notatis. Item nunquam timuit domus tua illa à frigoribus

bus niuis, patet eo. c. ergo nunquam fuit frigus peccati in ea. Item hæc est illa porta quam vidit Ezechiel quæ nunquam fuit aperta, patet Ezech. 44. ergo per eam nunquam intrauit peccatum. Item hæc est illa regina de qua Hester. 15. Non propter te, sed propter omnes lex hæc posita est. Item. Nonne à principio sui pulchra est amica tua & macula non est in ea, vt in themate. Vnde iustissimè rex patet, quod Maria fuit sine peccato originali concepta & per consequens hoc festum meritò est celebrandum.

Secundò surgit secunda virgo scilicet ratio probabilis dicens se velle hoc deducere per probabiles rationes. Primò. Quilibet in peccato originali consistés est protúc dignus pœna æterna, sed mater Dei nunquã fuit digna pœna æterna, ergo &c. Maior patet 30. distin. secundi. Minor patet, quia non erat decens matrem Dei esse in pœna æterna, & contrahere talem effectum, ergo nec rationem causalem vel dignitatem ipsius. Secundò. Prima mulier fuit creata libera & non serua, sed dignior & nobilior fuit secunda mulier quam prima, ergo ipsa creata fuit libera & nõ serua. Maior patet. 20. distinct. secundi. Minor probatur, quia in ea incepit tempus plenitudinis gratiæ, patet Lu. 1. Tertiò quodlibet peccatum originale dicit lamentationem & væ, sed Maria nunquam habuit rationem lamentationis & væ, ergo nec peccatum originale. Maior patet. 30. distinct. secundi. Minor arguitur ex aue angelico, quod communiter exponitur sine væ Lucæ. 1. Quartò. Maria habuit plenitudinem gratiæ, sed quædam magna gratia est præseruatio ab originali, ergo hæc fuit in Maria. Maior patet. Lucæ 1. Minor nota est. Quintò. Quodlibet peccatum dicit rationem corruptionis & tactus, sed Maria nunquam fuit corrupta, sed intacta, ergo nunquam habuit peccatum. Maior patet. 30. dist. secundi, & minor est nota, nam oppositum est error Heluidij. Sexta. Maria per filium suum perfectissimè fuit redempta, sed perfectus est redimere à casu præseruando, quam post casum eleuando, ergo Maria fuit à casu præseruata ait Bernard. super Dan. & hoc de 5. distinct. secundi. Septimò, Maria fuit exempta à maledictione Euæ, cui dictum est: In dolore paries filios, ergo etiam exempta à maledictione Adæ cui dictum est: Puluis es & in puluerem reuerteris. Ex quo probat sanctus Augustinus, quod non decuit Mariam incinerari secundum carnem, ergo exempta fuit à maledictione vtriusque, quia minus decuit secundum mentem deformari & maculari. Octauò quia Christi caro virginis, vt ibi assumit Augustinus in sermone assumptionis, sed caro Christi non fuit obnoxia peccato vt in se formaliter, ergo nec caro virginis fuit obnoxia peccato, vt in se vel in sui perseitate. Nonò, peccatum quodlibet dicit dehonestatem & vituperiũ spirituale, scilicet Maria nunquam habuit dehonestatem & vituperium spirituale, ergo nec peccatum originale. Maior patet de se. Minor arguitur, quia tunc rex filius eius impleuit circuncisionem & soluit legem decalogi de honorando parentes. Decimò, quia rex eius filius antequam haberet rationem filiationis eam honorauit ab infamia præseruando. Patet per Ambros. super Lucam, ergo à fortiori præseruauit eam à culpa præseruando. Igitur iustissime rex patet quod Maria non habuit originale, & per consequens hoc festum meritò est celebrandum.

Tertiò surgit tertia virgo scilicet patens autoritas dicens ad hoc esse autoritate potentes sanctorum. Nam Augustinus contra quinque hæreses. c. 4. de persona regis sic ait: Si Maria potuit inquinari cum ipsam facerem, potui ego inquinari cum ex ea nasceretur, sed secũdum non est possibile, ergo nec primum. Secundò. Idem. 3. dist. tertij. Excepta Maria virgine de qua propter honorem Domini cum de peccato agitur nolo facere quæstionem. Tertiò, Hieronymus in sermone assumptionis sic ait. Quicquid humanis potest dici verbis, minus est à laude virginis, ergo tribuenda sunt virgini omnia priuilegia exceptiua culpæ vel peccati. Quartò. Gregorius in prosa: Felix námq; es sacra virgo &c. Et in illa. Sancta & immaculata virginitas, ergo attribuenda sunt sibi omnia priuilegia exceptiua culpę. Quintò. Anselmus de conceptu virginali sic ait: Decens erat vt ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi niteret. Sextò beatus Ambrosius in lib. de virginitate Mariæ dicit eam expresśe ab omni peccati originali & actuali immunem fuisse, vnde fuit per eam casula de thesauro regis intimatus. Tunc rex ait: sufficit.

Surgit quartò quarta virgo, scilicet lex canonica dicens se habere ad hoc decreta. Primò quia ratione peccati quod mulier induxit, non conceditur pro alio postulare 15. quæst. 3. in decretis. Sed Mariæ hoc conceditur ex officio mediatricis, ergo abstrahitur ab illa ratione peccati. Secundò qui lege priuata ducitur, nulla existit ratio vt lege publica restringatur in. c. duæ sunt. 19. quæ. 2. Sed Maria à principio sui lege priuata ducta est, ergo &c. Tertiò. Si aliqui recipiuntur in proprios & speciales subiectos, censentur exempti in ca. si papa. de priuil. li. 6. Sed Maria fuit sic recepta in propriam & specialem matrem filij Dei à principio sui, ergo &c. Quartò cum sint iura obscura partiũ, reo fauendum est potius quam actori extra de regu. iu. in 6. Sed hæc iura partiũ sunt obscura, ergo Mariæ fauendũ est. Quintò surgit quinta virgo, scilicet lex ciuilis, dicens se ad hoc habere leges. Quoniã princeps Augustus est legib. solutus priuilegiata. Augusta patet. ff. l. 2. sena. cõ. l. princeps. Sed summus Augustus fuit solutus à lege concupiscentiæ, ergo præuilegiata Augusta. Item in obscura voluntate manumittentis fauendum est libertati, de reg. iur. ff. ergo à fortiori in obscura ratione ingenuitatis fauendum est libertati. Sed hæc est obscura ratio ingenuitatis Mariæ in principio sui, ergo &c. Et rex ait sufficit.

Tunc surgit sexta virgo scilicet vera mathesis dicens. Hæc puella à principio sui, in prima facie signi virginis apparuit munda & magni animi magnique decoris. Teste Albumazar li. 6. maioris introductorij, ergo in sui principio non erat immunda & deformis. Item à sui principio lucebat pluris honestatis. Teste Naso. 3. de vetula, ergo erat sine inhonestate & vituperio culpæ. Item in conceptione huius puellæ prima facies signi virginis erat de signo virginis, nullus astrologus hoc negat, ergo puella hæc quæ erat signata

erat vt tunc incorrupta & intacta secundum vtrumque hominem. Item ad hoc facit Mahometus in Alchorano Azoara, & dicens: Nullus est de filijs Adam quem non tetigerit sathan præter Mariam & filium eius. Et rex ait, sufficit.

Tunc surrexit septima virgo, scilicet vera poësis, ad hoc se habere dicens poëtrias innumeras. Nam Sedulius lib. 1. in carmine paschali loquens poëticæ de Maria sic ait:

En velut è spinis nobilis rosa surgit acutis,
Nihil quod lædit habens vel quod obscurat honorem:
Sic Euæ de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiqua facinus noua virgo piat.

Ergo Maria surrexit de spinis generis humani omni læsione semota, sicut nobilis rosa est spinis. Item ad hoc facit poëtria Maronis, vt supra. Item Nasonis. Item Petri comestoris, vt supra. Item Petri Cretensis super Lucam.

Vnam nec maculam natura reliquit in ista.

Item Alanus vt supra.

Vltimò surgit octaua virgo pia fides, dicens: Pro ista conclusione sunt mirabilia tua iustissime rex, ergo hæc conclusio est pia fide tenenda, consequentia patet, cum tu non possis esse falsus testis. Antecedens arguitur in miraculis Hulsini abbatis. Item de studente fratre regis Hungariæ. Item de sacerdote in pago Gallico, quæ ecclesia sponsa tua amplectitur pia fide.

Tunc in illa visione clamauit rex. Adiuro vos vt ametis Mariam & comendetis, quia tota pulchra. Nec suscitetis, nec dilectam prouocetis quia amica mea. Nec denigretis nec formosam diffametis, quia macula non est in ea. Tota enim pulchra es amica mea, & macula non est in te, sunt verba thematis præassumpti.

Sequitur tertius tractatus nostræ considerationis qui notat responsionem gaudiosam ad sententiam famosam. Vbi primò materia declaratur. Secundò sententia propalatur. Nam post hæc omnia in illa imaginaria visione surgit prima vetula, scilicet litera occidens quasi rabida dicens, quid ad rationes nostras quæ insolubiles sunt iustissime rex? Surgit ilico honestissima virginum, scilicet vera Theologia, dicens: Vestræ rationes continent decemocto defectus qui in scientijs communiter repelluntur.

Primus est, quia non distinguitis inter vniuersale simpliciter & vniuersale accommodum, sicut dicitur 46. dist. primi cap. 5. Vniuersale simpliciter distribuit simpliciter, vt omnia quæ voluit Deus fecit. Vniuersale accommodum distribuit secundum quid, vt Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quod intelligitur solum de illuminatis secundum August. infra eo. cap. & sic tales. Omnes declinauerunt. Omnes peccauerunt. Omnis homo mendax &c. dicunt vniuersale accommodum.

Secundus defectus est, quia non distinguitis inter exemptum de iure & exemptum de priuilegio & de facto, vt in l. princeps. ff. de legi. Nam Augustus est simpliciter, Augusta de priuilegio. Et sic intelligitur. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, scilicet qui sit exemptus simpliciter, & hoc patet, cum tex. ibi loquatur de exceptione actuali.

Tertius defectus est quia non distinguitis inter redemptionem eleuantem & redemptionem

A præseruantem. Sicut distinguit beatus Bernardus super Can. sermone 55. Primo modo redempta est humana natura. Secundo modo angelica, patet infra. e. sermone. Et sic de Maria credimus, patet ergo quod non omnis redemptio est à culpa.

Quartus defectus est, quia non distinguitis inter rationem causalem & rationem formalem sicut distinguitur 31. distinct. secundi per Ambrosium. Nam ratio causalis non includit simpliciter rationem formalem. Nota infra eo. distinct. per

B magistrum c. si. vbi ponit in primo cóceptu puerperium habere rationem causalem peccati originalis, & nõ formaliter. Et sic potest intelligi quod Maria habuit fomitem peccati in illo conceptu quoad legem propagantium sub qua fuit concepta, sed non habuit fomitem formaliter in primo conceptu seminis, vt prolis, nec vt in secundo vt seminis, vt caro, nec in tertio scilicet infusionis animæ.

Quintus defectus est, quia non distinguitis in-

C ter mortem incinerationis & mortem præseruationis, sicut distinguit Augustinus in sermone assumptionis. Prima mors est pœna peccati, patet Gen. 3. Puluis es &c. Sed secunda mors abstrahit à peccato quãtum abstrahit ab incineratione, & talis fuit mors Mariæ secundum Augustinum ibidem.

Sextus defectus est, quia non distinguitis inter purgationem & mundationem ab immundicia & à priuata potentia, sicut communiter distin-

D guitur 9. distinct. secundi de purgatione angelica quæ non fuit ab immundicia, sed à priuata potentia. Et sic conceditur Maria purgata mundata, & sanctificata.

Septimus est quia non distinguitis inter legem priuatam & legem communem, sicut in. c. Duæ sunt leges 14. qu. 1. in decretis. Ideo cum dicitur, si Maria fuisset mortua ante filium de iure cõmuni iuisset ad limbum, sed dubium est de facto. Nec enim minus sibi potuit aperiri porta cœli vt tunc, quã in via creditur à nonnullis, eam vidisse in hac

E vita Deum clarè per essentiam. Octauus defectus est, quia non distinguitis inter legem concupiscentiæ propagantium & prolis propagatæ, sicut notatur per aliquos doctores 3. dist. tertij. Nã primo modo caro Christi fuit obnoxia peccato sicut reliqua caro, patet in ca. 1. 3. dist. tertij. Sed secundo modo vtraque. s. Mariæ & Christi fuit præseruata.

Nonus defectus, quia non distinguitis inter solutionem decimæ propter gratiam præseruãtem, vel propter gratiã eleuantem, vt dicitur per non-

F nullos doctores 3. dist. tertij ca. 3. Nam Maria soluit Christo decimam propter gratiam preseruantem, non à casu eleuantem.

Decimus defectus est, quia non distinguitis inter pœnam tractam vel inflictam ex culpa vel ex causa, sicut dicitur 15. dist. 3. Nam secundo modo scilicet ex causa multas pœnalitates contraxit Maria, sed nunquam ex culpa sua.

Vndecimus defectus est, quia non distinguitis inter exceptiuam & exclusiuam simpliciter & accommodatam, sicut distinguitur 41. dist. 1. Nã illa, nemo nouit filium nisi pater non est exceptiua sim-

simpliciter quia non est ibi exceptiua notionale vel etiam essentiale secundum aliquos, s. exceptio accommoda qua excipiuntur omnes illi quibus de iure hoc non competit vel de facto. Et sic sunt intelligendæ tales. Solus Christus fuit sine originali. i. solus simpliciter & de iure, quia solus Augustus est lege solutus in l. princeps, sed non solus de facto infra ea. l.

Duodecimus defectus est, quia non distinguitis inter dictum determinatum & concionatum siue disputatum, sicut dicitur. Eccl. 1. cum ibi notatis vbi Salomon quandoq; loquitur in persona fatui, siue in persona opponentis. Et sic Ansel. in 2. Cur Deus homo loquitur de Maria in persona Bosonis disputantis quod in peccato concepit eũ mater sua. Sed post oppositum determinat in libello de conceptione virginis. Et in epistola ad suos coepiscopos.

Decimustertius defectus est, quia non distinguitis inter dictum, assertum & opinatum. Sicut distinguitur in. c. noli nimis. dist. 9. in decre. Nam aliter recipienda sunt dicta sanctorum cum loquuntur dubiè, aliter cum loquuntur assertiuè. Propter hoc Bernardus qui in epistola ad canonicos Lugdunenses dubiè locutus est, dicendo hoc festum non esse celebrandum. Nam in fine epistolæ submittit se & suum dictum examini ecclesiæ Romanæ, & certum est ecclesiam Romanam iam facere illud festum.

Decimusquartus defectus est, quia non distinguitis inter inesse & infuisse, sicut distinguitur. 9. dist. 2. c. 4. sicut quod angeli ceciderunt de ordinibus, non quod inessent, sed infuissent. Sicut dicitur Maria mortua propter peccatum per Augustinum nõ quod infuit, sed quod infuisset, si non præseruata fuisset.

Decimusquintus defectus est quod non distinguitis inter ius naturale & ius gentium. Sicut distinguitur dist. 1. in decre. Nam Maria non fuit exempta à iure naturæ vt imaginatur apparentia legis, sed fuit exempta à iure gentium, ex quo captiuitates & seruilitates emanant, infra. e. c. 5. Decimussextus defectus est quod non distinguitis inter habitum & situm. Sicut distinguit Porretanus in li. 6. principiorum. Nam aliter consideratur Maria, vt habituatur in vestitu deaurato Psal. 44. & sic se habuit à principio sui. Aliter vt situata habens in manibus vestimenta vetusta, vt det falsa mathesis quod non signat veterem hominẽ Mariam induisse, sed euangelicam paupertatem.

Decimusseptimus defectus est quod non distinguitis inter superficiẽ & medullam. Vel sensũ in quo sit, & sensum quẽ facit. Vt distinguitur in c. Martino. 1. q. 1. per Hiero. Nã multa sunt superficie contra sacram scripturã expresse, quæ tamen sunt catholica, & eorũ opposita hæretica. Notum enim est ecclesiã approbasse omnia dicta sanctorum, sed non vt superficialiter, sonãt, nec in omni sensu quem faciunt. Vltimus defectus est quod non distinguitis inter causam totalem & causam partialẽ, sicut dicit autor de causis propositione. i. & cõmentator ibidẽ. Nam lex cõcupiscentię propagantiũ nõ est causa totalis, vt peccatũ originale sit in carne vel in anima propagatæ prolis. Nec sequitur hoc est propagatum secundũ legem concupiscentiæ, ergo in peccato originali. Vnde non sequitur formaliter, tres pueri sunt in camino

A ignis, ergo patiuntur ab igne, ergo nec sequitur formaliter, propagatur in igne concupiscentiæ ergo patitur originale, licet sequatur de lege communi. Maria autem fuit concepta de lege priuata spiritussancti, quæ prima concepta fuit hodie sancta in suis originalibus principijs secundũ Ansel. Hodie concepta est stella cœli, hodie cõcepta est palma virginũ, hodie concepta est ianua cœlorũ. Igitur triplex conceptio Mariæ videtur hodie celebranda. Nam hodie fuit concepta vt in suo originali principio. Nec sequitur ibi affuit libido

B propagantium, ergo peccatum in prole propagatur vt supra. Secundò fuit cõcepta in carne mundissima. Tertiò in creatione & infusione animæ. Et de istis hodie celebratur festum. Nec sequitur: Non fuit hodie illa vel illa conceptio, ergo non debet hodie celebrari. Nam ecclesia de consuetudine habet anticipare vel postponere festa ex certis causis & rationabilibus, aliàs non posset rationabiliter celebrari in die lunæ cum cadit in dominicam quod est falsum. Item aliàs nunquam cele-

C branda esset octaua in qua cantatur hodie sicut in die. Item tunc non esset hodie celebrandum festũ conceptionis pro sanctificatione, quia quo tempore fuit sanctificata ignoratur, vt dicit sanctus Tho. 3. parte summę. Et sic inquit Theologia patet quod rationes vestræ non sunt insolubiles. Tunc rex de solio suo protulit litis sententiam in hæc verba Anselmi in epistola conceptionis virginis. Erubescant omnes insensati, qui tantum diem, tanta mysteria ac sacramenta tenebris ignorantiæ excæcati ideo respuãt celebrare, quod viri & mu-

D lieris copulatio in virginis conceptione consistit. Non enim est verus amator virginis qui respuit colere diẽ suæ cõceptionis. Hæc Ansel. Cuius virginis veros amatores nos facere dignetur Dominus noster Iesus Christus Dei patris & ipsius virginis Marię vnicus filius, qui cum eodẽ Deo patre & spiritusancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

E
SERMO DE S. BERNARDO EDITVS A MAGISTRO IOAN. DE GERSON *cancellario Parisiensi.*



FVLCITE me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Scriptum est in epitaphio sponsi & sponsæ quod ad exercitium diuini amoris compositũ est, & ab illo cuius nunc sermonẽ habituri sumus diuinis verbis expositum quod & nunc legit ecclesia in laudem singularis sponsæ Christi virginis

F gloriosæ. Cant. 2. Si non capit amoris verba frigidum peccatum vt scriptura loquitur (amorose Bernarde) Si te eodem teste lingnagium amoris non amans, non intelligit plus quam latinus barbarum, quo pacto spes erit de algido, immo gelato pectore meo quod amoris vnquam flammãtia verba depromat, quod eloquium eius sit ignitum vehementer, quod verbum instar Heliæ vt facula ardeat. Necessarius est igitur ignis ille amoris quem Dominus misit in terram volens vehementer accendi. Necessarius dixerim, tum vobis ad capiendum verba amoris, tum præcipuè

mihi ad illa capiendum simul & loquendum. Te verò beatissimum. Bern. esse vnum ex consortio A ignitorum illorum spirituum quos Seraphin scriptura nominat, ego pia fide tenens obsecro iam & obsecro per amorem tuum quatenus sumpto calculo ardenti de altari illius, cuius ignis est in Sion, & caminus in Hierusalem qui est non cupido falsus, sed verus dilectionis Deus & ignis consumens est, tu labia mea tangens purges. Tu insuper pectora nostra omnia succendas ad amorem illum quo te olim languisse & arsisse feliciter: te ducente infrà docebimus. Exorabimus simul B amatricem illam tuam & amatam deam quæ quidem decantat: Ego mater puchræ dilectionis. Cui supplices præsentamus illud angelicum. Aue gratia plena &c.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Vox ista viri patres & fratres vox amantis est. Amantis non qualiscunque amantis, sed eius quem vulgus loquitur, qui amat per amorem qui philocaptus est. Cum verò inter animæ passiones nulla vehementior sit quam amor (vt ab experientia sumpsit Cicero) nulla insuper violē- C tior, nulla rapacior, & quæ minus sinat animam esse suit iuris (Nam est extasim faciens vt ait Dionys. 4. de diui. nomi.) sicut amorem peruersum & improbum nullum crimen excedit in vitio, sic amori casto & bono nulla virtus æquatur in precio. Alioquin quomodo statuisset egregius doctor Augustinus ex aduerso duos amores bonum & malum, esse quasi totidem præcipuos conditores & rectores duarum ciuitatum, vnius diuinæ, alterius diabolicæ, nisi quod amor bonus in- D ter virtutes, & malus inter vitia principatur? Proinde vterque amor sua actione feruida languere hic quos possidet, cogit, quāuis aliter sicut amor hæreos manifestat in malo, & vox nostri thematis in bono. Cum anima sancta spolia Dei loquitur. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore lāgueo. Et quidem de amore peruerso erit secūda pars nostri sermonis huius si hora & vestra expectatio tulerint, & hoc sub voce querula & lugubri Christianitatis languorem suum in membris pessimum ex hoc amore deplorantis. Primam ve- E rò partem sibi vendicabit vox amorosissimi & Deo amantissimi Bernardi tum ad sui laudem tum ad nostri ædificationem. Introducetur itaq; persona eius iam beata atque secura tanquam ipsum de amore suo in hoc mundo loquentem audiamus. Ita enim texere meditatus sum doctrinā de amore, quatenus iocundior esset ad audiendū, facilior ad credendum, maiestate suo dignior, & inuidiæ habens minus ad imitandum. Quis enim sibi congruentius amoris magisterium vsurpauerit, cuius & facta omnia & scripta scintillæ sunt F quædam igneæ amoris. Auertite igitur paulisper mentem à me, & ipsum Bernardum non me loqui putate. Fulcite me floribus castrorum desideriorum ô beati amorosi omnes spiritus. Stipate me malis odoriferis, pulchrarum ordinatarúmque operationum, quia amore langueo. Ecce anima mea dum aduena ego sum in terra peregrinationis meæ, circumibat & quærebat quem amaret. Neque enim absque amore diu viuere omnino poterat. Cuius stimulis nescio quibus iam ab ineunte ætate configebatur. Cuius igne carpebatur vt in has gemebunda suspiraret voces. Fulcite me &c. Obtuli animæ meæ coram in prospectu per portas sensuum. Cœlū & terram & mare & omnia quæ in eis sunt, pulchra & speciosa valde. Pulchritudo in formis corporeis ex ordine cōgruo partiū, cū quadē coloris & lucis suauitate, pulchritudo in numeris sonoris & canoris, pulchritudo in tāgibilibus pulchritudo in gustibilibus, pulchritudo in odoriferis, quæ omnia cōuenienti proportione sua intra mentem alliciunt. Et dixi animæ meæ, ecce hæc sunt amor tuus. Fulcite his floribus, stipatæ his malis. Et ne vltra planxeris, quia amore langueo. Quid refugis quid faciē obducis? Refugiebat enim (bene sensi) aspernabitúrque monitus meos cum his omnibus quæ induxeram intus ad eam per corporis mei sensus. Itaque nimirum doctricem alterius amoris susceperat, adhuc ferè è cunabulis ab ancilla tua Deus noster matre mea, in gremio ecclesiæ sanctæ tuæ & à spiritusancto tuo. Qualis hæc doctrix erat? erat fides catholica, quæ mox vt excreui, mox vt gressum figere potui duxit animam meam ad fontem purissimum & serenum sanctæ tuæ ecclesiæ, in qua protinus vt vidit anima mea, se & faciem suam velut in speculo quodam mundissimo ipsa repente sagittata est iaculis suauiter ardentibus, diuinæ pulchritudinis, dignitatis, honestatis atque dilectionis, instar narcissi, de quo poëtæ fabulantur. Ex illo delere statuit anima mea à corde suo omnem pulchritudinem rerum gestarum. Omnem cœpit amorem alterum à tuo dedignari. Cœpit tædere quotidianarum harum harum formarum, hanc enim tantam de propria dignitate, decore & nobilitate præsumpserat fiduciam. Tam superba de amore (vt vulgi vox est) facta erat, ita vt nullum nisi omnipotentissimum sapientissimum, ditissimum & pulcherrimum super omnia amare dignaretur magna, sed bona superbia. Quid mihi & tibi ait ô homo, quid mihi & tibi ad pulchritudines istas rerum materialium? Quid ad amorem earum, quas æquè nobiscum in facultate sua bruta habent? Esto pulchra, sint omnia. Esto speciosa & amena & digna diligi. Quantum supereminet pulchritudo & decor illius qui fecit omnia? Si in vestigio, si in vmbra, si in nutu quodam & odore hæc violentia inest (vt se amari tanta importunitate tantáque rapacitate compellant, vbi tamen aculei graues sunt, vbi plus aloes quam mellis habent. Noli mirari si res ipsa à qua profluunt hęc omnia, sua vi me trahit, & dignitate me allicit, in cuius amore tanta delectatio est, & cuius conuictus non habet amaritudinem, scilicet lætitiam & gaudium. Iste est Deus meus, cuius vulnerata charitate ego sum, sibi me elegitimè totam habebat, sibi me dedi.

Verum quandiu? heu tandem aberit. Et quousque vsquequo vociferabor vim patiens, & non exaudiet? Quæro eum misera, nec inuenio, vulneraui me & abijt. Adiuro vos filiæ Hierusalem, vt si inueneritis dilectum meum, annuncietis ei, quia amore langueo. Et ita verè elanguit anima, dum hoc modo assiduè suspirat ad Deum suum. Erátq; languor fortissimus adeò vt macrescerem & marcescerem totus, displicebat quicquid agebam, quicquid videbam in sæculo. Et aio ego ad animam meam: Certè anima

anima mea adhuc rudis es in amore nec satis erudita, propterea fortè non venit ad te dilectus tuus. Vis introeamus scholam aliquam quæ doceat nos modum quo amandus est amicus tuus Deus noster. Nam quod sine modo est, placere quomodo potest. Quod si ad res alias viliores ars additur & proficit, quanto minus rei huic diuinissimæ & qua sola optimè viuitur, æstimandum est artem non deesse? Annuit ipsa. Veni ergo non tam gressu corporis quam studio sedulæ inuestigationis ad scholas varias interrogaui de qualibet. Nunquid non ars amoris doceretur in ea? Responsum accepi à singulis voce confusa & rauca, Docemus amorem. Sed in veritate comperi dum pergerem vltra quærere, quod non erat amor ille, vt est amor Dei nostri, amor castus quem quærebat anima mea. In schola vna docebantur homines amare, in illa voluptatem, in alia mundanam aliquam vanitatem. Quin etiam schola illa quæ videbatur honestius instituta, schola literatoria, schola scientiarum variarum referebat ad cognitionem omnia, nihil ad amorem. Docebantur illic sedulò adolescentes ad senes cum iunioribus, de rebus quærere, disputare, libros euoluere, verum à falso acutè secernere. In his totus mergebatur intellectus, sed affectus procul erat, procul sine affectione, procul valde & exul in terra, deserta, inuia & inaquosa. In terra salsuginis à malitia habitantium passionum in ea. In loco horroris & vastæ solitudinis extra terminos conuersationis illius, de qua dictum est: Nostra conuersatio in cœlis.

Illico retorsi pedem ego Bernard. ab his scholis: & aggrauata est valde anima mea studijs earum, eò quod ita affectum suum vel deprauabant, vel intollerabili prorsus vanitate aridissimum relinquebant. Et dehinc ex imò pectore altum trahens suspirium. Filij inquit, hominum vsquequo graui corde, vt quid sine affectione de affectibus iudicatis? vt quid loquimini sedulò de dilectione? sed non idiomate dilectionis, dum caretis dilectione illa, pro qua si dederit homo omnem substantiam suã quasi pro nihilo despiciet eam, quam. quam vbi docetur illa? Docetur dico non lingua propria affectuum vbi reperitur? Quis eius mihi scholam ostendet? Fulcite quæso me floribus castrorum eloquiorum, vos quicumque potestis, & potestis soli qui amatis. Stipate me malis ordinatæ charitatis, quia amore langueo. Sic lamentabatur anima mea sic languebat turgida amore, quærens scholam, quò conuenientius eam in arte bene amandi & amorem conseruandi, patiendi agendi redderet institutam. Tùm è cœlo intonuit dominus voce grandi ad aures suas introrsus vt religionis scholam peteremus. Credo quia magis ad inflammationem affectus quam eruditionem solam intellectus religio statuta est, si rectè manet instituta in qua rursus ab initio collocatur securius feruor amoris nouitius, quam in solitudine, ne terrena adhuc anima offendat in illud maledictum ve soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem. Paraui confestim animum, gerebam circiter vicesimumsecundum annum, Anno Domini 1112. Et à constitutione domus Cistercij 16. dum cum socijs amplius triginta religionis scholæ me subdidi.

Sed quali religione & quo fine? Religioni
A inopi, austeræ, regulari, non quales hæc multas intueor corruptiores, quam seculum. Corruptiores in comessationibus, in lasciuia morum, ineffrem cuiuslibet disciplinæ regularis abiectione vbi ferè nihil de religione præter nomen fictitium, aut præter vestem, & nescio quæ forsan cantica nihil deuotionis, plurimum tædij & vexationis habentia. Porrò finis meus solus fuit amore Dei, vt in me genitus à gratia Dei, citò nasceretur, & natus fieret viuax, fortis & feruidus, omnia potenter exuperans, suauísque & sapiens. Nam religionem
B profitens si quicquam aliud intendit aut cibum, gloriam vel opes, quas sibi negabat seculum, quidni successus turpes habeant, ea quæ tam fœdo initiata sunt principio. Sed ad me redeo.

Mox vt religionis scholam introgressus sum; suscepit me in primis (vt mos habet) locus nouitiorum, in quo conuersatus aliquamdiu, gradum proficientium ascendi. Nemo enim repente fit summus. Tandem promouente Deo de virtute in virtutem ad perfectiones assumptus sum. Pri-
C mò velut animalis. Secundò vt rationalis. Tertiò vt spiritualis, secundum tres status studentis ad amorem Dei, quos transcripsi per Epistolam ad fratres de monte Dei.

Conformiter etiam ad tres diuini amoris gradus, quos notauit libellus meus de diligendo Deum editus. Primus locus est schola disciplinæ & contritionis. Alter schola sanctimoniæ & meditationis. Tertius est schola solitudinis intimæ & contemplationis. In primo verus amorosus
D languet amore, dehinc moritur amore demum tertio viuit amore. Quoniam parturitio amoris fit cum dolore languido hoc est in rixa passionum. Dehinc post eius parturitionem mortificatis passionibus moritur vetus homo, sicut in parturitione Benjamin Rachel. Tertiò tandem amor natus adolescit & crescit, & ex illo anima viuit cum Apostolo dicente: Viuo ego iam, non ego, viuit verò in me Christus.

In primo bellum, in secundo induciæ, in tertio pax. Nihilominus dum vita mortalis agitur in a-
E more hæc omnia permixtim insunt, bellum, induciæ, pax, rursus bellum, rursus induciæ, pax vicissim. Nam confusa sunt hæc omnia spes, metus, mœror, gaudium, vix hora vel dimidia fit in cœlo silentium. In hunc modum sub alia metaphora exardescit & crescit ignis diuini amoris. Torret primò vehementer cum multo fumo carnalium desideriorum, & flamma non nisi raptim emicat, dehinc flamma rapacior exurgit conuoluta fumo phantasmatum, licet ad postremum velut in car-
F bone suo nitet, tranquillus ardet depuratus ab omni fumositate tum passionum tum phantasmatum. Hoc verò ferreum & tranquillum dilectionis incendium priusquam attingeret anima mea, priusquam amorem conceptum enixa esset, quibus non ego languoribus extenuatus sum, quibus non vexatus doloribus. Quotiens ego ad sanctos sanctásque homines, quotiens ad patres & fratres meos simul in Christo degentes quærulis vocibus planxi. Fulcite me floribus sanctarum orationum vestrarum, stipate me malis exemplorum vestrorum, quia amore langueo.

Cognitus est nimium mos eius, immo more ve-

terano vult hæc infœlix & suadet, quid dico suadet, vt agit vt prostitua decorem suum, hæc virguncu!a mea, hæc adolescentula anima mea. Attrahit videlicet corruptores sordidissimos, improbissimósque prædones animarum incautarum. Nunquid non oculus prædo nequam qui deprædatus erat animam Hieremiæ? Tactus præterea & gustus & lingua & aures, heu quam violenti sunt seductores! Apprehendit quilibet pallium animæ meæ & subdolè blandiens. Dormi inquit mecum. Reclamat anima mea ore synderesis, in quo non est inuentus dolus, sed nec inueniri potest. Reluctatur manibus conscientiæ. Seorsum vos exclamat, abite hinc in malam horam vestram fallacissimi deceptores, nescitis fortè qualis ego sum. Ego ne talis meipsam sub vestra libidine prostituendam turpiter exponam? Ego ne ludibrium vobis ero, risus & opprobrium? Non est ita consilium alias quærite si quas inueneritis quæ vestris credant malesuasis blandicijs. Ego vos respuo, despicio & conspuo, phy de vobis. Ita anima mea ad illecebras carnis. Ego autem Bernardus ad meipsum frequentius illud inculcabam. Bernarde ad quid venisti? Ad quid Bernarde venisti? Nimirum tu venisti ad amoris casti scholam, in qua docearis amare Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine. Nihil ergo tibi cum carne, rixas eius perfer viriliter. Silebit tandem, & si nunc grauiter molesta sit, atque cum oblectamento obsequetur tibi. Sed quid? Non tantummodo timores intus & rixæ, sed foris pugnæ. Notum est quanta me impudentia bis mulieres infœlices nudum aggressæ sunt, quas vt clamaui latrones & socios excitaui. Altera vice, vetulam hanc carnem meam, quia ex visu mulierculæ stimulabat me acrius solito, ego demersi collo tenus in aquam algidam vsque dum miserè ad mortem obtorpuit. Talibus aculeis in sui parturitione exagitatus amor meus, sæpius in flebiles erupit eiulatus vagitúsque. Et ego multum flens & amorem meum quasi lachrymis iam balneans loquor cum Apostolo: O infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Scio enim quod aliter continens esse non possum nisi Deus det, dat autem exercentibus se & quærentibus. Propterea fulcite me floribus orationum vestrarum ô sancti sanctæque omnes, stipate me malis spiritualium charismum, quia amore langueo.

Talis fuit status meus in schola contritionis, qua in re & si nihil modo patior in gloria compatior tamen tibi ô quisquis es generosus adolescēs bonæ indolis, quisquis egregio & casto artem bene amandi nouitius adhuc addiscis. Didici ex his quæ passus sum pugnam tuam, sed fortiter age precor. Precor hanc veterem sordidam carnem tuam animosus euince. Ego meipsum tibi præbeo in exemplum victoriæ spémque coronæ, tu me sequere, tu experto crede, credis, hæc lucta pacatissimum afferet, nisi victus fœde succumbas. Alioquin iugi miseria torqueberis, acerrimóque pruritu, etiam in senio dum à malè suauibus damnabilibúsq. titillationibus ab illecebris fouere sanaréque te putabis.

Verum super omnia te moneo præclare adolescens & repetens iterum, iterúmque monebo, caue tibi à consortio nequam adolescentium, vel

A virorum euiratorum, sciens quoniam corrumpunt bonos mores confabulationes pessimæ, quanto magis attrectationes, operationésque. O mores, ô scelera, immo ô mortes, ô scelera sceleratissima, quoniam societas illa formidanda est de contagione pessima, quam naturali fœdere ac institutione mutuo decebat esse castam, atque securam agente hęc corruptela bestiali eorum, quos omnipotens naturæ Deus si non resipiscant malè perdet, iustè quidem, quia & ipsi quandoque ne-

B phandissimè perdunt, quos seruare, instituereque debuerant, sic fidei suæ traditos velut angelicæ puritatis iuuenculos. Verum tu adolescens inclyte has pestes monstrificas non minus effugito quam famæ tuæ, quam castitatis tuæ, immo quam vitæ tuæ certissimos hostes. Quod si vim parauerint, obnitere, reclama, palam eloquere, palam ostendito, veternosam hāc beluam ignibus persequendā, clama mecū latrones. Denique in omni tua afflictione dum amorem castum & diuinum

C parturis, otium procul absit. Otia si &c. Sit quoque refugium ad lectiones, ad ieiunium, ad orationes. Non enim vincitur hoc dæmonium nisi in ieiunio & oratione. Dic in hac parturitione tua, dic Deo & omnibus eius ex intimis præcordijs animæ tuæ. Fulcite me floribus castimoniæ, stipate me malis puritatis sanctæ quia amore langueo. Tali languore torquebar, tali pompa rumpebar pariendo amorem Dei iam conceptum. Quidni igitur languorem hunc feruidum mors si aliqua sequeretur? Qualis mors? mors alterutrius

D ex hoc amore duplici. Mors, aut carnalis, aut spiritualis. Sed dicamus melius quod carnalem spiritualis amor strauit, calcauit, exanimauit. De quo verè dictum est: Fortis vt mors, dilectio. Perpendo quomodo enecata est in me dilectio & delectatio quælibet corporalis, quando ad cibum ibam sicut ad tormentum, quando sagimine concreto incautè apposito, vsus diu sum pro butyro. Quando subinde ad luxuriæ blandimenta ego vel sola recordatione concutiebat horrore, abominans ea tanquam saniem putrem fœtidámque.

E Emortua igitur veterana carne mea fœlici morte, quæ vitam non obstulit, sed mutauit quatenus renouaretur, sicut aquilæ iuuentus. Amorem Dei pridem conceptum enixa est anima mea, obstetricante pœnitentia cum suis sodalibus. Secessit in secunda schola meditatio sedula famulatrix, quæ nato amori lactantis ac gerulæ fungeretur officio. Est itaque meditatio fortis vehemens atque perseuerans mentis attentio ad aliquid inuestigandum. Nonne fortis ac vehemens

F attentio quæ potest mel sugere de petra oleúmque de saxo durissimo ad amoris sui nutrimētum, immo ad raptum facit. Est autem raptus vehemens occupatio virtutis superioris cum totali cessatione virtutum inferiorum, aut saltem cum debilitatione notabili. In hac meditatione iuxta alterum typum exardescit ignis diuini amoris, propheta dicente: In meditatione mea exardescit ignis. Hoc fit valido fletu assiduæ considerationis, stringente & veniente virtutem totam ignis huius, quatenus ex materia iam præparata & quasi desiccata ab humore grosso carnalitatis, flamma purior erumpat & emicet. Hæc meditatio

nonne

nonne mihi satis ab adolescentia familiaris extitit quando frequenter ea quæ corporeos sensus circunstabant, me compellebat vel ignorare vel prorsus negligere. Testudo & fenestra cellæ nouitiorum & lacus Lausanę & cella magistri mei,& alia multa fidem hinc faciunt, quorum mihi consideratio nulla erit. Hinc mihi solitudo placens, hinc inter quercus & fagos magistros & doctores meos gratior & crebrior illa conuersatio mea,illic ea omnia quæ fomentum præstant amori diuino colligebam, fugebam,dirigebam, aut iam collecta reuomens ruminabam, quorum odorem postmodum dedi scriptísque reliqui, præsertim super cantica & meditationibus. Ego quippe mecum ipse & ad Deum nunc hoc, nunc illo modo meditans fabulabar. Quis ego sum domine? Quis ô rex vniuersæ creaturæ, vt digneris te amari à me? Quid dico digneris cum tuipse terribiliter iubeas vt amem te, & minaris æternas miserias si non amauero te. Te quem amare fructus summus est, summa nobilitas, suauitas incomprehensibilis est, iocundissimáque dulcedo, iubeas vt diligam te. Diligam te igitur domine fortitudo me diligam non quod amore meo egeas,sed quia idipsum vis & iubes, fiat quod vis, fiat quod mandas, exurge domine in præcepto quod mandasti, diligat te quicquid in me est, & tota virtus mea, totum cor meum, tota anima mea, desideret teipsum qui totus es desiderabilis, amem te totum, cui me totum nec semel debeo. Nam debeo, quia nihil eram & fecisti me, debeo, quia perieram & reformasti me millesies mortem meruerant peccata mea, sed debeo millesies & amplius, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti millesies animam meam ex inferno inferiori, etiam anima mea tepida & euomi digna anima arida nimis in amore Dei tui, anima ingrata beneficijs eius. Appello te, responde mihi si quispiam amore tuo sic arderet, vt omnia largiretur tibi gratis, nonne diligeres eum? Quid si vltra omnia sua donaret & teipsum nec solum donaret, sed insuper pro te redimendo à morte, mortem ipse durissimam vltrò perferret, non adeò obduruisti, vt posses talem sic amantem redamare. At verò Deus tuus ille talis est, qui non pusilla aliqua bona, sed hoc cœlum, hanc terram, hoc mare, & omnia quæ in eis sunt, tibi contulit, sed & proprio filio suo non pepercit (inquit Apostolus suus) sed pro nobis omnibus tradidit illum,quanto magis non omnia etiam nobis cum ipso donauit? At respondebit fortassis tua vel ingratitudo vel auaritia, non mihi soli inquies, ista donata sunt, propterea non sunt amoris erga me singularis indicium. Falleris anima mea, scieris quia tibi multo copiosius beneficium collatum est. Itaque finge tibi vnicè hoc cœlum & hanc terram data esse, Deum insuper pro te sola redimenda carnem & mortem suscepisse, nunquid solitarium hoc munus grande malles esse, quam cum multis? Nunquid hominem omnium parentum & affinium, nunquid etiam Angelorum consortio velles non gaudere? Nunquid eligeres munerum tuorum nullos esse participes? Non ita sapis anima mea vt hos sapis. Cur ergo non diligis diligentem te, & talem & taliter diligentem, qui amari se & iubet auctoritate & rogat charitate aduersitate cogit allicit

prosperitate? Cui vox illa congruit sit ad purum reducatur, dies noctésque me ames, ne desieris, me somnies, me expectes, de me cogites, me speres, de me oblectes, mecum tu sis, meus fac sis postremò animus quando ego tuus.

Talia olim plura mecum meditabar vt columba. Nunc ad vos mihi exhortationis sermo est, qui inter proficientes computandi estis, ad vos quos edomita iam carne quantum satis est ad meditandum conuenit satagere totis conatuum neruis ad amorem Dei nutriendum,augendum, proficiendúmque. Non vos abducat oro, vel ignauia & vecordia, vel amor solius illustrandi intellectus quod neglectus sit affectus, quem sicut maximè respicit virtus & meritum, ita præcipuè colendus est. At verò dicetis, nos certè ad studendum positi sumus, nos ad scripturas intelligendum; hæc est nostra vocatio. Hoc nec nego, nec reprobo fratres, nihilominus testimonium perhibebo vobis quale positum est in epistola mea ad fratres de monte Dei, quod scripturas sacras nullus vnquam plenè intelligat qui non affectus scribentium induerit. Et quales affectus? virtutum, quarum regina & mater ipse est. Denique secundum mensuram dilectionis consequitur magnitudo reuelationis diuinorum præceptorum. Nolo mihi credideritis nisi hoc insinuet Deus ipse dilectionis, dum Apostolos dixit amicos, quia omnia quæcumq; audiui inquit à patre meo, nota feci vobis. Nimirum à natura compertum est quod secreta nostra occultamus hostibus, amicis reuelamus. Super inimicos meos prudentem me fecisti, inquit ille, cur incerta & occulta sapientiæ suæ Deus manifestauerat. Causam subdit meditationem & amorem diuinorum præceptorum.

Quis præterea negauerit quin amare sit quoddam sentire, quia amor insuper quædam spiritualis existat perceptio. Sentire verò cognoscere est, non minus quam videre, & sæpe tanto amplius & certius, quanto tactus & gustus ab obiectis suis perceptiori ac iocundiori actualitate mouentur. Nonne mellis dulcedo & ignis caliditas & odorum suauitatis melius gustu, tactu & olfactu, quam visu dignoscuntur? Non aliter anima suum gustum habet, suum tactum, olfactum insuper ex amore. Rursus si beatitudo hæc debetur mundis corde quod ipsi Deum videbunt, & hæc munditia nullo pacto melius, nunquam syncerius & efficacius fit, quam per successionis amorosæ depuratiuam actionem, vt maiorem amorem amplior consequatur cognitio, necesse est. Porrò vbi amor ibi oculus, vbi verò oculus,ibi intentio, & vbi intenderis ingenium valet, quare ad vehementiorem amorem valetior effulgebit cognitio.

Deinde virtus vnita fortior est seipsa dispersa. Erit ergo virtus cognoscitiua quanto in se collectior,tanto fortior. Nihil autem plus quam amore vnitionem hanc operatur. Plura sunt in hac sententia, nam quis nesciat ex hac calefactione forti ignem lucentem erumpere? Ita ex amore cognitio generatur. Dicetis prætera fortassis amorem vos habere Dei quantum sufficit ad præceptum. Vellem etiam vos habere quãtum sufficit ad profectum & perfectum, quoniã in via Dei non progredi regredi est, & magna planè iam imperfectio

est proprium serui pigri, nolle niti esse perfectum.

Cæterum cauete obsecro dum mens remanet arida à pinguedine spiritus, dum suauitate diuini amoris destituta languescit, ne tandem ipsa redeat ad consolatiunculas quasdam fœdas & carnales indignas se. Verum quippe est, animam absque consolatione diu stare non posse, quod si desit consolatio spiritualis, qua gustata desipit omnis caro, & quam solus præstat amor Dei, quis facile non agnoscat quam paruo lapsu & lubrico delectatio carnalis obrepere timenda est? Quis non extimescat illam Apostoli exprobrationem. Cum spiritu ceperitis, carne consumamini. Profectò absque amore Dei feruido nunquid tutò venient sollicitæ & miseræ huius obliuio vitæ? quoniam malè vincitur delectatio carnalis delectatione similiter carnali, sed aliter potius. Solus amor Dei clauus est, qui clauum amoris impuri debet retundere. Et ô fratres si vel tenuiter & in raptu quodam gustare donaretur, & videre quam suauis est dominus, si fas esset exclamare ex affectu probato & experto sentiendo cum propheta, quemadmodum quidam ex vobis possunt quam magna multitudo dulcedinis tuæ domini quam abscondisti timentibus te. Tæderet affirmo ariditatis istius in affectu cum eruditione quantalibet intellectus, puderet animam tamdiu languisse, eam fuisse sicut terram sine aqua Deo, sine aqua sapientiæ, hoc est sapidæ saporosæ scientiæ. Puderet & postremò primam nondum litteram alphabeti huius scientiæ affectualis didicisse. Itaque liberet exclamare cum vno ex magnis scrutatoribus, sed non absque affectione. Serò te amaui pulchritudo tam antiqua & noua. Serò te amaui.

O si liberatiori dono vehementioríque exercitio datum esset amorem vestrum extendere ad illum quem tertio loco nominauimus amoris gradum ad amorem extaticum & qui ad supermentales rapit excessus, profectò iam vos cum regina Saba non haberetis vltra scriptum præ magnitudine vel deuotionis vel exultationis vel admirationis. Nam amor dum per contemplationis obsequium in tertia schola hucusque trementi robur acceperit, assumit, iungit, & vnit animam tanquam sponsam Deo suo sponso, vt sint iam non duo, sed vnus spiritus. Et iam verius est anima in Deo quem amat, quam in corpore quod animat, nam ibi verius conseruatur.

Ita anima quæ prius appellabatur turtur & columba, pro gemitu & meditatione, quæ vocatur amica & filia, pro subarratione & adoptione iam dicitur sponsa introducta in cubiculum regis ad fruendum cupitis amplexibus. Illic ipsa concipit & fit verbigena, gignit itaque verbum obumbrante sibi virtute altissimi, & in virginali vtero superioris portiunculæ mentis suæ, quæ nominatur vel scintilla seu apex rationis vel ipsa synderesis, cuius integritas violari nec dæmonibus potuit adeò iugiter virgo perseuerat. Perget aliquis quærere quid est verbum gigni ab anima? Accipipite sicut olim respondi quod sola hoc docet experientia, non doctrina, vnctio, non lectio. Vis hoc magnum absconditum quale est agnoscere? Gusta & vide, primum gustatę, post videre.

Ego igitur vos, omnes in amore admonitos velim vt ad hunc gradum nitamini, ambulantes de schola contritionis & pœnitentiæ in scholam

A meditationis consanctimoniæ, & tandem in scholam solitudinis intimæ flagitantes crebrò Deum & sanctos sanctásque omnes per verba animę hoc amore vulnerate. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Hęc tanta dicta sunt, R. p. & viri doctissimi de amore bono, facienti ciuitatem Dei in nobis, & hoc sub persona amorosi nostri deuoti Bernardi, tum ad commonitionem nostram tum ad sui præconium.

B DEBEBAT subinde pars altera Christianitatem introducere de suo languore lugentem, quem furor filiorum non tam amantium quam amentium seu dementium, suscitauit adaugétque. Vereor tamen ne post verba & gustum suauissimi amoris vos tam insuauis materiæ conturbaret acerbitas. Querelis quippe verbis quid opus est, vbi tantus factorum strepitus, tantus fragor auditur conclamante Christianitate tota quia amore langueo? Amore quidem sæuo & peruerso in membris suis, cuius amoris ad præcedentem tanta

C est quanta esse potest disparilitas.

Primus vnit diuisos, iste coniunctissimos diuidit, primus non quærit quæ sua sunt. Iste etiam aliena diripit, vtrumque concomitatur contritio & meditatio. Sed contritio & infœlicitas hoc est infœlix contritio in vijs istius, meditatio quoque iniquitatis in cubili in suo quæ astare facit omni viæ non bonæ, & malitiam non odire. Ac perinde non in contemplationem cadit hæc meditatio, sed tota in confusione versatur, horrendo

D schismate quod Christianitatem lacerauit.

Amor iste ad seipsum quoniam homines seipsos amantes vt sine fœdere sint commune est, qui quoniam ad seipsum contrahitur, se vel alios quomodo dilataret? Vnde præterea iræ, contentiones, rixæ, animositates, contumeliæ, vnde consuetudines Babylonicæ, noli quærere causam alteram, præter amorem sui. Sed accendit dominantibus autem passionibus, quid mali deesse, quid adesse boni sperabitur. Adde quod amor sui, quia meditari nescit legem Dei, sed vel Numi vel

E Cereris & Bacchi & Veneris. Nullus ad hæc mala pellenda patet exitus, conuoluuntur ferè omnia tenebris, multi quoque quia nec propriam nec aliorum vocem intelligunt in hoc negotio turbido & cæco luctuosissimi schismatis tumultuantur, iniurijs agunt, hostes à domesticis non secernunt & quod euenire solet pugnantibus in tenebris. Cuius rei præbet argumentum epistola quædam grandis nuper edita, quæ tota probris, tota contumelijs scatet, tota vitiosissimo prorsus con-

F futationis genere confundit.

Nunc igitur inter hæc negotiorum pondera inter amoris huius vincula, speres amori Dei, speres cõtéplationi locum esse, speres quod recogitent cum deuoto Bernardo illi qui tales sunt, dies antiquos & annos æternos in mẽte habeant. Propterea desolata est omnis terra, quia nemo est qui recogitet corde. Postremò heu malorũ omnium cumulus, iam malorum seminaria iacta sunt. Et hinc verendum est, ne seges infœlicissima hæresum radicitus pullulet & inuisibiliter occupet agros Ecclesiæ, vt ipse iure nunc obsecret. Fulcite me floribus sacrorum eloquiorum non deflo-

ratorum.

ratorum. Stipate me malis solidarum ordinatarúmque assertionum, quia amore langueo. Et A ne quæsiueritis quid languet, caput languet, pectus languet, ventrem languet? quid partes enumeræ, à planta pedis vsque ad verticem vix est in ea sanitas. Et quamquam pessima sint quæ patitur; deteriora tamen nisi misereatur ex alto sponsus & amator suus expauesco. Verum omittamus talia, forsan digitus Dei est hic, & necesse est vt veniant scandala. Propterea saluberrimum est consilium vt saluet vnusquisque animam suam. Et vt paulisper ad priora redeamus amor Dei ille est qui B nos saluare potest, qui nos in omnibus consolari potest. Beatus Bernardus huius rei manifestum est argumentum, qui antecedens amore hoc vallatus inter media schismata securus incessit. Sed profectò rara est nunc talis auis in terris, pauci admodum qui amorem istum Dei ad tale robur perduxerunt. Consideranti autem mihi in ea quæ per accidens & velut ab extrinseco iuuerint sanctum nostrum ad amorem istum capescendum. Reperio illa esse quatuor inter cætera quæ C sunt matris deuotio, apta complexio, debita educatio & solitudinis affectio. Matrem scimus ex legenda erga liberos suos miro religionis affectu fuisse deditam. Et pro peccato matris restituitur filio bonum, Ecclesiast. 2. quanto amplius pro merito? Et hic sumo doctrinam moralem quod prædicatores ad populum maximè debent admonere matres, vt liberos suos à puero per se nutriant & instituant ad religionis amorem & cultum, quoniam temporibus nostris prohdolor horribilis est defectus in regimine infantium & puero- D rum. Nam quasi cum ipso lacte bibunt saniem omnium peccatorum verbis & exemplis. Et rectores scholarum debent similiter eis esse pro matribus, exemplo Apostoli, 1. ad Thessal. 2. Debet esse maxima sollicitudo apud eos, vt pueri bonis moribus adornentur, quod si non curant (quod omne flagitum superat) si eos deprauat, ipsi tot mortibus digni sunt, quot eorum scholares moribus depereunt.

Secundum iuuamen fuit apta complexio, nam E & delicata erat & suauitate quadam mollis & pia. Et primò habuit quod esset meditaturus ac perinde propter minorem immersionem animæ in corpus ad raptus & extases apta. Ex secundò habuit faciliorem deuotionem & compunctionem, sicut è contra de corde duro dicitur quod malè, & cæt. quod diabolicam obstinationem imitatur. Ex ista radice dicitur sexus fœmineus deuotus.

Tertium debita educatio à matre dehinc in religionis austeritate. Constat enim quod abstinentia & sobrietas præparant animam ad spiritualia F facilius contemplanda exemplo trium puerorum.

Quartum iuuamen fuit solitudinis affectio. Itaque cedi non potest quantum nocent confabulationes inter homines dum etiam nociuæ non putantur. Hinc dictum est quod amici sunt fures temporis. Primum autem argumentum mentis compositæ est posse in vno loco consistere & secum morari, vt Bernardus & ante eum Seneca, docuerunt. Denique dici potest omnia ista quatuor iuuisse de per accidens Bernardum, vt propheta & miraculorum esset operator, inter quæ ego præcipua illa deputo, quę egit in conuersione illorum, qui etiam conuerti toto nisu fugiebant.

Sed hora finem flagitat, & nos flagitemus vt finem beatum obtinere sic languendo hic per amorem diuinum possimus quod in futuro secura tranquillitate in illo collocemur præstante domino nostro Iesu Christo.

SERMO FACTVS PARISIIS PER EVNDEM DOCTOREM IN *die sancti Ludouici Francorum regis.*



CONSIDERATE lilia agri quomodo crescunt, Matth. 6. Luc. 12. & in Euangelio hodierno. Ad irrigandum lilia candida piorum & castrorum studiorum in agrorum mentis nostræ, quatenus det incrementum Christus, conuertamus aciem nostræ considerationis ad illud lilium conuallium, ex quo idem Christus prodijt, qui est flos & pascitur inter lilia. Postulemus vt à torrente fluentorum serenæ gratiæ illabatur in nos trames aquarum salutarium, purificans viuificans & fœcundans sterilitatem animæ nostræ. Quod vt fiat, nequaquam omittendum est salutiferum illud Aue, quod aue (si veterum narrationi creditur) olim litteris aureis inscriptum fuisse repertum est in lilijs, ab ore cuiusdam sepulti, miraculoso ortu germinantibus, quod prȩterea allatum est desuper per os Angelicum, & nos illud pia deuotione recolamus dicentes: Aue gratia plena, &c.

Considerate, & cæt. R. p. & doctissimi ac sapientes viri consideranti mihi quod nunc de ipsa consideratione loquendum est tum ad commonitionem nostram tum ad gloriosissimum regis nostri Ludouici præconium dignum duxi ipsam considerationis vtilitatem non meis, sed beati Bernardi verbis exprimere. Cui namque alteri magis assentire quam illi conueniet qui supra multos hac virtute pollebat, & à quo super hac re non mediocris liber editus est. Ait ergo 15. præ. de consideratione ad Eugenium Papam. Et primum quidem ipsum fontem suum, id est, mentem de qua oritur pacificat consilio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores vitam honestat & ornat. Postremò diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Et post multa huiusmodi consequēter ostendit quo pacto ipsa consideratio mater est quatuor virtutum cardinalium. Deinde matrem considerationem circa quæ & qualia debeamus exercere salubri profundáque declaratione pertractat. Hinc videte quæso quam latam nobis ministrat loquendi materiam thema nostrum quid præmittitur considerate. Restrictius attamen tradi videtur dum dictum non est solum considerate sed considerate lilia agri quomodo crescunt. Placet autem vt sermo noster hoc modo loquendi euangelico coarctetur de consideratione liliorum agri, quomodo crescūt, si tamen vnam prius de ipsa consideratione considerationem elicuero ad laudem regis nostri. Est autem ista consideratio. Serenissimus rex Lodouicus plurimum suo tempore consideratiuus fuit. Hoc ita vel sentire vel dicere certa me ratio compellit.

Pollebat quidem rex noster cœteris virtutibus cum autem sint connexæ velut sorores germanæ A in chorea pulcherrima versis mutuo vultibus, & ipsa cōsideratio non solum virtus est, sed directrix aurigáque virtutum, qua sublata virtus quælibet vitium est, perspicua est consideratio.

Præterea nonne profitetur Ecclesia regem nostrum dignè sanctéque principatum fuisse? Neminem verò magis quàm ipsum principem decet consideratio quæ singularis quædam est mater prudentiæ. Hæc est philosophi sententia 9. Politi. Hoc in omni arte perfacile est animaduertere, nã à rectoribus & architectis in omni arte si conside- B rationem tollis quid in reliquo sit vtilitatis nescit. Pulchram subinde & proposito congruam narrationem infert Macrobius in saturnalibus sub hac quidem sententia, quia verba non teneo. Fuit in theatrico spectaculo Romæ vnus histrio vel vel mimus, qui per gestus (vt solebat) studebat effingere & repræsentare personam principis. Exclamauit alter histrio ipsum deficere à proprietate repræsentatoris. Appellabatur igitur à populo vt istius errorem corrigeret. Paruit. Con- C stituit se quoque velut hominem meditabundum & vehementer consideratiuum signans ex hoc nihil magis decere principem, quam quod esset consideratiuus. Et videte si non eandem sententiam in sacris literis consideramus. Ille rex Salomon prædicauit dicens, Prouerb. 20. Rex qui sedet in solio iudicij. Intelligite non in mensa, non in comessationibus & cubilibus, neque discurrens euagatione petulanti dissipat omne malum intuitu suo. Et quid intuitus regis hic aliud D dat intelligi quam acutam agendorum considerationem? Et Esa. 32. Princeps qui digna cogitabit, id est considerabit, ipse super duces stabit. Propterea terræ maledicite (Ecclesiastes 10.) cuius rex est puer, & principes mane comedunt. Cur ita? (nisi quod pueritia & matutina comestio) ad literam aduersantur considerationi. Cur subinde celebratur à Tullio memorabile illud dictum Scipionis, Nunquam minus solus, quam cum solus? Certè quia principem decet maximè secreta interdum silentia & secessus à turbis quæ- E rere, vt solus consideret totius reipublicæ statum, & solus absque arbitro ponat ante mentis oculos seipsum, & curas omnes agendorum solertius & fidelius quanto secretius dijudicet, quonam affirmante vno ex eisdem Scipionibus. Et refert Valerius lib. 7. nec silet Seneca, tum in omnibus, tum præsertim in principe hæc turpis, & non admitttenda excusatio est dicere: Non putaui. Adeò nihil absque consideratione agendum æstimauit esse, quin futura cautè præuideat. Hæc ob- F seruabat inclytus ille Scipio Africanus minor, qui quotidie nihil aggrediebatur agendorum quousque diluculo solus in capitolio diu resedisset, quo factum est vt omnia ei prosperè, & secundum æstimationem tunc Romanorum diuinè succederent. Sic Æneas apud Virgilium, sic apud Terentium comicus senex singula præuidisset sibiipsis memorantur. Denique si quis reuoluat historias actáque regnorum, puta recognoscet omnes penè regnorum subuersiones per clades bellorum frequentius ex inconsideratione quam aliunde processisse, dum videlicet non satis exploratur hostilis machinatio, dum eorum stratagemata vel insidiæ non cautæ circunspiciuntur, dum ruit præceps improuidáque acies velut bestiæ in laqueos & in omne prorsus periculum. Hoc Titus Liuius, hoc Vegetius de re militari, hoc Frontonius in stratagematibus & alij historiographorum palam tradiderunt, & nostra tempestate nimis expertum est. Et animaduertite precor si forsan hoc attendebat Hieremias. Hierem. 12. dum lamentatur dicens: Desolatione desolata est omnis terra. Et tanquam ab eo quæreretur, ratio subiunxit. Quia nemo est qui recogitet corde, id est, consideret de subuersione ipsa. Demum futura Hierusalem flens saluator, ei pro causa præcipua suæ desolationis exprobrauit inconsiderationem, quia si cognouisses & tu inquit Lucæ 19. Optimè & diuinè hæc similia animo retinens considerasti, ô gloriosissime rex Ludouice atque studuisti, vt te & regnum tuum per virtutem considerationis regeres, & esses tanquam alter Argus centoculus, velut etiam Ianus, qui partem spectat vtramque, & finit animalia illa prophetica quæ in circuitu erant plena oculis. Ezechiel. primo: Denique tanquam tibi tuisque similibus audires dominum assidua exhortatione personantem primum thematis verbum. Considerate. Et vtinam in hac calamitate nostra non solum terreni principes, sed ipsi præcipuè Ecclesiastici qui regendæ præsunt Ecclesiæ hoc modo considerarent, hoc modo saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent, potius quam turpi desidia, aut turpioribus curarum terrenarum occupationibus mancipati, ambularet vnusquisque post prauitatem cordis sui, quasi post catenam qua circunstrictus trahitur nōn ita res omnes fœda labefactione corruerent, non ita miseris luctuosis modis, omne diuinū & humanum, nefas infaustum confunderet. Non postremò viri consideratiui vel cordati, qui vel soli vel præcipuè ipsi dicendi sunt homines vtentes ratione, non inquam spernerentur, aut irriderentur pro phantasticis à talibus vanissimis hominibus, immo iam non hominibus, sed monstris & portentis, nihil de homine retinent præter exteriorem corporis effigiem retinentibus. Ita est non mentior, neque muto sententiam, tales nihil de homine retinent præter exteriorem formam corporis, quæ peregrinis adhuc indumentis deformata, cum intus verè beluina & diabolica sint omnia. Quoniam alij porcum viuunt, alij canem, alij leonem, aut aliquam ex bestijs absque humana consideratione. Sed querelam hanc solitam linquentes (quia etiam de eis quæ ab istis cōsideranda essent, scripsit diffusè Bernardus vbi supra) videamus si fortè beatissimus rex Ludouicus quodam specialiori modo super alios reges & principes traducere poterat ad sui considerationem non vnicam thematis particulam primam, sed ipsum thema integrum, cum dictum est: Considerate lilia agri, & cæt.

Verum priusquã vltra progrediar incidit vnum dicere quod ex consideratione magna vel prorsus maleuola gestum est. Heri (sicut accepi) affixæ sunt scedulæ plurimæ, quæ præter morem maiorum nostrorum publicarent sermonem istum & quemadmodum de Rufino conqueritur beatus Hiero-

Hieronymus tales videntur me aut potius onerare, laudibus proprijs, sed ex modo faciendi verè sunt infamationes & honorificæ contumeliæ. Constat quod à zelantibus vel collegium istud venerabile, vel me, vel vtrosque processerunt hæ scedulæ. Sed refert quo zelo. Nam si bonus fuit, planè tamen non secundũ scientiam & conscientiam. Si malignus & liuidus, certè nõ secundum charitatem. Ignoscendum est igitur, vel miserandum, vel contemnendum, vel orandum. Hanc veritatem (quam testor hoc zelo loquor) supplico persuasam habetote, me impulsore aut suasore aut conscio, tales schedulas nullo modo factas fuisse. Nondum enim Deo miserante sic desipio, vt imitari velim tam publicè militem gloriosum illum Thrasonem comicum prædicantem laudes suas tanquam adulator & Biraldus sui ipsius, & velut cuculus qui non nisi se cantat. Et quanquam valde impar sim Apostolo, vsurpo tamen humili fiducia verbum suum in hac parte, non indigemus literis cõmedaticijs apud vos. Sed nec prolapsus sum in illud ab Æsopi fabulis sumptum improperium. Omnes accurite ranæ, mons parturiet magnus, nascetur ridiculus mus. Hæc ex incidenti. Nunc ad rem redeo, vbi de ipsa consideratione liliorum agri particularius loquendũ est. Et primus considerandum occurrit, quod habet hoc proprium scripturæ diuinæ insignis vbertas, vt verba eius singula mysteria sint quantumcunque videantur humilia. Res insuper loquuntur in ea & docent mores & virtutes, docent charitatem tropologicè seu moraliter, docent fidem allegoricè, docent spem anagogicè. Ita est scriptura sacra lingua vna & multiplex, breuis & latissima, quemadmodum & à diuino Bartholomeo allegat Hierarcha Dionysius, & velut speculum concauum in quo variæ relucent facies. Et rursus mãna in quo sapor omnis reconditus inuenitur.

Propterea non paruum existimandum esse putauit inclitus rex noster, quod mittit nos Christus ad considerandum lilia agri quomodo crescunt, præsertim quia sumebat insigne suum ex lilijs more atauorum suorum, instar etiam veterum illorũ quorum meminit philosophus in Politi. qui ornatum sumebant ex lilijs secundum victorias. Est itaque natura nobis insitum, vt qui sunt familiaria & nobis insignia, ea tum libentius, tum frequẽtius consideremus, vt ad horum inspectionem facilior est animi nostri formatio. Liliorum igitur consideratio generabat in rege nostro doctrinam multiplicem, qua nutriebatur ad fidem, spem & charitatem ceterásque virtutes. Ad fidem quidẽ dum inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt in lilijs pulcherrimis intellecta inspexit ex numero, pondere & mensura, ex specie, modo & ordine. Nam si pulchra, si decora si speciosa sunt lilia, sicut & valde pulchra sunt, quanto pulchrior, speciosior & mirabilior est ille qui fecit ea. Ad spem deinceps assurrexit, dum considerauit ea crescere quæ non laborant neque nent, & quæ diuina prudentia sic vestit vt Salomon in omni gloria sua non fuerit opertus sicut vnum ex istis. Si ergo prout arguit Christus fœnum agri quod hodie est & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit? quãto pluris est homo modicæ fidei, vt de diuina prouidẽtia non diffidat, sed iactet curã suam & cogitatũ in Domino, & ipse eum enutriet. Ad charitatem denique accensus est rex noster, dum considerando prospexit quo pacto Deus vsque ad oblectationes varias dilexerit hominem, & propter eum etiam lilium ne dicant tot res miræ pulchritudinis, decoris & virtutis formauerit, nec propter vnum hominem ista minus facti, quia cum multis fecit, prout est deductio apud Hugonem in suo de arra sponsæ.

Quid aut si ternarium liliorum in suo scuto regio & diuino rex noster ad mores retorquere cõsiderando volebat. Videbat enim qualiter liliorũ fulgurat color aureus in campo azuro, velut in æthere purissimo & serenissimo. Et nonne poterat per ternarium hoc liliorum considerare, vel tres virtutes prænominatas? fidem, spem charitatem in anima iusti cœlica, aureo fulgore micantes, vel ipsam attendebat à qua originantur beatissimam Trinitatem, in quo velut intellectuali scuto triãgulari per circumincessionem comprehendenter positam, vel tres animæ vires speculabatur, concupiscibilem, irascibilem, rationalem. Aut si iustius est accipere tres partes imaginis, memoriam, intelligentiam & voluntatem. Aut denique appropriatius regiæ maiestati tria lilia in scuto tres status in suo regno considerare fas habuit idem rex noster, statum dico militantium, statum consulentium, statum laborantium. Hi siquidem status & si in omni politia reperiri habeant vel mediocriter instituta vsurpat tamen sibi regnum Franciæ, colorem æthereum, ob singularẽ religionis cultum. Colorem verò aureum triplici illi statui contulit excellentia meritorum in vtroque. Nam vbi quæso viguit vsquam terrarum vel in militibus strenuitas potentior, vel in consulibus & clericis sapientia diuinior, vel in laborãtibus & subditis obedientia propensior. Ita vt nihil errauerit, qui regnum Franciæ dixerit in orbe positum esse velut hortum & agrum quendam voluptatis amœnissimum, æthereo splendore nitentem, fœcundum quoque lilijs, hoc est populis aurea dignitate fulgentibus: quem hortum irrigat fons ille purissimus & fluuius niueis argenteus vndis, vniuersitas Parisiẽsis in quatuor facultatum flumina condiuisus, quibus irrigatur omnis terra.

Agnoscitis vt opinor doctissimi & sapientes quam latè patentem considerationem rex noster habuit ex inspectione propriorum insigniorum, vt dum rememorabatur ex hinc verborum Christi quæ dicunt. Considerate, &c. Et potuit quidẽ amplius ex consideratione liliorum & eorũ crescendi modo animaduertere pius rex noster tria esse necessaria ad debitum populi totius augmentum, tanquam ad crementum viuentium liliorũ. Nam si non est homo lilium, nõ dixisset propheta. Iustus germinabit sicut lilium. Hæc tria sunt quæ lilia vt crescunt, exigunt.

Ros	Ros supernæ benedictionis.
Humor	Humor terrenæ sustentationis
Clausura	Clausura iustæ protectionis.

Absque rore enim & æthere libero flaccida sunt lilia & decoloria, sic absque diuina gratia quæ est pluuia voluntaria quam segregat Deus hæreditati suæ & absque superno afflatu vel aspectu populus omnis interius contabescit. Porrò arescunt lilia

si desit humor bonus in radice, & populus non subsistit, sed arescit, si sibi desit sustentatio in corpore. Demum lilia si non claudantur, sepibus aut muris, depascuntur & conculcant ea omnes bestiæ agri & populi, si non iustis legibus & obediétiæ muro concludantur, ipsi celeriter hostibus inuasi depereunt, siue hostes intelligas spiritales, qui sunt mundus, caro, dæmonia, siue materiales & visibiles, qui sunt ipsi homines sub ipsis, nam nullum est animal alteri magis inimicum.

Hæc considerasti rex gloriosissime & viuentiũ liliorum agricola egregie Ludouice. Considerasti inquam, vt nosses quomodo lilia rationabilia agri tui regni crescerent, dum viuebas in carne & nunc (vt pium nobis credere est) tuis interuentibus considerare non cessas dum regnas in æthere. Considerasti nempè vt eis nõ deesset ros & aspectus cœli lib. dum in eis sanctæ religionis cultum conseruasti. Considerasti vt non deficeret humor in corpore velut in terra fixa radice, dum eos tẽporaliter sustentasti. Considerasti postremò ne dissiparetur maceria vel clausura iustæ protectionis, dum congruis legibus atque iudicijs eos communiuisti, ita vt fuerunt populi tui instar liliorum irrorati desursum irriganti deorsum, & protecti quaquauersum.

Et poteram ô doctissimi & sapientes viri, poteram ista latius deducere ex eiusdem regis celebri chronica si vacaret, & non essetis onerandi notissimis, nam quis nesciat eum fuisse in cultu religionis Catholicæ conseruando Christianissimũ. Quin & hæreticorum extirpator fuit vehemens & his feruentissimo zelo succensus impios infideles barbaros persecutus est, & ad augmentum diuini cultus multa monasteria construxit, plurima reparauit. Cæterum negari nõ potest eum de corporali sustentatione subditorum curiosum fuisse, quando ipsis etiam pauperibus, inopibus & egenis intra & extra regnum suum, tanta pietatis affectione & sollicitudine prouidebat, eos personaliter mira prorsus humilitate visitans, pascens & refouens. Quid amplius dicam de clausura liliorũ suorum per iustam legũ protectionem? Ipse enim legibus bene conditis circuncinxit populum suũ prouidens ne frangerentur ab eis, quasdam insuper addidit vt de prohibitione duellorum & punitione blasphemantium, & forsan plures adiunxisset, si non dictasset sibi consideratio sua, multitudinem confusam legum & statutorũ non tam protegere quam aliquando subuertere gẽtem cui seruanda mandatur. Exemplum in proposito. Aceruus lapidum aut sepes spinarum protegunt & circundant lilia. Quod si iusto amplius excreuerint vel spinæ vel lapides, lacerantur lilia, aut ab aëris libero hausto prohibentur. Non secus est de multitudine traditionum humanarũ, nominatim excõmunicationum. Ad hoc spectat illud Matth. 15. Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras, &c. Talibus modis studuit optimus & solertissimus agricola noster regius beatus Ludouicus considerare lilia agri, id est, populos regni quomodo crescerent dum habebant rorem supernum, humorem terrenum & septũ munitissimum. Primũ de benedictione cœli. Secundum de benedictione terræ. Tertium de institutione disciplinæ. Vellem ita consideraremus omnes lilia agri nostri quomodo crescerent, nemo quip-
A pe est qui non agrum habeat curæ suæ cõmissum, de quo sapiens admonet nos. Prouerb. 24. Diligenter ait, exerce agrum tuum, alioquin audi ab eo ibidem quid mali subsecuturum sit. Per agrum viri pigri transiui, & ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant faciem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Frustra quærerentur ergo in agro tali lilia crescentia, vbi deest solers consideratio, & dominatur ignauia, ea non considerans quæ præmisimus. Nam propter abundantiã noxij humoris totum replent vrticæ mordicãtis & exu-
B rentis luxuriæ, propter effectum non sereni roris operiunt faciem eius spinæ. Et quia maceria lapidum destructa est per indisciplinatam dissolutionem, conculcant totam sanationem, & germina vtilia omnes bestiæ agri & singularis inobedientiæ superbæ ferus depascit ea. Ager iste si quæritur qualis & quis sit? aptè respondetur homo scilicet minor mundus. Matth. 13. Idem ipse homo est agricola sub agricola supremo constitutus, de quo Matth. 13. & Ioan. 15. Porrò toti-
C dem abundare alijs debet ager talis, quot virtutibus iubetur insigniri. Nõnne pulcherrimum lilium castitas, pulchrum sobrietas, pulchrum iustitia, pulchrum & formosum sapientia, modestia, fides, & ita de reliquis virtutibus floriberis, quibus redolet ager animæ velut odor agri pleni cui benedixit Dominus Genes. 27. Sed credite non paruo aut gratis possidetur ager talibus lilijs decoratus. Emitur certè laboribus quamplurimis & studioso colendi exercitio, sicut in figura fortis mulieris dicitur. Prouerb. vltimo. Consi-
D derauit agrum & emit illum. Et quoniam nemo repentè fit summus, sed cũ temporis cursu & ætatis incremento, crescũt altius ipsa virtutum lilia, quemadmodum distinctio formosa significat, quæ quosdam ponit incipientes, quosdam proficientes, alios perfectos. Consideremus eadem lilia quo naturæ modo crescunt à primæua sui germine ad medium robur stipitis vsque ad floris fructusque maturitatem. Hoc considerantes Christo obediemus & sermonem optabimus
E auditoribus. Sunt quippe in hoc cœtu venerando homines sub ætatis distinctione triplici, sub germinante adolescentia, sub virenti iuuentute, sub matura fructuosaque senectute. In quibus pari typo virtutum lilia succrescere debere demõstremus. Alia enim virtus in fortitudine & efficacia debet maturum senem. Alia virilem iuuenem, alia tenerum adolescentem. Fallor si non hæc signauit Apostolus. Cum essem inquit paruulus, loquebar vt paruulus, &c. Cum autem factus
F sum senex euacuaui, &c. 1. Corinth. 13. Idem notauit Horatius poëta instituens & ætates describens, hoc modo præsens cœtus est velut ager ille in quo erant tres ordines ouium accubantes iuxta puteum Genes. 29. Puteus locus est vnde hauritur aqua scientiæ & salutaris sapientiæ. Tres ordines ouium, tres accipimus ordines studentium simplicium.

Considerandum verò est quod & si in omni ætate necesse sit virtutum lilijs vt crescant ministrare triplex antidotum quod prædiximus. Rorem, scilicet humorem & clausuram, nihilominus appropriatiori breuitate non omnia omnibus, sed sin-

singula singulis dispartiri curabimus. Et stantes in terminis nostris ne dissoluta fluctuemus euagina-tione, dicemus quod clausura disciplinæ præcipua necessaria est in agro adolescentium tenerorum quoad incipientes humor purus & sufficiẽs, aër in agro virilium iuuenum quoad proficientes. Ros supernus & aspectus cœli liber decem maximè in agro maturorum quoad perfectos. Et planè si vellemus non operosum erat adaptationes has ad alia deducere præsertim ad statum triplicem præfatum regni Francorum, qui consistere ponitur in laborantibus subditis & inclitis militibus, & in clericis atque consulibus. Verum hæc reliqua omnia comprehendere quæ dici se offerunt quis sermo sufficeret? Postpositis ergo cæteris quæ dicere vel ad laudem gloriosissimi regis nostri copiosissimè, vel ad ædificationem nostram abundantissimè consideratio profunda nostri thematis ingerebat, sub triplici oratione concludatur sermo noster. Prima oratio ad incipientes, secunda ad proficientes, tertia ad perfectos.

Prima oratio.

Ad vos mihi nunc sermo est ô generosi adolescentes & si generosi, non degeneres, si disciplinati non discholi esse vultis, obedite Christo iubenti. Quid iubet Christus? Considerate lilia agri quomodo crescunt. Considerate & absque strepitu vel tumultu & fabulationibus attendite, quoniam ita in nouello agro mentis vestræ crescere primula virtuosorum liliorum germina cõueniet. Sũt equidem insita vobis à natura agente infallibili germina quædam virtutum quasi secundum rationes seminales, quas Tullius appellat seminaria virtutũ, quasi nos inquit, crescere & valescere sineremus, illa nos ad beatam vitam ducerent. Et de hoc non siluit philosophus 2. Ethicor. Hæc semina nolite suffocare vitiosis germinibus aut aliunde disperdere. Et quamquam metuendum vobis sit, tum ab algido gelu torpentis desidiæ, tum ab vredine, tum ab erucis, ab ærugine, & ab alijs pestibus improbis aduersantibus incremento spiritualium liliorum. Nihilominus in primis studendum est ad clausuram congruam per murum disciplinæ qua non apposita vel demolita planè de lilijs actum est proteruntur & pereunt. Quamobrem apprehendite disciplinam cum illo qui dicebat Deo. Et disciplina ipsa me docebit.

Sed quid loquimur adolescentibus? forsan obsurdescunt, aut non satis consideratè suscipiunt quæ dicuntur. Ita est: Sua quorumdam garrulitas hoc indicat. Nimirũ minus idonei sunt considerare ob crassam ignorantiæ caliginem, vel ob turbam passionum, & desideriorum iuuenilium, quæ cogitationes suas & considerationes traducit ad aliorsum, aut quia indisciplinationem quam alibi exercent huc afferunt.

Pro eis idcirco considerate vos præceptores & magistri venerabiles, ad vos me conuerto, vos qui talibus regendis præesse delegistis, & profectò duram ô hoc prouinciam (vt apud Terentium ponitur) administrandam suscepistis. Coërceat eos disciplinæ vestræ clausura, infra quam etiam mores componite & formate ad normam Christianæ religionis. Nam quantũ piaculum est apud Christianos suos adolescentes non Christiana sapere, nescire præcepta Dei? Et quid agendũ
A sit quid omittendum, quid credendum, quid sperandũ & quid timendum penitus ignorare? Subuersio eis vel loqui vel legere quæ non prosint moribus, aut plus eis obsint quam prosint ingenijs. Pudet quod aliter vsque in hodiernum diem Iudæorum pueri instituuntur primitus in lege sua prout iussisse videtur Dominus Deutero. 4.

Confluunt ecce ipsi adolescentes plus solito de toto Franciæ regno, ad florentissimum Parisiensis Vniuersitatis hortum erudiri habẽt illic in suis
B primitiuis & grammaticalibus, qui nuper non nisi talibus imbuti aduenire cõsueuerant, quod cur fiat, & an faustum sit præsagium non suscepi discutere. Scimus quod in morituro animali spiritus ad cor confluunt. Hoc vnum dicere habeo quod eò amplius danda est opera in hac celeberrima vniuersitate, ne cassato vel neglecto disciplinæ muro circa adolescentũ custodiam erumpant ex agro eorum non lilia candida & odorifera virtutum, sed infelix lolium & steriles auenæ, vt Vir-
C gilius loquitur. Sentes quoque & silices & nocua quæque plantaria vitiorum in perniciem non solum talium, sed publicam Ecclesiæ, vt proinde fiat ager qualem vidit Hieremias plenũ abominationibus. Hiere. 13.

Et ô mores, ô tempora, quamuis & quot abominabilibus plena sunt & mens & corpora quorundam adolescentium, & serpunt inter eos nefanda contagione nemine considerant, nemine prohibente, nemine euellẽte, vtinam nemine im-
D pellente, & nullo modo eos qui conatur extirpare admittente. Et heu malorum cumulus istas suas abominationes nõ abominantur cũ propheta dicente: Iniquitatem odio habui & abominatus sum. Et quid est iniquitatem abominatus sum? Illam certè per os confessionis euomere vel eijci. Ad hoc verò agendum est vt frequentius os clausum & mutum & vix extrahitur vnquam virus illud teterrimum & obscœnum & naturæ aduersum, nisi iuxta parabolam scripturæ. Pariat coluber tortuosus obstetricante manu eductus con-
E fessoris. Quid igitur mirandum si multi suffocantur introrsus retento veneno hoc pestifero & irremediabiliter pereunt.

Hoc saltem restabit remedij, vt si sensus hominis & cogitatio prona sunt in malum ab adolescẽtia, sicut etiam scripturæ vox & experientia nimis confirmat. Hoc inquam reliquum erat, vt abominationes contractas abominarentur, quia abominantes, hoc est considerando euomentes sanarẽtur, & desinerent esse ager plenus abominationi-
F bus. Præclarè siquidem dictum est: Humanum peccare, diabolicum perseuerare.

Quocirca patet quanta disciplinæ necessitas incumbit pro custodia agrorum nouellorum quos adolescentes diximus, & interea dum tenera sunt ætate, & quod ideo in teneris assuescere multum est inquit Vergilius. Sic super eos maceria disciplinæ, & detur optima forma viuendi quã iocundam reddet cõsuetudo. Si qui verò sunt magistrorũ qui nec ista considerent, nec obseruẽt erga suos discipulos seu perfido neglectu fiat hoc seu contemptu peruerso, seu timore cupido ne se deserant & alibi migrent, seu suo perdito malè viuẽdi exẽ-

plo, quid de illis pronunciandum sit videtis. Tot enim agrorũ spiritualium nõ instructores, scilicet destructores dicendi sunt, quot saluare debuerant & perdunt. Quinetiam sæpè fit vt vnius adolescẽtis dissolutio nõ coërcita, vel nõ prorsus vt oportebat expulsa, trahat cæteras plantationes puras in siluestres & degeneres morum succos & spuria genimina, adeò vt nõ absque rationis apparentia quæsijsse videatur. Quintilianus, an expediens sit adolescentes simul in scholis, aut potius sigillatim in domibus edoceri. Et quoniam Quintiliani recordatio incidit qui fuit adolescentum præclarus instructor, placet ea pauca de institutionibus suis excerpere quæ officio præceptoris ascribit. Primò inquit sumat ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum à quibus sibi liberi traduntur existimet. Fas igitur habent præceptores discipulos suos alloqui iisdẽ verbis religiosa maternâq; pietate plenissimis, quibus hortabatur egregium adolescẽtem Ludouicũ sua mater. Plus vellem charissime fili te mortẽ incurrere tẽporalem, quam per aliquod peccatum mortale te tuum offendere creatorem.

Secundo, præceptor nec habeat vitia, nec ferat præclarum verbum ab ore pagani. Causam reddit satyricus, qui contemporaneus Quintiliano fuit, & de eo scripsit, quia velocius & citius corrũpunt nos exempla domestica, magnis cũ animos subeãt authoribus. Ideo subiungit quod maxima debetur puero reuerentia, vt scilicet nil obscœnum, nil impudicũ, nihil exemplũ scandalizantis innoxios oculos & mentem corrũpat. Nam & angeli eorũ semper vident faciem patris qui est in cœlis. Et qui scandalizauerit vnũ ex pusillis istis, expedit ei, &c. Et plus nocet exemplũ vnũ maliciæ quam decem bonitatis proficerent, nam puer cereus est in vitiũ flecti, & absque doctore etiam mala discuntur.

Tertiò præceptoris non austeritas tristis sit, nec dissoluta charitas, ne inde odiunt, hinc contẽptus oriatur. Vbi notandũ minus obesse charitatẽ nimiam quã austeritatem apud adolescentes bonæ indolis, qui citius domesticantur blanditijs ducti ad instar auiũ, quas generosas appellant quã minis tracti, tantummodo careant blandicie omni penitus, impudicitia mentis & corporis. Hinc cõcludit ipse Quintilianus nõ debere pueros cædi verberibus. Rationes omitto. Quartò plurimus ei de honesto ac bono sit sermo. Contra illos qui ignominiosas partes corporis & actus nefandos non solum aperta impudentia nominare audent, sed impudentiori animositate hoc ex rationis persona licere fieri defendũt, non considerãtes quod hæc dicendo corruũt in errorem Begardorum & Turilupinorũ, qui de nulla re naturaliter data erubescendũ esse dicebant, quemadmodum & cinici philosophi more canũ dicebant esse veniendum palã in nuditate & exercitio membrorum pudendorũ, quos inculpat Tullius in lib. de offic. tractãs de pulchro & decoro. Et Seneca præcepit: Turpia ne dixeris, paulatim enim pudor rerũ per verba dediscitur. Et Apostolus: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Quintò minimè iracũdus sit, non tamen eorum quæ emendanda erunt dissimulator. Ad hoc enim sunt exempla Platonis & Plutarchi & multorum. Sextò sit simplex in docendo. Ad hoc trahi potest illud legis antiquę: A Non seres agrũ diuerso semine, plurimum quippe obest varietas modorũ in docendo, & ex consequenti mutatio magistrorum, nunc istorum nunc illorum. Septimò sit patiens laboris. Octauò interrogationibus libenter respondeat. Nonò non interrogantes percunctetur vltro. Decimò laudandis discipulorum doctoribus, nec malignus, nec effusus sit, quia res altera tædium laboris, altera securitatem parit. Vndecimò in emẽdando quæ corrigenda erunt non sit acerbus nimiéque contumeliosus. Nam id quidem multos B à proposito studendi fugat quod quidam sic obiurgant, quasi qui oderunt. Duodecimò exemplum aliquod immò multa quotidie dicat, quæ secum audita referant, licet enim satis exemplorum ad imitandũ ex lectione suppeditet, tamen viua illa (vt dicitur) vox alit plenius præcipuéque præceptoris, quem discipuli si recto modo sint instituti & amant & verentur. Vix autem dici potest quanto libentius imitemur eos quibus fauemus. Vellẽ super omnia hoc obseruari præceptũ apud pręceptores nostri temporis tam in vico straminũ C quam in domibus, vt pro trufis & fabulis solitis peti & dici, salutaria quædam & iocunda narrentur, quia teste Horatio: Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci. Quemadmodum de Magistro Reginaldo Gobar asseruit mihi digna fide relatio eũ vix aut nunquam legisse & audiuisse lectionem apud suos discipulos, quin aliquod immisceret salutis verbum, & vehementer inculcaret, adeò vt magna pars scholarium suorum in magnos & religiosos viros euaserit.

D Decimotertio se præceptores intente ac modestè audiri velint. Si hoc in scholis seruaretur, alia esset scholarium attentio & modestia in audiẽdo verbum Dei, quod vtique audiendũ esset cũ summa reuerentia & disciplina, & non minus quam præsente sacro-sancto Christi corporis mysterio. Ita enim dicebat Aristoteles referente Seneca, nũquam nos verecundiores esse debere quam cum Deo loquimur sic & dum audimus.

Cæterum discipulos decent ista. Primò præceptores suos non minus quam ista studia ament. E Secundò eos parentes esse, nõ quidem corporis, sed mentium credant. Multum hæc pietas confert ad studium nam & libenter audient, & dictis credent, & esse similes concupiscent. Ita sunt quæ si erga adolescentum custodiam & disciplinã obseruentur, erit ager ipsorum germinans lilia candida virtutum, donec crescendo in robur maius erumpant. Et ita factum est in hac parte quod iubet Christus. Considerate lilia agri, &c. quomodo crescunt. Supererat iuxta propositum ordinem F post incipientium commonitionem, orationem alteram subtexere ad ipsos proficiẽtes, sed quoniã aliquãdiu tardiusculè tenuimus, & breuitas amica est nostris adolescentibus, fiat abbreuiatio sermonis nostri & consummatio in tertia oratione quæ est ad perfectos.

Secunda oratio talis erat quæ pronunciata non fuit. Considerate lilia agri quomodo crescunt ô viri iuuentute viuida solidati, viri quibus ex crassa adolescentia studium esse docet Horatius, quærere opes & amicitias, inseruire honori. Omnia equidem vobis circũspicienda sunt, omnia diligẽti sedulitate pro liliorum, hoc est, virtutum forti incre-

incremento peragenda. Non vltima tamen hæc vos cura monet, humorem sufficiētem & salubrē haurire, nam humor si desit, ariditate enecat, si superfluit, eneruat & lāguida dissoluit macie, si corruptus est, inficit. Humor iste prius definitus est esse sustentatio, quam exigit cohabitationem in corpore, & animæ quædam radicatio terrestris in eo, ita vt necesse sit habere panem ad comedendū, & vestimenta quibus operiamur. Sed ô Deus quam multam eorum turbam aspicimus, à quibus humor iste temporalis subsidij non ad temperiem hauritur, aut deriuari quæritur, nequaquā dicunt cum Salomone. Diuitias & paupertates ne dederis mihi, scilicet tantū victui meo tribue necessaria. Petunt potius (ne dicam rapiunt) ad exuberantiā auidam & inconsideratam, quæ non tam irriget lilia ad robur stipitis, quam obruat curis varijs & inutilibus & desiderijs multis, quæ teste apostolo mergunt ad interitum. Ita fit maledictus ager eorū germinans pro lilijs spinas & tribulos. Genes. 3. Et quasi ager Alcheldemach. 1. ager sanguinis & peccati. Matth. 27. Et ager qui possidetur de mercede iniquitatis. Act. 1. Et quæ sunt hæ spinæ, & quales tribuli? Nimirum cogitationes improbæ, suspitiones inquietæ, timores anxij, subdolæ fraudes, quibus miser animus pungitur, suffoditur, discerpitur, laceratur. Nunquam igitur speres lilia virtutum & pulchrorum studiorum posse crescere in agro, quem humore tali cupiditatis toxicato sentis imbibitum. Nunquid lilia & si crescerent essent integra, quæ inter tot spinarū curas premūtur, sed lacera & inualida & emortua, nā quid ita pallescere facit, quid amplius robur omne virtuosi stipitis euacuat, quam humor infectus auaritiæ? At verò contemptus eius eum aurea mediocritate & sufficientia reddit diuitem, eū reddit securum, generosum & erectum, eum quoq; ad legitimi roboris incrementum perducit, cuius in exemplum est regis nostri strenuissima ex frugalitate prodiēs fortitudo atque constantia. Multa hic de canino appetitu & voraci diuitiarū ac beneficiorū apud Ecclesiasticos nostri tēporis, multa de consequēti neglectu vtilium ac præclarorum studiorum pro lucrosis artibus ac scientijs. Plura denique à pestiferis adinuentionibus demolientibus agrū publicum Ecclesiæ ad pestem hanc cupiditatis non dico satiandam, sed irritandam, occursabant ad indignanda seu melius miserāda considerationibus, quæ sciens prætereo, vt statim in tertia oratione fiat consummatio verbi nostri.

Tertia oratio.

Considerate lilia agri quomodo crescunt vos qui veneranda iam ætate & canicie maturescitis. Considerate & imitamini, aspicite quod nō semper humo tenus hærent lilia, non solum germine contenta sunt, erumpunt potius & crescunt in virens robur stipitis, specioso & vario florum ordine decorati. Postremò in flores pulcherrimos & suaues incredibili signatos arte semet aperiant, qui flores libero quodam & patulo velut aspectu ad fontem lumniari ætherei solem iugiter se conuertunt.

Hæc parabola est humanæ ætatis sic tandem agendum est omnibus & huc perueniendum qui ætate tam grandæua florescunt, non semper more puerorum latendum est in numero terrenorū aut pusillorum affectuum, vel in solo germine virtutum, neque instar iuuenum soli actioni insudare conuenit, in solo stipite fulciri. Sed post considerationem quæ propriè est de cœlestibus & sideris ad superna conscendat, animus florescat formetur atque dilatetur, necesse est, & dicaris cum Apostolo. Nostra conuersatio in cœlis est. Nōnne *Phil. 3.* meministis vt prophetarum vnus maledicit puero centum annorum. Nōnne Seneca elementarium irridet? Quicquid autem extra contemplationem liberam (præsertim celestium) agit animus, est in eius comparatione elementarium, puerile, infimum, iacens & pusillum, & quantum distat radix lilij à flore, tantumdem & amplius differt cognitio quæ communiter habetur ex literatoria eruditione ab illa quæ in considerationis eleuatione contemplatiua sentitur. Quoniam prima cognitio serpit humi materialium phantasmatum, & desideriorum carnalium concursantium nubeculis quodammodo fuscata. Itaque ne sursum euolet talibus phantasmatum & desideriorum catenulis circumligata tenetur in portione inferioris rationis quæ est animalitas. Altera vera cognitio sursum emergit ab hac confusione materialium imaginum: sic quod remanet liber rationis superioris intuitus purus & serenus & totus intellectiuus ad res perspiciendas cum summa facilitate circūquaque diffusas.

Ita fit vt res eadem longè alteri sciatur per eruditionem literarum aut experientiam communē, vt aliter per contemplationem, quæ facit hominē transire in affectum cordis & gustare de re qualibet iuxta saporem sibi propriū, & dat puræ cognitioni quæ arida est suum saporem, ac inde resultat sapientia, id est, sapida scientia. Prima cognitio in intellectu est, secunda in affectu. Prima in quadā luce, secunda in luce & feruore. Secunda plus immutat, quemadmodum dulcedo mellis plus afficit dum gustando sentitur & masticatur, quam dum tantummodo ratiocinatiuè & visiuè cōspicitur. Ita non oportet contemplantes plura scire quam alios, sed pluribus modis & alijs.

Quod si gloriosus rex Ludouicus velut alter, Dauid vir inter tot turbas, inter tot populos & absque litteris multis, libera hac consideratione & contemplatione pollebat, erubescat otiosa & litterata senectus si tali careat, & si non vltra sapiat quam paruulus. Imitandus est certè Patriarcha Isaac, qui egressus est ad meditandum in agro inclinante iam die, & vide quid secutum est. Siquidem Rebecca illa prudens & decora (quæ sapiētis personā gerit) eidem obuia fuit. Gen. 24. Inclinata quippe dies vitæ in ipsis grandæuioribus est. Propterea exire debent hoc vespere ad meditandum in agro illo cœlesti vbi sapientia obuia erit, vbi thesaurus in Margarita præfulgida felicitatis æternæ recōditur inuenitúrque. Matth. 13. In hoc agro impetrat axa irriguum inferius & irriguum superius. Iudicum 1. In hoc agro apparet Angelus vxori mane sedenti & quiescenti & leuanti se supra se. Iudi. 13.

De qua consideratione loquitur inuitans nos ad eam. Gregor. in Homil. Si cōsideremus fratres charissimi quæ & quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quę habētur in terris. Terrena namque substantia supernæ

felicitati comparata, mors est dicenda potius quã vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid aliud est quam quędã prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, quis intellectus capere sufficit supernæ illius ciuitatis quanta sunt gaudia Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Deũ cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Sed ad hæc audita inardescit animus. Iámque illic cupit assistere vbi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna præmia perueniri nõ potest, nisi per magnos labores. Hæc ille. Verè sic est. Nemo potest non dicam ad felicitatem, sed nec ad hanc felicitatis cõsiderationem sublimem ascendere nisi cum forti contritione spiritus. Verbum est diuini Dionisij. Nisi præterea cum otio magno & libero à curis terrenis & desiderijs omnibus carnalium. Nisi demũ adsit constans perseuerantia cui soli aperitur, sola coronatur. Hæc tria ponit Bernardus super Canticum.

Sed heu & ve, multi ideo cedunt iuri propinquitatis hæreditariæ in agro hoc cõtemplationis, quia ducere nolunt Ruth, iuxta mysticam historiam Ruth. 4. scriptam. Ruth interpretatur quasi deficiens seu defectio, animus verò humanus hæres agri huius ex sua creatione & regeneratione nisi Ruth ducat, hoc est, nisi deficiat à seipso, & agrum talem cœlestis contemplationis iure libero possidendum non attingit. Nõ videbit me homo & viuet, inquit Dominus. Et intellige vita sensuali & animali, scilicet diuisionem fieri inter spiritum & animam necesse est per verbum Dei viuax & efficax, quæ diuisio longè plus habet admirationis quam animæ & corporis separatio, quemadmodum testatur author lib. de spiritu & anima, & venerabilis Richardus.

Sed quid conamur? quid multa garriendo balbutimus, quasi videlicet rem tantam tantis verborum angustijs claudere valeamus? Hoc itaque nequit fieri. Scripserunt multa plurimi virorum diuinorum & eleuatorum super hac re, & diuinus Dionysius, Augustinus, Gregorius, & recentiores Bernardus, Hugo, Richardus, & post eos Bonauentura, & alij qui in hanc concurrunt sententiã, non posse hanc cognitionem considerationis de qua loquimur inexpertis aperire, quoniã est manna absconditũ, & calculus in quo est nomen scriptum quod nemo nouit nisi qui accipit, & fons in quo non communicat alienus. Sileamus ergo & ad vnum obedientes Christo, consideremus lilia agri quomodo crescunt, quoniã hoc sufficient, tantum non desit imitatio & applicatio ad opus. Nõnne liliorum semen prius mortificatur in terra quam stipes assurgat & quam flores emicent? Nõ aliter carnalitatem & animalitatem cum suis appetitibus & desideriorum passionibus corruptissimis, emori necesse est si cupimus tandem patentibus floribus pulchrarum castarúmque affectionũ libero conspectu supernis inhiare fulgoribus.

Et quis ad hæc idoneus? Nimirũ ille qui in valle lachrymarum totus in contritione perualida peccatorum suorum positus moritur sibi postmodũ germinat & disponit ascensiones in corde suo de germine ad stipitem & de stipite ad florem, hoc est de virtute in virtutem, de imperfecto ad perfectum, donec aperto mentalis sinus flore & irradiata desuper apice synderesis, videtur Deus deorum in Siõ, in præsenti per gratiam prægustatæ dulcedinis & in futuro per gloriam completæ felicitatis, quam nobis, &c.

FINIS.

CARMEN OPTATIVVM VT LILIA CRESCANT, EIVSDEM.

Lilii flores rutilantis auri
Francia scuto, saphyri coloris
Enitent, omnis cor habens pium, dic
Lilia crescant.
Lilij flores, solito magis sunt
Inter vrticas tribulósque spinis
Obsiti densis, miserante Christo.
Lilia crescant.
Lilij flores variarum suborti
Nunc sunt prius & fuerunt.
Stipitem solus tenet hinc in ipso
Lilia crescant.
Lilij flores scelus ô pudendum
Vnguibus curuis lacerans leo trux,
Istius votis prohibebat vsum
Lilia crescant.
Quisquis es Francus fidei probata,
Hoste sublato, Domino volente.
Voce præcelsa roboata dicens:
Lilia crescant.
Lilij flores Dionysius olim
Francia fertur domui dedisse,
Cuius obtentu precibusque dignis
Lilia crescant.
Vulgus ingratum, stolidum, prophanum,
Cladibus diris meritum perire
Obstrepens tali iubilo decenti
Lilia crescant.
Iure qui Francos regis & coronam
Corde deuoto reuerere Christum,
Te libens totum sibi da iubebit
Lilia crescant.
Lilij flores decorastis amplè
Remigij, necnon Ludouice sancti
Iugiter vestro petimus fauore
Lilia crescant.

SERMO EIVSDEM DE ORATIONE FACTVS IN CONCILIO Constantiensi.

Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos, &c. Existimate precor verbum hoc obsecrationis saluberrimæ, humilis & piæ, non meum esse verbũ, parum enim haberet ex me põderis & authoritatis. Accipite potius tanquam ab ecclesiarũ principe Petro, sicut verè est enunciatũ originaliter 1. Pet. 2. & recitantur in epistola currentis dominicæ. Obsecro, &c. Itaque sicut dicit Coapostolus Petri Paulus. Quamdiu sumus in hoc mundo peregrinamur à Domino, dicentes ex sententia quilibet cum propheta: Incola ego sum in terra peregrinus & aduena. *2. Cor. 5.* *Psal. 118.*

Cuius

Cuius rationem reddit ibidem apostolus Heb. 13. Quoniam non habemus his manētem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Hierusalem illam ciuitatem quæ ædificatur vt ciuitas. Et, O quam gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei &c. Quis nos deducet in ciuitatem hanc munitam. Quam felix illa ciuitas, quod à longè olim prospicientes Moyses & Leui, non sine mysteriorum quodam inuolucro, primogenitis suis imposuerunt nomina Gersan & Gerson, quæ interpretati sonant idem quod aduena vel peregrinus. Sint igitur nobis aduenis & peregrinis cantabiles obsecro, voce Petri iustificationes Domini in loco peregrinationis nostræ. Ad hoc enim factus est iste conuentus stationis saluberrimæ, vt misericordiam & auxilium consequamur. A quo? ab eo qui peregrinantibus duobus discipulis, & de se colloquentibus quamuis nondum credentibus se coniunxit, scripturas aperuit, cor accendit, dans illud intelligi quo promiserat. Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio sum. Matth. 18. Nunquid verè credendum est, quod Dominus sit in loco isto? Adest vtique cui milia milium seruiunt, & decies centena milia assistunt ei. Ad quid ita est? Nimirum vt illud prouerbium Laberij à Seneca & Macrobio positum: Comes facundus in via pro vehiculo sit. Et quid facundius verbo Dei in excelsis?

Et nobis viri fratres & serenissimi patres præclarissimi sapientes atque charissimi, nobis qui per varios casus, per tot discrimina rerum tendimus, non in lacum sed in cœlum, exorandus est ipse idem Christus qui nostræ peregrinationis est (dicente Boëtio) dux, semita, terminus idem, ne peregrinantes nos deserat, sed comitetur, ducat, dirigat & perducat. Consequamur hoc quęsumus tuis intercedentibus meritis ô beatissima Dei mater & virgo, quæ puerum Iesum peregrinantem in terra Ægypti cum fidissimo & iusto Ioseph virgine sponso tuo baiulasti, fouisti, nutristi, custodisti, sic tu nos aduenas & peregrinos spiritualibus auxilijs fouere misericorditer obsecrata non abnuas, nostrę memor miserię, nostræ peregrinationis & angustiæ. Nec abhorrę peccatores sine quibus nunquam fores tali digna filio. Quod vt impetremus adimus cum fiducia thronum gratiæ tuæ, te salutantes obsecrando & & obsecrantes salutando, & dicentes illud angelicum. Aue Maria.

Obsecro vos &c. Non errauit profectò princeps ecclesiæ Petrus dum cunctos homines obsecraturus viscerosissima pietate magis quam imperio commonuit eos aduenas esse & peregrinos. Cur ita? Ne peregrinationem viæ statuerent sibi pro habitatione patriæ, sed ad æterna semet proueherent aliter quam pecora & pecudes, & aliter quam diues in euangelio qui dicebat: Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos.

Sed quoniam pro statu naturæ destitutæ nos corporea heu mole pressi & oppressi, non possumus ad cœlum patriam nostram quam à longe salutamus suspirantes curuas in terris animas satis erigere, instar Sisiphi fabulosi quam assidiuè mola sua deiecit & obruit. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animā clausam in tenebris & carcere cæco ait Virgilius: Et vinctū in mendicitate & ferro dicēte prophetá. Hinc est illa Psal. conquæstio. Heu mihi quia incolatus meus &c.

A Prouidit misericors & miserator Dominus restaurator noster, dux noster, via, veritas & vita qua ratione posset mens nostra volatu libero celerem nuncium ad ipsum patrem nostrum qui in cœlis est destinare. Mira prorsus quid dicam vel Dei benignitas vel hominis dignitas vel orationis potestas dicam istorum quodlibet. Ita est credite. Nuncius hic est oratio, quæ duabus aliis subnixa est, fide, spe quæ animata est charitate, & quæ ornata est tanquam plumis varijs virtutum multiplicitate.

B Vnde, quid est oratio, nisi ascensio vel eleuatio mentis in Deum, per pium & humilem affectum, quo fit, vt dum oramus nos familiari quadam proximitate, Deo colloquimur. Potest illud philosophicum Boëtij carmen sonorum ad id traduci quod asserimus. Sunt etenim pennę volucres mihi. Quæ celsa conscendant poli, quas sibi cum velox mens induit terras perosa despicit, aëris immēsi superat globum, nubesque post tergum videt quique agili motu calet ætheris, transcendit ignis verticem donec in astrigeras surgat domos.

C Bene habet igitur. Fecit nobiscum magnificè Deus, dum nobis aduenis & peregrinis, in loco horroris & vastæ solitudinis, dedit talem nuncium qui necessitates nostras afferret Deo, & opem desideratam impetraret & referret. Obsecro igitur vos viri patres & fratres, obsecro vos voce Petri nunc tanquam aduenas & peregrinos. Assumatur ab vnoquoque nostrum sedulus istę nuncius, oratio omni quidem tempore, nam oportet semper orare, & non deficere, præcipuè tamen in hac hora & die,

D dum ad hoc ipsum factus est conuentus sacratissimus hæc deuotissima processio, hæc sacrosanctæ synodi peculiaris quędam collectio, tum pro nostris omnibus incōmodis subleuandis, tum specialiter vt dirigat Deus legatos huius concilij ad Dominum nostrum destinatos vt venientes redeant cum exultatione portantes responsiones optatæ manipulos. Fiat insuper oratio, quatenus det Deus suę vocem virtutis,

E det mihi euangelizāti verbum virtutę multa, impleat os meum, qui per iussiones vestras quibus obniti fas esse non credidi illud aperuit. Neque enim existimaui quod vllo modo deesse posset sermo mihi de re saluberrima ad petitionem talem, licet sero valde nimis impositum locuturo. Assumpserat onus istud reuerendissimus pater & doctor Emericus giganteis humeris suis, sed raucedo vocem abstulit. Conabor patrem filius sequi, non passibus æquis, vt apud Virgilium est. Enumeremus ordine lucido & breui (quia

F nihil est quod texitur ordine longum) conditiones & proprietates quas debet habere nuncius hic nostræ peregrinationis oratio deuota vel obsecratio. Coerceatur sermo noster infra terminos, & verba prænominatæ epistolæ dominicæ currētis, neper diuersa vagetur & diffluat. Sumamus ex ea oratione proprietates, iuxta totidē considerationes sentētiarū ex eadem epist. Vtamur insuper familiari, grossa & palpabili similitudine peregrini, magis scholastico, doctrinali & quotidiana, quā accurato sermone loquētes. Habet enim satis venustatis ipse sermo diuinus, etiā vbi vilibus ver-

borum panniculis operitur, quemadmodum veritatem dum de terra orta est, non auro vel sericis, A sed panniculis virgo mater inuoluit. Sit igitur oratio vel obsecratio, quatenus euolet liberius in cœlum primum agilis & expedita, abstinere de hinc bonis associata. Conuersationem vestram rursus patiens & benigna, vt in eo quod de vobis. Sit libera nec seruiliter obligata, liberi estote. Sit amicabilis & modesta, omnes honorate. Sit denique humilis & subdita. Subditi estote.

Dicamus igitur prosequentes: quod oratio sit agilis & expedita tanquam cursor leuis, explicans vias suas, & sicut virgula fumi: quemadmodum B postulabat qui dicebat. Dirigatur ad te oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Hoc autem fiet, si obsecranti Petro obediuerimus abstinentes nos à carnalibus desiderijs quæ militant aduersus animam. Mala prorsus duráque militia pestilens & cruenta desideriorum carnalium. Audi qualium, quia occidunt pigrum, quibus subseruiunt, otium subuersatrix Sodomę voluptas esca malorum, vanum gaudium quod in puncto ad inferna descendit, cibus immoderatus & potus, C inter quæ caput Ioannis gratiæ præscinditur. His & similibus pęgrauatur oratio, his inuiscantur & euelluntur pennę eius. Figuram habemus pro nostra consideratione in Abraham, cui iusso peregrinari dictum est: Egredere de terra tua & de cognatione tua, de domo patris tui, hoc est terrenis affectibus, de peccati occasionibus, quæ sunt peccati magna cognatio de domesticis nostræ carnis, & tanquam paternis conuersationibus & desiderijs. Potuerat nunc & trahi sermo D noster per concordantias ex scriptura ad eruditionem moralem assumptas, sed ecce crebrius occurrit in ipsa meditatione mea studiositas speculatrix, postulans vt propositiones aliquas doctrinales & scholasticas eliciens insererem, fiat hoc, intelligat studiositas. Consideratio prima. Efficacior est oratio cæteris paribus quæ spiritualior est & à carnalibus desiderijs remotior, hinc est quod veri oratores adorant, Deum in spiritu & veritate. Orabo spiritu inquit, apostolus, orabo & mente, non sicut illi quos increpat Christus ex verbis E Esa. 29. Esaiæ. Populus iste labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me &c. Secunda consideratio. Efficacior est cæteris paribus theologorum oratio, quæ supra fidem simplicium clariorem & puriorem habent de diuina bonitate cognitionem. Est enim talis oratio spiritualior, & à phantasmatibus corporeis alienatior. Hæc oratio conquiritur cum summa difficultate & pascit animam, nota Antonium de oratione extatica. Consideratio tertia. Efficax est puerorum baptizatorum oratio, F in quibus nondum vigent carnalia desideria, quia per regenerationem facti sunt filij Dei & placabiles ei. Hinc est illud: Ex ore infantium & la- Psal. 8. ctantium &c. Maxima debetur puero reuerentia. Væ væ qui verbis operibus aut ex exemplis prostituunt hanc puritatem angelicam.

Sit oratio bonis associata, sicut subdit apostolus Petrus. Conuersationem inquit, vestram habentes bonam. Impossibile est enim (sicut dicit Hieronymus) multorum preces non exaudiri, propterea dicitur apud Machab. factus est conuentus vt orarent. Vnde & habitabant apostoli pariter, dum illos orantes illustrauit diuinitatis plenitudo. Hinc propterea est illa Christi promissio: Si duo vel tres ex vobis consenserint de omni re super terram fiet eis à patre meo. Colligamus hic tres speculatiuas doctrinas.

Consideratio prima. Efficatior est cæteris paribus, oratio multitudinis processionaliter & localiter adunatæ quam dum loco sunt separati. Ad huius probationem satis debet esse vsus ecclesiæ.

Secunda consideratio. Efficacior est oratio cæteris paribus dum fit pro vniuersali bono ecclesię & ad eius præceptum vel ordinationem quam dum fit tantummodo pro seipso.

Tertia consideratio. Efficacior est oratio multitudinis dum illic præsciti etiam & peccatores orant, quam si nulla iungeretur talium oratio.

Sit oratio patiens & benigna, quemadmodum illatas iniurias oportet peregrinum sustinere, vt non correspondeat cuilibet fatuo nec litiget, perdat de suo potius, vt pacem retineat, sic debet esse oratio, quod notat Petrus consequenter dum ait: Vt in eo quod detrectent de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis, quando scilicet dicent: Hi sunt quos habuimus in derisum & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Colligamus & hác triplicem speculationem.

Prima speculatio. Efficax est plurimum oratio illorum qui diffamationes & detractiones patienter pro veritate vel iustitia suscipiunt. Patuit in Dauid respectu Semei maledici, & de Sara filia Raguelis, de Tobia. Iob etiam pro maledictione inclinauisse, & suscepit benedictionem.

Secunda speculatio. Efficax est pauperum oratio, sicut dicit psal. Exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit. Similis est ratio Psal. 68. de his qui in infirmitatibus suis corporeis gratias agunt Deo & orant. Quod vidit apostolus dum ait quod virtus in infirmitate perficitur. Tot ora & linguas lazarus habebat quot vulnera.

Tertia speculatio. Efficax est plurimum oratio illorum qui spirituales tentationes sustinent patienter in anima, quæ molestiores aliquando sunt apud volentes bene viuere, quam corporales molestię vel paupertas exterior. Nota de blasphemia. Nota qui insaniunt, quia desunt consolationes expertæ, sed secundum multitudinem dolorum &c.

Sit oratio libera, nec obligata vel allegata rebus huius mundi per vincula cupiditatis. Propterea subdit Petrus quasi liberi, libertate scilicet tali, quæ summa ingenuitas est, in qua seruitus Christi comprobatur. Est enim altera fallax quædam libertas, omni seruitute deterior, quam notat Petrus cum subdit. Non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed vt serui Dei. Talis est peccator, qui velut onagrũ liberũ se putat, dum mittitur ire post desideria cordis sui inadinuentionibus suis pessimis, quasi hios lasciuiens, sed nihil est infelicius dicẽte Augustino felicitate & impunitate peccãtiũ. O infelix inquit, de quodã cui peccare licebat, sic ex sentẽtia Platonis deducit Boet.

Sequuntur

Sequuntur hic tres veritates. Prima veritas. Efficacior eſt cæteris paribus oratio religioſorum, A quibus ex voto vel regula minus peccare licet quam aliorum, ſi in religionis ſuæ terminis abſq; tranſgreſſione ſeipſos coërceant, & vinculis occupationũ terrenarum non inuoluant pedes affectionum ſuarum. Secunda veritas. Acceptabilis plurimum eſt oratio ſolitariorum in deſerto, vbi dicente Hieronymo neſcio quid ſerenius emicat, & liberius mens euolat ad penetrandum cæleſtia. Sic omnis religio quanto ſibi ſufficientior, & ſollicitudinis minus habens, tanto eſt ad continuationem contemplationis habilior, licet B non ſemper ad inchoationem. Tertia veritas. Acceptabilior eſt oratio pro ſeipſo vel pro paucis quoad ſatisfactionem faciendum, quam dum ad ſatisfaciendum pro plurimis per ſuſceptionem bonorum temporalium ſemel orans obligauit, Et hic eſſet grandis inquiſitio de valore orationis diuerſis effectibus. Nota de duodecim faciebus orationis.

Sit oratio amicabilis & modeſta. Conſequenter ad id quod ſubditur in epiſtola: Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem C honorate. Hinc Ioſeph peregrinantes fratres cõmonuit: Ne iraſcimini inquit in via. Ad quod morum conformitas quia multum proficit, dicitur Exod.12. Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos. Et Exo.24. Peregrino moleſtus non eris. Ipſi enim fuiſtis peregrini in terra Ægypti. Quin etiam neceſſaria eſt orationis modeſtia, quam generat timor Dei. Propter ea.1. Petri 4. Nolite inquit peregrinari in feruore qui D ad tentationem vobis ſit, zelus abſq; diſcretione præcipitat. Prima conſideratio. Efficacior eſt cæteris paribus oratio pro inimicis, quanto videtur difficilior, & ex maiori charitate ortum habens, vt Samuelis & Moyſi. Secunda conſideratio. Acceptabilior eſt cæteris paribus oratio pro regibus, principibus & alijs in poteſtate conſtitutis, quantum bonum commune excedit particulare. Ideo culpabiles valde ſunt maledictionem eis imprecantes, quibus eſt maximè miſerãdum, quoniam E habent homines ſuper capita ſua. Auguſtinus: In nullo mihi repperi iratum Deum &c. Si vis apta. Tertia conſideratio. Efficacior eſt oratio, quanto verecundior eſt ſub Deo, & caſti timoris plus retinens. Bernardus: In veritate comperi nihil ita eſſe efficax ad gratiam Dei vel inueniendam, vel conſeruandam, vel recuperandã, quam ſi ſemper inueniaris non alta ſapere, ſed ſapere, ad ſobrietatem. Deniq; beatus vir qui ſemper eſt pauidus.

Sit oratio humilis & ſubdita. Iuxta quod concluditur in epiſtola. Subditi eſtote in omni ti- F more dominis, non tãtum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcholis. Hæc eſt enim gratia. Itaque cum diuina lex hoc iubeat, Qui obturat aurem ſuã ne exaudiat hanc legem oratio eius ſecundum Sapientem eſt execrabilis. Præterea obedientium & humilium ſemper Deo placuit oratio. Oratio humiliantis ſe nubis penetrabit. Eſt autem humilitas triplex in intellectu, in affectu & in effectu. Ex cuius humilitatis carentia, præſertim in intellectu ex deprauatione in affectu conſurgente proueniunt errores omnes, & ſcandala in eccleſia ſancta Dei, dum ſcilicet humana præſumpito nõ vult captiuare omnem intellectum in obſequiũ fidei; ſed quærit ambulare in magnis & mirabilibus ſupra ſe. Declarat hoc pulchre auctor ſummæ de vitiis & virtutibus, aſſignans cauſas errorum circa fidem tractatu de fide circa finẽ. Ecce enim quod intellectus ſuperba præſumptio dicit aliquando orationem nil valere. Quare? quia vel tenet omnia de neceſſitate abſoluta euenire, vel Deum terrena non curare, vel omnia fortuitò agit ſicut notat Claudianus. Sæpe mihi dubia &c. Aut quia ſic Deus res adminiſtrat, vt eas proprios motus agere ſinat, & ita inquiunt, quid proficit oratio? Fuerũt tandem alij qui dicerent orationes non niſi à radiatione cœleſti ſuſcipere virtutem, vt Alkindus de radijs. Fuerunt qui negarent noctibus orandũ eſſe, aut locis ſacris plus quam in prophanis. Dixerunt alij, quod orationes eccleſiæ omnes pollutæ ſunt per ſimoniam. Dixerunt alij vt Begardi, non eſſe vocaliter orandum, ſed mentaliter tantum, in quadam libertate ſpiritus, quam dicunt non ſubijci præceptis diuinis. Sed & errores alios quos omnes dinumeret? propter quod redditur apud Deum inefficax oratio, quẽ in fide fieri debere tradidit Iacobus. Poſtulet inquit in fide. Hic latè patet materia grãdis tam ſuper facto Domini noſtri Papæ quam ſuper alijs, quæ pro præſenti iuſſus & obediens prætereo. Tãdem ſub epilogo concludentes dicamus, quod aduerſus omnes inſultus aduerſariæ poteſtatis, aduerſus ſchiſmata errores & ſcandala ſpiritualis nequitiæ. Aduerſus deniq; omnes laqueos, quos in via peregrinationis noſtræ abſcondunt ſuperbi, efficaciſſimum remedium eſt habere comitem orationem, fide & ſpe ſubnixam & animatam charitate. Nam hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra à qua dirigitur oratio, alacer, fidelis & volucer nuncius noſter ad Deum, cui debebat fidelis ex Ioſaphat. 2. Paralip. 20. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros ad te dirigamus per orationem, ſcilicet quæ victrix & domina naturæ eſt. Sit igitur nuncius iſte (iuxta quod prædictum eſt, agilis & expeditus, bonis aſſociatus patiens & benignus, liber & non ſeruiliter alligatus, amicabilis & modeſtus humilis & ſubditus. Hæc enim eſt gratia in Chriſto Ieſu, qui eſt Deus benedictus in ſæcula.

Gerſon. Secunda pars.

SERMO DE SPIRITV SANCTO.

SPIRITVS Domini repleuit orbem terrarum. Sapientiæ 1. Hoc præclarum ſapientis eulogium, hoc in ſpiraculum & prophetarum diuinitus oraculum decantat in exultatione cordis, in iubilo vocis ſancta mater eccleſia, recolens in ipſo miſſarum introitu ſtupendum nimis aduentum Domini in orbem terrarum, quando apparuerunt apoſtolis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq; ſupra ſingulos eorum ſpiritusſanctus, quo repleti cœperunt loqui varijs magnalia Dei, prout idem ſpiritus dabat eloqui illis. Et ô vtinam patres celeberrimi, patres & fratres in eodem ſpiritu nunc collecti, vtinam det eloqui ſpiritus iſte Domini magnalia Dei quæ ſua ſunt, det voci ſuæ vocem vir-

tutis, quoniam ipse continens omnia scientiam habet vocis, quo inspirati locuti sunt sanctè Dei homines, qui dedit verbum euãgelizantibus virtute multa. Non enim vos estis qui loquimini, dicebat Christus apostolis, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Cadat ô vtinã modo sicut olim in ecclesia primitiua, dum Petrus loqueretur apud Cornelium, cadat spiritussanctus super omnes audientes verbum, quia nisi spiritussãctus cordi adsit audientis ociosus est sermo loquentis, ait Gregorius & Augustinus cathedram in cœlo tenet qui corda docet. Repleat igitur totam domum istam in qua sedentes estis vos apostolici viri, vos in eodem spiritu concorditer adunati. Adunati, inquam. Et nonne cum Maria matre Iesu? Audebimus ne virgo sacratissima dicere te præsentialiter hic adesse, vbi filius tuus noster Emanuel se teste est, vbi spiritus eius adest in medio. Ades vtique & si non forte corporali dimensione, quamquam hoc inuisibiliter agere potest corpus gloriosum per agilitatis & subtilitatis dotes. Ades spirituali super nos influxu & intuitu, conuertens ad nos illos tuos misericordes oculos, ad quam suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle, implorantes aduentum spiritussancti in nos & super nos hodie mediante te virgo misericordissima, quam ideo spiritussanctus nedum ad sufficientiã vel excellẽtiam sed ad exuberantissimam & fontalem redundantiam impleuit, vt ipsam in nos & alios refunderes, quod vt fiat te salutamus exorantes, & exoramus salutantes per illud angelicum. Aue gratia plena.

Spiritus Domini repleuit orbem terrarum &c. Ad iocundissimam hanc & diuinam sapientis vocem, & ad hoc ecclesiæ carmen amentissimum, ad sonorosissimam hanc suauissimamque totius orbis harmoniam, sacer iste cœtus, ordo iste deuotissimus, nunquid non assurgere debet in anagogicos mentis excessus, in secretos cordis iubilos, cum exultabundo quoque carnis tripudio? Quoniam hæc est dies quã fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Et certè dignum est, vt in solennitate spiritussancti omnis spiritus laudet Dominum, laudet & modulizet in organis hoc spirituali flatu repletis pulchra varietate sonantibus per distinctionem donorum meritorum & virtutum quasi totidem fistularum. Itaque beatus populus qui scit iubilationem laudem & exultationem. Fallor si hoc non intenderet præfatio qua de Christo dicitur, quod ascẽdens super omnes cœlos, sedensque ad dexteram Dei patris, promissum spiritum sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudijs totus in orbe terrarum mundus exultat. Quare? quia pleni sunt cœli & terra maiestatis gloriæ spiritussancti. Hinc cœlum laudibus intonat, mundus exultans iubilat, gemens infernus vlulat. Accipimus in hac harmonia iustitiam pro tenore in inferno, qui gemens vlulat, mollem cantum seu discantum misericordiæ in cœlo, quod laudibus intonat, contra tenorẽ verò velut ex vtroq; compositum dum hic mundus exultans iubilat cum propheta dicẽte: Misericordiã & iudiciũ cantabo tibi Domine. Tale nos hodie carmen canere conuenit dum per inauditum seculis, misericordiæ in electis & iustitiæ in reprobis, miraculum spiritus Psal. 100.

D omini repleuit orbem terrarum. Et animaduertat precor vestra beatitudo quoniam spiritus iste Domini qui repleuit orbem terrarum spiritus est huius sacri concilij. Grandis planè dignitas admirandáq; solẽnitas, vt eodẽ spiritu vniatur, formetur, viuat & vegetetur hæc sacrosãcta synodus ecclesiã repræsentans, quo spiritu connecti dicũtur in vnũ pater & filius. Sed verè sic decebat, vt Christi spõsi & ecclesiæ sponsæ suæ esset vnus spiritus. Maior enim adhæsio vel intimior qualis esse potest quã sponsæ ad sponsum. Dicit autem apostolus, quod qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Deniq; primitiarũ ecclesiam describẽs Lucas, Multitudinis inquit credentium erat cor vnum & anima vna in Domino. Quid plura quærimus? cum orauerit patrem, qui non exaudiri nequit, vt credentes in eum essent vnum, sicut ipse & pater vnum sunt. Sunt autem vnum in spiritu sancto, quamquam non omnino similiter ad credentes. Hic est spiritus ille Domini, qui repleuit orbem terrarum, repleuit sanè mox, vt in principio fecit Deus cœlum & terram, quando spiritus Domini ferebatur super aquas, nõ exclusus vel elatus, quãdo intus fouebat secundum aliam trãslationem, nõ inclusus vel arctatus. Neq; enim quicquã subsistere potest, quod non repleuit spiritus Domini per essentiam, potentiam & præsentiã. Hoc habet articulus Parisijs cõdemnatus, quod causa prima sit remotissima: sit quod non propinquissima, error. Quãuis insuper opera Trinitatis sint indiuisa, non quidem ad intra, vt Ioannes an. sumit pro argumento processionis spiritussancti ab vtroque, sed ad extra, nihilominus cõpleta formatio rerũ, modus & ornatus earũ appropriatur spirituisãcto, pro quanto diuina bonitas tanquã causa finalis, quæ principalissima causarum est, mouit ad rerum creationẽ, vt in eis sese diffunderet. Est enim bonum suijpsius diffusiuum. Hinc Iob ait: Spiritus Domini ornauit cœlos. Cõcorditer ad Psal. Verbo Domini cœli firmati sunt. Sequitur: Et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Hoc vidit diuinus Dionysius qui ordinãs nomina Dei per respectũ ad creaturas, posuit bonũ quod appropriatur spirituisancto esse primum nomen Dei, & prius collocauit quã nomẽ hoc ens. Hoc & Plato, & multi poëtarũ Theologi, sub quodã inuoluto somniasse videntur, dum dixerunt cũ Virgilio (si bene memini) principio cœlum &c. Gratissima prorsus hæc speculatio, etiã philosophantium perscrutari, quẽadmodũ spiritus Domini repleuit orbem. At verò lõgè gratior, diuinior atq; sublimior offertur consideratio, si ne operibus creationis ad recreationis operationem vertitur mẽtis acies, fidei lumine bene collustrata purgataque. Illic offertur celeberrimum solennitatis hodiernæ mysterium, quo nullum stuporẽ mirabilius, nullũ salubritate fructuosius & efficacius excogitari potest, quãdo spiritus Domini repleuit orbem terrarum, hoc est per figuram, quãdo repleuit homines orbẽ terrarum inhabitantes; continens. s. pro cõtento, vel locus pro locato. Quamquam & homines huiusmodi non incõuenienter dici possint orbes terrarum multis similitudinibus. Sed ex hac nominatim, quod egredientes à Deo per creationẽ & recreationem, rursus à seipsis & omnibus creaturis in Deum; qui est α & ω, principium & finis, reuertantur

1. Cor. 6.
Iob 26.
Psal. 32.

tantur

tantur per cognitionem & amorem. Ob talem verò circulum vel orbem intelligibilem quis non rectè nominauerit homines iustos orbes esse? & quidem terrenos, quia cum spiritibus suis adhærent corpori, quod terrenū terram inhabitat. Vel ideo certè nominantur orbis terrarum propter virtutis stabilitatem & promptitudinem obediētiæ. Firmauit enim Deus orbem terræ qui non commouebitur, ecce stabilitas. Et de rotis volubilibus Ezechiel dicit, quod vbi erat impetus spiritus, illud gradiebantur. Ecce obedientia. Alludit his Horatius dicens de viro sapientiæ, quod est totus teres atque rotundus. Deniq; sicut homo dicitur omnis creatura, dicitur creatura mundi, dicitur microcosmus, sic eum nominare orbem terrarum fas putamus.

Descripsit pulcherrimè Boëtius prędictum orbicularem circulum intelligibilē de egressu creaturarum à Deo, & de regressu rursus ad ipsum dū cecinit. Repetunt proprios quæq; recursus, redituráque suo singula gaudent, nec manet vlli traditus ordo nisi quod fini iunxerit ortum, stabilemque sui fecerit orbem. Cadit rursus in eadem sententiam altero carmine. Nam in rectos reuocans itus, flexos iterum cogat in orbes. Quę nunc stabilis continet ordo. Dissepta suo fonte fatiscāt. Hic est cunctis communis amor. Repetuntque boni fine teneri. Quia non aliter durare queant, nisi conuerso rursus amore. Refluant causæ quæ dedit esse. Ideo bene definiendo inquit Aristoteles. Bonū est quod omnia appetūt. Cęterum verò intelligibiles hominum spiritus, eo perfectiorem sui faciunt orbem, quo perfectius atque diuinius spiritus vitæ est in seipsis tanquam in rotis illis propheticis, quæ plenæ sunt oculis intus & extra. Intus per intelligentiam, extra per corpoream sensationem. Deduxit hāc reductionē Dominus Bonauentura cardinalis in itinerario suo mentis in Deum, quo libello & autore suo laus omnis terra inferior. Talis erat orbis terrarum quilibet ex apostolis & discipulis habitantibus in vnum cum mulieribus & Maria matre Iesu, quando verificatum est illud Domini per Iohelem. Et quidē in nouissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, vtrumque notat sexum. Verificatum est item illud sapientis pro themate sumptū. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Cuius repletionis sensibile fuit signum doctrina linguarum per eūdem spiritum collata, de qua protinus subditur: Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Nam eo replente voces diuersas intonant: fantur Dei magnalia. His ita quasi proœmialiter & literaliter elocutis, priusquam ad vlteriora pergit sermo, vnum velut incidenter dicturus sum, quod reuerendissimum patrem doctorē incomparabilem ac præceptorem meum præcipuum Dominum cardinalem Cameracensem excusat à desidiosa vel vitiosa propositi mutatione, & exiguitatem meam reuelat à temeraria præsumptione. Assignatus fuerat itaque eidem R. p. sermo præsens. Acceptauerat compleueratque ipsum ex integro, etiam memorię commendabat, dum febris valida sic eum corripuit, vt in lectū & in medicos decideret. Iussit igitur (sunt enim petitiones suæ iussio mihi) iussit vel succedere loco

A sui. Parui, licet impar viribus, non in mea, sed in obedientiæ virtute, & in vestræ beatitudinis experta benignitate, & in affluentissima spiritussancti bonitate, spem reponens qui iubens pollicitus est: Aperi os tuum, & implebo illud. Obedierat qui dixit: Os meum aperui, nec frustratus est, quia sequitur, & attraxi spiritum. Porrò nihil ex intensione quod vel partialitatem vel offensionem sonet propono dicere, nec id quidem vllo tempore licęt fieri. Abundè satis est ad loquendum solemnitatis hodiernæ mysterium grande, quando spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Et bene

B spiritus Domini, non spiritus mundi, non spiritus carnis, nō spiritus dæmonis, qui sunt tres immūdi spiritus, quos in Apocalypsi Ioannes vidit egredientes de ore bestiæ in modū ranarum, quæ garrulæ, turgidæ sordideq; sunt. Spiritus insuper qui non permanet super omnem carnem, hoc est carnaliter viuentem, quia spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Spiritus, quo degustato desipit omnis caro, qui scrutatur etiam profunda Dei, & omnia dijudicat. Hic hodie spiritus

C repleuit orbem terrarum, non qualicunque, sed exuberantissima repletione. Inuenitur enim spiritus Domini repletio multiplex, & signanter triplex. Repletio sufficientiæ, qualis est in omnibus, spem fidem & charitatem habentibus. Est etiam in paruulis baptizatis vel in vtero sanctificatis, quemadmodum Gabriel dixit de beato Ioanne, quod spiritusancto replebitur adhuc ab vtero matris suæ. Altera est repletio abundantiæ vel excellentiæ, qualis fuit in beato protomartyre Stephano, quem elegerunt apostoli, plenum fide, sapien-

D tia & fortitudine, qualis repletionis participes sūt perfecti & contemplatiui. Demum repletio tertia est redundantiæ vel superefluentiæ, qualem in supremo Christus habuit quoniā in ipso habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Post ipsū Maria gratia plena. Hieronymus: Cæteris per partes datur, Mariæ verò se infudit plenitudo gratiæ tota, vt à capite deriuetur omnis influxus vitalis & spiritualis, per Mariam quasi per collum in cætera membra totius ecclesiæ. Hanc proinde repletio-

E nem, licet differenter, hodie susceperunt apostoli quando repleti sunt omnes spiritusancto. Tunc enim spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Ad quid ita? Vt per abundantiam & superefluentiam in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Repletionem primam operatur spiritussanctus in actiuis, incipientibus & proficientibus. Et hęc quidem bona sufficiensque est. Repletionem alteram operatur spiritussanctus in contemplatiuis & perfectis, & hæc melior excellentiorque

F iudicatur. Tertiam verò communicat spiritussanctus viris heroicis, præpollentibus & exercitatis in vtraque vita, actiua simul & contemplatiua, quibus non tollit actio contemplationem, nec actionem contemplatio prohibet aut refugit. Hæc est optima repletio superefluenter ac redundanter in alios deriuata. Ad imitationem angelorum quibus hoc insigne est, quod in eis non obsistit theoria iugi ministerio, contemplatio scilicet actioni. Immo verò contemplantur eo attentius artem primam, quò secundum illam habēt exemplariter operari,

Exemplum de scriptore & exemplari libro & lumine. Hinc in scala Iacob visi sunt angeli ascendentes per contemplationem, & descendentes per ministrationem. Et quoniam hierarchicus & sublimis prælatorum Deo amabilium status exigit repletionem huiusmodi perfectissimam & optimam debet enim dicente Greg. prælatus esse actione præcipuus & præ cunctis in contemplatione suspensus, vt sit ambidexter vt Aioth.

Dicamus aliqua de repletione tali, quæ cõtemplationem pariter & actionem complectitur, vbi contemplatio iam non insequitur actionem, vt in suæ acquisitionis seu generationis primordio, sed ipsam præuenit, informat parturit, vegetat, roborat, dirigit & perficit. Neque enim falluntur qui vitam actiuam in duos secernunt status aut gradus. Quorum alter est præuius ad contemplationem, & hic quidem imperfectus, sollicitus, anxius & turbidus. Iuxta illud: Martha Martha sollicita es &c. In altero autem requies quædam, pax & tranquillitas ex contemplationis sapidæ condimento, & ex influxu eius continuo reperitur, ita vt in spiritu lenitatis agit omnia, doceat & corrigat omnia, quia nihil de radice amaritudinis est in corde, sicut est dum in spiritu vehementi conteruntur naues tharsis. Hic habet veritatem illud Gregorij prudentissimum verbum: Vera iustitia compassionem habet, falsa indignationem. Talem habuisse repletionem apostolum colligimus ex epistolis & actibus suis. Conuersatus sum ait, inter vos in omni humilitate lachrimis & mansuetudine, scio abũdare, scio penuriam pati. Et iterum: Omnibus omnia factus sum. Qui & suadebat gaudere in Domino semper, & nihil sollicitos esse quasi tristes, semper autem gaudentes, vt sic in aduersis & prosperis idem vultus, idẽ animus, quemadmodum de Socrate prædicabant.

Lucæ 10.

1. Cor. 9.

Dearticulabitur autem id quod reliquum est sermonis in triplicem considerationem. Prima loquetur de modo quo per spiritumsanctum cõmunicat repletio. Secunda loquetur qualis sit ex spiritusancti repletione contemplatio. Tertia loquetur quemadmodum plenitudinem contemplationis consequitur comes actio. Prima consideratio. Spiritus Domini dum replet hominem incolam orbis terrarum, facit hoc non quadam naturali necessitate, sed gratuito spontaneóque voluntatis atque libertatis arbitrio. Docuit hoc Christus qui Nicodemo loquens dixit: Spiritus vbi vult spirat. Et apostolus postquam dixerat quod diuisiones gratiarum sunt, dinumerans eas subdit: Hæc autem omnia operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Itaq; Deus (sicut dicit Iob) lumen tenet in manibus, claudẽs & aperiens prout vult, qui cuius vult miseretur, & quem vult indurat, hoc est, in induratione permittit. Neque enim quisquam dicere potest. Cur ita facis? etiam si perierint nationes quas fecit, cui est pro ratione voluntas, qui omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra &c.

Iohan. 3.

Defecit ad huius considerationis imperscrutabilem abyssum, omnis pœnè philosophorum, astrologorum, Epicuriorum Stoicorum immo & Peripateticorum perscrutatio, dicentium vel Deũ non esse, vel non curare res extra se, vel agere, necessitate naturæ, sicut solem & ignem. Quid idcirco mirandum, si Deum non sicut Deum glorificauerunt, neque gratias egerunt, si non sperauerunt ab ipso per orationes aliquod suffragium, neque per lachrymas? Hoc enim fatuum hoc anile, hoc delirum iudicabant. Docet hoc oratio Catonis apud Salustium.

A

Hoc autem à nostræ & veræ religionis abhorret traditione, quæ totiens monet: Venite adoremus & procidamus &c. Et iterum: Sacrificium Deo spiritus contribulatus &c. Talibus enim lachrymarum hostijs placatur Deus. Refertur in vita patrũ de illo Machario anachoreta magno, quod interrogatus verbum à fratribus, ingemuit dicens: Ploremus fratres ploremus, vbi lachrimæ purgant peccata, ne illic plorare contingat, vbi lachrymæ exurẽt corpora nostra. Impossibile enim omnino est non plorare, dicebat magnus Arsenius, aut hic pœnitentiam, aut illic per damnationem.

B

Porrò teste apostolo, quid oremus sicut oportet nescimus, sed spiritus est qui orat ad Deum pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Glos. orare facit. Ad quid ita? Nimirum vt ad profundam humilitatem reddat animam sui ipsius capacem. Super quem requiescit spiritus meus, quærit Dominus? nisi super humilem & quietum & tremẽtem sermones meos. Est autem humilitas hæc, vt hęc abyssalis altitudo iudiciorum Dei honoretur casto silentio in fidei simplicitate, quam habet paupercula mulier plus aliquando quam sapientes huius sæculi, quia perscrutatores maiestatis opprimuntur à gloria, sicut oculus nycticoracis à clarissima luce solis, si cernere contenderit, retunditur cæcatúrque.

C

D

Cur illum impleat, illum non impleat noli quęrere, si non vis errare, nondum impleris, oro vt implearis. Nam qui vult esse particeps optimarũ Dei donationum, oportet orationem reduci vt in bonorum principium. Ipse quidem omnibus adest, non autem omnia ei adsunt. Tunc autem ei adsumus, cum castissimis orationibus inuocantes, reuoluto animo propinquamus. Hoc diuinus Dionysius exemplificat de catena intelligibili protensa in cœlum, & de chorda nauis hærente litoribus, per quam nauis ad litus, non litus ad nauem deducitur.

E

Vult igitur aliquis repleri spiritusancto? Vult existimo. Ascendat exemplo sanctorum in superiora domus in cœnaculum grande stratum, hoc est in apicem mentis suæ, & claudat fores, ostia & fenestras sensuum, per quas mors ascendit. Colligat in vnum vires suas omnes, sedeat quiescens, perseueret orans, recogitet cum propheta omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, cum spe salutis consequendæ. Sic enim orat cum Maria, quæ amarum mare, & quæ mater Iesu mater salutis nominatur. Fiat repente de cœlo quasi vehemẽs sonitus diuinorum iudiciorum, quasi terrere faciens vt à timore Dei concipiatur spiritus salutis, vt denique desuper misso igne fiat inflammatum cor, & renes carnalium affectionum cõmutentur in desideria fruentia fluentorum supernorum fontis vitæ. Quisquis sibi receptaculum tale parauerit, replebit eum mundans diuinitas deitatis.

F

At

Atverò mirabile nimis est, & nescio si magis intimo gustu & experimento cognoscibile quam explicabile verbo, qua ratione fieri potest, vt spiritussanctus praeueniat animam quam repleturus est, non praeuētus ex opibus vel meritis, quoniam non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. *Malac. 1.* Ipsam nihilominus animam coarctant scripturae sacrae vt se disponat, vt faciat quod in se est, praedictis & similibus modis, orando, lachrymando, gemendo velut aliquid operetur ad spiritussancti susceptionem. Nam & Dei coadiutores esse tradit Apostolus. Et certè si nihil prorsus coagit arbitrium, vnde meritum? Fatendum est planè coagit per consensum spontaneum obedientem prę monitioni spiritussancti, sed vt ita coagat & obediat, hoc iam non ex se est sine gratia, sed quia gratia praeuentum est, & per eam salubriter tractum. Neque tamen ideo minus ad meritum deputatur animae consensus huiusmodi, sicut acriter arguit, Prosper contra Cassianum, dum est iste consensus viuificatus & formatus à gratia, quam si per impossibile consensum hunc ex puris naturalibus elicuisset sine gratia, immo placentior tanto est Deo consensus talis, quanto Deus in eo magis inuenit munus suum quod acceptet, sicut beneficians non ideo minus, sed plus amat beneficiatū. Anima proinde redditur humilior & Deo gratior ex ea cōsideratione quod quicquid habet meriti pręuentrix gratia donat. Quo contra stultissima est praesumptio putantium se praeuenire Deum, ipsumque velut obsequi seruiliter ad hominis actionem. Error iste fuit Pelagianorum & omnium qui sapientes sunt in oculis suis qui terrena sapiunt, nec ista percipere quae Dei sunt possunt, nisi docuerit & repleuerit eos misericorditer spiritus Domini repulso spiritu tumido mundi. Demum quaeso salutem nostram non nobis, sed Deo, quia si fecit nos & non ipsi nos in esse naturae, dicente Psal. non minus confitendum est de esse gratiae, quod est recreatio quadā. Docet hoc oratio Psal. Emitte spiritum tuum & creabū. &c. *Psal. 103.* Scandalizantur aliunde homines quales praediximus carnales filij huius seculi, quia non sapiunt quod huiusmodi praeuentio non tollat libertatem atq; necessitatem, aut quod nō in Deo sit inuenire vicissitudinis obumbrationem, aut personarum acceptionem vel inefficatiam operationis, dum à pręuentione resilit quis & peccat. Inducūt praeterea illud Augustini quod Deus sic res administrat, vt eas proprios motus agere sinat. Liberum arbitrium cur ab hac lege inquiunt dicetur exemptum? Nec exemptum est fatemur quin sinat ipsum agere Deus proprios motus suae libertatis, immo tanto liberius & efficacius sinit, quanto ipsum ampliori praeuenit gratia, viuificat, corroborat, informat, & languidum erigit & sanat. Puto (exempli gratia) quod dum aegrotus homo sanatur à Deo, non idcirco Deus eum proprios motus agere non sinit, sed ad eosdem aptiorem reddit. Addatur ad haec consideratio saluberrima & alta quod in ordine & latitudine spiritualium charismatum inueniuntur proprij motus singularum virtutū, suo modo diuiniori, liberiori & excellētiori, quemadmodum suos motus habet naturalium agentium ordo: vt motus fidei est miracula agere. Si habueritis fidem sicut granum sinapis dicetis huic monti transfer te & transferet. Motus spei liberationē à Domino recipere, quia in me sperauit liberabo eum. Motus charitatis habere omnia quae sunt Dei gratia. Amicorū enim omnia communia sunt, vnde pater euangelicus ad seniorem filium. Fili omnia mea tua sunt, & tua mea sunt. Et ita de reliquis virtutibus suo modo, concordantias omitto. Constat autem quod sicut corpus propter animam est, non è contra, sic corporalis omnis iste motus naturalium agentium, ordinatus est subiectus & subseruiens ad agenda supernaturalia diuinorum charismatum. Qua in re perspicuū sit porisma seu corollarium pulcherrimum quod non turbat rerum ordinem Deus, nec earum motus saltem obedientiales impedit, dum ad fidem, ad spem, ad charitatē iustorum, pro vtilitate vel ipsorum vel ecclesia miracula spiritussanctus operatur. Si hodierna die factus repente de coelo sonus, sic ignis per linguas suas dispartitus, sic linguarum apostolicarum prius ineruditarum motus in sonos varios, sic eloquentiae tanta viuacitas in eis, vt multa milia hominum breui oratione vel sermone mox conuerteret homo piscator & sine literis Petrus. Sic constantia tam admirabilis & ebrietate simillima, dum ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu Christi contumeliam pati. Sic denique stupendum illud vincēs omnem admirationem miraculum, quod infra paucissimos annos omnem regionem quae sub coelo est à solis ortu vsq; ad occasum, & ab aquilone & mari, peruagati sunt tam ardenter quā efficaciter homines paucissimi & ignobiles & inopes, replentes mūdum euangelio Dei, quod erat legibus & moribus inueteratis summè contrariū, Iudaeis scandalum, & graecis stultitia, sicut Augu. & Chrys. eleganter exaggerant in confirmationē legis nostrae. Haec inquam omnia & similia miracula si ad sola corporalia respicias, videntur esse motui naturali contraria. Si verò naturam comparaueris ad gratiam, iudicabis naturam vt ancillam gratiae sicut dominae ordinabiliter paruisse. Ordo quippe qualis alter rectior, qualis naturalior est, quam vt replente spiritusancto orbem terrarum noua fiant omnia, nouus rex, noua lex, noua signa, noua miracula. In noua signa, immuta miracula, petit sapiens. Et in Apoc. dixit qui sedet in throno: Ecce noua facio omnia. Potuerant in longissimum protrahi, sed propositi memor ad alteram me transfero considerationem.

Secunda consideratio.

Spiritus Domini dum replet hominem incolam orbis terrarum, non necessitate (sicut dictum est) sed spontanea voluntate attollit ipsum, vt in arcem contemplatiuae perfectionis ascendat. Ipsam siquidem spiritus Domini repletionem consequitur libera mētis eleuatio sursum ducens. Instar testae oui de qua ferunt quod repleta rore & obstructa, si ad feruidum solem exposita sit, sursum abit. Mysticè, ros gratia. Pondus meum (inquit Augustinus) amor meus. Illò feror quoq; feror. Hoc perfectum amoris pondus (si non potius leuitas dicenda est) emergere facit spiritum à turbida fluctuantium phantasmatum & exundantium desideriorum carnalium tetra caligine,

vt superas liber euadat in auras, vt feratur super aquas cogitationum vagantium & instabilium, somnióq; similium, vt eruatur de tenebris & vmbra mortis. Vbi prius erat vinctus in mendicitate & ferro malę consuetudinis & fomitis originalis. Senserat experimento felici repletionem hanc spiritus Domini sursum agentem ipsa mater Augustini sancta Monica. Hæc aliquando in ecclesia sancti Cypriani matris susceperat, sacram communionem, in qua plenitudo gratiæ velut in suo fonte sumitur, tum protinus corpore à terra leuato tales erupit in voces: Volemus in cœlum, volemus in cœlum fideles. A qua dum postmodum quæreretur quid sibi voluisset hæc insolita clamositas & eleuatio? Ipsa vt erat tota columbinæ simplicitatis, piè benignéq; respondit: Et quid vultis, quid quæritis? Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Congruit id quod sequitur. Altaria tua Domino virtutum, supple contulerunt hanc eleuationem. Tale aliquid de sancto Thoma referunt, cuius corpus etiam contemplatio leuabat à terra. Sic in beatis pœnitentiæ speculis Maria Magdalena & Maria Ægyptiaca factum legimus. Quid de ipsa nostra iuuencula tympanistria? Exultauit inquit .i. extra se saltauit spiritus meus in Deo salutari meo. Simile aliquid sensit Augu. qui Deo loquens confitebatur. Introducis me aliquando in affectum quendam inusitatum valde, qui si perficiatur, nescio quid erit quod ista vita non erit, sed resorbeor. Hæc est ascensio in Deum quam petebat qui dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Oro quæ sunt pennæ tales? nisi ipsa contemplatio quæ describitur à contemplatiuo Richardo, quod est liber mentis intuitus in diuina spectacula cum admiratione suspensus. Vel vt August. ait: Contemplatio est ad Dei inuisibilia salubriter afficiens animum mentis illustratio vel illuminatio. Vel vt Hugoni placet. Contemplatio est viuacitas intelligentiæ, quæ cuncta palam habens aperta visione cognoscit. Vnde est illud: Spiritus omnia scrutatur. Glos. scrutari facit, etiam profunda Dei. Ad quod reducitur illud Eccles. Lustrans vniuersa in circuitu cœlestium scilicet terrestrium & infernorum pergit spiritus. Sequitur: Et in suos circulos reuertitur. Hoc fit dum propriam paruitatem defectibilitatemque considerat. Hanc considerationem sequitur lachrymosa deuotio flante spiritusancto. Nam flauit spiritus eius & fluēt aquæ. In quibus aquis lachrymarum se lauat, balneat & baptizat contemplantis anima, quemadmodum dixit ad apostolos Christus: Vos autem baptizabimini in spiritusancto. Et quoniam nihil ita animam lauat, purificat, decorat, illuminat & eleuat, sicut intima compunctionis deuotio. Ad hanc sequetur mentis illuminatio, noua quædam neomenia iuxta illud Esa. Non abscondam vltra faciem meam ab eis, eò quod effuderim super eos spiritum meum. Hæc autem facies Dei plena gratiarum quæ est sol iustitiæ, nulla ratione videri potest sine delectatione, quia dulce lumen & delectabile est oculis (intellige sanis) videre solem. Tunc sentit virtus & veritas illius verbi. Spiritus meus super mel dulcis. Quod senserat sapiens qui iocundus exclamabat: O quam bonus & suauis

Esa. 39.

A est Domine spiritus tuus in nobis. Tunc enim secundum meliorem mentis nostræ & rationis virtutē ineffabilibus & ignotis ineffabiliter & ignote coniungimur, ait Diony. Ineffabiliter ergo delectamur dum fit ineffabilis summè conueniētis coniunctio. Et quoniam eodem dicente Dionysio diuinus amor extaticus est & perfectè amātem sui iuris esse non finit, sed amati. Ad hāc delectationem amorosam sequitur transformatio. Exemplo auri & argenti, quod quidem durum est & solidū, sed per virtutem ignis calefit & liquescit, ac in aliam mutatur materiam, vt quālibet formam possit accipere. Exemplo prætérea ferri candentis, quod plicabile redditur naturam induens ignis. Exemplo rursus aëris luminosi. Exēplum de

B gutta aquæ, quę multo vino mixta, conuertitur in ipsum, non placet propter errorem Almerici Parisijs damnati, & aliorum dicentium animā contēplantis in deū conuerti, & perdere iam esse quod habebat in proprio genere, & habere solum esse ideale in Deū. Itaq; non hoc modo, sed prioribus fit in animo transformatio quędam per spiritumsanctum, sicut notat apostolus. Nos autē reuelata

C facie gloriam Domini speculantes trāsformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu. A claritate fidei in claritatē cognitionis. A claritate rationis in claritatem intelligētiæ. A claritate in intellectu, in claritatem experimentalis notitiæ in affectu. Deinde sequitur defectio siue casus vel extasis. Exemplum de alauda, quæ quando illuminatur, ascēdit, ascendens cantat & iubilat, cātans obliuiscitur sui, & tandem velut stupida vel spasmata cadit, sic Dionys. Nos inquit castissimis

D contemplationibus & diuinis splendoribus repleti super apparentiam radiorum, in beatis experimentis per excessū mentis deficimus. Cōcorditer ad Psal. Defecit in salutare tuum anima mea. Et iterum. Defecit caro mea & cor meum, decor me. & pars mea Deus in æternum. Et in prosa. Mirantur & deficiunt. Talia sunt sine numero. Psal. 118.

Hæc est preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, quam obtinere Balaam nisus est, dicens: Moriatur anima mea morte iustorum. O Psal. 77.

E bona mors suspirat Bernardus quæ vitam nō aufert, sed mutat in melius. Quando enim formidatur luxuria, vbi nō sentitur vita? Quo modo habet peccandi potentiam qui transcendit peccandi consuetudinem? Excedere quippe animam & si non à vita saltem à sensu vitæ necesse est, vt nec vitæ tentatio sentiatur. Vtinā frequenter hac morte cadam vt laqueos mortis euadam, nec sentiam luxuriæ mortifera blandimenta nec iræ auaritiæ vel impatientiæ stimulos molestias sollicitudinū & curarum. Talis vt opinor defectio angelicę puritatis est, mundi delectationibus, corporum similitudinibus non inuoluti. Sed hoc planè facit

F fortis vt mors, dilectio, quia sicut animam mors à corpore, sic animum dilectio separat à mundi vanitate, immo & quandoque ab ipso corpore. Legisse memini me de quadam muliere deuota, quæ sermonem super transformatione mentis in Deum per dilectionem die Pentecostes audiens cōcutiebatur. Primò gemitibus inenarrabilibus, suspirijs atque singultibus, quæ dum culparetur, & pulsibus clanculis prohiberetur à circunstantibus, ne clamoribus suis turbaret audientes, nec

hypocrisim

hypocrisim ostentaret, tace fatua, quiesce misera. Ipsa compressa spiritu velut mustum sine spiraculo quod lagunculas nouas dirumpit, non valens plenitudinem amplius feruidi spiritus intra se capere, diruptis venis & neruis expirauit. Beata per meam fidem, sic enim piè credere fas mihi est. Beata martyr amoris effecta quæ iam canere poterat nedum illud amore langueo, philocapta sum, amo per amorem. Vulnerata charitate sum, sed & amore mortua, mortua mihi, & amato viua. Rursus defectionem prædictam sequitur aut concomitatur absorptio quædam, simplificans & vniens cum Deo atque suo modo mentem deificans, quando perditis nostris alteritatibus & concupiscentijs, curisque conclusis & supermundanè explicatis, in diuinum monadem congregamur. Ait diuinus Dionysius, conformiter ad illud eruditoris sui Pauli: mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo Deo: Hæc est pax quæ exuperat omnem sensum, pax quam mundus dare non potest, quia in mundo pressuram, in me pacem habebitis, ait Christus. Cira regira in ventrem, in latus, in dorsum, non alibi pacem inuenies, non alibi satietatem. Exemplum est Alexander cui totus orbis non satietatẽ, sed ardentiorem dominationis libidinem instillauit, nec erat totus orbis illi nisi paruulus bolus. Sic in auaris, sic in voluptuosis intellige, qui de siliquis porcorum quærunt, nec possunt satiari. Nonne rabida fames, quando nec saturatur oculus visu, nec auris auditu? Solus spiritus Domini est qui replet in bonis desiderium nostrum, qui adipe frumenti satiat nos, qui dat manna absconditum quo propheta pastus eructat. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Hic est calculus filiorum Dei habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi qui accipit. Hic in diuinam caliginem instar Moysi vocatur spiritus, hic in sibilo auræ tenuis sentitur Dominus, hic in thalamo dormit, & requiescit Salomon pacificus & Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Hic gustatur fauus mellis, fauus propter illuminationem intellectus, mel propter dulcorationem affectus. Hic Moyses mysticus ducit gregem virium suarum in interiora deserti. Hic sedet solitarius & leuat se supra se, vbi Dominus loquitur ad cor eius. Hic dicit Petrus: Bonum est nos hic esse. Et Philippus sufficit: & Maria Magdalena: Vidi Dominum & & hæc dixit mihi: hic introducitur anima in cellam vinariam, vbi bibit ebriam sobrietatem spiritus, vbi suspirabunda epithalamium canens verba dimidiat, dilectus meus mihi ait, & ego illi, ego dormio, & cor meum vigilat. Hic obtestatur dilectus de dilecta: Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis vel euigilare faciatis dilectã donec ipsa velit. Vult autem dum pondus amorosum spiritualis horologij cadit & mentem percutit, vocans & insonans ad opus actiuæ pro dilectione proximorum, pro quo sit hæc tertia & vltima consideratio.

Psal. 30.

Tertia consideratio.

Spiritus Domini dum repleuit hominem incolam orbis terrarum per plenitudinem reddundantiæ, constituit ipsum fortem & expetitum ad opera vitæ exterioris & actiuæ. Vidimus hoc in Maria, quæ post susceptam gratiæ plenitudinem

A in Christi Conceptione protinus iuit in mõtana cum festinatione, ministratura Helizabet cognatæ suæ. Retunditur hoc exemplo arrogans Begardorum stultitia, qui in talem se libertatem spiritus ex contemplatione mentiuntur ascendisse, vt nõ amplius teneantur diuinis obsequi præceptis tanquam seruilibus. Quo contra est illud Christi: Si diligitis me, mãdata mea seruate. Et profectò tanto esse humilior, atq; ad seruiendum promptior quisquis debet ex munere, quanto se obligatiorem esse cõspicit in reddenda ratione. Nam cum Ioh 14.

B plenitudo legis sit dilectio, signum verò dilectionis sit exhibitio operis, qui non diligit opere proximum, quomodo legem impleuit. Proximũ attendite, non vitium, non errorem suum, quia qui diligit iniquitatem, odit animam suam operantis eam. Cæterum legimus Moysen postquam locutus fuerat ei Dominus in mõtis caligine, quod ad populi tumultuantis regionem descẽdebat tabulas legis ferens, & ex contemplationis interioris redundantia, facies eius radiosa, cornutáque vi-

C debatur. Etenim sicut lampas ex lumine, sic corpus totum ex interna contemplatione lucescit, pulchrificatur & nitescit. Hinc vultus, hinc oculi, hinc tota corporis compositio diuinũ aliquid sobrium, modestum, serenum & decorum præ se ferunt, sed velant faciem hanc humiles, dicentes: Secretum meum mi. secretum meum mi. Legimus apostolum postquam raptus in tertium cœlum, audiuerat arcana verba, quæ non licet homini loqui, postquam insuper mente excesserat Deo & dixerat: Nostra conuersatio in cœlis

D est, hinc talis & tantus regreditur ad disponenda cubilia meritorum: ad verba, ad tumultus, ad vincula. Vbi quid amplius miremur nescio, vel sublimitatem in contemplatione, vel humilitatem in actione, vbi Deum quodãmodo propter Deum deserens cupiebat anathema esse à Christo pro populo ad Christum trahendo. Scripsit Chrysostomus saluberrimum de compunctione librum, vbi regem Dauid miratur & extollit supra modum, qui talis fuerit in actione regiminis regni

E cum assiduitate compunctionis intimæ, cuius voces istæ sunt: Tota die contristatus ingrediebar, lauabo per singulas noctes lectum meum. Fuerũt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Oculi mei semper ad Dominum, & talia sine numero per psalterium. Verum hoc sibi præstabat spiritus fortis, quo confortari petebat, dicens: Redde mihi lætitiam salutaris tui &c. Sequitur pertinens ad actiuam. Docebo iniquos vias tuas. Vellem da-

F retur hic spacium quo serenissimum Romanorum regem comparare liceret in hac laude ipsi Dauid. Eum namque labor incredibilis actiuæ vitæ iugiter exercet. In quo nihilominus spiritum deuotionis habitare compertum est per collocutiones deuotas vsque ad compunctionem lachrymosam audientium. His oculis vidi & sensi. Exultans nunc in spiritu confiteor tibi pater, qui fideliter in actione laboranti quandoque plus intimę compunctionis infundis, quam nonnullis in otiosa vita, contemplationem huiusmodi tota sollicitudine, industriáque quærentibus. Ita pater quoniam sic beneplacitum est ante te. Beneplacitum, non meritum, vt non glorietur

ante te stulta præsumptio omnis carnis, sed qui gloriatur in re glorietur. Inuenio præterea deuoti A Bernardi desiderium tale quod gratiam prædicationis seu ministrationis sic in alios effunderet, non vt carnale quod protinus siccatur fœces retinens, sed vt concha plena superfluens, seu fons viuus perpetua vena scaturiens, qui nec facile turbatur & turbatus protinus ad nitorem pristinum redit. Ad quid ita quærebat sanctus iste? vt nimirum actio contemplationis gratiam non auferret. Hinc est eiusdem ad fratres documentum quod in qualibet actione meminerint illius ecclesiasticæ cohortationis: Sursum corda, cui tam B veraciter quam frequenter vtinam fieret responsio. Habemus ad Dominum. Quid quod Antonius post plenitudinem contemplationis in deserto haustæ, ipsæ neque ex occursu frequenti fratrum neque ex circunstantibus turbis dum Alexandriam quandoq; venisset, aliquid turbationis vel molestiæ sentire se fatebatur? Hoc miratus est Hilarius, sed tanta tanquam radicata stabilitate Antonij mens immota manebat, aut si mouebatur cõtinuò redibat in idipsum. Datur exé- C plum sensibile de acu nautarum affecta per magnetem quæ iugiter regit ad poli prospectum. Hanc stabilitatem contemplationis in actione, & actionis in contemplatione fuisse crediderim in beatis Gregorio Benedicto, & similibus plurimis. Quod de ipsis Apostolis atque discipulis hodierna die factum non dubito. Porrò de martyribus Laurentio, Vincentio & talibus, venerabilis Richardus sentit eos in medijs ignibus ad diuina suspensos feruentius quam fuerant in prosperis. D Hoc sonat illa vox Vincentij, dum vreret corpus machina candens. Ecce nunc in sublime agor, & omnes principes tuos seculo altior ô tyranne despicio. Quod autem in Christo patiente non fuerat, dispensatio fuit pro nostra redemptione. Alioquin delectatio interior corpoream omnem absorbuisset tristitiam. Rursus metaphysicando cum theologia considero, quod hæc spiritus Domini superfluens repletio stabilit animam in spiritualitate, eò quod à materialitate quæ secundum Aristotelem maleficium operatur, ipsam E magis ac magis purgat & elongat. Hinc fit vt crescente huiusmodi repletione spiritus Domini, ipsa cupiditatis seruitus lætifera, vel eijciatur penitus sicut in beatis, vel imminuta languescat, vt in viatoribus perfectis. Superaddamus quod spiritus Domini quos repleuerit dominos facit, non qualiumcunque rerum, sed omnium. Omnia nostra qui sunt inquit apostolus. Nam qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei, hi liberi fiunt, quia F vbi spiritus Domini, ibi libertas, quod si filij liberique sunt, hæredes eos esse consequens est, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Christum verò Dominum esse omnium multiplici titulo quis ambigat? Ac perinde quis neget eum cohæredibus suis omnia tribuere abundè ad fruendum vel ad obsequium, Vox est Apostoli: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & sic etiam omnia aliena mala. Attendatur rursus hoc dominium super corpus proprium quod obedit promptè spiritui sic repleto longè excellentius quam viderat Aristoteles cuius tamen hæc est sentẽtia: quod in virtuoso omnia consonant rationi. Datur & ipsum dominium super exteriora in languoribus curandis, in subijciendis dæmonibus & generaliter in mirabilibus faciendis prout expedit, vel personæ facienti, vel alijs pro quibus fiunt, sicut ordinem naturæ iam diximus gratiæ subditum esse. Quod si ita sensisset Auicenna ponendo materiam exteriorem subditam esse rationali animæ, vbi fundare nititur magicam naturalem tolerabilius dixisset, sed altera fuit intentio sua. Colligimus ex præmissis quod ad morum mutationem notabilem in microsmo. ¶ in hominibus, consequens est mutationes in macrosmo, hoc est in maiori mundo notabiles fieri, sicut in diluuio, sicut in fulminatione pentapolis peccatricis, sicut in horrendo scelere Iudæorum pro nece Christi, quando sol obscuratus est, terra tremuit, petræ scissæ sunt. Denique quid deprecatio assidua motu suo possit, hoc & Iacobus & eloquia sacra & miracula crebra testantur. Hodiernum inter cætera miracula quod orantibus apostolis patratum est.

AT QVI sollicitat propter hæc & prædicta nonnullos multiplex inquisitionis vel studiositas vel curiositas. Prima quæstio. Quærunt aliqui cur modo sicut olim signa eos qui credunt non sequuntur vt serpentes tollant, vt linguis loquantur nouis &c. Respondet Gregorius in homilia euangelij de ascensione, & apostolus dicens, quod linguæ sunt in signum non fidelibus, sed infidelibus. Secunda quæstio. Quærunt qualis illa fuerit linguarum varietas, an diuersis sonis eadem lingua resonabat. Vel an idem sonus se vario modo intelligibilem reddiderit, sicut in audientibus erat varietas? Videtur secundum magis esse probabile. Tertia quæstio: Amplius quærunt si donum hoc linguarum collatum est mulieribus & Mariæ matri Iesu sedentibus & orantibus in cœnaculo cum reliquis? Auget difficultatem dictum apostoli, qui docere mulierem non permittit. Sed aliud est quam lex communis vetat, aliud priuilegiata seu priuata concedit. Itaque Maria apostolorum fuit apostola. Quarta quæstio: Amplius quærunt si in apostolorum epistolis erat doni illius latens energia, vt pro legentium varietate sese darent intelligi litteræ sicut linguæ? hoc non oportuit. Quinta quæstio, quærunt amplius an soli apostoli darent hoc modo visibili spiritum sanctum? probabile est quod sic quamuis Simon magus oppositum putauerit, dicens: Date mihi hanc potestatem. Et hic de Simonia grandis posset esse declaratio, sed pergimus ad terminum. Sexta quæstio: Quærunt alij si hodierna die spiritussancti repletio confirmauit apostolos nunc doctorizatos sic quod peccare nõ possent vel errare, cũ de Petro dicat Paulus quod reprehensibilis erat, quia non rectè ambulabat ad veritatem euangelij? Sed concedimus reprehensibilitatem fuisse venialem, non mortalem. Septima quæstio. Sed cur hac die Pentecostes potius quam altera datus est spiritussanctus? Vt sc. eius ignea lex noua tunc daretur quando vetus dotata est. Octaua quæstio. Cur præcessit repentinus ac vehemens sonitus? Quoniam solet hoc spiritus bonus facere ad humiliationem. Malignus ex opposito blanditur ad arrogantiam. Nona


na quæstio. Cur cum apostolis & discipulis cohabitabant mulieres, cum à sanctis patribus postmodum cohabitatio talis culpata prohibitaque est? Dentur nunc tales in gratia confirmati, concedetur & huiusmodi cohabitatio. Sed hæc rara auis est in terris. Decima quæstio.

Cæterum quomodo dicitur spiritussanctus docuisse discipulos omnem veritatem, cum hoc sit appropriatum filij, cum præterea multas veritates philosophantium nescisse videantur vt geometriam, astronomiam? Respondent doctores quod scriptura sacra per antonomasiam dicitur omnis veritas. In qua superba confunditur nonnullorum garrulitas. Vndecima quæstio. Sollicitat alios inquisitio de spiritusancto. Quot & qualibus modis mittitur, quibus illabitur, & quomodo procedit à patre & filio, & hic de scismate græcorum plurima. Quomodo remissionem peccatorum facit spiritussanctus. Et si detur plenitudo potestatis ecclesiasticæ sine spiritusancto gratificante, seu sine gratia gratum faciente, quoniam hic grandis laqueus hæreticorum, vt videmus in hoc concilio. Duodecima quæstio. Rursus quæ & quales sunt irremissibiles in spiritusanctum blasphemiæ, & de distinctione donorum inter se à virtutibus beatitudinibus & fructibus? Tredecima quæstio. Item per quæ signa cognoscitur aduentus spiritussancti in mentem. Quibus insuper argumentis seu regulis probantur spiritus si ex Deo sint? Decimaquarta quæstio. Denique si quis posset scire certitudinaliter de se vel altero quod habeat spiritumsanctum cum videamus hæreticos promptos ad moriendum plus aliquando quam fideles catholicos, & vnde procedit hoc. Videtur enim quandoque in ipsis hæreticis gaudia ad mortem, sed auidum, efferum, plenum desperationis & internæ consolationis vacuum. In ipsis verò catholicis martyribus gaudium est charitate conditum, humile, patiens benignum, plenum spe atque fiducia, interius suauiter consolante. Talia magis & magis occurrebant speculatiuè tractanda, sed aliud tempus & alium locum expostulant. Ipsa tetigisse satis fuerit. Finiamus tandem in oratione & aduentu spiritussancti in nos deprecantes dicamus eidem: Veni sancte spiritus, quoniam in die bona veniemus ad te, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, quem ignem misit Dominus in terram, & voluit vehementer accendi, vt cœlestibus desiderijs accensi, fontem vitæ sitiamus & ad eum veniamus, præstante eo qui est benedictus in secula. Amen.

Quoniam dies Pentecostes dies est iubileus, gratiæ, remissionis & indulgentiæ, rationabiliter indulgentias nunciari solitas denuncio.

Finit sermo factus coram concilio Constantiensi per dominum Cancellarium Parisiensem. In die sancto Pentecostes 7. Iulij anno Domini M. ccccxvi.

A TRACTATVS PERVTILIS ET VALDE NOTABILIS EIVSDEM IOANnis de Gerson de præsentibus Domini Iesu verbis.



VENITE *ad me omnes qui laboratis & onerati estis*, & reliqua. Salutaris nobis est fratres charissimi cum omni veneratione prædicare. Cum nulla tamen possimus ratione comprehendere magnum hoc pietatis sacramentũ quod B manifestum est in carne & apparuit in mundo, quod videlicet Iesus Christus venit in hunc mũdum peccatores saluos facere, & quærere quod perierat. Venit autem non qualis erat à principio creator & iudex omnium seculorum, sed qualis nobis congruebat sicut speciosus forma præ filijs hominum, ita copiosus & diues in misericordia super omnes qui inuocant illum. Venit tanquam saluator pro perditis redemptor pro captiuis, rex pro militibus, Dominus pro seruis, diues pro C pauperibus medicus pro ægrotis, vbi sicut nullũ ab infirmitate liberum inuenit ita pro saluatione omnium aduenit. Venit flos florum, dux morum, veniæ vena, fons pietatis & gratiæ, patens domui Iacob, in absolutionem peccatoris & menstruatæ. Venit tanquam doctor bonus magister pius, prædicator veritatis & misericordiæ mitis & humilis corde. Venit de solio maiestatis de sinu Dei patris, & quod ibi hauserat de fonte pietatis hoc eructauit nobis. Et quid hoc esse potuit nisi D charitas? Ipsa est quæ sola commouit viscera misericordiæ Dei nostri, quo mitteret nobis liberatorem & propugnatorem qui liberaret nos de seruitute diaboli qua oppressi eramus. Testatur hoc apostolus vbi ait: Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus pater filium suum misit. Item. Proprio filio suo non pepercit Deus. Hac charitate sua vrgente Dei filius venit de cœlo hac vrgente suspendi se permisit in ligno. Hac vrgente descendit vt suos educeret, qui captiui tenebantur in inferno. Hanc ipse & verbo do- E cuit, & exemplo confirmauit, & proprij sanguinis effusione signauit. Hanc significauit & loco. Verbo docuit cum dixit. Diligite inimicos vestros &c. Exemplo confirmauit cum in cruce pendens pro suis etiam crucifixoribus orauit Pater inquiens ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sanguinis effusione confirmauit eam, quia posuit animam suam pro ouibus suis, & pro suo grege pius pastor mori dignatus est. Designauit eam & loco cũ diceret? Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Locus ergo charita- F tis ipse est. Sed discerne vtrum suæ hoc est diuinæ an nostræ? Si dicamus suæ nulli hoc dubium est, In ipso enim habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Si diuinitatis & charitatis. Nam Deus charitas est. Si dicamus nostræ constat, quia charitatis nostræ locus ipse est. Quis enim magis proximus est, saucio, aut quis magis diligi meretur ab ipso quam Samaritanus qui curauit eum vino & oleo? Ad eundem ergo locum quasi ad idem centrum concurrit ex omni parte diuina charitas & humana, vt rectè sit ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Quod elegan-

ter designat cõuẽtus ille Domini & Moysi in sũmitate mõtis Sinai, cum legitur Dominũ in mõtem descẽdisse, & Moysen ascendisse ad eũ. Quid per mõtem istũ nisi homo ille significatur assumptus à verbo in vnitate personæ. Sed Dominus supra mõtem descẽdit, quia vt hominẽ assumeret, quasi à summo cœli fastigio diuina se dignatio inclinauit. Moyses autem electus Domini ascendit quia omnis electorum deuotio ad redemptorem nostrum se subleuat, vt ad intuitum Dei pertingat. Illud quoq; quod de Hester regina legitur huic sentẽtiæ opitulari videtur. Rogatura Hester pro populo suo accedit ad regem sedentẽ in throno, videt gloriã eius & corruit, sed eleuatur & osculatur virgam auream quam ipse tenebat manu. Rex sedens in throno est Deus pater cunctis iudiciaria potestate præsidens. Regina ecclesiã sanctam designat, quæ pro filijs suis omnibus videlicet fidelibus Deum patrem interpellat. Sed gloriam regis videns regina corruit, quia maiestatem diuinitatis considerans ecclesia expauescit. Eãque rex eleuat & virgam auream ad ipsam extendit, quia vt ecclesiam suam omnipotens Deus ad cõtemplationem diuinitatis suæ exaltet necesse est vt pauidã prius per amorẽ incarnationis filij sui corroboret. Quod autem per virgam humanitas Christi designetur habemus in Psal. sic. Virgam virtutis tuæ &c. Ac si apertè dicatur. Humanitatem tuã ô Christe qui es virtus patris nasci faciet Dominus ex Iudaïco populo. Quæ virga bene aurea dicitur, quia Christi humanitas splẽdore sapientiæ singularis rutilare creditur. Rex ergo virgam manu tenet, sed eã regina osculatur quia humanitatem quam Deus pater sibi in persona filij veniens quasi manu strinxit, hanc ecclesia fideliũ confessionis suæ labijs dulciter tangit. Ad hunc igitur locum charitatis. i. ad seipsam charitas ipsa nos vocat, vt in charitate radicati & fundati, charitatem teneamus & charitatem diligamus. Dicit ergo. Venite ad me &c. Vox ista est vocantis, inuitantis, suadentis, hortantis & rogantis, & hoc totum pro nostra salute. Cum enim bonorum nostrorum non egeat, vult tamen suam nobis demonstrare charitatem & beatitudinem cõmunicare. Inde est quod nos vocat ad regnum, inuitat ad conuiuium, quod electis omnibus paratum est ab origine mundi. Vocat elongatos, inuitat ieiunos, suadet volentibus, iubet nolentibus, hortatur lassos, cogit inuitos, omnibus ergo in commune dicit: Venite ad me &c. O quã stupenda pietas quam mira Dei dignatio, quẽ rogare debuimus vt nos recipere dignaretur, ab ipso rogamur vt ad eũ venire dignemur. Qua in re quid aliud quam r. illa gratia quã nullus hominum promereri potest, commendauit? Primũ gratiã dico quæ perfidos & non credentes reducit ad fidem, peruersos & malè viuentes conuertit ad religionem, pertæsos & negligentes accendit ad deuotionem. Ipsa est gratuitum beneficium Dei profluens ex illa ineffabili benignitate Domini Iesu, & ex intimis visceribus charitatis eius. Ipsa est cui nulla scelera horrida nulla peccata magna, nulla consuetudinum vincula dura, nulla difficultatum claustra inuia sunt. Ipsa nos præuenit vt bonum velimus, ipsa subsequitur vt possimus: ipsa stantes roborat ne cadant, ipsa currentes expedit vt alacrius currant, ipsa iacentes compellit, vt surgant

A de lacu miseriæ & de luto fœcis, ipsa quatriduanum mortuum non solum resuscitat, sed etiam eius sorores. i. animæ affectus concitat vt pro fratre resuscitando intercedant. Ipsam nulla voluntas nullum meritum, deuotio nulla præcedit, sed sponte venit, indebita venit, ac per hoc totum hominem iure vendicat sibi. Oportet namq; vt accepto Dei beneficio tam gratuito & tam magno vt totum hominem innouauerit, & quasi alterando ipsum mutauerit. Ex eo quod erat in id quod ante non erat, hoc est de iniusto iustum, de non

B sancto in sanctum, de peccatore in innocentem, totum, & ex toto se homo ad gratias repẽdendas conuertat, & nequaquã gratiæ Dei ingratus permaneat. Gratum autem veraciter existere est ad bona agenda se incessanter exercere. Minus enim gratus esse conuincitur quisquis mãdatis eius qui gratiam dedit, adhuc reluctatur. Sed si omnis nostra gratiarum actio, Dei est de datis beneficijs laudatio de dãdis adhuc siue in hac vita siue in futura, quæ mihi erit spes & fiducia? Quibus deniq;

C meritis conquiram de malo custodiã, in bono cõstantiam, finem bonum & vitam æternam. Neq; enim dabuntur immerito, sed vnde iã mereri ea possim, non video. Sed scio quid faciam. Accepto secundũ propheram spiritu gratiæ & precum gratiæ, vt bona inchoẽ, precũ, vt assiduis Deo precibus inchoata commendem, exinde iam ordiar facere mihi amicos precibus indefessis qui me recipiant in æterna tabernacula. Quid enim siue alienis siue proprijs meritis adipiscar dum modo adipiscar regnum cœlorum, surgam proinde & cir-

D cumibo ciuitatem, quæram sicubi inueniam virum iustum & sanctum, bonis pollentẽ moribus, placentem Deo sanctum dilectum. Ipsius me orationibus commendabo, vt quod meis meritis nõ valeo eius assequar patrocinio. Quæram dehinc in milibus animarum sanctarum si vspiam inuenire potuero sponsam Domini mei, amicam regis æterni. Ipsi me potissimum commendabo, ipsi adhærebo sed & obsequar adolescentulis eius vt indignitas mea quæ per se iustè despicitur, illarum

E quæ sponsæ familiares sunt meritis prouehatur. Egrediar autem adhuc, & contuebor cœlestem illam curiam, conuentus illos sanctissimos qui assistunt dominatori vniuersæ terræ, & hinc quidẽ lætantur illi beatorum spirituum ordines, illinc verò gaudent animæ sanctorum qui Christi vestigia sunt secuti, quos in septem gradibus sacrosancta distinguit ecclesia. Clamabo ita ad eos per diem & noctem orabo pro me & pro amicis meis, postulans vt intercessiones sanctarum om-

F nium cœlestium virtutum & sanctorum patriarcharũ & cætera vbique sentiamus. Inuocabo nihilominus singulos quosque sanctorũ specialiter, quorum mihi & notitia maior & memoria crebrior, & intercessio assuetior est, nam sicut de claritate & gloria, ita de pietate misericordia & charitate omnium mihi constat, vt puta qui etiã gaudent super vno peccatore pœnitentiam agente. Ecce autem super omnem gloriã sanctorum, super omnes choros angelorum exaltatam considero sanctam Dei genitricem Mariam perditorũ reparatricem exulum reductricem, matrem & dominam omnium Christianorum. Hæc est illa gloriosa

riosa & felix Maria quæ in ipso sacratissimo sanctæ Trinitatis triclinio assistit parata votis poscentium, tanto potentior ad interueniendum, quanto præsentior ad intuendum ipsum fontem misericordiæ. Ad hanc igitur medullitus confugiam, ad ipsam tota virtute clamabo, ad ipsam suspirabo gemens & flens in hac lachrymarum valle sciens quia potens est & efficax apud dominatorem cæli & terræ, & si locuta fuerit pro me verbum, nihil est quod possit ei denegare dilectissimus filius eius. Licet adhuc mentis oculos attollere, ac de profundo lacu & de luto fæcis qualitercunque aciem dirigere in illud incomprehensibile diuinæ, claritatis arcanum, & considerare diligenter vtrum ne etiam ibi sit, immo ne vel ibi desit qui pro me intercedere possit. Tres illic contueor in vna deitate personas indiuisas in essentia, indifferentes in potentia, pares in virtute, æquales in benignitate. Et cum personarum nulla sit posterior alia, nulla inferior aut indignior, duas tamen ex eis filium
Io. 14. videlicet & spiritumsanctum agnosco intercede-
1. Ioh. 2. re pro me miro & ineffabili modo ad Deum patrem omnipotentem. Vnde & vterque aduocati nomen obtinuit, testante ipsa veritate & dicente de spiritu sancto. Rogabo patrem meum & alium paracletum dabit vobis spiritum veritatis. Et item alio loco dicit scriptura de filio. Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Quod autē idem filius intercedat pro nobis, sic asserit apostolus: Christus Iesus qui est ad dexteram patris, qui etiam interpellat pro nobis. Iustū enim est vt medicus pro ægrotis, aduocatus pro derelictis, frater pro fratribus, caput pro membris, pontifex pro populo suo interpellet. Venite ad me omnes &c. Ipsum verò ad patrem pro nobis interpellare est cicatrices, & quale genus mortis sustinuit pro nobis paterno vultui quasi commemorando incessabiliter demonstrare. Quis item spiritus oret pro nobis sic dicit apostolus: Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitates nostras. Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inerrabilibus. Et alibi: Spiritussanctus Deum postulat pro sanctis. Ipsum verò pro nobis postulare & ineffabiliter gemere est postulationes & gemitus nostros quos ipso inspirante fundimus Deo patri & filio ac sibi ineffabiliter acceptabiles reddere. Ecce pro me orat omnis ecclesia sanctorum, pro me orant omnes chori angelorum, pro me intercedit piissima virgo Maria mundi salus & domina, pro me interpellat vnigenitus Dei filius, pro me postulat spiritussanctus & solus pater poterit aduersum me claudere viscera misericordiæ suæ? Absit. Eius quippe naturæ bonitas, eius opus in misericordia est, eius naturale & propriū est misereri semper & parcere. Ipsius denique vox
Exod. 22. est illa ad Moysen. Clamabunt inquit, ad me & ego exaudiam eos, quia misericors sum. Certè cum tales ac tantos habeam patronos & aduocatos intercessores & adiutores, quem timebo? Nonne dignus ero, vel potius, nonne ipsi digni erunt vt per eos & propter eos obtineam quamcumque petiero gratiam, & gratiam pro gratia? Superna etenim pietas quæ primam gratiā dedit, id est, bonum velle, dabit & perficere pro bona voluntate, id est, gratiam pro gratia, secūdum pro prima, addat & perseuerantiam, id est, gratiam tertiam pro secunda, & ita misericordia eius subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Ad extremum verò gratiam & gloriam dabit dominus gratiam doni finis, gloriam æternæ beatitudinis. Vbi notandum quod vna quælibet bona operatio nostra & regratiatoria est præteritorum, & meritoria futurorum Dei donorum, futurorum in quā, tam in præsenti quam in futura vita. Quod satis exprimere videtur Psal. 69. titulus qui inscribitur psalmus Dauid in rememoratione quod saluum fecit eum dominus. Psalmus bonam operationem significat, quæ operatio fieri dicitur in rememoratione, quod saluum eum fecit dominus, id est, in gratiarum actione. In cuius tamen psalmi fine scriptum est: Adiutor meus & liberator meus es tu, adiutor videlicet ad gratiam, liberator à corruptione ad gloriam capessendam. Sicut ergo peccatum aliquod pœna est peccati præcedentis & causa subsequentis, ita è regione virtus est donum virtutis præcedentis & causa subsequentis, & nihilominus vtriusque, tam virtutis videlicet, quam peccati retributio manet in æternum. Ecce quibus meritis & quibus modis obtinere possum regnum cælorum.

Sed obsistet fortassis antiquus ille aduersarius, & calumniabitur iniustum esse, vt alienis precibus & non proprijs operibus quisquam soluetur. Ad verbum istud fateor expauescerem, nisi magna mea merita recognoscerem. Habeo autem duo merita magna & valida, & meritò pro his ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. Et primum quidem est domini mei passio. Secundum verò mei est & ipsius operatio, etiam si minimum quid operatus fuero. Etiam si vel vnum in fine vitæ gemitum edidero. Quacunque inquit, hora peccator ingemuerit, saluus erit. Primum opus operatus est dominus meus pro me & sine me, & quia merito eius ipse non aguit, mihi dedit. Secundum opus operatur mecum & in me, & eius meritū mihi totum dat, ac pro eo & præmium dabit. Atque ita verū est quod electi Deo dicunt: Omnia enim opera nostra operatus est in nobis. Primum meritum ianuam mihi regni cælestis reserat. Secundum in beatitudine sedem collocat. Apo. 5.

De primo scriptum est: Occisus es & redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes & regnabunt super terram, terram vtique viuentium. Item Christus pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo. Et magister Petrus in senten. Non potuit patefieri regni aditus & fieri salus nisi per mortem vnigeniti, cuius tanta fuit humilitas & patientia, vt merito eius patuerit in eum credentibus regni aditus. De secundo scriptum est: Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Et alibi. 1. Cor. 3. Omnis misericordia locum vnicuique tribuit secundum meritum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis eius. Bene autem dicitur, secūdum intellectum peregrinationis eius, quia secundum quod magis aut minus se hic peregrinum esse quisque intelligit, & iuxta intellectū verā patriā inquirit, secundū hoc magis aut minus in regno claritatis habebit. Attamē qui vel vltimus erit in regno, vt pote qui illud sibi conquisierit

vno solo gemitu vel vno aquæ frigidæ potu scimus quam tantam gloriam habebit quantum nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid autem putas illi erit, qui à primo mane in vinea domini laborans, sustinuit pondus diei & æstus, & in cælo reposuit sudores suos? Hoc inæstimabile est. Cum ergo mihi merita ad regni apertionem suppetant & ad sedis collocationem, quid est iam vnde desperare habeam, præsertim cum ad thronum gloriæ tantis intercessoribus quantos supra memoraui fultus accedam? Hoc in me fratres ex voce cuiuslibet electi & dilecti Deo, non præsumptuosa arrogantia, sed pia & humili confidentia transfiguraui, quæ me iudicia sequantur ignorans, sed de diuina misericordia non desperans. Non enim his peruenturum me definio, quod quidem solus nouit Deus: sed modũ præscribo, quo peruenire debeat omnis Dei electus. Hæc & his similia diabolo tentanti, & peccatum suæ diffidentiæ vel desperationis ingerere volẽti soleo respondere, ne quando præualeat inimicus meus super me. At si quando me cogitatio in cõspectu diuinæ maiestatis rapuerit, ibi certè longè aliter procedo, quia tunc me puluerem cinerémque esse cognosco. Tunc me peccatorem miserrimum & supplicio dignissimũ profiteor, & cum omni reuerentia veniam deprecor. Tunc quasi super terram sto, & alas submitto, quas in altercatione diaboli quasi in cælo volans extensas teneo, vt semper & coram diabolo erectus inueniar & humilis coram Deo.

Nunc autem ad exponenda verba dominica reuertamur. *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c.* Quid dulcius nobis hac voce domini vocantis & inuitantis nos fratres charissimi. Videamus igitur fratres vocationem nostram, sequamur vocantem, vt mereamur eum qui nos vocauit in regno suo videre. Sed quid agimus? Nunquid vocationum modos prætermittimus? minimè. Nam vtilitatis non modicum afferunt si sciantur.

Sunt verò tres modi quibus à domino vocamur, & ad dominum vocamur afflictio, cõmonitio, inspiratio. Commonitio fit extrinsecus, inspiratio autem intrinsecus, afflictio verò vtrobique. Afflictio tamen alia fit in rebus, alia in corpore, alia in mente. Afflictio in rebus est paupertas, afflictio in corpore infirmitas, afflictio in mẽte peruersitas. Nunc de singulis videamus: Sunt nempe nonnulli qui in hoc mundo nihil diuitiarum habent. Sunt qui hoc ipsum quod habent ampliare volunt, & non valent. Duris vtique laboribus ardenter insistunt, omni studio acquirendis rebus inseruiunt, & tamen casso labore deficiunt. Nihil in mundo præter prosperitates & glorias quærũt, & nihil in mũdo præter aduersitates & molestias inueniunt. Cúmque negotiantur & deficiant, conantur surgere, & semper cadãt, tanto facilius quandoque ad dominum conuertuntur, quanto in rebus mundi numquam prosperentur. Sunt alij qui repentina infirmitate correpti, vel longa ęgritudine pressi eò celerius ad sanitatem cordis redeunt, qua de sanitate corporis quasi desperati sunt. Generale namque est omnibus, vt cum infirmari cœperint, nunc sancti esse vel fuisse velint, & tunc Deum inuocare incipiunt, quam prius audire nolebant etiam vocantem. Hinc per Psal. dicitur. Multiplicatę sunt infirmitates eorũ, postea accelerauerunt. Hos ad bonũ sua paupertas, illos sua perducit infirmitas, qui si pauperes & infirmi non fuissent, in malo suo fortassis semper durarẽt. Quos apertè puer ille Ægyptius significat, qui cũ ex Amalechitibus ciuitatem Dauid deprædãtibus venerat, sed eisdem cum præda reuertẽtibus, æger in via remansit, & per triduum nihil omnino cibi vel potus gustauerat. Quem Dauid reperit, & cibum & potum tribuit, & eius ducatu hostes interfecit. Amalechitæ ciuitatem Dauid destruunt, quando seculi huius amatores imaginem Dei in semetipsis per praua opera polluunt. Cum præda reuertuntur, quãdo etiam in mala sua operatione prosperãtur. Puer Ægyptius æger in via remanet, cum peccator aliquis à seculi felicitatibus multimoda aduersitate repellitur. Tribus diebus puer ille incibatus remansit. Per tres dies significari videntur tres prosperitatum species, quas amatores mundi ad cumulũ damnationis suæ plerũque sortiuntur, dignitas scilicet, nobilitas & diuitiæ. Puer ergo ieiunus remanet, cum peccator dignitatem, nobilitatem & diuitias quibus delectari possit non habet. Quam Dauid reperit, cibóque ac potu reficit, quia huiusmodi peccatorem Christus misericorditer ad se trahit, eíque suaues delicias impertitur. Eum verò Dauid exercitus sui ducem constituit, quia nonnunquam cõtingit, vt homo qui pauper in seculo fuerat, locum regiminis inter religiosos accipiat. Qui eos & à quibus despectus fuerat, interficitur cum gladio verbi Dei exerto, lubricos quosque & carnales quibus in mundo æquari non potuit, à praua sua operatione verbis & exemplis occidit. Sic nimirum omnipotẽs Deus frequenter & quasi ex consuetudine pietatis suæ stulta mundi eligit vt cõfundat sapientes, & infirma mundi eligit vt confundat fortia, & ignobilia & contemptibilia eligit, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destruat. Hinc in parabola veritatis dicitur: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos compelle intrare. Qui autem sint pauperes & debiles iam satis dictũ est. Videamus modò qui sint cæci & claudi. Cæci & claudi videntur mihi pertinere ad tertiam afflictionis speciem, quam supra distinguendo nominauimus peruersitatem. Quare autem duplici significantur nomine? Puto propter duo genera hominum, secularium videlicet & claustraliũ. Cæci sunt, qui lumen veritatis non vident, nec videre appetunt. Claudi sunt & non cæci, qui lumen veritatis quidem vident, sed corruptionis suæ pondere contracti rectos in operatione gressus figere non valent. Per cæcos seculares accipe, qui oculo rationis carentes, & suam sensualitatem sequentes nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, & nolunt intelligere vt bene agant. Per claudos claustrales intellige, qui assidua lectione & iugi meditatione edocti, vident, id est discernunt inter bonum & malum, inter sanctum & profanum, sed tamen captiui ducuntur in lege peccati, ac per hoc claudicant in viis domini.

Quomodo autem hos vel illos ad Deum sua trahit peruersitas? Quid verò est peruersitas? Et nunquid peruersitas est afflictio? Breuiter accipe.

cipe. Peruersitas in hoc loco est mala conscientia. Hanc peruersitatem afflictionem esse nullus ignorat nisi qui stimulos mordentis, pungentis & tumultuantis conscientiæ non sentit. Quid itaque tam ad aratrum trahendum & retro non aspiciendum, quam pungens conscientiæ stimulus vrget, durum est contra hunc stimulum calcitrare. Nũquam pacem & salutem habet qui recalcitrat, sed contunditur & confunditur, percutitur & affligitur donec acquiescat. Conscientiam sequere si vis saluus esse. Qui sequitur eam, nec errare poterit nec timere. Qui non sequitur, ipse sibi testimonium reddit quod damnatus sit. Cõscientia enim sua iudicabit eum in nouissimo die. Inspiciamus tamen per exempla si placet, qualiter ad conuersionem ducat quamquem mala conscientia. Contingit plerumque vt secularium aliquis mole grauatus criminum, qui nunquam voluit peccatis ponere modum, sed grauatus est in malitia, & semper præualuit in vanitate sua. Tandem aliquando ad cor redeat, & ipsam nimiam peruersitatem, & peruersam nimietatem scelerum suorum horrere incipiat. Cumque cœperit cogitare mala quæ gessit, & mala quæ meruit, quam execrandus sit coram Deo, & quam damnandus coram mundo, quam districtus iudex veniat, & quam terribiliter peccatores puniat. Cum hæc inquam & his similia reuoluere & replicare sibi cœperit in corde suo quanta putas vndarum flumina super conscientiæ nauem tunc irruant! Quidni conquassetur & confringatur procellis salubriter furentibus nauis illa, & pereat via sua pessima, & à vita sua nequissima, vt eo resipiscat & reuiuiscat melius quo salubrius perijt. Hinc pater ad filium stultè iracundum: Frater tuus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est. Hic ergo talis cum ad conuersionem venerit, eò propensius semper satagit Deo seruire, quo se meminit nequius cecidisse, sicque fit vt sua cũ peruersitas apud Deum promoueat, dum eum semper acriori pœnitentia deplorat. Cõtingit item quod claustralium aliquis spiritu pulsatus inuidiæ vel irę curiositatis, vel ineptæ læticiæ, seu alterius cuiuslibet vitij dum resistere neglexerit, & longa dissimulatione assuefactus in vitio, vires auxerit inimico permittente Deo cadat in culpam luxuriæ, vel alicuius grauioris. Solet namque superna districtio peccatum aliquotiens punire peccato, vt qui in sordibus est sordescat adhuc, & supra modum peccans peccatum, qui diuinum primitus noluit seruare mandatum. Quod tamen & in electis occasio est correctionis, & in reprobis cumulus damnationis. Cum igitur homo qui huiusmodi est, reatũ suum videt nonne angitur & affligitur à propria conscientia conuictus & confusus? Nonne tandem confusio illa adducet iustitiam & afflictio talis alleuiabit conscientiam? Corriget equidem maius peccatũ, quod est pœna præcedentium vitiorum, & occasione illius corriget & leuiora vitia, quæ fuerunt causa illius peccati. Sic nimirum mirabiliter cuncta disponente Deo, electis suis omnia cooperantur in honũ, non solũ bona, sed & mala quæ faciunt, quia qui stando segnes esse poterant, cadere permittuntur vt feruentes fiant, & magis cecidisse quam stetisse prodest, cum damnũ ruinę luctibus vberioribus recompensent. Iam vero secundus diuinarum vocationum modus est (vt supra diximus) commonitio, quam tripliciter fieri definimus. Fit enim commonitio per miracula signorum: per exempla bonorum, & per verba doctorum. Doctores autem in hoc loco accipimus omnes cuiuscumque ætatis vel ordinis, à quibus verbum salutis audimus. Per miracula igitur vocãtur qui exhibito vel in se vel in alijs visibili miraculo, conuertuntur ad Dominum. In se vt cæcus natus. In alijs, vt Nicodemus, qui venit ad Iesum nocte. Nemo enim inquit, potest hæc signa facere quæ tu facis. In se quippe nullum recepisse signum inuenitur. Per exempla vocantur qui ad aspectum vel auditum, siue etiam ad memoriam alicuius viri religiosi, ex his quos præsens adhuc seculum in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit anima accenditur atque virtutes quibus illum effulsisse meminit pro viribus imitari proponit. Per verba doctorum vocantur qui viua voce prædicantium ædificantur, & ad cæleste ædificium coaptantur. O quam miranda & tremenda super nos est Dei dispensatio in hoc vocationis articulo. Enimuerò multis datur verbũ prædicationis bono suo, multis datur malo suo. Sic & multis subtrahitur bono suo & multis subtrahitur malo suo. Illis autẽ datur bono suo, qui cum gaudio suscipiunt verbũ, & fructum afferunt in patientia: Illis datur malo suo qui audierunt voluntatẽ Domini sui, & non curant facere digna. Illis subtrahitur bono suo qui possẽt exinde nisi subtraheretur superbire vel fastidire, aut etiam contemnere, ac per hoc grauius iudicium incurrere. Illis subtrahitur malo suo, qui vel propter sua vel propter aliena peccata illud audire non merẽtur, qui si audirẽt à sua fortassis prauitate corrigerentur. O quam infelices sunt qui verbum Dei audire non possunt. O quam infeliciores qui etiam nolunt. O quam infelicissimi qui & oderunt. De primis scriptum est, impedimenta mundi fecerunt eos miseros. De secũdis, populus enim ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolẽtes audire legẽ Dei. De tertijs insipientes & maligni oderũt sapientiã. Et iterum. Despexistis omne consiliũ meum. Primi iudicabuntur vt negligentes serui. Secundi vt contumaces domestici. Tertij vt contẽnentes inimici. Primis quilibet homo loqui potest absque scrupulo. Secũdis nullus ex facili debet, nisi qui propter amicitiam aut affinitatem aut aliquid huiusmodi se ab eis exaudiri præsumit. Si enim me non exaudiri considero, reus ero si margaritas ante porcos sparsero. Tertijs qui verbũ Dei subtrahit malè nõ facit, quia ex hoc saluti eorũ prouidet quã & si ex toto efficere nõ valet, tamen hoc ipsũ quasi salus quod ex nõ audito verbo, ac per hoc nõ cõtẽpto, minus damnatur. Hinc est quod quando cũ Iudæis nos loqui contingerit, confusioni magis eorũ quam conuersioni disputando operã damus quia de cõuersione eorũ quodãmodo desperamus. Et de his hactenus. Tertius autem diuinarum vocationum modus est inspiratio, quam multi modis fieri constat. Fit nãque timore, amore, pudore, cõpunctione, deuotione, intelligentia, sapientia, datione redditione, augmentatione, & consũmatione cuiuslibet gratiæ. Quę (quoniã ad alia properamus) singillatim euoluere super sedemus. Hoc solũ cõmonemus, quod hęc sola vocatio per se sufficit ad cõuertendum hominẽ, cęterarũ nulla sine ista aliquid valet. Fremat mundus, premat

Esa. 15. Prouer. 1.

corpus, tumultuetur conscientia, coruscent miracula appareant exempla, addantur & doctorum verba, magis per hæc blasphemiæ, murmurationes, contemptus & irrisiones, detractiones, & persecutiones quam gratiæ aut virtutes suscitabuntur.

His itaque de vocationum modis tanquam per excessum dictis ad propositum redeamus. Venite inquit, Dominus ad me &c. Cogitanti mihi quid sibi Dominus voluerit in hoc verbo, venite. Occurrit sententia beati Bernardi in sermone super Cantica conticorum. 60. ca. sic dicentis: Ostende mihi faciem tuam. Ad quid? vt mihi videtur se magis ostendere vult. Ita est, videri vult, non videre. Quid enim ille non videt? Ita fratres prorsus ita mihi videtur. Et in hoc loco quod ipse potius venire velle ad nos quam nos ad eum insinuet, vtrumque tamen necessarium est ad æternam salutem, sed suum venire nostrum præcedere nemo sanæ mẽtis ignorat. Est enim suum nostri causa sicut & fit nostri causa. Etenim nisi ipse venerit ad nos, nos nunquam veniemus ad eum.

Sed quid dicimus? Quomodo venit qui vbique est? Quomodo venire potest qui nusquam deest? Quomodo etiam veniemus ad eum qui immobiliter & immutabiliter est supra omnia & infra omnia intra omnia & extra omnia? Vtrumque mirabile est, sed quod venit ipse ad nos & quod nos venimus ad ipsum. Sed videamus quomodo fiat quod fieri omnimodis constat. Et primò de aduentu ipsius ad nos. Aduentus ipsius quadripartitus est. Aduentus incarnationis, aduentus dispensationis, aduentus aduocationis, aduentus vltimæ retributionis. Primus in plenitudine temporum. Secundus in cordibus electorum. Tertius in cuiuslibet hominis morte. Quartus in nouissimo die. De eo quem secundo loco posuimus aduentu scilicet dispensationis, nunc agere intendimus cæteris omissis. Venit itaque dominus ad nos vel in nos dispensatiuè, cum mentes nostras illuminat, accendit & replet sui amoris igne. Tunc verò eum in nos venisse dicimus, cum intensiorem solito sancti desiderij feruorem in corde sentimus. Et quanto feruentiores sumus, tanto eum præsentiorem credimus. Venit cum menti aspirat, & vocem eius audis, sed non scis vnde veniat, aut quò vadat. Vocem audis, quia gratiam sentis, sed nescis vnde veniat, quia non discernis vtrum de iudicio seueritatis, aut de propiciatorio bonitatis gratia procedat. Nescis quoque quò vadat, quia non intelligis ad quem finem tendat. Si autem pro eo quod scire te putas quò vadat, quia sentis quod in cor tuum vadat, contentiosius quærere insistas & vnde veniat. Sanè me aliud respondere posse non profiteor, nisi quod de eo cordis loco vbi non sentitur procedit ad eum cordis locum vbi sentiatur. Non enim de exterioribus cuiusque loci sedibus quasi localiter aduenìens ingreditur, sicut nec de interioribus animæ successibus, quasi temporaliter oriens egreditur, sed incommutabilis in se manens ab inexperientia cordis ad experientiam eius prodit, vel certè de præsentia potentiæ qua vbique est, veniens ad præsentiam gratiæ quam nunc abest, transit. Est tamen & aliud quod de aduentu eius sicut & de recessu eius figuraliter dici possit. Venit siquidem ad nos duobus modis & duobus modis recedit, venit cum accedit vel apparet, recedit cum abit vel euanescit. Quodcunque venit vel recedit de loco ad locum gradatim transit. Quod verò apparet vel euanescit, ex improuiso se nostris aspectibus ingerit vel eripit. Euanescere autem est non ad nihilum redigi, sed ab aspectu repente subtrahi, sicut de Domino scriptum est: Et ipse euanuit ab oculis eorum. *Luc. 24.* Venit itaque Dominus ad nos, cum diuino nos exercitio ad virtutes erudit. Apparet nobis cum intelligentiam sacræ scripturæ, & quãdoque etiam non meditantibus inuehit siue cum subitò lumen miræ suauitatis infundit. Euanescit cum nos inopinatè in manibus aduersarij derelinquit. Cum euanescit, mons cadens defluit & saxum transfertur de loco suo, quia robustus quisq; qui monti propter virtutum altitudinem, & saxo propter firmitatem comparabilis erat, magna & subita tentatione prosternitur. Cum redit, paulatim terra alluuione consumitur, quia infirmus rectè propter deiectionem vitæ comparabili exigua sed assidua tribulatione frangitur. Veniens autem siue apparens, subitò lætificat cor hominis, & pro multitudine miserationum suarum implet omne animal benedictione, & expectat suis sanctis monitis, factis nos respondere debere. Vnde necesse est fratres charissimi vt occurramus obuiã ei. Ecce au distis qualiter ad nos venit, qualiter nos vocat, qualem misericordiam misericordia indignis prærogat. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis & tempus miserendi eius. Scriptũ quippe est: Benignus est enim spiritus sapientiæ, benignus & suauis est spiritussanctus, spiritus tuus ô sapientia, quæ ex ore altissimi prodijsti dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap. 1.* Sed quid? Si benignus est, nunquid in æternum benignus erit: Erit quidem, sed non illis qui audituri sunt. Ite maledicti in ignem æternum. Nam subiecit scriptura: Et non liberabit maledictũ à labijs suis. Quisquis enim maledictum extremum subierit, quia benignitatem spiritussancti in præsenti contempsit, deinceps verò nec per spiritum sapientiæ, nec per ipsam liberabitur sapientiam quia nec passio Christi nec infusio gratiæ spiritussancti illi vnquam proderit.

Quapropter dilectissimi, si vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, nolite spernere eius monita, nolite negligere tempus gratiæ quod præsto est. Pensate fratres pensate, qui multitudinem misericordiæ prærogauit, quantam iudicij districtionem quandoque exercebit. Qui nunc sinum pietatis pœnitentibus aperit, tunc ianuam regni cælestis contemptoribus in ęternũ claudit. Qui nunc salubriter clamat: Venite ad me omnes qui laborati & onerati estis, & ego reficiam vos, Tunc terribiliter intonabit. Ite maledicti in ignẽ æternũ, qui pa. &c. O quã maledicti sunt qui hoc audituri sunt. O quam essent miserandi si vlla eis deinceps misericordia posset impendi. Dũ igitur fratres charissimi tẽpus habemus, præoccupemus faciem eius in cõfessione, vt tam horrendum maledictum possimus euadere, occurramus obuiam saluatori nostro disponamus ascensiones in corde nostro, ascendamus in montem Domini, vt perueniamus ad gloriam regni. Difficilis quidẽ ascensus, sed inæstimabilis in peruentione fructus.

Sanè

Sanè quinque nobis proponuntur gradus, quibus veniamus ad ipsum, sed in quatuor ad ipsum venimus, in quinto & perueniemus. Primus gradus aduentus nostri ad ipsum est fides. Secundus dilectio. Tertius obedientia. Quartus perseuerātia. Quintus incorruptio. De primo dicit ipse Dominus in euangelio: Qui venit ad me, non esuriet vnquam, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Item de secundo: Omnis qui audiuit à patre & dicit, venit ad me, hoc est Omnis qui audiuit diuinam inspirationem, venit ad me, id est per dilectionem sequitur me. Item de tertio: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, id est obediat præceptis alterius. De quarto autem: Omne quod dat mihi pater ad me veniet, & eum qui venit ad me, vtique perseuerando, non eijciā foras. De quinto dicitur sponsæ in Can. Veni de libano, veni coronaberis. Primos tres gradus Apostolus breuiter, sed eximia sententia complectitur, dicens: Fides per dilectionem operatur. Reliquos duos per semetipsam veritas his verbis exprimit: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit id est in corruptionem possidebit. Hos quinque gradus sic habemus in lib. Sap. descriptos: Initium sapientiæ verissima est disciplinæ cōcupiscentia. Cura ergo disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum illius est, custodia autem legum consummatio incorruptionis est, incorruptio autem facit proximum Deo. Vbi protinus subinfertur: Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Quod est dicere: Fides quæ est fundamentum, ad perfectionem deducit ædificium. Sapientia ergo id est cognitio veritatis, est ædificium siue fabrica, cuius initium.i. fundamentum est fides vera. Sicut ergo impossibile est fabricam fieri sine fundamento, ita sine fide impossibile est placere Deo. Quæ fides rectè dicitur concupiscentia disciplinæ quia fides vera semper concupiscit scire legem vitæ & disciplinæ ne forte superfluat, ne forte in vacuum currat, ne pro spiritu veritatis spiritum sequatur erroris. Post concupiscentiam disciplinæ sequitur dilectio, vt disciplinam quam appetis, nosse studeas & diligere, ne sit tibi molesta & grauis, licet aliquatenus videatur esse non gaudij sed mæroris. Post dilectionem sequitur custodia legum, id est obedientia, quia teste beato Greg. Probatio dilectionis exhibitio est operis. Oportet autem vt ipsa obedientia sit constans, sit vera, sit hilaris, sit affectuosa. Constans illorum obedientia non est qui ad ea quæ sibi placuerint, tantum obedire proponūt. Vera illorum obedientia non est, qui pro lucro vel commodo temporali obediunt. Hilaris illorum obedientia non est, qui cum murmure vel responsione nolentis quæ iubentur perficiunt. Affectuosa illorum obedientia non est, qui & si respondere non audent, rancorem tamen & maleuolentiam in pectore versant. In operatione tamen obedientiæ duplex solet euenire periculum. Si autē in eo quod primo suscipis beneuolè, postmodum mutato animo tenere incipiens cum rancore. Obedientiæ verò annectenda est perseuerantia, quoniam initium boni operis quid proderit si perseuerantia desit? Quæ bene consummatio incorruptionis vocatur, quia incoruptionem inchoatam in via, ipsa perfectius consummari & coronari facit in patria. Rectè autem subinfertur, quia incorruptio facit nos proximos Deo, & quod huic soli promittatur Dei visio, dicente Domino: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Notandum tamen quod alia est incorruptio quam tenemus in via, atque alia quā possidebimus in patria. Incorruptio patriæ est impassibilitas corporis, & æterna stabilitas cordis. Incorruptio autem viæ est castitas corporis & puritas mentis. Vnde ad commendationem sponsæ dicitur in Canti. Pulchra es & decora filia Hierusalem. Pulchra videlicet mundicia corporis, decora puritate mentis. Veruntamen & hoc sciendum, quod hanc ipsam viæ incorruptionem perfectè nequaquam obtinere possumus in hac vita. Quantalibet enim in hac vita mundicia fulgeat, quantumcunque per fidem polleat, semper tamen in semetipso portat vnde corruptionem pati cogatur. Integritatem corporis sic quis seruauerit, vt non solum opera, sed & sensus ipsos per quos opera fiunt mortificauerit. Sed quis gloriabitur per omnia castum se habere cor. Ex quo enim mens humana puritatis autorem in primo patente deseruit, impuris inquinationibus non coinquinari non potest, etiam si velit. Erit tamen per gratiam Dei quando & sine termino volet & valebit sine impedimento, quando scilicet natura nostra transibit in gloriam, quando corruptio induet incorruptelam, quando mulier, id est fragilitas humana amicietur sole claritatis & lunā mutabilitatis habebit sub pedibus, deiectam videlicet & conculcatam. Itaque incorruptio viæ facit nos prope Deum, sed incorruptio patriæ facit nos proximos Deo, vtpote iam similes ei, & hoc est quod supra diximus, quia in quinto gradu vsque ad ipsum perueniemus. Multa quidem & alia opera sunt quibus venimus ad ipsum, vt est eleemosyna ieiunium, oratio & his similia, sed hæc & quæcumque sunt talia, sub aliquo horum graduū quasi species sub genere continentur. Ad fidem namque pertinet deuotionis feruor, iustitiæ zelus, & defensio. Ad obedientiam, declinare à malo & facere bonum, abstinentia prohibitorum, & obseruantia mandatorum. Ad perseuerantiam verò fortitudo, magnanimitas & tolerantia. Ad incorruptionem autem oratio mundi, contemplatio assidua, contemptus seculi, & intensa dilectio Dei, aliaque quam plurima in hunc modum.

Ecce audistis fratres charissimi quibus modis Dominus venit ad nos, quibusque modis eos venimus ad eum, nunc audite quales sint, quos vocare dignatus est. *Omnes* inquit, *qui laboratis & onerati estis.*

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Quotiens verba ista sancti euangelij recitantur in auribus fidelium, eleuatio mox oculorum confusio peccatorum, & suspiria concitantur cordium. Quare hoc quia recognoscimus profecto omnes, recognoscimus singuli quod laboramus & onerati sumus. In labore & sudore vult, nostri vescimur pane nostro, & onere peccatorum nostrorū omnes premimur. Omnes qui laboratis. Istud qui nō est discretiuum, vt videlicet referri debeat ad eos tantum qui laborauerint & onerati fuerint, quasi innuens aliquos fuisse laboris & oneris expertes & ipsos non eguisse misericordia

Marginalia: Ioh. 6. — Ibidem. — Luca 9. — Cant. 4. — Mat. 5. — Cant. 6.

Domini vocantis. Est autem accipiendum causaliter, vt sit sensus. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis id est, quia vos omnes laboratis & onerati estis. Conclusit enim scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Omnes quippe peccauerunt, & egent gratia Dei. Laboratis & onerati estis. Si quis sub eodem sensu velit accipere laborantes & oneratos, vt sequens dictio praecedentis sit quasi expositio, ego contendendum non duco. Omnis quippe labor iuxta aliquod onus dici potest, & è conuerso. Attamen humanas actiones consideranti, liquido constabit aliquam differentiam posse assignari. Multi enim laborant qui onera non portant, nullus autem onera portat, quin in hoc ipso quod portat laboret, verbi gratia, scriptores, pictores, sutores, caeterique artifices, qui impenetralibus suis implent artes, nunquid onera portare dicendi sũt? At illi qui ligna, lapides seu alias quaslibet res humeris impositas portant, & onus ferre & sub onere laborare dicuntur. Iuxta hanc considerationem qui leuem aliquam molestiam sustinet, laborare simpliciter dici potest, quae verò grauem, & quae supra vires suas esse videatur portat, iure oneratus esse narratur. Dicitur ergo. Venite ad me omnes, &c. Laborantes itaque & oneratos possumus accipere. Primò vtrumque populum Iudaicum videlicet ac gentilem, dehinc vtrumque sexum, virum ac mulierem, deinde diuitem & pauperem, religiosum & secularem, innocentem & peccatorem, subditum & praelatum, contemplatiuum & actiuum, tentationibus carentem, & tentationibus grauatum, idiotam & literatum, sanum & infirmum, senem atque iuuenem. Vt inexcusabilis sit omnis homo cuiuscumque sit sectae, conditionis, aetatis & sexus. Sicut enim nullus est inuentus sine onere aut labore, ita nullus praetermissus est absque vocatione. Et verum quidem est vniuersaliter, quod homo nascitur ad laborem, sed aliquis (vt diximus) respectu alterius absque onere est.

Sunt autem multi labores & multa onera. Laborabat itaque Iudaeus ab initio in custodiendo literam legis, gentilis autem totus & semper fuit sub onere diabolicae seruitutis. Laborabat item & adhuc laborat masculus cura domesticae prouisionis, sed mulier addicta iacet sub onere maritalis dominationis, dicente ad eam domino. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Laborat diues typo elationis, pauper vero opprimitur põdere tyrannicae dominationis, sicut scriptum est: Venatio leonis, onagri in heremo, sic pascua diuitum sunt pauperes. Laborat religiosus abstinere se à negocijs secularibus, sub quibus totus succumbit volens nolens homo secularis. Laborat innocens custodire innocentiam suam, qua peccator perdita sub pondere peccaturum gemit. Laborat subditus qualiter dignam exhibeat reuerentiam & obedientiam praelatis, praelatus autem onus sollicitudinis portat tanquam Deo rationem pro subditis redditurus. Laborat contemplatiuus quomodo placeat Deo, quomodo proficiat sibi & proximo, actiuus verò sub onere actionis desudat, ventos & pluuias mundanorum negotiorum tolerat, vt cortinę talernaculi in sua puritate

Eccl. 13.

A permaneant. Laborat tentatione carens in custodia sui & compassione proximi, sed alius multarum tentationum pondere praegrauatur. Laborat idiota scire tantum quae sibi conueniant, literatus autem magno se sponte subdit oneri curiositatis scire appetens & curiose inuestigans naturas & causas, motiones & mutationes rerum singularium. Vidit, inquit, Salomon, quod hoc quoque esset vanitas & afflictio spiritus, eò quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem. Sanus & si nulla tribulatione laborat, ipsa tamen humanarum necessi-

B tatum vicissitudo eius labor est. Infirmo autem sua infirmitas onus est. Laborat etiam senex taedio vitae praesentis. Iuuenis autem sub onere est naturalium incentiuorum, portans pondus diei & aestus. Itaque si rectè consideras, si diligenter inspicis naturam humanam, quid aliud quam laborem & dolorem consideras? Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo quo laborat sub sole, nisi vanitatem & afflictionem spiritus? Libet inter haec, vndecim illa Esaię onera ad medium ad-

C ducere, & oneratis istis secundum interpretationem nominum duntaxat adaptare. Nam prophetiam ordine prosequi, non est nostri propositi. In primis ergo ponitur onus Babylonis, quod interpretatur confusio. Onus igitur Babylonis portant increduli, qui per confusionem incredulitatis & malorum operum semetipsos confusioni & maledictioni praeparant. Operuit cõfusio mentes eorum, & ideo confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Subditur onus Philistijm, quod sonat potio-

D ne cadentes. Onus ergo Philistijm congruè imponitur miserae mulieri, quae tam viro quam & sibi potionem mortis praebuit, & cum eo pariter de statu felicitatis cadens, leges miseriarum & mortis quas meruit, ipsa propensius portare compellitur sicut ipsi à domino dicitur. In dolore paries, & sub viri potestate eris, &c. Adiungitur quoque *Gen. 3.* onus Moab, & Moab interpretatur de patre. Quod onus bene portare dicuntur omnes qui paupertate & inopia temporalium premuntur,

E quia praeuaricationis primi patris. Adde potissimum in ipsis capere experimentum possumus, qui non solummodo peccatorum, sed & aerumnarum sarcinas, de patre quadam haereditaria deuolutionem quasi filij trahunt. Subinfertur onus Damasci, quod dicitur sanguinis potus vel sanguinis osculum. Onus autem Damasci portant homines huius seculi, qui per hoc quod secularia negotia tam desideranter quam indesinenter tractant, quę vix aut nullatenus sine peccato peragi possunt, sanguinem quodammodo bibunt & osculantur,

F quia peccatis quantulumcunque maculari noscuntur. Si autem ipsis negotijs peccata voluntaria committerent, non iam sanguinem biberent vel oscularentur, sed ipso sanguine inuoluerentur & immergerentur, quales illi sunt de quibus dicit Psal. Viri sangui. decedite à me. Et Esa. Manus *Psal. 138.* vestrae sanguine plenae sunt. Et tales vtique non ad *Esa. 1.* onus Damasci, sed ad onus pertinerent Ægypti, quod interpretatur tenebrae. Onus autem Ægypti portant peccatores nequissimi, qui maliciae suae tenebris excaecati, quae se mala sequuntur, scire nõ curant, & qui ad lumen veritatis venire summopere deberent, tenebras suas semper deterius peccando

cando augent. Vt enim beatus Gregorius ait. Habet hoc plerumque humanus animus proprium, A quod mox vt in culpam labitur, à sui adhuc longius cognitione separetur. Hoc ipsum namque malum quod agit, menti suæ obicem ante oculos rationis interserit. Vnde fit vt anima prius voluntarijs tenebris obsessa, postmodum bonum iam nec quod quærat agnoscat. Lux quippe veritatis, quia subtiliter reproborum culpas examinat, quo habita negligitur, eo permittit districtius iudicās, vt nec amissa requiratur, & cum ab actu repellitur, fugit à sensu. Sequitur onus deserti maris, per B quod pondus miseriarum Babylonis recapitulatur. Mare præsens seculum significat, desertum veró derelictum dicitur. Onus ergo deserti maris, id est derelicti seculi, portant ecclesiarum prælati, quia amaritudines & procellas præsentis seculi quas propter Deum derelinquere curauerunt, in prouisione subditorum rursum subire repellūtur. Dehincponitur onus Duma siue Idumææ. Duma enim regio est Idumææ. Duma interpretatur tacens, Iduma terrena. Hoc onus portant actiui, quia terrenas actiones ac domesticas sollicitudines pro fratribus contemplationi vacantibus. C Exemplo Marthæ pro sorore laborantis piè subministrant, ac per hoc à contemplationis iubilo se quasi tacentes in conspectu Dei reputant, vnde est quod graue sibi onus hoc arbitrantur, beatius existimantes & gratius amplexantes, si consideretur eis cum contemplatiuis iubilare Deo in voce exultationis, quam implicari negocio terrenæ actionis. Et quia inter ipsos actiuos sunt plerique qui varijs tribulationibus & tentationibus fatigātur, rectè oneri duma continuatur onus in Arabia D quod sonat campestris siue humilis. Campus vt nostris locum certaminis est, diabolus autem in campo est vel quasi miles paratus ad prælium, vel tanquam leo rugiens & circuniens, vt inueniat quem deuoret. Onus ergo in Arabia portat, qui pondere tentationum premitur, qui molestias carnis aut spiritus patitur, cui colluctatio est tam aduersus carnem & sanguinem, quam aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus. Si autem & Arabia humilis interpretatur, recte onus in Arabia E portat qui in tentatione constitutus sponte se humiliat, & ex humiliato corde Dei adiutorium cōtra aduersarij tela improbat, vel certè quod tentatum sua aduersitas humilem ac tristem reddat, quem prosperitas superbum & lætum faciebat. Sequitur onus vallis visionis, quæ Hierusalē propheta exprimitur, non quod in valle sit sita, sed propter reprobos mores despectiuè ita sit cognominata. Onus istud congruè dicitur portare literatus siue philosophus sapientiæ mundi deditus, F quæ quia stultitia est apud Deum, quasi in valle onus suæ curiositatis portant, & arbitrantes se per suæ subtilitatis visum occulta penetrare, ab occultorum deterius caligant veritate. Iam vero subditur onus Tyri quod dicitur angustia. Onus autem Tyri, id est angustiæ portant: qui diuersarum infirmitatum angustias tolerant, quia hoc ipsum quod eis viuere datur, sine doloribus & ærumnis transigere non permittuntur. Onus vero iumentorum Austri extremo in loco ponitur quo nomine reliquiæ duarum tribuum designantur, quæ socijs transmigrantibus iu terra sua resederāt, quæ reliquiæ iumenta dicuntur propter deprauationem suæ fidei, Austri verò propter situm loci. Tribus enim Iuda et tribus Beniamin ad Australem partem terræ promissionis, sortem acceperant suæ possessionis. Onus igitur iumentorum Austri portant iuuenes, & præcipuè in sancta religione viuentes, qui rectè dicuntur iumenta propter fortitudinem virium, & Austri, propter calorem naturalium incentiuorum. Hi tanquam fortia iumenta in calidis regionibus cōmorantia portant onera iuuentutis, tolerant grauiores luctas carnis, ferunt propensius rigorem disciplinæ & seniores semper adiuuant in omni labore.

Sed quia fastidiosum esset de quantitate & qualitate laborum & onerum singulorum tractare, lectori hoc pro exercitio relinquendum ducimus. Hoc solum commemoramus, quod omni laboranti & onerato ad gratiam Domini ipso vocante veniendum indicitur. Ad quid vt requiescant à laboribus suis, & alleuientur ab oneribus suis. Nam subditur. *Et ego reficiam vos.* Transite ad me *Eccl. 24.* omnes qui concupiscitis me, & ego reficiam vos. Quid est reficiam? Verbum hoc æquiuocum est. Reficere enim est reparare, reintegrare, & alimento refocillare.

Triplex ergo in hoc verbo commendatur eius largitas, contra triplicem nostram necessitatem. Eramus siquidem perditi & quasi ad nihilum redacti, eramus confracti & corrupti, sumus adhuc esurientes & ieiuni. Perditi eramus per primi parentis inobedientiam, corrupti per propriam culpam, ieiuni sumus propter quotidianam desidiā. Ipse autem secundum diuitias gratiæ suæ reparauit nos, reintegrauit nos, refocillauit nos. Reparauit nos per passionem & crucem suam, reintegrauit per conuersationis gratiam, refocillauit per visitationem assiduam. Antequam reparauit nos, eramus filij tenebrarum & perditionis, antequam reintegrauit nos, eramus filijs miseriarum & iniquitatis, & nisi continuò refocillet nos, egentes fame & squalidi permanebimus. Sed non est prætereunter intuendum, quod refocillatio ista siue refectio triplex est: Alia est incipientium, alia proficientium, alia perfectorum. Incipientes alūtur pane laico siue hordeaceo, proficientes pane sancto & mundo, perfecti manna de cælo. Panis incipientium, est conscientiæ purgatio, panis proficientium, est sancta deuotio, manna perfectorum est pura contemplatio. Attende singula. Nouit quis veniens ad conuersionem & afferens ad Dominum de regione dissimilitudinis conscientiam multis oneratam peccatis, quid aliud dignus est audire à Domino, nisi illud apostoli: Tu sta illic aut certè sede sub scabello pedum meorum. Nec tamen vilipendenda est statio illa vel sessio, vbi peccatrix illa pijssima veniam obtinuit peccatorum. Sedenti itaque ad pedes Domini Iesu, & recogitanti omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, apponitur à Domino panis, non quidem subtilis & candidus, sed asper & hispidus sicut hordeum asperum & hispidum est. Panis iste afflictio pœnitentiæ est, hordeum, vnde cōficitur panis hic, est contritio vera, confessio pura, intensa voluntas pœnitendi, & Deo in cinere ac cilicio satisfaciendi. Panis hic colligitur ex considetatione peccatorum, conspergitur timore iu-

dicis viuorum atque mortuorum, coquitur metu gehennalium tormentorum. Panis sic collectus & sic confectus ad pedes Domini comestus generat satietatem, conscientiæ videlicet purgationem. Magna quippe satietas & sufficiens refectio in nouiter conuerso, quod videlicet nō mordetur mala conscientia de præteritis, nec à spe repellitur per malam voluntatem habitam de futuris. Hic panis non inconuenienter dici potest laicus, eò quod multis etiam in seculo positis ad manum est. Hordeaceus etiam dici potest, quia seruorum, non filiorum cibus hordeum est & incipientes nondum acceperunt spiritum adoptionis filiorum: sed spiritum habent interim seruitutis in timore, sicut ex ipsorum voce per prophetam dicitur: Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad dominum Deum nostrum. At vbi processu temporis qui eiusmodi est iam cœperit respirare & aspirare in libertatem gloriæ filiorum Dei, & timore deposito iam adeptus fuerit spem veniæ propter bonam voluntatem suam, puto quod iam dignus habebitur cui à domino dicatur: Fili surge & sta super pedes tuos. Et item accede huc & tangam te fili mi. Accede per bonam voluntatem vt tangam per te deuotionis infusionem. Stabit igitur ad mensam magnam vt videat faciem Domini in iubilo, vt comedat panem coram domino, panem vtrique sanctum, panem mundum, panem coloris candidi, saporis eximij, panem ex simila suauitatis confectum, & igne diuini amoris coctum, panis iste filiorum est siue amicorum, qui tā fideliter quam fiducialiter clamare possunt ad Dominum: Pater noster &c. Panis est sancta deuotio, panis omnis suauitas siue consolatio spiritus, & super omnem panem panis gratiæ lachrymarum. Hic panis animam esurientem replet bonis, & infundit nobis memoriam abundantiæ suauitatis. Qui panis rectè potest dici sanctus, propter virtutum exercitia, & candidus propter lucis opera & tam mundus vt nulli eum edere liceat nisi sacerdotibus, sacerdos dicitur qua sacra dans, vel sacrificia pro populo offerens. Qui ergo talis non fuerit qui pro vitæ merito sacrificia orationum dignè pro populo immolet, tam sanctæ mensæ Christi participare non habet. Et nota quod sicut est panis pane suauior, & cibus cibo melior, ita est & status statu felicior, quia is qui paulo ante sedebat ad pedes Iesu per spiritum timoris, & manducabat in gemitu suo panem doloris, iam nunc per spiritum pietatis surgit, per spiritum scientiæ proficit per spiritum fortitudinis ascendit, per spiritum consilij accedit, per spiritum intelligentiæ diligentius intuetur & considerat quid mensa patrisfamilias dulcedinis contineat, spiritus namque pietatis efficit eum deuotum, spiritus scientiæ discretum, spiritus fortitudinis ad sua aduersa validum, spiritus consilij aduersa aliena charitatiuum, spiritus intelligentiæ ad diuina speculatiuum, vt videre iam incipiat quę sit voluntas domini beneplacens & perfecta, & exultet in misericordia diuina. Et ita quidem se habet status proficientium & processus de virtute in virtutem euntium. Tu quoque bone Iesu parasti in dulcedine tua ita inquam parasti cibum illorum, & pro varietate profectum

Psal. 122.

A saporem diuersificas internarum suauitatum. Quæ autem est præparatio cibi perfectorum? Manna est & de cælo venit manna est absconditum quod nemo nouit nisi qui gustauit, cibus est sicut incomparabilis ita & ineffabilis, & solus spiritus sapientiæ ministrabit illum. Cęteri cibi de terra oriuntur, orti colliguntur, collecti conteruntur, triti conficiuntur, confecti coquuntur, & sic demum comestibiles efficiuntur. Omnia hæc studij & laboris humani sunt, & singulis virtutibus assignari possunt. Nam de corde puro

B quasi de terra bona per affectum oriuntur, per appetitum colliguntur, per discretionem conteruntur, per approbationem conficiuntur, per amorem coquuntur, & tunc demum habiles esse inchoantur, vt frequentia suauitatis cor afficiant. Sola autem contemplationis puritas quasi manna de cælo venit atque in momento & in ictu oculi mirabiliter afficit & ineffabiliter inebriat animam fidelem, eam duntaxat quæ digna erit ita visitari ab altissimo, & vti tam suaui cibo.

De his refectionibus in Can. canti. scriptum Cant. 5.

C est: Comedite amici & bibite & inebriamini charissimi. Incipientes & proficientes amici vocantur, & comedere ac bibere monentur, hoc est cū labore & frequenti studio virtutes in ventrem animæ cōgerere. Perfecti autem charissimi nominantur, vtpote in superlatiuo gradu iam constituti, qui & inebriari exhortantur, contemplationis vicem dulcedine à sensibus corporeis in sursum ducentis spiritus alienari. Sicut enim ebrietas mētem euertit, & penitus sui immemorem reddit,

D ita contemplationis impetus animam quam subleuat ab omni sensu corporeo rapit & quasi in obliuionem sui funditus abducit. Tunc accenditur & inflammatur ardore mirifico & sopitis vndique carnalium voluptatum illecebris, extinctis omnium mundialium cupiditatum fallacijs, remotis à memoria corporearum similitudinum phantasijs & cogitationum communium impedimentis, tota fertur in amplexus verbi ad osculum sponsi ad conuiuium Christi, vbi gustat & videt quam suauis est Dominus, quam magna multitu-

E do dulcedinis eius, ibi requiescit à turbine & à pluuia, ibi sedet in sponsi vmbra, ibi manducat illud dulcissimum diuinæ suauitatis manna. Iamque audire digna erit à Domino.

Veni sponsa mea, columba mea, pro.m. Ad quid? Vt vincenti dem sedere mecum, vt vincenti dem manna absconditum, vt vincenti dem edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

Non iam sedebis sub mensa cum seruis, non sta-

F bis ad mensam cum filijs, sed sedebis ad mensam cum patrefamilias vt de bonis Domini gaudeas & comedas cibum illum quem ignorabas, tu & omnes præsentes tui dulcem præ omni fructu frumenti, vini & olei. Talis profecto anima cum de penetralibus sponsi processerit plena charitate & dilectione inebriata & in se redierit, puta si interrogetur vnde venerit aut quid audierit in secretario dilecti sui, quod ex memoria abundantiæ suauitatis illius qua refecta est eructuans ex sententia respondebit. Introduxit me rex in cellaria vini ordinauit in me charitatem Et iterum.

Sub

Sub illius vmbra quam desideraueram sedi,& fructus eius dulcis gutturi meo. Hæc est fratres mei refectio animarum sanctarum, hæc pascua dominicarum ouium, quam laborantibus atque oneratis ad se venientibus dominus promittit dicens:
Mat. 11. Et ego reficiã vos. Ac si patenter dicat,ego parabo in conspectu vestro mensam,ego vobis præparabo refectionem pro capacitate singulorum differentem. Ego noui figmentum vestrum, ego noui profectum vestrum, ego noui quid singulis expediat, quid conueniat vniuersis. Si veneritis ad me & manseritis in sermone meo mensuram refectionis bonam vobis omnibus dabo, sed alijs refertam, hoc est simpliciter repletam, proficientibus coagitatam: hoc est contusionibus & quibusdam compressionibus repletam, perfectis supereffluentem vel supercumulatam. Quapropter nolite tardare nolite formidare venite ad me & ego reficiam vos.

Ego sum panis vitæ, ego aqua sapientiæ, ego splendor lucis æternæ, ego vitis vera, & vinum cor hominis lætificans, ego cinnamomum & balsamum aromatizans,ego sum granum hordei pœnitentibus, ego granum frumenti proficientibus, ego dulcedo mellis perfectis, ego panis de cœlo veniens habens omne delectamentum & omnem saporem suauitatis. Ego sum lux mundi, lucifer diei, & sol iustitiæ, ego viola horti, ego flos campi & lilium conuallium. Ego sum via veritas & vita, ego sum myrrha electa, nardus odorifera, oliua fructifera. Ego sum fons hortorum, puteus aquarum viuentium & vena gratiarum. Ego sum venia peccatorum, gratia iustorum & gloria sanctorum. Ego sum adiutor pauperum,& pater orphanorum,& iudex viduarum. Ego sum Dominus seruorum pater filiorum & sponsus fidelium animarum Ego iuuabo pusilanimes, refouebo flebiles, consolabor flentes. Quod perierat requiram, & quod abiectum fuerat reducam, & quod fractum fuerat alligabo, quod infirmum fuerat consolidabo, & quod pingue & forte custodiam. Venite ergo ad me & ego reficiam vos. Omnibus omnia fio, omnes inuito, dimittere vos ieiunos nolo, venite ad me & ego reficiam vos.

Sequitur. *Tollite iugum meum super vos.* Duobus modis possunt hęc verba accipi,ex quorum altero diuina benignitas, ex altero sapientia Dei magnificè commendatur. Sapientia in hoc quod in tam breui clausula omnis rectè viuendi norma est expressa. Benignitas verò in hoc quod suum iugum appellauit, & hoc nos trahere monuit. Quo modo benignitas eius in hoc commendabilis appareat attende. Tollite inquit iugum meum super vos Meum inquam, ac si dicat: Iugum quoddam imposui mihi, & ipsum iugum est charitas qua diligo vos: hoc ergo iugum meum tollite super vos .i. diligite me, quia prior dilexi vos. Vide homo si non infinita hic elucescat benignitas Dei, qui Deus est & creator omnium seculorum.

Iugum dilectionis non dedignatur trahere nobiscum, nec sufficere sibi iudicauit vt esset inter nos & super nos suæ præsentia maiestatis, nisi descenderet ad nos & esset in nobis tanquã vnus ex nobis,tum per pænitentiã susceptę humilitatis, tum per gratiam mutuæ dilectionis. Numquid
A tantæ ac tali benignitati, immo (vt ita dicam) humilitati eius ingratus esse poteris. Venerare fili Adam in saluatore tuo sacratissimam eius sublimitatem, sed non minus, admirare syncerissimam eius humilitatem. Reuerere in illo quod Deus noster est,& nihilominus amplectere quod caro & frater noster est. Trahe iugum dilectionis cum eo, quod non est aliud nisi vt contendas redamare eũ qui amauit te.

Contẽde diligere, certatim dilige curre quantum potes, præcurrere tamen non potes, quia ab æter-
B no dilectus & amplius dilectus, tamen adhuc minus diligis. Dilige tamen creatorem tuum, redemptorem tuum, dilectorem tuum quantum potes, & ex quanto debes, nam potest parum & debes multum vel potius debes ex multo.i. ex toto corde tuo, ex tota anima tua & ex omnibus viribus tuis. i.ex omni quod scis & es & potes. Certè si millies tantum esses & scires & posses quantum es & scis & potes, ex hoc totaliter toto diligere tenereris eum. Et si etiam ex toto hoc diligeres
C quid es tu ad Deum? Respondebo tibi inquit Heliu quod maior sit Deus homine. Quis prior dedit illi & retribuetur ei? quis amplius dilexit eum, vel quis saltem æquè dilexit eum? Ipse nimirum nos præcedit diligendi inchoatione sicut præcedit æternitate, ipse nos præcedit diligendi intensione sicut præcellit maiestatis immensitate. Fac ergo ô homo quod potes, & si quantum debes non potes. Diligit philosophus eum pro eo quod creatus ab illo est, Gratias agit primo quiam vo-
D luerit eum potius esse aliquid quam nihil, secundo quod potius hominem quam pecus, tertio quod virum magis quam fœminam, quarto quod literatum potius quam idiotam. Vide tu ô Christiane si non multo amplius & excellentius gloriandum tibi sit, etenim te Deus tuus creauit, ab errore paterni delicti per baptismum te absoluit fide sua & sacramentis te imbuit, ex multis etiam periculis te eruit, & absque vllis tuis meritis ad sibi seruiendum te vocauit, & multa te spiritus suauitate ditauit. Quid quod ante hæc omnia morte
E sua & tali morte te redemit quod pro te cædi,conspui & crucifigi voluit vincula & alapas verbera & spinas sputa & blasphemias pro te sustinuit. Quantum putas in hoc tibi benignitatis exhibuit, quantum propter hoc à te amari promeruit? O quam infelices quam infidelibus deteriores, qui tantam eius benignitatem vilipenderint, aut obliuioni tradiderint siue etiam contempserint, digni planè quod deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Ecce quomodo beni-
F gnitatem domini Iesu.i. benignissimam dignatiotionem eius commendabilem aspicimus,cum ipse nobis dicit: Tollite iugum meum super vos. Item verò quantum in verbis istis de sapiẽtia Dei admirationis caperes, si profunditatem ipsorum dignè prospicere posses. Qui docet omnem hominem scientiam, qui condidit omnem sacram scripturam, qui ventis pondus posuit, quid sine pondere proferre potuit? Videamus ergo quid sit, tollite iugum meum super vos. Iugum Christi ipso nostro vsu seruitium dicimus quod ipsi sub sanctæ religionis habitu professi sumus, per hoc ergo quod dicit tollite, significare voluit quod libera

electione & voluntaria deuotione iugum ipsum subeundum sit. Tollere igitur iugum Christi est A non coactos sed spontaneos seruituti eius colla summittere. Et si enim sunt aliqui quos ad monasticam vitam cogat infirmitas, compellat paupertas, non hæc resideat animo, sed faciant de necessitate virtutem, mutando intentionem, & tunc ipsa necessitatis occasio non nocebit, cum ad veritatis normam intentio directa fuerit. Dicit itaque, Tollite iugum meum super vos, ac si dicat, coram vobis quasi positum est iugum meum, sed penes vos sit consilium vestrum, si vultis tollite iugum B meum super vos, si vultis perfecti esse vēdite omnia quæ habetis & date pauperibus & sequimini me. Nouit Deus fratres charissimi, quia bonum est homini si portauerit iugum, sed de tollendo eo consilium dat non præceptum, ne nos impingere videatur in transgressionis reatum. Si enim præceptum daret, oporteret omnes homines obedire, vel pro inobedientia æternaliter perire. Sed quia consilium dedit quasi in nostra voluntate posuit, vtrum velimus iugum eius tollere super nos. Sed hoc indubitabile teneamus, vt si semel nos iugo e- C ius astrinximus, iam ab illa die non liceat nobis de monasterio egredi & collum excutere de sub iugo regulæ, quod ante quam tollamus tam licitè quam libere possumus refutare, propter quod & beatus. Benedictus legislator noster formam daturus tollendi iugi, nō statim tollentes in ipso initio voto astrinxit sub iugo permanendi, sed annū integrum probationi simul indulget & deliberationi, vt videlicet probet seipsum homo si possit & deliberet an velit ferre iugum Domini. Ac si D discipulo suo verbis philosophicis dicat: Diu deliberandum quod semel est statuendum, at si statueris, irrefragibile erit.

Sed quid sibi vult quod iugum potius quam chamum & frenum Dominus tolli consulit? Nō sine causa hoc factum esse reor, sed occulti alicuius gratia mysterij. Et si tu melius aliquid in promptu non habueris, ego quid mihi videatur exponam. Non igitur ad equum aut mulum qui chamo reguntur & freno, sed ad bouem fieri significationem voluit, cui specialiter competit applica- E ri iugo. Per equum designantur ambitiosi, per mulum luxuriosi, sicut scriptum est: Nolite fieri sicut equus &c. Horum autem consideratio non *Psal. 31.* magis conuenit ordini monastico quam equus & mulus iugo siue etiam holocausto. Ad bouem ergo nostra vertatur consideratio, quoniam ad ipsum facta, videtur esse significatio. Vade ait sapiens ô piger ad formicam, & disce sapientiā. Poterat & hic dicere saluator. Vade ô secularis ad bouem & disce ab eo religiosam conuersationem. F in eius operationibus perpendere potes abrenunciationem cultus secularis, humilitatem cordis, ad prælatos obedientiam, ad condiscipulos socialem vitam. Ibi notabis orationis instantiam, ibi compassionis industriam, ibi lectionis studium, & suffragia intercessionum, & his similia. Et audi quomodo? Hoc animal videlicet bos, iugo submitti solet. Est etiam animal mundum esui humano concessum, & diuinis sacrificijs aptum. Itaque quod bos alligari se patitur, significat quod iugum domini tollere & portare volentes, abnegare semetipsos sibi, & sub alienis imperijs in monasterio degere debent. Quod cornibus alligatur, designat humiles nos esse debere. Per cornu namque superbia exprimitur, sicut scriptum est: Nolite extollere in altum cornu vestrum. i. nolite superbiam vestram erigere contra Deum. Per cornu ergo alligari, est superbiam nostram sub vinculo amoris Christi restringere. Quod autem in iugo combinantur boues, significat oportere nos charitatem fraternitatis casto impendere amore, amore inuicem præuenire, infirmantibus alienis pro posse concurrere. Per hoc etiam quod bos ligatus ruminat, admonentur claustrales, licet disciplinæ legibus corporaliter astricti, corde tamen & ore incessanter sacræ scripturę mysteria ruminare. Quod bos vngulam diuisam habet hoc est quod *Ezech. 1.* affectus ad duo dirigi debet. Vngula pes bouis est, sicut scriptum est. Planta pedis & planta vituli. Per pedes autem (vt notissimum est) designantur affectus, quasi ergo vngulam diuidit qui gemino mouetur affectu amore boni & odio mali. Vel certè vngulam diuidit qui proximior nouit & prosperitatibus seu felicitatibus cōgratulari & miserijs compati, qui scit iuxta apostolum gaudere cū gaudentibus, & flere cum flentibus. Quod *Rom. 12.* bos arando glebas vertit, notat quod claustrales diuinæ scripturæ inuigilare debent mysterijs sibi ad deuotionis profectum, proximis ad eruditionis augmentum. Quod etiam currum trahit, aptè denunciat quantæ venerationis sit, qui ecclesiam Dei meritis & precibus adiuuando promouere possunt. Per currum namque ecclesia figuratur, *Psal. 67.* sicut Psal. ait: Currus Dei decem milibus multiplex. Currum ergo bos trahit quando pro militante ecclesia religiosus quispiam fideliter intercedit. Quod etiam mundum animal est & vesci licitum, declarat imitatione dignum eum, qui iugum Christi piè portare studuerit. Bouem quippe comedere, est exemplum religiosi fratris actibus nostris imitando quasi incorporare. Bos etiam in sacrificio & holocausto Domini afferri solet. Sacrificium dicitur hostia, cuius portio aliqua in altari crematur, reliqua in vsus cedit offerentis. Holocaustum verò est quæ tota crematur in altari. Bouem igitur nostrum in sacrificium Domino offerimus, quando proponentes humiliare animas nostras & affligere carnem ieiunijs, vigilijs, alijsque sancti operis exercitijs, accedente mandato prioris & aliud imperante, verecunde & humiliter à proposito nostro desistimus. Nempe quod nostram relinquimus intentionem & voluntatem frangimus hoc in Domini sacrificium accēdimus. Quod aut nostram commoditatem & vtilitatem facimus, hoc quasi in vsum nostrum de sacrificio Domini reseruamus. Cum verò ad dura & aspera nostræque voluntati prorsus contraria pro Dei amore obedimus, quasi bouem nostrum in holocaustum Domino offerimus, quia nosmetipsos à nostris voluntatibus occidimus, & super altare boni operis igne diuini amoris cremamus. Vel certè sacrificium est bona nostra operatio, & laudem nobis cooperans apud proximum, & meritum collocans apud Deum. Holocaustum verò est syncere deuotionis affectus, seu puræ contemplationis excessus, cum mens humana spiritussancti feruore concepto, vel effunditur super se vel rapitur extra se, & tunc ita vehementer ardet & exæstuat

exestuat vt ei dicere conueniat: Anima mea liquefacta est. De igne sancto, igne mundo. Et A si vis scire, Deus noster iste ignis est, hæc & his similia (vt mihi videtur fratres dilectissimi) dominus innuere voluit, cum dixit. Tollite iugum meum. Sed cur addidit *meum*? Vtique discernere voluit suum ab his quæ sua non sunt. Siquidem est iugum status humani, iugum cordis peruersi & est Iudæi, seculi, diaboli, inferni. Iugum status humani est corruptio & mortalitas & multiformis infirmitas, quibus omne humanum genus subiacere dinoscitur. Vnde scriptum est. B
Eccles. 40. Graue iugum super filios Adam. Iugum cordis peruersi est voluntas propria vel consuetudo praua, qua ratio nostra captiua tenetur, & sæpissimè ducitur quò non vult. De quo nisi filius nos liberauerit, nunquam veri liberi erimus: de cuius nobis persona promittitur. Ecce ego venio dirumpere iugum captiuitatis vestræ. Iugum Iudæi est obseruantia legis ad literam. De qua Apostolus Petrus dicit.
Act. 15. Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque vos, neque patres vestri portare potuerunt? Iugum seculi, est cupiditas. Vnde stultus rex legitur dixisse ad populum suum: Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego addam iugo vestro. C Ac si diceret. Pater meus exegit à vobis magnum quæstum, ego multo maiorem. Iugum diaboli, est peccatum vel iniquitas. De quo illud
Esaie. 9. Esaiæ: Iugum enim oneris eius & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti. Exactor noster est diabolus, qui peccati nummum quem in paradiso nobis obtulit, cum vsura exigit, quia ad addendum peccato peccatum semper instigat, vt in fine nos ad iugum æternæ damnationis trahat. Contra quod oramus patrem nostrum qui in cælis est, vt gloriosa filij sui natiuitas liberet quos sub peccati iugo vetusta seruitus tenet. Huius itaque exactoris iugum & virgam & sceptrum apparens in carne Dei filius superauit, cum seductionem afflictionem, dominationem, qua cruentus ille tyrannus nos tenebat, ad nihilum moriendo redegit. Iugum inferni est æterna damnatio qua fasciculi ad comburendum colligabuntur, vt illic coniungantur in pœna, qui æquales extiterunt in culpa. De hoc iugo potest
Osee. 11. accipi quod dominus dicit per Osee: Propterea imponentur eis iugum, quod non auferetur.
Sunt & alia quinque iuga boum, curiositates videlicet quinque sensuum exteriorum, quæ iuga sibi quidam in Euangelio coemerat, & vt excusatus haberetur à nuptijs ea se probatum ire dicebat. Dicens itaque dominus: Tollite iugum meum super vos non ad aliquid prędictorum nos inuitat, sed ad illud de quo signãter dicere meum debuit. Sed quid est super vos: hoc verbo admoneri nos arbitror vt donum conuersionis nos cælitus accepisse cognoscamus, vel vt de accepto gratias iugiter agamus, vel certè vt nos diuina præcepta ad perfectum non posse implere sentientes ad supernæ pietatis viscera assiduæ suspiremus. Possumus sanè in propositis quatuor verbis principales quatuor virtutes approbatas intelligere, & quatuor ineptias siue abusiones quæ inter claustrales plerumque reperiuntur reprobatas accipere. Virtutes hæ sunt: Iustitia, fortitudo, prudentia, temperantia. Iustitiæ competit quod dicitur, tollite, quia verum dignum & iustum est vt consulenti acquiescas, præcipienti obedias conditori. Ad fortitudinem pertinet quod dicitur, iugum, quia ipso nomine datur intelligi te fortem atque constantem esse debere. Prudentiæ est quod additur meum, quia nimirum oportet esse prudentem, vt scias reprobare malum, & eligere bonum ac salutare iugum. Temperantiæ congruit quod subinfertur super vos, quia temperantis animi est ad competentem modum cunctos effectus restringere & ordinare. Abusiones verò hæ sunt: continuus tepor & indiscretus feruor, indebita occupatio & nimia formido. Tepor contrarius est iustitiæ, & reprehenditur in hoc verbo, tollite. Nimius feruor exterminat fortitudinem, & damnatur in hoc verbo, iugum. Indebita occupatio expellit prudentiam, & damnatur in hoc quod dicitur, meum. Porrò nimia formido aduersatur temperantiæ, & exprimitur in hoc quod annectitur, super vos.

Singula si placet ordine prosequamur, iuxta alterius loci parabolam ad vineam domini sabaoth excolendam, alij primo mane, alij hora tertia, quidam sexta vel nona, nonnulli & vndecima veniunt. Hoc verò est quod ad iugum Christi, ad seruitium Dei, ad viuendum religiosè, ad militandum sub regula vel abbate, quidam veniunt in pueritia, quidam in adolescentia, multi in iuuenili seu virili ætate, plerique & in vltima senectute. D Fit verò nonnunquam vt is qui in pueritia ad conuersionem venit frigescente postmodum nouitij feruoris igniculo, vertatur in teporem & qui quotidianis virtutum incrementis gratiam sibi apud Deum & homines comparari debuerat, vituperium sibi magnum conquirat. Qui dum solum innocentiam perpãdit ad opera virtutum, si viriliter non accingit. Impatiens ad ieiunia, ad vigilias somnolentus, ad orandum tepidus, indeuotus ad psallendum aliisque Christi militibus mundo, carni, diabolo vsque ad sanguinem resistentibus, E ipse sibi in omnibus requiem quærit tam acediosus, quam ociosus & secreta tacitáque sibi cogitatione dicit, quidnam ego luere habeo? Vt quid ita rigidè districtéque viuam sicut illi magni peccatores, raptores, iniusti, adulteri.
O cogitationem stultissimam quasi nullus teneatur seruire Deo nisi irretitus criminali peccato. Certè scriptum est. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & Mat. 22. ex omnibus viribus tuis. Ecce Deum ita diligere iuberis, vt scilicet nihil in te vacare permittas qui Deum non diligas. F Quomodo autem tu diligis dominum Deum tuum ex te toto, quãdoquidem plus posses si velles, quam facis? Sanè quanto es innocentior, tanto esse seruitio Dei debes ardentior, vt vel in sanctitate & iustitia ab ipso custodiaris, videlicet vt custoditæ sanctitati vberius gratieris. Non propendis quia cum alij sibi dimidiant dies suos vt qualemcumque veniam obtineant, tu tuos integros seruas, vt gratiam & gloriam tibi ampliorem acquiras. Quid si internus arbiter propter hoc tibi innocentiam tuam conseruare voluit, vt pondere peccatorum

prægrauatum fratrem tuum collaborando, & onus eius tibi pertiendo iuuares. Nonne cum A propter tuam desidiam impeditur hæc bona Dei voluntas per increpationem audire dignus eris: Amen dico tibi quia publicani & meretrices præcedent te in regno Dei: vel potius timendum tibi est ne illud tibi maledictionis elogium infligatur? Nunquam ex te fructus nascetur in perpetuum. Verba sunt ipsius domini maledicentis, sub nomine ficus animam humanam foliis extrinsecarum obseruationum plenam, sed nullo interioris suauitatis fructu plenam. Tales nimirum erant B illi duo angeli ecclesiarum quorum vni per Ioannem dicitur: Scio opera tua, quia nomen habes vt viuas, & mortuus est, atque alij. Vtinam frigidus esses aut calidus, si frigidus esses humilior appareres, & esset de te spes. Si calidus esses, charitate feruens arderes in te, & alios accenderes, nūc autem quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, quia nec humilitate fulgens nec charitate feruēs, putas te aliquid esse cum nihil sis, incipiam te euomere de ore meo, hoc est de cætu me laudantium eiicere. Hæc de continuè tepentibus dicta sunt. C Nunc consequens est vt de nimium feruentibus aliqua dicamus. Sunt plerique qui feruore nouitio ducti, vel potius astutia antiqui hostis tracti mox vt cōuersi fuerint, sanctitatis arcem arripere festinant, & omnia fine consilio, sine ordine, sine discretione agentes effreni studio feruntur in præceps, vigilant prolixius, ieiunant & abstinent propensius, plus orant & laborant quam communis monasterij regula vel maiorum cohortentur exempla, si qua eis de modo, si qua de discre- D tione suggesseris deceptiones putant, despiciunt, fugiunt, velut nociua, omnia arbitrantur vt stercora adeò studiosa & odibili obstinatione illudentem sibi sequuntur diabolum. Et quod magis est mirandum, cum ad contemplanda secreta cælestia omni sese studio deuotionis erigant, ad ambulandum pacifici in terra caligant, & quia oculis ad sublimia leuatis pedibus non prospiciunt, quasi cælo intenti in terra offendant. Nulli namque magis quam hi vnanimitatem fra- E trum per impatiētiam vitiant, per inobedientiam turbant, per contumaciam dissipant, & nihilominus insistunt indefessis orationibus introire in sancta sanctorum & sanctissimum illud irrumpere diuinæ puritatis arcanum, nec dum tamen ipsi seruare curant vnitatem spiritus in vinculo pacis, & quoniam non rectè pulsant, fit iusto Dei iudicio vt non introeant. Scriptum quippe est: Hæreditas ad quam festinatur in principio in fine benedictione carebit, denique per Hieremiam de Moab dicitur, quia plus fecit quam potuit, idcir- F co perierunt, si enim vires suas metirentur, scirēt profectò quod paulatim longius itur, quia verò nolunt moderari quod faciunt deficiente post modicum natura corporis fit vt aut à cæptis turpiter desistant, aut si non destiterint, infirmitates perpetuas incurrant. Fiátque omnibus eorum onerosa infirmitas, quibus ante fuit molesta sanctitas, quantos hodiéque videmus cum carne inire amicitias cui antea graues intulerant pugnas, appetere delicitata, quærere suauia, qui vilia & grossa prius sine scrupulo recipere non poterant, quātos item videmus propter indiscretos spiritualis exercitij labores sensibus periclitatos esse & ad vltimum nescisse discernere inter bonum & malum, qui primitus inter diem & diem inter bonum, & deinde omnem diem dijudicabant. Væ eis qui sic corpora sua diuino subtrahunt seruitio vitio suo, væ inquam eis cum tam misere fiant nouissimi qui videbantur fore primi. Tolerabile tamen si fiant nouissimi, & non extranei, si infirmitas quam sibi adduxerunt potius quam incurrerunt poterit excusare eos à bonis quæ agere debuerunt & si voluissent potuerunt. Tertia abusio est indebita occupatio, hæc videlicet est cum postposito quis pænitentis & plangentis officio implicat se scientijs secularibus quæ ad rem non pertinent, quæ ad salutem conferendam conseruandam-ve non valent. Alius addiscere studet syllogismos & fallacias alius aggerare numeros & mensuras, alius callet musicæ proportiones, alius philosophiæ inuestigat experimenta, alius perplexa legum canonumque discutit argumenta. Sic quisque in eo circa quod efficitur libenter occupatur, & in occupatione sua delectatur, & nihilominus credit se delectar, in domino, quando quidem non recedit ab ordine monastico. Talis ni fallor assimilatur Samaritibus, de quibus scriptura refert quod vnaquæque gens cum coleret Deum dijs quoque suis seruiebant. Vnusquisque etenim quod sibi delectabile & præ omnibus diligendum venerandúmque elegit hoc quasi Deum sibi ipsi statuit. Vnde est illud prophetæ: Vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete. Paries in domo Israël est obstinatio mentis in religioso, qui paries continet idola non sculpta sed depicta, cum religiosus nō omnimode diligit iniquitatem, licet afficiatur circa aliquam vanitatem. Colit igitur Deum simul & idola, qui & bonis operis insistit & nihilominus scientiæ alicui seculari vanè intendit. Quarta abusio siue ineptia est incauta formido. Hæc ex consideratione negligentis vitæ procedit & nisi temperantem discretionem adhibueris, ad desperationem perducit. Si de respectu multitudinis diuinæ misericordiæ negligentias tuas pensare supersederis, hoc est fallere te ipsum. Si autem ex intuitu discretionis supernæ intēperatè timeas, hoc est cum dolore descēdere ad infernum. Quid ergo est? Nimirū vt adhibito discretionis studio de duobus contrarijs quasi quoddā temperamentum facias, vt inter spem & metum, inter securitatē decipiētem & diffidentiā euiscerantem ambulans, medio tutissimus eas.

Nunc singula singulis adaptemus. Supra diximus quia continuus tepor cōtrarius est iustitiæ, quod liquidò constabit si definitionem inspexerimus. Definitur itaque sic: Iustitia est virtus reddens cuique quod suum est, & tepor est vitiū nulli ex integro reddens quod suum est. Debitores sumus fratres charissimi Deo, debitores proximo, debitores & nobis, debemus Deo gloriam & laudem, proximo congratulationem & compassionem, nobisipsis disciplinam & sollicitudinem. Debemus Deo totum quod possumus, proximo quod ab ipso nobis fieri vellemus, debemus nobisipsis quicquid virtutis quicquid bonæ famæ quicquid bonæ cōscientiæ esse cognouerimus. Si autem in laudem Dei super temperantes & dissoluti, in amore proximi torpentes & frigidi, in dijudicatione nostri negligentes fuerimus & remissi, quid tam iustitiæ contrarium?

Vis

Vis planè quod sic faciendo non reddimus cuique quod suum est. Denique quid tam iustitiæ cõ- A trariũ quam dicente Domino, tollite, cum nosipsum quod sustulimus iugũ omnimodè satagimus deponere. Diximus item quod nimius feruor exterminat fortitudinẽ, quod de cõparatione duorum concertantium dinoscere facillimũ est. Ponamus ante oculos duos in certamine congredi, vnũ, qui validis & continuis ictibus aduersarium lacessat, alium qui venientes ictus clypeo sagaciter excipiat & lacessentẽ hostem prouida expectatione deludat, vnum qui totũ simul proferat spiritũ B suum, alium qui dispẽset & reseruet in posterum. Nonne isto quasi segniter agente, sed vtiliter sibi prospiciente, ille dum ictus suos non modificat, fortitudinem suam exterminat, & triumphũ aduersario dat? Nõne isto vsque ad finem perdurãte fortiter, ille succumbit turpiter, & perdet iustè ꝗ nimis feruidè quærebat, quoniam finis, non pugna coronatur. Eia ergo frater singularis qui singulariter & indiscretè facis. Eia inquam extermina faciem tuam vt videaris hominibus ieiunans. Extermina oculos tuos vt videaris plorans, extermina fortitudinem tuam in puncto temporis, vt C paulò pòst nihil plus facere possis. Hæc est tota sanctitas tua, hæc sapientia tua inspirata à rectore tenebrarum & caliginis qui se transfigurat in angelum lucis. Audis quod Dominus nominando iugum, socialem (vt suprà dictum est) in conuẽtu te hortatur ducere vitam, & tamen obstinato sectaris animo odio iam superstitionem tuã. Deus inhabitare facit vnius moris in domo vt seruiant ei humero vno. Tu autem alterius moris quo hu- D mero seruis qui ab vnitate recedis, sed quorsum ista progressio? Sufficiant hæc. Item diximus quod indebita occupatio expellit prudentiam, quoniam contraria est illi. Non enim bene conueniunt in vna sede morantur scientia maiestatis & scientia vanitatis, non magis quam duo aduersarij in vna domo, quæ enim societas lucis ad tenebras, aut quis locus templi Dei cum idolis, aut quare filij Iudæorum in Hierusalem loquuntur Azoticè, qui etiam in Azoto positi deberent loqui Iudaicæ? Nec hoc dicimus quod ista scire sit E malum, sed quod religioso in his nimium occupari sit vitiosum, denique ista non modo discere sed olim didicisse. Nunc cura alia nos sollicitat. Occupantur in his seculares, ne iocentur ne venẽtur, ne fornicentur, vbi autem ista desunt illa, quid faciunt? Cum debeas in lege Dei meditari die ac nocte, qua mente ruminas syllogismos & argumenta vanitatis tuæ, dicente Domino, meum tu nescio quid aliud iugum videris ducere cum secularibus partem tuam fortasse cũ hypocritis habi- F turus. Diximus etiam quod incauta formido aduersatur temperantiæ, illa desperationem reprimit quam ista suggerit, illa cor lætificat quod ista conturbat. Si te peccatorẽ consideras ait Gregorius, oportet vt à te dominum non repellas. Repellis autem si de bonitate eius propter totam malitiam desperas, si de imperfecto tuo intemperate formidas, si opera nostra sufficerent nobis diuinæ misericordiæ, quis locus esset? Propterea ergo datur gratia vt non glorietur omnis caro coram illo cum se videt per solam obtinere gratiam quod non potest per virtutem suam, si vilitatem tuam consideras, magis insta, confide spera clama & deprecare altissimum & dabit tibi petitiones cordis tui. Cum audis dicentem dominum super vos, respira ad gratiam gratus esto gratiæ, & de viribus tuis noli præsumere.

Ecce de iugo Domini quæ potuimus diximus, multa quidem, sed non omnia fortassis quæ debuimus. Sed quia ad alia sequentia properamus, ista ad præsens sufficere credimus. Verum quia beatus Benedictus iugum Domini scholam diuini seruitij nominat, quid in hac schola agendum, quidve discendum sit, vigilanter audiamus.

Sequitur: *Et discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Patet profectò quod magister noster ipse est Christus, qui nos à se discere monuit factus & ipse nobis exemplum bonorum operum. Vos vocatis me inquit magister & Domine & bene dicitis, sum etenim. In hoc inquit cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si sicut ego sũ mites & humiles corde fueritis. Mea actio vestra est, lectio mea vestra est disciplina, discite ergo à me, quia mitis sum & humilis corde. Pulchra fratres dilectissimi exhortatio cum magister exhibet hoc in factis quia docet verbis, & discipulos præcedit vita quos vult perfectos esse & eruditos corde in sapientia. Diligẽdus planè & omni sagacitate imitandus, præsertim cum nihil exhibeat nihil edoceat aliud quam mansuetudinem & humilitatem cordis. Apparet ergo quã amabilis fuit Dominus Iesus, vtpote mitis & humilis corde. Sicut enim omnis iracundus & arrogans odiosus, ita è regione omnis mansuetus & humilis gratiosus. Mansuetudo autem hominibus humilitas Deo amabilem solet reddere hominem. Amabilis ergo erat Dominus Iesus & multum amabilis, tam amabilis in mansuetudine & humilitate sua, quã magnus & laudabilis in maiestate diuina. Dicit itaque se mitem & humilem corde. Nam quod mitis & humilis esset dictis & factis, non opus habebat hoc commendare discipulis suis. Ipsi enim viderunt & audierunt & perspexerunt oculis suis, & manibus tractauerunt viderunt & annunciauerunt nobis. Quæ autem videre & audire nõ poterãt necesse habuit, vel potius ipsi necesse habuerunt vt ipse annunciaret eis, quia argumentũ cordis verba sunt.

Cum igitur virtus habeat tres differentias duas fecit exemplo, tertiam verbo. Mitem se & humilem demonstrauit in dictis, quando horrendis blasphemijs lacessitus, & quin quies habere dæmonium dictus, ad doctrinam semper quam ad contumeliam se potius erexit. Mitem & humilem se demonstrauit in factis, quoniam sicut ouis ad occisionem ductus & quasi agnus coram tondente se obmutuit, se ligandum flagellandum exposuit qui solo nutu potuit necuisse malignos. Cum igitur nullus sciret quid esset in eius interiori homine nisi spiritus eius qui in ipso erat, bonũ quod in corde habuit verbo discipulis proposuit, & hoc eos discere atque imitari præcepit. Est autem & aliud hic considerandum, virtus quidem alia consistit in actu, alia in effectu. Virtus in actu virtus est. Virtus in effectu virtus virtutis est.

Virtus quãtalibet proferatur in actu, aut parua est, aut nulla, nisi etiã de cordis emittatur affectu.

Si enim bonum facis sine cordis affectu, bestialiter facis, & virtus parua est. Si bonum contra cordis affectum fraudulenter facis, & virtus nulla est, magis vitium reputatur. Hinc Psal. ait: Eructauit cor meum verbum bonum. Verbum sanè bonum non esset, nisi ex bono cordis affectu prodiret. Hinc est etiam illud quod ad commendationem sponsæ in Cant. canti. dicitur: Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum. Mala punica foris rubicunda sunt intrinsecus granis repleta. Bonæ igitur actiones de bono corde emissæ & egressæ, rectè paradiso malorum punicorum comparantur, quia & hominibus foris rutilant per pietatis exhibitionem, & Deo sese intus copulant per charitatis affectionem. Vt ergo se Dominus nobis præberet exemplum non solum boni operis, sed etiam mundæ affectionis, discite inquit à me, quia mitis sum & humilis corde, quia nimirũ nullius momenti apud Deum est exhibitio bonæ actionis quam non commendat emissio piç affectionis. Sanè notandum quod duas insinuauit virtutes, mansuetudinẽ & humilitatẽ quod in his summa consistit perfectionis. Sunt etenim duo quibus semper impugnantibus ab statu perfectionis euertimur prospera videlicet & aduersa. Verba igitur dominica sic debemus attendere quod duo doceamur opponere: mãsuetudinem aduersis, prosperis humilitatem. Si qui est nobis cũ prosperis ad votum successibus pollent, & bonis tẽporalibus & animi tranquillitatibus gaudent, tũc se in gratiarum actionibus exerunt atque Dei circa se beneuolentiam debita cum reuerentia suscipiunt, cũ autem iniurijs incommodis tanguntur, mox in murmuratiõe atque in impatientiam seu in meditationes vltionis prosiliunt. Hi nimirum humiles in prosperis, scilicet non sunt mansueti & mites in aduersis. At qui contra constantiam in tribulationibus tenent, sed prosperitatis tempore de successu intus superbiunt, hi virtutum alteram seruantes, alteram negligunt. Debemus autem & mansuetudinem humilitati, & humilitatem mansuetudini iungere, & hinc aduersa sufferendo, illinc prospera non curando elicere, ne cum ex vna parte decori apparuerimus, ex altera deturpati displiceamus.

Sed inter hæc ad memoriam veniunt octo illa principalia vitia, quorum præsentiam sentire omnium, est naturam discernere paucorum, contra quæ vt nobis videtur, ex verbis præmissis nõ mediocriter communimur. Octo quippe principalia vitia esse sancti definierunt, sumentes auctoritatẽ ex testamento vel testimonio legis, in qua numerantur septem gentes, quorum olim populus Dei terras possedit. Scriptum namque est: Et introducam vos ad loca Cananæi & Æthæi, Amorrei & Pherezæi, Æuæi & Lebuzæi & Gerbezæi. Quib⁹ septem dum Ægyptiorum gens additur, proculdubio octo gentes describuntur, per quas vt dictũ est octo principalia vitia designantur, sicut ex earũ interpretationibus etiam intelligi potest.

Ægyptius etenim interpretatur tenebræ & designat gulam, quia gulositas obtenebrat & obscurat intellectum. Iuxta illud prouerbium quod de Græco transtulit Hieronymus in Latinum. Pinguis venter non gignit sensum tenuem.

Chananæus exprimit luxuriam quod & congrua interpretatione demonstrat. Interpretatur enim motus eorum, quorum nisi gentilium? Cætera nempè corporis nostri membra, ad nutum voluntatis nostræ mouentur & stant, illa verò membra in motu suo nec voluntati nostræ obediunt, nec subiacent potestati, nec rationem sequuntur. De cuius motus repressione in laudem fortis mulieris dicitur: Et cingulum tradidit Chananæo. Cingulum quippe tradere Chananæo est motus luxuriæ continentiæ legibus restringere. Hinc de Ioanne dicitur zona pellicea circa lumbos eius, zonam nimirum circa lumbos ponit, qui lasciuientis carnis impetus stringit.

Æthæus vanam gloriam significat quæ ex eo quod in operibus suis semper displicere formidat, & non solum alijs stupori esse solet, sed ipsa quoque de seipsa admiratur & stupet, rectè formidans vel stupens interpretatur. Amorræus quod sonat amaricans siue amaritudo significat superbiam, cuius quia proprium est tantæ semper obstinationis esse, vt nullius sensui vel voluntati cedere, nullius dignetur verecundiæ parcere, amaritudinis semper & indignationis ipsa sibi causa efficitur.

Pheresæus dicitur fructificatio per quod designatur auaritia, quæ fructum facit vtique carnis non spiritus, studiosius insistens operibus cum mundo perituris quam operibus Deo placituris, vt scilicet impleatur horrea saturitate, & vino torcularia redundent, non vt corda mundentur & virtutum receptacula fiant. Vel dicitur fructificatio quasi fructus fuscatio, quod fructum boni operis obfuscet & inquinet. Æuæus interpretatum sonat ferrum siue pessimum, per quod pessimũ vt verè ferrum vitium denotatur inuidia, quæ duritiam cordis inducit & summæ malitiæ nutrix est. Iebuzæus conculcationem sonat & acediã animi signat quæ deuictum à se tanquam plastes conculcans humum, animum elidit & conculcat vt sternat eum dęmonum pedibus conculcandum tanquam lutũ platearum. Gergesæus innuit iram eò quod colonũ eijciens interpretatur, quia hoc habet præ cæteris vitiũ propriũ quod ipsa colonum conscientiæ suæ à possessione cordis eijcit, atque duras tunc cogitationum obices ponit, & sic impedit electũ ne possit cernere verum quod in intimis manet absconditum. Horũ autẽ octo vitiorũ duo sunt carnalia, reliqua sex spiritualia. Illa carnalia, quia in corporis membris eorum operatio cõsistit. Ista vocãtur spiritualia siue cordialia, quia in corde agitantur. Vt ergo Dñs nos ad exterminationem vitiorũ suis verbis instrueret, duas tantũ virtutes proposuit mansuetudinẽ & humilitatem. Quæ verò vitia his virtutibus cõterantur innuisse videtur cũ apposuit corde. Per hoc eñ significare voluit duas has virtutes sex spiritualibus, sed cordialibus vitijs opponi debere. Sed illa duo carnalia nunquid intacta relinquit? Minimè. Nam ad eorum extinctionem pertinet quod promisit. Tollite iugum meum super vos, neque enim tam insipiens quis iugum Christi suscipit qui in ipso susceptionis initio se sciat gulæ & ventri deinceps non seruiturum. Nempè hæc sunt dura illa & aspera perquæritur ad Deum, qui beatus Benedictus iugum suscepturis diligentius iubet prædicari. Durum est siquidem ciborum oble-

oblectamenta assueta relinquere. Asperum quoque est libidinis blandimenta illicita non licere. A

Sub quo gemino malo omnes eramus cum gẽtes essemus. i. cum gentiliter viueremus. Ast postquam gentilitatem exuimus, postquam abiectis tenebris lux in domino esse cepimus, postquam duobus carnalibus vitiis seruire iam nec volumus diuinitus inspirati, nec valeamus ipsa ordinis obseruantia impediti, debemus mansuetudinem & humilitatem cordis, vigilanter tenere quo sex illis vitijs spiritualibus valeamus resistere. Debet ergo harum virtutum vtraque triformis esse, quia B tribus vtraque vitijs imponenda est. Opponitur autem humilitas superbiæ vanæ gloriæ & auaritiæ. Mansuetudo inuidiæ, acedie, iræ. Sit quoque humilitas depressa in se, reflexa ad se, reclusa intra se. Depressa sit in se, ne de se alta sapiat. Reflexa sit ad se, ne humanum fauorem quærat. Reclusa sit intra se, ne res perituras vagabunda ambiat. Sit quoque mansuetudo charitatiua, sit iocunda, sit tranquilla. Charitatiua sit vt pro aliena fœlicitate non teneat liuorem. Iocunda sit vt de propria aduersitate non habeat dolorem. C Tranquilla sit vt in nullo casu exerceat rancorem siue furorem. Sic subiugo dominico positus frater & in prælio domini constitutus virtute mansuetudinis & humilitatis circumfultus vndique vniuersa præualebit tela nequissimi ignita extinguere, munitus ab intus contra superbiam, deforis contra vanam gloriam, sursum contra gulam, deorsum contra luxuriam, à dextris contra auaritiam, à sinistris contra acediam ab anteriori parte contra iram, à posteriori contra inuidiam. D Tali in nauigio subiectus per hoc mare magnum & spaciosum octo illa notissima maris pericula prouidus nauta & strenuus euitabit. Dico autem charybdim gulæ, & sirenas luxuriæ, scillam superbiæ, & sirtes vanæ gloriæ, piratas auaritiæ, & belluas inuidiæ, ventos acediæ, procellas iræ.

Iam verò sublato iugo saluatoris & apprehensa disciplina mãsuetudinis & humilitatis, quid mercedis veritas promittat cœlestibus discipulis audiamus. Sequitur, *& inuenietis requiem animabus vestris.* Gemina est animarum requies. Vna in præsenti. E Alio in futuro. Ista habet meritum, illa præmium. Per primam habetur secunda, id est per meritum præmium, sicut scriptũ est. Erit sabbatũ ex sabbato, hoc est pro requie peccatoris dabitur requies æternitatis. Et ista quidem quæ in præsenti est requies animorum dici posset, illa verò quæ in futuro erit requies animarum. Tamen & de vtraque simul & de vtralibet singillatim possunt accipi verba dominica. Prima igitur requies multis in sacra pagina nominibus appellatur. Dicitur enim bona conscientia, bona voluntas, pax F pectoris, tranquillitas cordis, puritas mentis, refrigeriũ animæ, consolatio spiritus.

De qua quia sub nomine refectionis supra satis admodum disputauimus, ea nunc tacita de secunda aliquid dicendum videtur. Sed quia ipsa finem præsentis vitæ sequitur quod de ea dicere intendimus in finem præsentis sermonis differamus.

Matt. 12. Sequitur: *Iugum enim meum suaue est & onus meum leue.* Supra tamen de iugo dictum est, de onere verò eius nulla fuit mentio. Iugum quidem Domini seruitutis est assumptio, onus verò eius quid aliud esse potest quam hoc quod dicere sub iugo præcipimur, scilicet vt simus mites & humiles corde. Est ergo iugũ monasticus ordo, onus autem pietas mentis & corporalis exercitatio. Dicat ergo Dominus: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

Sed quid dicis bone magister? Nũquid ignoras scriptum esse, multæ tribulationes iustorum. Non meministi dictum à te: Ecce mitto vos sicut oues in medio luporum? Et item: In mundo pressurã habebitis. Non præuidisti dicendum: Per multas tribulationes oportet vos intrare in regnum cœlorum? Et illud: Omnes qui volunt piè viuere in Christo persecutionem patientur. Quomodo ergo iugum tuum suaue est & onus tuũ leue? Damna & proscriptiones perpeti, iniurias & contumelias non vlcisci, duros in corpore ictus sustinere, animam ponere, nunquid hoc suaue est & leue? Est vtique, sed Apostolis & martyribus. *Matt. 10.* *Io. 16.* *Act. 14.* *2. Thim. 2.*

Corpus castigare ieiunijs, animam afficere lachrymis & orationibus, voluntatem propriam odire, solitudinem amare, nunquid hoc suaue est & leue? Est vtique. Sed veris Christi confessoribus & virginibus. Quomodo inquis? Hic primũ videte fratres mei quia Dominus, discipulis loquebatur. Si locutus fuisset turbæ illa verbũ respuisset, quia vim verbi non intellexisset. At discipuli audierunt & receperunt, quia quod dicebatur verũ esse cognouerunt. Audiamus ergo & nos quod dicitur & quomodo verũ sit quod dicitur intelligamus. Hæc enim quæstio duob' modis soluitur.

Primò quidem, quia animæ verè Deum diligẽti & iustitiam eius fideliter esurienti, etiam amara dulcia videtur, & aspera suauia. Nouimus hoc per scientiam, sed vtinam sciamus & per experiẽtiam. Accede ergo homo & experire quã suauis est Dominus & quam leue sit onus eius. Nemo enim scit qui needum gustauit. Si ita non sentis ipse tibi testis es quod nondũ gustasti. Ad hoc infinita religiosorũ multitudo verũ esse testatur. Alio modo soluitur hæc quæstio, si dicamus quod iugi dominici susceptio & oneris eius portatio grauis quidẽ videatur & aspera, sed in cõparatione secularium molestiarum valde suauis & leuis sit. Respice (vt exemplis vtamur) fures & latrones, prædones & adulatores quantos labores, quantas vigilias, quãtas curas expẽdant, vt excogitatas nequitias ad effectum perducant. Respicite & eos qui & honestiora quodammodo videntur exercere negotia, diuersos dico mercatores mari terráque mercimonia sua circunferentes, quanta incommoda sustineant, subeant pericula, vt ad modica stipendia periturásque diuitias quandoque pertingant. Respicite deinde & seruos militibus, milites principibus etiam ad illicita quæque seruientes, & in eundo, in currendo, in stando die noctúque laborantes. Respicite è diuerso Dei ministros in cœnobijs sedentes, modicum quidem laborantes & plurimum pausantes, insuper & pro requietione sua quasi pro labore maximo requiem æternã expectantes. Nónne illi multo difficiliore via descendunt ad inferna, quam isti ascendant ad regna superna? Iugum ergo Domini suaue est, & onus eius leue.

Poterat ergo Dominus hic dixisse. Iugum meũ cõmodũ est & onus meũ salubre. Et hoc si dixisset

verum vtique dixisset. Multi enim in seculo seculi voluptatibus dediti, dum illecebrosis condimentis vtuntur, dum lautioribus epulis indulgent, dũ vinose intemperanter ingurgitam, aut mortem sibi celerius attrahunt, aut molestissimas ægritudines incurrunt, & dum iugum Domini quasi asperum perhorrescunt, ipsi per iugum sæculi sub quo delicianțur sibi conquirunt vnde à iugo Domini semper elongentur. At contra claustrales dum curis se non implicant dum tranquillitatem corporis & animi seruant, dum carnis terunt superbiam, potus cibique parcitate, dum modicũ quid laborant pro æterna requie, & infirmitates multas præter intentionem deuitant, & vitam etiam nolentes protelant. Poterat item dixisse saluator: Iugum enim meum honorificum est, & onus meũ venerabile. Sæpè etenim videmus plus honoris & venerationis apud potentes seculi habere pauperes monachos quam diuites superbos. Omnia tamen hæc comprehendisse Deus intelligitur cum dixit: Iugũ enim meum suaue est, &c.

Est vnum tamen in quo valde durũ iugum eius videtur, & onus eius onerosum, molestia videlicet impugnantium vitiorum. Enimuerò puritatis & castitatis amatori nihil durius, nihil grauius occurrit turpium infestatione cogitationum. Sed non est tibi huiusmodi desperandum, in talibus enim tentat te Deus si verè diligas eum vt filius, si non deseras eum in tempore malo & nota fiant quæ sunt in corde tuo. Noli tantum abire in consilio impiorum, noli consentire suggestionibus dæmonum, resistere & certa viriliter, ipse tribuit victoriam certanti qui coronam retribuet vincẽti, super huiusmodi tamen conturbari infirmorũ est qui non considerant quanta vtilitas tentatione generetur, seu quanta consolatio tentationem subsequatur.

Vt aut à quibusdam consideratum est, sex nobis vtilitates generat tẽtatio. Prima vt reminiscamur multimode nostræ fragilitatis. Secunda vt agnoscamus quod necessarium nobis sit diuinum auxilium. Tertia vt appareat si verè Deum diligamus propter quem talia superare contendimus. Quarta vt occasione huius tentationis etiam alia vitia corrigamus, de quibus ante non multum curabamus. Quinta vt modo sit nobis pro pœna & quasi pro satisfactione, quod olim fuit in turpi delectatione. Sexta ne de donis gratiæ quæ accepimus superbiamus, quod forsitan accideret, si semper sine tentatione viueremus.

Planè tentationem aut maior aut saltem æqualis consolatio sequi solet. Quod aliquando æqualis consolatio sequatur indicat Psal. quid ait: Secũdum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animã meam. (Psal. 93.) Quod aliquando maior consolatio tentationem sequatur, testimonium habemus ex scriptura dicente, & reddidit Dominus omnia quæ fuerunt Iob duplicia. Qui enim percusso cuncta quæ abstulerat duplicata reddidit, apertè innotui, quod nonnunquam tentatos vberius consoletur quam percusserit.

Hinc est quod quidam perfectiores discretione magistra dolent si vel ad modicum sine quantulacunque tentatione sint videlicet ne cum diutius in tranquillitate militant, ex ipsa tranquillitatis requie securius torpescant. Magna quippe nobiscum dispensatione pietatis agitur, vt aduersis A lacessamur, quia dum ex vitio aliquo pulsamur contra illud iuuante Domino fortius accingimur.

Hinc est vt puto, quod cuilibet animæ duo Angeli deputati sunt ad custodiam bonus & malus. Et de bono quidem perspicuum est quod ad custodiam datus sit. Bonus nempè Angelus amor est virtutis, malus verò impetus vitij tentatis. De vitio autem satis probatur quod ad custodiã nobis deputetur, quia dum eius aduersitate fatigamur, ipsa fatigatione promoti, melius in bono B custodimur.

Nunc iam tempus est, vt resumamus quod supra reliquimus, quodque in finem sermonis dicendũ distulimus, videlicet de secũda requie animarum. *Si* inquit Dominus, *ad me veneritis & iugum meum tuleritis, inuenietis requiem animabus vestris.* Quæ est ista requies? Oculus non vidit eam, nec auris audiuit, sed nec in cor hominis descendit. Quid ergo de ea dicere possumus quando quidem nullus hominum eam vidit, sed nec videre potest nisi C quod vnigenitus Dei filius qui est in sinu patris ipse de ea nobis modicum quid enarrauit? Inspiciamus tamen eam quantum ipso donante possumus dicamus de ea quod ipso docente valeamus & memoriam abundantię suauitatis eius qualitercumque eructemus. Requies illa est decor & immortalitatis corporum, honor & impassibilitas animarum, fulgor vultuum incomparabilis, diuinissima iocunditas summæ & æternæ tranquilitatis, pax illa quæ exuperat omnem sensum, D gaudium magnum, magnum valde & sempiternum. Requies illa est laboris & doloris omnis absentia, curæ & anxietatis nulla incidentia, nulla molestia, nulla angustia, nulla confusio, nulla formido: vbi absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, vbi prorsus aberit omne malum. Requies illa est perpetua in sanctitate firmitas inconcussa animi libertate suauitas, suauissima & superdulcissima in visione creatoris delectatio sancta & syncera in sanctorum societate dulcedo. Requies inquam, illa est indui vesti- E mentis gloriæ, cum gloria & læticia tripudiare in conspectu diuinæ potentiæ, gloria & honore coronari & radiis excellentissimæ claritatis perenniter illustrari. Requies illa est indefessus & irreuerberatus intuitus in illud diuinæ lucis arcanum de superna potentia, sapientia, bonitate, magnificentissima, admiratio, atque inter amplexus Dei omnipotentis indeficiens commoratio, & piæ eius præsentiæ sempiternaliter iugis fruitio, perennis ex toto corde, ex tota anima at- F que ex omnibus viribus & virium medullis exultatio. Requies illa est circunuelata fulgidæ æternitatis inspectio, inextinguibilis, erga ipsam venam charitatis & intenta affectio serenissima ad patrẽ luminum accessio, & incõprehensibilis cælestium gaudiorum participatio. Requies inquã, illa est accumbere in conuiuio regis æterni, bibere & inebriari à multitudine, dulcedinis domini, accendi & inflammari, calere & superferuere in ardoribus sempiternis, ire & intrare ac penetrare vsque ad intima Dei beati vehementia amoris, haurire dulcorem fontis vitæ & sapientiæ, & esse cum Deo sine fine. Amen. *Finis.*

SEQVVN-

SEQVVNTVR CAVSÆ PROPTER QVAS CANCELLARIAM DIMITTERE VOLEBAT. *Ista est pars angustiarum & calamitatum, in officio cancellariæ Parisiensis, quarum consideratione & sanctißimorum Deum timentium cõsilijs cedere simpliciter & gratis fixus institui.*

COGOR enim pluribus dominis magnis valde qui aduersissimi sunt cõplacere vel obsequi, nomina non explico illa scientibus. Puto videtur insania hãc perplexitatem cum fas esset non fugere, siquidem indignatio principis mors, & nemo potest duobus dominis seruire. Cogor amicis fauere, qui tamen eruere me nõ sufficiunt, nec mea factiosis, & fortissimis hominibus qui omnia calumniantur quæ ago, immò & verba mea tota aduersum me execrantur. Hæc idcirco persecutio plus personalis est quam altera, quo casu licet & expedit secedere & vincere in bono malum, ne obnitendo frustra ergo ruinæ magnæ cum amicis inuoluar. Hoc docere possunt ea quæ nouiter contingerũt Christi similis & Pauli exempla, atque documenta id suadent, nam hoc casu pastorem fugere non fugere est. Cogor importunissimis immò nimis grauibus obniti vel peccare, melius autem est incidere in Dei manus quam hominũ cum possunt declinari, ne amans periculum pereat in illo.

Cogor ad liberationem aliorum vel pro cõsuetudine temporis, ignaros scientia, & pernitiosos moribus promouere & quandoque sufficientioribus præponere, cum tamen dicat sapiens. Noli velle fieri iudex nisi virtute valeas irrumpere iniquitates. Cogor importunissimis hominibus & diuerso morum à meis respondere & obsequi eis coniungi familiaritate aut inciuilis iudicabor & ero proximus periculo, quia gaudere oportet cũ gaudentibus. Cogor assiduè rumores audire qui illic continuè perstrepunt, quibus animæ quies omnis eripitur, & in multiloquijs huiusmodi peccatum non deesse, ac spiritualiter congregata per hæc dilabi statim cognitum est. Cogor laborare pro curiosis sermonibus quibus absque ædificationis fructu maxima temporis pars absumitur, & mihi conuenit illud, stulto labore consumeris.

Cogor rursus curiæ fluctibus, & si non semper immergi vel ingratus iudicabor à quibus vt emigrarem sola hæc fuit occasio cancellariam postulandi, & contulit hoc Deus, aliter tamen quam sperabam cur non igitur habito fine cessat motus?

Cogor inter hæc & similia missas & orationes omittere, vel irrecollectus dicere. In quibus tamen fructus est vberior si bene fiant quam in graduum tali quasi distributione vbi tam paruus vtinam nõ sæpe pernitiosus vtinam mores sit Ecclesiç fructus intima cernentibus linquor, vbi locũ habet illud Apostoli, nemini citò manus imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. 1. Tim. 5.

Cogor etiam in temporali vita quasi mendicare & despectus viuere, cum mediocritas aurea non amara paupertas sit tutissima, secundum exigentiam status cum alibi abundanter habeam & menagium iam prouiderim, quod cum detrimento magno oporteret relinquendo dissipare & cum grammaticalis & pueris viuere.

A Cogor pro videndo decanatũ tenere vbi proficere verbis & exemplis sum astrictus, & tamen si non resideam in cancellaria, sciunt omnes, est iuramentum, quale murmur, quale detrimentum, & qualiter iure vocabor monstrum biceps, ambitionis insuper immò deierationis exemplũ putabor.

Cogor liti pro adiuncto beneficio vel cedere cum irrisione & damno vel cum fortissimo & insuperabili hoste in æternum dimicare. Quod à moribus meis adhorret maximè & insonat illud auribus meis, cur non magis iniuriam patimini.

B Cogor ad præbendã nouiter anhelare: me quoque & amicos meos huic nouæ curę subijcere, vbi quanta spes prouisionis sit, mores hodierni docere faciliter possunt, & profectò hoc quærere non obligor, nec ex altera parte improuisus stipendijs proprijs laborare, neque hunc deserere locum vbi absque honore saltem periculoso vacare mihimet possum, & hæc omnia quæ prætermittuntur scandala declinare. Quod si scandala post hanc resignationem (vt amici minantur) contingant, profectò & venient eadem vel maiora si non diuisio vlla. C Malo in alio, sub alio & pro alio quam in me & sub me fieri, & notetur illud Salustij: Frustra niti & fatigando non nisi odium quærere extremæ dementiæ est. Cogor multitudinem insequi ad agendum quòd non placet aut licet, vel vt hostis ac suspectus ambitione haberi nec hic dissimilare aut fugere seu tacere sufficit, nisi patenter clamauero, cum tamen scriptum sit, non insequeris multitudinem ad faciendum malum.

D Cogor pernitiosa dogmata qualia iam seminata sunt ab aliquibus vel tacere contra conscientiam, vel cum summo mei, immò veritatis periculo illa per reuocationes corrigere & non potius confirmare fauentes dicentibus permiserint, vbi autem malitia præualet, habitandum nõ esse suadet Plato & illic Ezech. & Hierem. de gemẽdo valet consilium. Cogor linguas omnes maleuolas tanquam signum ad sagittam perpeti, quæ tamen intolerabiliter & irrationabiliter sæuiunt & penetrant, sciunt experti quantum denique nõ in verbis solum, sed in vita propter cohærentiam E quandam hic innominatã sit discrimen agnoscũt. Quo pacto denique redimendũ tempus sic videt, quia dies mali sunt, immò supra modum periculosissimi & seditionũ seminibus vndique repleti. Arx Sion occupata sit in laqueum ipsi Hierusalẽ, felix porrò è tali naufragio non sine beneficio si vel nudus enatauerit?

Ex aduerso pro præsentia mea nihil allegari boni potest nisi spes quædam alijs proficiendi quam fingunt quidam vtinam non cœco iudicio rapti F de exiguitate mea quæ quam ad hoc inutilis sit sentio & dudum experior, scitum verè est illud plus alijs de te. Consideretur hic acri iudicio tam ex præteritis quam ex circunstantia rerum si plus obest ille qui cum suis personaliter quæritur persequi, & cũ eo iustitia periclitatur quam iuuet, & vbi locum habet si vos persecuti fuerint, &c.

Consideretur quam parua sit proficiendi spes apud eos qui sapientes sunt in oculis suis, & qui ad nil aliud vacant nisi cum Atheniensibus dicere vel audire aliquid noui. Vbi præterea multitudine res geritur vbi si qui sint de sua salute soliciti faciliter & abundè consilia reperiunt, apud illos

verò qui salutem suam non quærunt, prædicatio non solum otiosa, sed etiam perniciosa & irrisione digna, si non tãtummodo curiosa sit efficitur, vbi autem non est auditus, non effundas verbũ. Exẽplo Christi qui coram Herode cum audire curiosa gestiret, obmutuit. Cõsideretur quod perfectus esse Brugis potest solo etiam vitæ exẽplo si verba deessent, vbi tamen proficere beneficium notabile perstringit prælatura tam solennis. Cõsideretur ab exceptis quid apud magnates prosint inferiorũ verba, immò grauiter irascuntur dicentibus, si nõ sint secundum volũtatem, si non obseruent illud loquimini nobis placentia, & quid Micheæ contingerit si nequaquam meminerint. Quapropter multi doctorum & prædicantium quod respondent dicere ioculatores & fistulatores mirantur qui ad arbitrium tripudiare nolentium carmina. i. doctrinas mensurant variántque.

Consideretur quod repugnante natura vel cõsuetudine quæ altera natura est nil vnquam feliciter agitur. Est autem natura mea & consuetudo ad agibilia prorsus inepta, scrupulosa, iners formidolosa, leuissimè perturbata, vt plus millies experior iugiter. Quid igitur conabor contra ictum fluuij, cur vim naturæ faciam quam licet expellã, furca (vt Horatius ait) tamen vsque redibit? Quid fructu prouisione & honore allectabor amicorũ? Fateor hæc vltimò euincere potuit carnalior, & hoc parentibus ruralibus hoc non curantibus, immò ipsis fratribus, sororibus muliebrior & ad altiora scandentibus minoribus minor, sed imminente tanto naufragio mercibus etiam charissimis immò necessarijs vltro proiectis enatandum est, & ab incendio diuitijs proprijs emigrandum, sicut à curia certè lucrosiore memetipsum violenter eripui, nec piget quamquam obniterentur amici. Quod si dicat pericula hæc ex timore fugere & venire ad illud Terentianum, quid si cœlum ruat? proculdubio plura dant intelligi amicorum cõminationes ambiguæ ex præteritis futura præsagio & particularia tamen necdum loquor, nec dum ea quæ intrinsecus latent aperio.

Consideretur in quanta copia sunt magistri ad contemplationem fortè minus idonei, qui omnibus agendis in officio vigilantius, libentius atque felicius deseruirent. Nec oportet hic hominem quærere in quo nõ sit macula, quia rara nimis auis in terris, nec profectò tale sum ego.

Videte obsecro quam intolerabilis esset error atque superbia in me vel in alijs de me talia cogitare, & sic præferri velle, qualiter simia deformis fœtum suum caballis anteponit. Porrò non est consilium, contra dominum si ab oculis sim proiectus vt præsit alter. Æstimo per audita & facta. Benedictum ne cederet ab amicis hoc superbiæ fuco fuisse deceptum, quasi videlicet Ecclesia recederet cum sua cessione, nec alius talis ad regimen ipsi debitum posset reperiri, hæc verò planè tentatio dæmonij meridiani.

Consideretur quãta sit raritas Deo in contemplationis quiete viuentium more priorum sanctorum. Ideo si quis tenuerit ad hoc opus aptus inueniatur, credendum sibi puto, quia talentum suum tale est non alia agibilia saltem in tanto, sicut opus oculi videre est non laborare. Habet enim quilibet donum proprium à Deo. Talem cessionem hac causa ipse Gregorius Naziãzenus & Papa Celestinus, & alij plures fuerunt executi. Consideretur si ad Episcopatum vocarer vel aliud ingens tẽporale bonum, an amici consulerent omnibus spretis cancellariam esse tenẽdam. Æstimo nequaquã, non dubito tamen quin nunc securius volendo descendere illam desero quã aliter ascẽdendo. Quod si in casu dimissionis officij ad maiora vel pro mortis transitu prouidendũ restaret cancellariæ, agatur nunc prout tunc immò tanto prouidius quanto deliberatio maior esse potest quam primũ data rapiatur occasio. Consideretur quod multi etiam ex amicis & qui dicunt pericula se videre possunt absque tantis inuidiæ odijs & aduersitatũ causis, subire illud onus gratis, in quo tantis grauatus sum oneribus, & non irrationabiliter vsquequaque quorumdam vexatus odijs quibus per meã fortè ambitionem aut importunitatẽ spes quam sitiunt adempta est & exorta. Quod si renuant videant quã æquo mecum agant iudicio, attendant ne digito mouere nolint onera quæ meis ceruicibus volunt immanere. Denique neminem dubitare arbitror quin liceat secũdum iura omnia resignare beneficium tale resignare in manu superioris, & vel religionem intrare, vel aliter viuere præsertim beneficium aliud curatum habenti. Quod si licet cognosco me & mores meos, certus sum certitudine tali quam in tali materia sufficientẽ existimo quod mihi est expediẽs.

Quod si fingant nimis me amantes illud non expediens esse reipublicę vel aliorum profectui, audiant diuinum tonitruum: Quid prodest homini si totum mundum lucretur, &c. Videant demum ne sint inter illos de quibus alibi. Inimici hominis domestici eius. Illud etiam pueris decantatum. Quæ nocitura tenes quamuis sint chara relinque.

Et ne me mutationis culpabilem arguant, si nũc tam vehementer fugio quod tam diligenter prosecutus sum, sciant quia meum sapere cum ætate & experientia creuit, & mea spes plurima frustrata est, certum verò est illud, temporibus mores sapiens. Quod si allegetur infamia mea, scio quod per infamiam & bonam famam pergitur ad cœlũ. Scio quam pro minimo mihi esse debet vt ab humano die iudicer, qui me iudicat Dominus est. Cæterum non populari rumore, sed conscientiæ simplicitate Christiani vita metitur. Consultius profectò & honestius est illud vltro facere quod tandem ab inuito vel ipsa mors extorquet.

Finiunt.

RECOMMENDATIO LICENTIANDORVM IN DECRETIS *facta Parisiis per eundem.*

VÆSIVERIT forsan aliquis, cur à vinculis scholasticæ exercitationis sunt hi venerabiles viri ita multiplici tam numero quam merito velut in libertatẽ quandam adducti? Respondemus per verba summi legislatoris Dei in Euangelio dicentis: Dominus his opus habet. Originaliter Matth. 21. Marci. vndecimo. Luc. 19. Quisquis enim oculos suæ considerationis per vniuersam Ecclesiam deducere voluerit, inueniet eam velut aliquam

Baruc. 3. quam domum grandem iuxta propheticam exclamationem: O Israel quam magna est domus Dei & ingẽs locus possessionis eius, præsidet huic Ecclesiæ dominus noster Iesus Christus tanquam filius hæres in domo sua Dei patris sui, secundum Apostolum Hebræor. 1. Propterea loquens in parabolis frequenter nominauit patremfamilias. Rectè prorsus quia familiam habet multiplicem mirabili officiorum ordinúmq; varietate constitutam, qui & si cuncta per seipsum agere posset, disponere volẽs tamen nos coadiutores esse suos, secundum Apostolum. Ac perinde bonitatis suæ participes fieri assumit homines ad obsequium suum. Nimirum, quia iumento etiam vti dignatus est, dum misit discipulos suos vt soluerent asinam & pullum eius, vt dicerent interrogantibus, quia dominus his opus habet, hæc secundum litteram.

Sed à littera traducamus si placet verbum istud ad mysterium conueniens laudibus horum spectabilium & eruditorum virorum. Ita enim mos, ita enim ius exigit & laudentur & dicamus, quia dominus his opus habet. Quis dominus? Iam dictum est dominus dominantium & rex regum cui seruire regnare est. Glo. Roman. 1. Cuius agi frænis summa libertas est, Boët. de consolat. Cuius seruitute gloriabatur theologizans Agathes, summa inquiens, ingenuitas ista est in qua Christi seruitus comprobatur. Qua in re protinus ostẽditur laus egregia doctissimorum & insignium baccalariorum istorum, quoniam tanti talísque domini seruos se dedicare studuerunt, nec seruos qualescunq;, sed vtiles seruos. Dominus inquit, his opus habet. Ecce nobilitas insinuatur, quia tali subsunt domino & vtilitas, quia dominus his opus habet. Sunt qui seruos vtiles & inutiles sub quadam falsa specie libertatis & dominij subdiderunt, hi sub dominio carnis tanquam latrinarij. De quibus ad Romanor. 16. & ad Philip. 3. Quorum Deus venter est & gloria in confusione. Sunt qui seruiunt mundo & mammonæ quos notauit Christus dicens: Non potestis Deo seruire & mammonæ. Sunt qui seruiunt diabolo & peccato. Nam à quo quis superatus est eius seruus efficitur, 1. Petr. 2. & qui facit peccatum, seruus est peccati. Vos autem meliori consilio & mente spretis his non tam dominis quam tyrannis crudelibus, serui facti estis Deo, ita vt appellandus sit quilibet seruus fidelis & prudens quem constituit dominus super familiam suam, nam dominus his seruis opus habet.

Dominus ita vobis opus habet, O spectabiles & prudentes viri, & hoc ad regimen suæ familiæ grandis quietum & tranquillum. Ad quid, sanè vt doceatis eam iudicia iustitiæ reddere vnicuique quod suum est. Ea enim demum vera pax erit, ea gubernatio idonea, ea seruitus placens domino si manet vnicuique debitus ordo. Ordo autem quid aliud est nisi parium dispariúmque rerum sua vnicuique tribuens collatio. Hunc ordinem docere habetis, O venerabiles licentiandi, quibus dominus in hoc opus habet, vt omnis de familia sua reddat ei religionem latriæ, puritatem conscientiæ, charitatem ad proximum, æquitatem ad iudicium, vt sic ordinetur quilibet homo conuenienter quoad temporalium ministrationem. Secundò quoad spiritualiũ dispositionẽ, & hoc in ordine ad proximũ. Tertiò quoad emẽdationem conscientiæ, quoad seipsum. Quartò quoad exhibitionem reuerentiæ & latriæ, quoad Deum. Hæc sunt quatuor principalia circa quæ versatur omnium Sanctorum canonum lex atque traditio docens se regere, Deum colere, neminem lædere, rem suam vnicuique tribuere. Quorum notitia quam sit necessaria familiæ domini nullus ignorat intelligens, propterea nullas inducimus probationes concordantiarum vel auctoritatum, quia neque necesse est cum latè pateant neque ignorantibus leges loquor. Perspicuum est igitur, quoniã dominus vobis venerabilibus licentiandis opus habet præsupposito secundum depositionem testificationémque doctorum vestrorum & aliorum quod hanc notitiam sacrorum canonum fuistis assecuti. Hæc quippe notitia iuxta mysticum sensum asina domino seruiens, pullus verò discipulus eius studiosius intelligi potuerat.

Sed omissa prosecutione talis metaphoræ veniamus ad illud quod obstrepunt & opponunt aliqui dicentes: Oportet, fatemur ista cogitare quæ sub quaternario complexa sunt, scilicet rem suam vnicuique tribuere, proximum non lædere, se regere, Deum colere. Sed cum in alijs facultatibus sufficienter hæc doceantur & sciantur, quomodo non frustra, quomodo non superfluè, adiuncta dicetur hæc facultas decretorũ cũ suis professoribus & studiosis de quibus asseris, quoniã dominus his op⁹ habet, frustra quippe fit per plura quod potest fieri per pauciora, additio igitur facultatis decretorum neque necessitatem habebit neque vtilitatem. Et inquiunt quod rem suam temporalem vnicuique tribuere docent sufficienter leges humanæ fundatæ in philosophia morali quę cuilibet naturaliter impressa, secundum quas leges instituitur & regitur ad plenum in temporalibus suis vita præsens. Per has verò canonicas traditiones visa est alias plus turbari & litibus affligi policia Ecclesiæ quam tranquillitate lætari. Et rursus quod reliqua tria quę vel spiritualem conuersationem hominum inter se vel emendationem propriæ conscientiæ cuilibet in se, vel cultum latriæ ad Deum respiciũt sunt in sacris literis abundè tradita, alioquin Christus homo & idem Deus cuius perfecta sunt opera, vt dicit Moyses, instituisset minus perfectè Ecclesiasticam domum suam, quæ nec suo nec longo postmodum tempore canones istos habuit. Alioquin insuper lex Euangelica traderet insufficienter mandata de quibus dominus asserit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: Et iterum hoc fac & viues. Ad summam ergo redit hæc calumnia, dominus inquiunt, pro regimine suæ familiæ in temporalibus dedit leges ciuiles, & pro spiritualium gubernatione tradidit euangelicos canones, aliam verò non est inuenire vitam nisi vel temporalem quæ per leges regitur, vel spiritualem quam euangelica lex sufficiẽter instituit. Nonne hoc concludere licet quod nequaquam dominus his, id est, canonisticis opus haberet? Matth. 19.

Sed quid dicemus ad hæc doctissimi & sapientes viri patres & fratres, quid huic calumniæ respondebimus? Respondebimus per considerationes aliquas geometrico & doctrinali ordine positas secundum quas patebit à radice necessitas & opus dominorum iuristarum. Patebunt insuper distinctiones aliquæ de iuribus canonibus & le-

gibus. Iste enim doctrinæ moralis modus optimus est dum fit resolutio ad certa, dúmque separatur preciosum à vili & quasi sub oculis vnum quoque separatur ab alio, reponitur quod confusè compositum fallere poterat inspicientes. Potuerat citò induci declamatoria & velut oratoria commendatio super vestris præconijs singularibus, attamen excitatio studiosa vicit iubens talia singularia ad vesperias singulorum linqui & ea nunc dicere quam plus eruditionis scholasticæ noscuntur continere. Inuestigamus igitur à fundaméto causas necessariæ institutionis, quare dominus his opus habet. Et pro hoc fit hæc prima consideratio incipiens ex alto.

Prima consideratio. Dominus per suum velle imperiosum & potestatiuum est primum radicale fundamentum omnis legis vel canonis. Hoc Ambrosius in exame. secutus Basilium posuit dicens, quod prima lex omnium est diuina potestas. Voluntas illius ius suum vnicuique tribuens nullius autem est perpetuum & constans voluntas nisi Dei.

Secunda consideratio. Dominus indidit cuilibet rei tantum de lege quantum de entitate & bonitate. Omnia enim fecit in numero, pondere & mensura, & ita sub lege certa ait Boëtius quippe, Sicut fecit omnia propter se & ad se, sic omnibus dedit viam certam tendentium ad se, quæ dicitur appetitus vel amor & pondus trahés rem ad suum dominatiuum & initiale principium quod est ipse vt si ipse alpha & ω, principium & finis. Potuerat hic fieri longa deductio de legibus varijs rerum tam in cœlo quam in terra aut in mari & in omnibus abyssis, in volucribus cœli & quadrupedibus terræ & piscibus maris. Sed omittamus hæc & dicamus pro tertia consideratione.

Tertia consideratio. Dominus sicut fecit hominem vt sibi soli subiectus dominaretur cæteris rebus mortalibus, ita sibi indidit præ cæteris rationem tamquam legem intimam & viuam, neque enim propter aliud dicitur homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, nisi quia sui capax per rationem effectus est secundum Augustinum & expositores Catholicos. Hoc viderunt philosophi qui naturas aliarum rerum dixerunt regi à ratione separata velut ab intelligentia non errante, homini verò rationem propriam coniunxerunt quam dixerũt reginam in suo microcosmo, quemadmodum, suo modo longè tamen excellentiori, dominus in macrocosmo principatur.

Quarta consideratio. Dominus indiderat homini rationem integram & puram tanquam sufficiens principium regitiuum suijpsius & quoad Deum & quoad proximum & quoad corpus proprium & ad aliud quodlibet inferiorum. Alioquin quomodo verum esset illud Moysi iam allegatum: Dei perfecta sunt opera? Quomodo præterea verum esset illud physicum: Deus & natura non deficiũt in necessarijs, si mox ab exordio non dedisset Deus homini sufficiens principium suiipsius regitiuũ & ordinatiuum atq; regulatiuum. Dedit verò dum hominem instituit sub regula rectissima quam appellamus originalem iustitiam, quę per omnia cõformis erat quantũ oportuit ipsi primæ & cõstanti iustitiæ quę Deus est, per quam reddidisset homo vnicuique ius suum, id est, quod suum erat, Deo videlicet reuerentiam sine contra-
A dictione, proximo amicitiam sine dissensione, corpori obediẽtiam ad rationem sine rebellione. Cæteris inferioribus dominationem regitiuam sine impugnatione.

Quinta consideratio. Dominus non habuisset op⁹ legistis vel canonistis in statu naturæ primitus institutæ, sicut nec habebit opus in statu naturæ glorificatæ. Quare? quia cuilibet fuisset lex sufficienter in scripta in libro cordis sui, nec opus erat vt quis eum doceret iudicia iustitiæ, per iura vel
B leges aut canones humano studio compositos vel libris aratis, quod de futuro statu sonat illud propheticum: Dabo leges meas in cordibus eorum.

Sexta consideratio. Dominus opus habuit iuristis, legistis & canonistis modo locutionis præexposito postquã homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. Obturato nimirũ libro cordis interiori, & velut oblitterato & malè contracto per diuersas passiones vix poterat legi, vix ab homine discerni quid rectum ab obliquo, quid
C bonum à malo, quid iustum ab iniusto, quid daretur ergo liber extinsecus, continens leges & præcepta per traditionem Dei & hominum sapientiorum, quorum lucidiora adhuc erant corda, vel per diuinam cœlitus illustrationem, vel per humanam & diuturnam inuestigationem, iuuantibus ad hoc ipsum moribus bonis qui miro modo illuminant, sicut de alijs dictum est quod excæcauit eos malitia eorũ? Anima enim viri iusti annũciat aliquando vera plus quam septem speculatores constituti
D in excelsum ad speculandum ait Sapiens. Potuerant hic induci speculationes gratæ multum, de obscuratione vel obliteratione libri cordis, quod est speculum quoddam veritatis, & hoc per comparationé ad varios modos diuersos, quibus specula materialia distorquentur ne reddant veras imagines. Has speculationes posuit Oresme de configurat. qualitatum, illic videantur.

Septima consideratio. Dominus instituit primum canonistã & legistam ipsum Adam. Congruebat quippe immo opus erat vt Adam qui pa-
E ter omnium per propagationem carnis esse debuerat, fieret etiam pater per gubernationem & instructioné. Ac perinde sicut in artibus pro corporis regimine necessarijs Adam post peccatũ fuit per diuinã inspirationem eruditus, de necessarijs inquã, non solum quo ad esse sed quo ad benè esse, quanto amplius opus erat pro benè esse ipsius animæ quoad scientias & virtutes, ipsum diuinitus illustrari, & per ipsum priores filios eius de generatione in generationem. Hæc est traditio ipsius Iosephi in lib. antiquitatum, cui consonat aperta
F ratio. Sic dicitur Genes. quod dominus fecit ipsi Genes. 3.
Adæ tunicas pelliceas, hoc est vt operi fas est fieri docuit, sicut parare cibos, vti medicis colere agros & ita de reliquis habetur palam ex istis, vnde prima fuit origo & causa cuiuslibet artis & inuentio scientiæ & facultatis.

Octaua consideratio. Dominus vltra legem naturæ non solum institutæ de qua dictum est, sed etiam de summitate deriuatæ, ac in posteros promulgatæ quæ dicitur lex antiqua. Fundatur hæc consideratio sicut sexta, prolabente enim natura de vitio in vitium, prolabebatur consequenter ad igno-

ignorantiam maiorem legum & iurium & iustorum iudiciorum. Addenda fuit igitur declaratio cum auctoritatum insertione, & circa murmurationem præceptorum tam generalium sicut decem præcepta quam specialium, sicut erant iudicialia & cerimonialia. Et ita dominus habuit opus legisperitis & iuristis qui dicebantur doctores & scribæ, meditantes in hac lege die ac nocte, vt eam populo simpliciori nunciarent, ne fierent sicut equus & mulus quibus non est intellectus, sed approximarent ad Deum, propterea vt in chamo & fræno certorum præceptorum constringerentur oportuit.

Nona consideratio. Dominus vltra legem veterem opus habuit instituere legem Euangelicam. Siquidem ad nihil perfectum adduxit lex antiqua dicente Apostolo ad Hebræor. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex. Erat enim figura & vmbra nouę legis. Nam omnia in figura contingebant eis, ait Apostolus. Adueniente igitur re vel luce impleta est lex illa non soluta. Ac perinde constituti sunt Apostoli discipuli & Euangelistæ tanquam doctores huius legis & cæteri successores eorũ quos theologos nominamus, non secundum corticem literæ quæ occidit, sed secundum interiorem spiritum qui viuificat.

Decima consideratio. Dominus opus non haberet iuristis alijs quam theologis, si homines secundum virtutes theologicas quæ sunt fides spes & charitas, sponte vellent regulari. Sufficere dixit Augustinus in Encheridio has virtutes ad salutem omni homini, quippe claudunt in seipsis duo illa mandata in quibus tota lex pendet & prophetæ: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, &c. Et proximum tuum sicut teipsum. Inter est autem theologorum docere sufficienter ea quæ sunt fidei, spei & charitatis, & in regulam Euangelicam errores insurgentes cognoscere, & cognitos vt caueantur ab alijs insinuare, ea denique docere conuenit, quibus hic triplex virtus gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Sic instituta videtur & gubernata fuisse sufficienter Ecclesia primitiua sub Apostolis, ac deinde per successiones varias vsque ad doctores sanctos inclusiuè per quadringentos annos & amplius quibus temporibus non erat distinctio theologorum & canonistarum, licet canones sacri multi essent vltra tenorem expressi traditum in Euangelijs & cæteris libris canonicis. Hi verò canones si benè inspiciamus non sunt nisi conclusiones elicitæ vel illatæ ex principijs theologicis, id est, ex Euangelio & alijs libris canonicis per illos, quibus dicit Christus: Qui vos audit me audit. Nihil igitur admirandum si ad eosdem pertinebat cognitio & legislatio conclusionum illarum canonicarum ad quos petinebat notitia principiorum. Inde est illud quod sapientia dicit de seipsa: Per me reges regnant, &c.

Deut. 3. *Luc. 11.* *Prouerb. 8.*

Vndecima consideratio. Dominus propter multiplicationem hominum sub lege sua Euangelica præuaricantium eam multis modis voluit huiusmodi canones multiplicari. Et ita opus habuit canonistis etiam in regimine spirituali, quia propriè dicti theologi nequaquam sufficiebant. Notemus hic ad delectationem ampliorem quod theologi proprio nomine dicũtur hi qui notitiam profitentur & habent eorum quæ propriè dicuntur esse de theologia hoc est de iure diuino seu Euangelico quod idem est, & qui illud sciunt elucidare, defendere, roborare. Sunt autem quatuor genera talium quæ propriè dicuntur ad ius diuinum & euangelicum pertinere. Primum genus est eorum quæ continentur expresè in textibus canonicæ scripturæ vt quod in principio fecit Deus cœlum & terram. Secundum est eorum quæ consequuntur consequenter clarè in consequentia necessaria & euidenti apud omnem vtentem ratione ex eis quæ ibidem continentur. Tertium est eorum quæ licet non sequantur in consequentia clara apud omnes vtentes ratione vel aliunde doctos, tamen apud exercitatos in sacris literis consequentia iudicatur optima vel sequela. Quartum est eorum quę per reuelationem factam Ecclesię constant, & hoc vel expresè & manifestè per prophetias seu miraculosas attestationes, vel implicitè per communem attestationem totius Ecclesiæ vel concilij generali eam sufficienter repræsentantis, ac per successionem legitimam deriuatiuam ad posteros per eos qui tales reuelationes habuerunt manifestè. Veritates omnes aliæ tanto dicuntur magis pertinentes vel impertinentes ad theologiam & suos professores quanto proximius vel remotius possunt inferri ex prædictis. Progredientes igitur vltra dicamus quod præter has veritates seu regulas oportuit multas explicari ad regimen Ecclesiasticæ familiæ, quæ non poterant expresè deduci ex sacra scriptura, sed oportuit fieri limitationẽ per auctoritatem humanam. Rectè eo modo quo vltra principia iuris moralis naturalis & conclusiones euidenter & necessariò sequentes ex eisdem oportuit addi multas institutiones neque clarè dissonas, neque tamen euidenter sequentes ex dictis principijs, & hoc auctoritate principum vel communitatum quibus respublica regenda subdebatur. Exemplum in vno per quod sciatur in cœteris. Confessio sacramentalis est de lege Euangelica propriè dicta, sed quod fiat hoc tempore vel illo & apud suum certum sacerdotẽ vel apud illum est de iure positiuo, quod nec clarè sequitur ex lege Euangelica quod sic debeat fieri, nec tamen est repugnans. Talia sunt sine numero in reliquis quæ concernunt Dei cultum & charitatem erga ipsum & proximum nostrum.

Duodecima consideratio. Dominus opus habuit canonistis, nedum propter multiplicationes huiusmodi canonum positiuorum, sed etiam propter incorrigibilitatem subditorum. Oderunt peccare mali formidine pœnæ, ait Horatius, vt igitur pœnæ variæ pro varijs delictis ferrentur, necesse fuit quemadmodum pro diuersitate morborum ordinant medici diuersitatem remediorum particularium vltra ea quæ cognoscunt ex principijs philosophiæ naturalis vel suæ medicinæ generalis. Constat autem institutiones huiusmodi arbitrarias esse vt plurimum quæ licet institutiones conformitatem quandam habeant ad legem diuinam in hoc quod nũ ei palam dissonant, alioquin essent iniquæ, nihilominus non ita pertinent ad eam, quin aliæ pœnæ possent æqualiter stantibus illis principijs constitui, & hoc est ius quale appellamus purè positiuum vel humanum. Amplius verò & si repugnantia non sit, vt sciat theologus

huiusmodi constitutiones pœnales & similes de iure positiuo, quia tamen humani capacitas ingenij multum finita est, nec ad tot sufficit dominus habuit opus vel voluit distinctos in Ecclesia doctores instruere, quosdam ad ius euangelicum & propriè diuinum, quosdam ad positiuum sciendum dedicatos. Et ex his inuestigamus & inuenimus puto commoditatem distinctionis inter has facultates Theologiæ & decretorum & dominus in hoc habet opus decretistis.

Tredecima consideratio. Dominus non instituit reponi ea quæ propriè sunt fidei in textibus canonum vel decretorum, vnde dicuntur canonistæ vel decretistæ tanquam illa per se principaliter pertineant ad facultatem decretorum. Hæc consideratio respondet his qui post facultatem decretorum sic institutam contendere vellet superfluam esse theologorum facultatem. Habemus inquiunt, articulos omnes fidei & Catholicas veritates, quid egemus theologis? Sed videatur ratio cur illic ponantur tales veritates, inuenimus quod sunt tanquam articuli certi eliciti ex theologia quorũ declaratio spectat ad eandem quemadmodum etiam factum est in legibus principum Catholicorum, non quod ad illas leges de directo spectent sicut nec eorum declaratio quemadmodum nemo diceret quod declaratio symboli Apostolorum vel Niceni concilij ad simplices spectet, quibus tamẽ illud indicitur & explicatur & datur ad credendum. Quo pacto igitur quæreret aliquis, reponuntur hæc in facultate decretorum vel in facultate legum temporalium, quæ ad theologiæ pertinent facultatem? Facilis est responsio. Reponuntur itaque vt addantur pœnæ variæ contra articulos sic explicatos dogmatizare præsumerent. Hæc autem adiectio canonum pœnalium, sicut est de iure positiuo, sic earum cognitio spectat propriè ad decretorum vel legum facultates.

Decimaquarta consideratio. Dominus sicut in vno corpore naturali diuersa membra singulis officia constituit, ne sit schisma inter ea, sic in corpore mystico, diuersos voluit esse doctores pro varietate doctrinarum legum vel iurium. Hac consideratione præsupposita ex prioribus patet consequenter iniusta concertatio vel querela eorum qui pro extollẽdo scientiam theologiæ, illam decretorum vituperant, vel è contra. Hoc enim agere quid aliud est quam si oculus dicat naribus opera tua nõ egeo. Rursus est præsumptio eorum qui ex necessitate suæ scientiæ nituntur extollere & arguere eam cæteris omnibus perfectiorem, cum dicat philosophus de metaphysica. Necessarias quidem omnes digniores, perfectior verò nulla. Cum præterea videtur in corpore naturali membra turpiora & infirma plus habere necessitatis quam pulchriora & perfectiora, qualia sunt oculus & auditus. Denique manifestum est ex his ad quam facultatem spectat iudicare de hæresibus & hæreticis. Constat quod ad theologiã, modum verò puniendi magis determinat facultas decretorum, sed executionem iudices & clientes seu bodelli magis sciũt. Exemplum de iudicio falsæ monetæ, cuius falsitatis cognitio spectat ad campsores, punitionis modus ad legistas, executio ad iudices & bortelles. Potuerat hic applicatio fieri de examine bullæ illius per mendicantes extortæ, sed omitto.

Decimaquinta consideratio. Dominus habet opus sicut theologis & canonistis, sic hominibus inferioris sciẽtiæ vel ordinis quoad cognitionem traditionum humanarum. Consulamus experientiam & videbimus quod vltra scientiam iuris diuini & canonici positiui multæ sunt particulares leges & constitutiones positiuæ, necessariæ in iudicijs, quales oportet scire ipsos procuratores & clientulos & alios inferioris ordinis. Si autem quæreret aliquis, quisnam vtilior sit Ecclesiæ Dei, vel eruditus in his legibus vltimis procuratorum & promotorum, vel in sacris canonibus positiuis? Puto confestim ridebitur & irridebitur, immo spernetur à dominis canonistis talis inquisitor & iure quidem. Sed cum à simili pergunt aliqui curiosè (ne dicamus fatuosè) comparare scientiam canonum positiuorum pro Ecclesiastico regimine ad scientiam Euangelicam, ipsi viderint, exemplo simili dubitaret aliquis quis habendus est dignior in cura corporis vel medicus. Similiter quis præferendus est vel eruditus in constitutionibus positiuis suæ religionis, aut in synodalibus statutis vel an præcellat iurisperitus, qui tamen ad horum particularium cognitionem non descendit? Cessent igitur deinceps huiusmodi comparationes odiosæ & curiosæ, fatuosæ, immo & fastidiosæ, nec sit scisma in ipso corpore Ecclesiæ, sed ambulet quisque vocatione qua vocatus est gratiam quam accepit communicans sine inuidia & in alterutrum administrans.

Decimasexta consideratio. Dominus opus habet decretistis, non solum propter rationes sumptas ex multitudine canonum positiuorum concernentium spirituale regimen, sed etiam regulationem temporalium maximè post dotationem Ecclesiæ in beneficijs & in alijs abũdè factis. Neque enim Euangelica lex dedit expressas de temporalium regimine constitutiones, ac perinde theologica consideratio se ad eas particulariter cognoscendas nequaquam extendit. Videntur autem sufficere leges humanitus traditæ, sed si notauerimus aliam esse rationem de his quę merè temporalia sunt, nec dedicata diuinis vsibus, aliam eorum quæ cultum Dei respiciunt in decimis & oblationibus, in beneficijs, atque similibus, nemo mirabitur si legibus alijs vti congruum fuit pro his & pro illis, quemadmodum doctrina purè moralis insufficiens fuit pro lege reuelanda, quamuis in obsequium suum possit.

Decimaseptima consideratio. Dominus non ita distinxit theologiam à sacris canonibus & è contra quin viriliter & salubriter possint ab eodem homine quantum sibi conceditur inuestigari. Si enim reperti sunt qui vltra canones sacros legibus humanis dederũt studium suum, & è contra, & profecerunt in vtrisq; si vltra philosophiam & metaphysicam multi quotidie in theologia se vehementer exercent. Hoc conuenientius habet fieri, quod theologus descendat ad inspiciendum canones sacros, tanquam conclusiones elicitas ex suis principijs theologicis deducere. Sic erit talis ambidexter theologus canonista, & canonista theologizans, & quis est iste & laudabimus eum? Quid autem facilius est ex ambobus, aut per theologiam,

logiam, scilicet, cognoscere canonicam scientiam vel è contra. Existimo quam primum sicut facilius est & ordinatius deducere ex principijs conclusiones, quam ex conclusionibus ad principiorum notitiam deuenire. Addito quod agibilium istorum vehemens cõsideratio à pueritia vel ab adolescẽtia non tantum erudit neque clarificat ingenium, quantum exercitatio in speculabilibus principijs. Potuerat hic inseri querela frequenter incidens nostro tempore tam de theologis qui ad speculabilia quædam parum vtilia curiosiores existunt, debito nolentes ad considerationem agibilium tanquam suo ingenio indignam & rudem declinare. Rursus inculpandi sunt iuristæ illi qui particularibus conclusionibus iurium sic adhærent, & quod ad principia resolutionis non aduertunt.

Decimaoctaua consideratio. Dominus voluit ita theologiam à canonibus separari, vt tamen maneret vsus terminorum theologicorum inconfusus. Scientia enim quælibet inferior sicut sumit principia sua à superiori alternante eam, sic vt terminorum suorum proprietatem obseruet necesse est, alioquin fieret velut altera confusio Babylonica per diuisionem linguarum, nec mutuò se intelligerent theologus & iurista. Qua ex re patet quod vbi de istis terminis hæresis & hæreticus simonia & simoniacus & similibus fit mentio recursus esse principalis debet ad vsum quem theologus sermo habet, secundum quem dicit Augustinus quod nobis ad certam regulam loqui fas est. Ac perinde patet quod expositio bullæ mendicantium requirit exponi per ius Euangelicum.

Decimanona consideratio. Dominus noluit vt secundum ius canonicum regularetur immobiliter de necessitate totus Ecclesiæ populus sicut oportet ipsum regi stabiliter & immobiliter per ius Euangelicum & diuinum. Tollit hæc consideratio temeritatem aliquorum vel ignorantiam qui suis iuribus positiuis immobilitatem & indispensabilitatem talem tribuunt, & parem vim obligandi qualem habet ipsum ius Euangelicum & diuinum. Ac perinde quot heu scandala, quot perturbationes in Euangelico regimine pridem orta sint & quotidie succrescant legi fas est in experientiæ libro! Tales nimirũ intractabiles, quos philosophus appellat immansiuos neq; epikeiam, neque bonam æquitatem recipiunt, adhærentes traditionibus suis sicut Euangelio, immo propter traditiones suas, sicut conqueritur Chistus, facientes irritum mandatum Dei, Matth. 15. Applicauimus aliàs considerationem hanc præcipuè vtilem ad materiam reductionis Græcorũ, sed nunc omittamus. Clauis est hæc consideratio pro inueniendo consequẽter naturam & conditionem totius Euangelicæ hierarchiæ. Et quomodo regimen eius monarchicũ est regale quoad spiritualia ex immobili institutione Christi. Vtrum verò sit existimandum quoad temporalia etiam Ecclesiæ dedicata non ita est manifestum. Scitis concertationes istic innumeras esse dicentius alijs, quod Ecclesia nihil habet temporale nisi à diuinis principibus, alijs verò in oppositum certantibus quod omnino sunt Ecclesiæ; sed lites has vel numerare hic vel dirimere non nostrum est.

Vicesima consideratio. Dominus voluit eruditis in sacris canonibus licentiam doctoralem impartiri, quatenus haberet ex hoc auctoritatem, non solum docendi ipsos canones, sed eos doctrinaliter interpretandi, exponendi vel glossandi. Hoc inter cætera maximè operatur licentia doctoralis, & illud rationabiliter, non enim potuit omni hora fieri recursus ad cõditorem canonum. Propterea eruditis & approbatis conferenda fuit talis auctoritas doctoralis. Non solum ipsis, sed etiam principalibus theologis, præsertim vbi dubietas oriretur ex his & circa ea quæ ius Euangelicum potest ad elucidationẽ deducere, & quemadmodum architectonica principatur subalternatæ scientiæ, & sicut ex principijs conclusiones examinantur & probantur si rectæ sunt. Deniq; causas alias lumine doctoralis esse dicimus, quatenus euitetur confusio in politico regimine, & ne insufficiens vel immeritus ad hoc ipsum se ingerat, quia postremò honor alit artes, dicit Cicero, & omnes accedunt ad studia propter gloriam. Postulemus tandem vt dominus paterfamilias supremus nos ita solui & ad ipsum deduci prçcipiat, iuxta figuram asinæ & pulli eius quod ad Hierusalem cœlestem ipso sedente & dirigente perueniamus.

FINIS.

TRACTATVS EIVSDEM DE NOBILITATE.

HOMO quidam nobilis abijt in regionem longinquã accipere sibi regnum. Quis homo iste nobilis nisi Christus Iesus, nobilissimi regis Dauid inclyta proles? De quo per allegoriam, Ecclesiastic. ait. Beata terra cuius rex nobilis est. Et in laudem sapientiæ ait idem in parabolis: Nobilis in portis vir eius, cum sederit cum senatoribus terræ. Qui præterea de se loquebatur Samueli. Qui me contemnunt, erunt ignobiles. Dicamus igitur aliqua de nobilitate, sumentes occasionem ex parte militis egregij domini Guilelmi sanet & nobilitate compositi. Nobilitas verò describitur, secundò diuiditur, tertiò ignobilitas pandetur, quartò corollarium quadruplex elicietur. Ecclesi. 10.

NOBILITAS est ementia quædam vel principalitas vel excellentia inter alias res sui generis, habens facultatem aliquam in illas præsertim propinquas influendi. Nobilis idcirco dicitur hic accipere regnum sibi, siue regimen aliquod aliorum propter influxiuam potestatem. Nobilitas sic descripta conuenit cum libertate quæ est dignitas aliqua sui ipsius, non alterius gratia. Determinatio patet, 1. Polit. multa per exempla, quoniam in omni genere dominantur aliquod vnum quod in illo genere primum & nobilissimum, tam in animatis, quam in anima carentibus. Hæc descriptio per sequentia perspicua magis est.

NOBILITAS sic accepta generaliter reperitur in maiori mundo, & similiter in minori multis modis, quemadmodum variæ sunt hierarchiæ & principatus: quoniam non est no-

bilitas fine principatu quodam. Nobilitas in primis est supereminenter nec extra in ipsa Trinitate beata, quæ ad sanum intellectum dicitur supercœlestis hierarchia. Est enim in parte fontalis nobilitas seu dignitas vel auctoritas, quæ notificatur per duas nationet istas. Innascibilitas, & principium de non principio. Similiter in filio respectu Spiritus-sancti, nec dicitur ignobilitas idcirco in Spiritu-sancto, quorum declaratio theologis remittatur. Nobilitas est in Angelis secundum triplicem hierarchiam, quæ cœlestis appellatur, primam, secundam, tertiam. Nobilitas rursus est in eisdem Angelis in ista qualibet triplici hierarchia, secundum tres ordines contentos in qualibet, vt in prima Cherubin, Seraphin & throni. Nobilitas est in Ecclesiastica hierarchia, quæ subcœlestis dicitur exemplata per cœlestem, secundum tres status Ecclesiæ, primos, medios & infimos, ad quos spectat secularem hierarchiam in dicta reducere per tres actus hierarchicos, qui sunt purgare, illuminare & perficere. In qua quidem seculari politia signabiles sunt tres status pro temporalium regimine suo modo. In cuius supremo statu vulgatior & vsitatior nobilitas collocata principatur. Nobilitas consequenter & largè sumpta ponitur à philosophantibus & theologis secundum quatuor gradus creaturarum, quarum aliquæ habent esse solum naturale. Alia esse & viuere quædam esse & viuere & sentire, reliqua sicut homines participant esse, viuere & sentire, quibus etiam hominibus superadditur intelligere.

Nobilitas primò triplici genere creaturarum consideratur secundum præeminentiam rerum naturalium inter se secundum causalitatem & effectum. Sic nobilius est corpus cœli quam elementa. Sic aurum & gemmæ nobiliores sunt plumbo aut luto. Sic Sol: Luna, Venus, Iuppiter, plusquam Saturnus aut Mars & Mercurius in vtroq. participat. Nihil enim impedit quin eadem res sit nobilis & ignobilis respectu diuersorum per superiorum & inferiorum comparationem, sicut in eadem cœlesti Hierarchia & pluribus alijs similibus palam constat. Distinctio de nobilitate perspicua est similiter in solum viuentibus, vt in arboribus & plantis, quarum nobilior est quæ & perfectior, præsertim in attributione ad virtutes operatiuas perfectiones, vel ad se vel ad alias res actuandas. Postremò in animalibus brutis, piscibus & auibus facile est nobilitatem & ignobilitatem varijs respectibus intueri. Sic aquila nobilior inter aues, sic cęte vel delphines inter pisces, sic aries inter pecudes, sic leo inter feras seu ferales animantes, sic inter serpentes regulus, quæ tamē peruersa est nobilitas, vbi qui nocentior est, principalior reputatur, sicut in dæmonibus reponuntur principatus, vbi nominis abusione deterior & damnatior, nobilior inter eos dici potest, sed veraciter ignobilitas habenda est.

Nobilitas in homine tanquam in minori mundo prædictis omnibus modis post Deum poterit, si subtiliter respicias, reperiri, quemadmodum participat iuxta deductionem Gregorij cum omni creatura exponentis illud: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Dicitur idcirco continere omnia, & omnium finis, ad intellectum in principio Genes. positum. Et ad illud: Omnia subiecisti sub pedibus eius. Et ad philosophū, 2. Phys. Et Moysen Deut. 4. Nobilitas hominis reperitur in

A superiori mētis apice, quæ creatura est ad imaginem & similitudinem beatissimæ Trinitatis, secundum tres potentias in vna essentia, memoriam, intelligentiam & voluntatē conformiter ad hierarchias & ordines Angelorum. Nobilitas est iterum in ratione secundum duplicem portionem, superiorem & inferiorem, tanquam virum & mulierem. Est proinde respectu rationis inferioris nobilitas, dum comparatur ad sensualitatem tam interiorem quam exteriorem, & hoc non omnino

B dissimiliter ad hierarchiam Ecclesiasticam & ad temporalem secūdum eminentiam principatuum & excellentiam prædicatarum virium ad inuicem si coaptatio solerter fit. Nobilitas in homine quoad partes heterogeneas corporis, vt sunt membra principalia & officialia, caput, cor, epar, & minus principalia, pedes, manus, intestina, viscera comparatur, aut iuxta triplicem spiritum procedentem à corde, tanquam immediatum & principale instrumentum animæ, quorum vnus est na-

C turalis alius est vitalis, alius est animalis, proportionabiliter ad illa quæ dicta sunt de habentibus esse naturale solum, vel esse & viuere, vel tria pariter esse, viuere & sentire. Nobilitates aliæ considerantur circa hominem magis ad communem & familiarem de nobilitate considerationem attendendo. Vna est concernens bona temporalia & corporalia, naturæ scilicet & fortunæ. Et hæc iterum tripliciter attenditur. Vno modo vt habentur hæc bona à progenitoribus, auis, atauis, &

D in sursum. Et hic est popularis acceptio quasi sola de nobilitate. Secundò modo prout habentur hæc bona nouiter per industriam propriam cum auxilio vel sine quorumdam amicorum. Super hoc iactare solent se diuites in mobilibus & immobilibus supra cæteros conuicinos maximè vel remotos. Hinc est illud Satyrici: Et genus & mores regia pecunia donat, & quod pecuniæ obediunt omnia cum similibus diuitiarum præconis. Tertiò modo prout habetur aliqua dignitas vel præcellentia super alios ex concessione regis ali-

E cuius vel imperatoris. Sic enim ad litteram nobilitantur aliqui prius plebei. Sic induci potest illud Hester: Hoc honore dignus est, quem rex voluerit honorare. Habet nobilitas hæc ciuilis suos gradus & nomina. Est clara, præclara, inclita, generosa, spectabilis, ingenua, egregia, insignis, illustris, regis, imperialis.

Nobilitas humana respiciens principaliter animam vel hominem, vt homo est magis attenditur à philosophis iuxta illud: Nobilitas sola est ani-

F mum quæ moribus ornat. Hinc præterea seruitus & ignobilitas tradit scriptura de Cham filio Noe propter peccatum introducta. Habet enim nobilitas gradus secundum ampliorem vel minorem perfectionem in virtutibus, in sapientia & moribus. Quo in loco fas est insequi distinctionem theologicam, incipientium, proficientium & perfectorum, quā Aristoteles non soluit sub alijs licet terminis ponens inter homines quosdam continentes velut incipientes, alios tēperatos tanquam proficiētes, tertios heroicos tanquā perfectos aut diuinales. De quorū numero Hector erat, qui videbatur, non hominis mortalis esse filius, sed Dei.

Fuit

Fuit tempore Ciceronis & Salustij concertatio super hac nobilitate, quam Cicero dicebat se virtutibus & meritis acquisisse. Erat enim Arpinas ignobilis vel obscurus, licet lumen tam prædecessoribus quam posteritati suæ. Salustius vt opponit contra fecit tenebras dedecoris nigerrimas prioribus, suisque sequentibus. Sunt insuper apud Salustium de bello Iugurtino mordacissimæ & acerbissimæ declamationes Marij haud nobilis parentelæ, contra & aduersus nobilitatem quæ voluuntur circa nunc dicam cardinem criminationis propriorum in nobilibus facinorum flagitiorum dedecorumq; morum. Quid prodest illi quem mores sordidant, generatio clara? Aut quid nocet huic generatio vilis quem mores adornant? Prodest secundum Aristotelem ad politicæ felicitatis quoddam decus, quia non omnino felix est secundum eum qui specie turpissimus est, ignobilis & sine prole. Nobilitas verò potest secundum theologos magis euehi, vt sit vna perfectissimorum hic secundum tres theologicas virtutes militantium. Altera in cœlesti felicitate perpetuò regnantium. Sic enim Deus legitur fecisse Christianos genus electum & regale sacerdotium. Reges insuper & regnum tanquam nobilissimè regnantes super omnia præsertim in plenissimo corporis dominio, de quo Seneca imperare sibi maximum imperium est. Et Horatius: Latius regnes, fragilem domando spiritum, quam si Libiam remotis gradibus iungas & vterq; Penus seruiet vni. Consonat Claudianus: Tunc omnia iure tenebis, cum poteris rex esse tui. Denique Salomon: Melior est sapiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Quos omnes Christi superat autoritas. Qui facit peccatum, seruus est peccati, & ita seruus vilissimæ rei, immo nihil, cum nihil fiant homines cum peccant. Illud inquam nihil, de quo Ioan. Sine ipso factum est nihil. Glos. i. peccatum. Quid autem magis alienum ab omni nobilitate, quid prorsus aduersum sorori suæ libertati, quam ignobilissimum seruitutis talis iugum, quam esse mancipium tam impurum, abominandum, detestabile.

Ioan. 1.

Postremò educere combinationes & comparationes omnium quas numerauimus nobilitatum, studiosæ meditationi relinquatur, & occasionem dedisse suffecerit ad cognoscendum præcipuè species sex nobilitatum in nominibusque magis in communi traduntur intellectu, quæ sunt naturalis, parentalis, honestalis, virtualis, heroicalis, supernaturalis. Quarum singularum talis est descriptio.

Nobilitas naturalis est eminentia quædam notabilis homini proueniens ex perspicaci iudicio rationis. Hæc autem per se non est moraliter vel meritoriè laudabilis, nec ex electione liberi arbitrij dicitur laudabilis hæc. Et postmodum, quia teste philosopho 2. physic. Quod modicum est pro nihilo reputatur. Tales & si de iure nobiles sunt, serui de facto sæpe fiunt. Nobilitas parentalis est præeminentia quædam notabilis homini proueniens ex laude conditionis parentalis, non quidem ex primis parentibus, quia communis est ad omnes. Hæc similiter nõ est per se moraliter laudabilis, quia ab extrinseco venit, nec ex electione,

A quamuis probabilis est, vt ait Aristoteles de bonis bonos nasci, hæc approbatur apud nos velut anthonomatice, militanti in armis statui. Nobilitas honestalis est eminentia quędam notabilis homini, proueniens ex beneplacito honestantis ipsum vel honestantium, vel per filialem adoptionem à principe vel per promotionem ad dignitatem aliquam, vt fit nouiter multis modis. Hæc similiter non est de se moraliter laudabilis, quia venit ab extrinseco, nec ex electione propria vt sic, hæc confert vt homo sit caput & principium generis subsequentis, sicut degeneres fiunt sui generis

B cauda vel terminus. Hæc posset dici personalis vel aduentitia, quoniam aduenit personæ iam constitutæ, & extenditur ad eminentiam vnam notabilem tam ecclesiasticam quam temporalem vel ciuilem magis quam nobilitas parentalis. Nobilitas virtualis est eminentia quædam notabilis homini, proueniens ex assuefactione vel habituatione virtutum moralium. Hæc quia venit ab intrinseco & electione de se laudabilis est. Nobilitas supernaturalis est eminentia quædam no-

C tabilis homini, proueniens ex charitate quæ supernaturalis gratia est, per quam homo fit per adoptionem filius Dei, fit anima sponsa Christi, fit templum spiritussancti, sine qua nobilitates cæteræ nihil sunt nihil proficiunt. Obsunt potius aliquando, quia quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum. Remanet quoque homo filius & vas contumeliæ apud interitum æternum, & adeò deterioris conditionis sunt brutis. Propterea nulla nobilitas eligibilior est,

D nulla dignior: quam esse Christianum re & nomine, & ita præclarissimus in rege Francorum titulus est, quod Christianissimus nominetur.

Subsequenter post datam nobilitatis descriptionem generalem, quæ particularibus potest adaptari, paucis diuinarum spiritualium modificationibus appositis, vt tactum est, enumeratas insuper de nobilitate distinctiones tam in maiori mundo, qui macrocosmus, quam in minori

E qui microcosmus appellatur. Superest de tertio dicere breuiter de ignobilitate quæ per sui descriptionem contrarij satis eminet. Reperitur quoque præcipuè in peruersis moribus iuxta gradus multiplices vitiorum.

Primus ignobilitatis gradus est in dæmonibus & damnatis. Alter in bestialibus ex corruptione vitiosa rationis sub animalibus brutis, sicut eleuat super hominem virtus heroïca.

Tertius gradus est in intemperatis, qui videlicet ex habitu & electione cum certa malicia pec-

F cant gloriantes cum malefecerint.

Quarti sunt incontinentes, qui retinentes passionibus, sed non firmo corde vel animo tandem ab eis victi succumbunt.

Ex parte verò corporis bonorumq; fortuitorum ignobilitas consurgit tripliciter, aut ex carentia caræ propagationis, aut ex defectu propriæ industriæ & amicorum promotionis, aut quia non placet principibus eos honorare, ditare vel nobilitare. Tales dicuntur agrestes vel serui naturales vel barbari, vel byssani, vel obscuri, vel rustici. Determinat autem philosophus 1. Pol. illos homines

esse naturaliter seruos & ignobiles, qui deficiunt in ratione & corpore robur habent, quemadmodum nobilitas consistit in clara & illuminata ratione licet corpus sit debile. De quo dicitur, consilio pollet cui vim natura negauit.

Colligamus pro parte quarta quadruplex ex præmissis corollarium. Primum quod pulchritudo totius vniuersitatis consistit in conseruatione nobilitatis, ita quod illud pulchrum est quod custodit ordinem, seruátque naturam. Sicut è contra turpis est pars quæ suo non congruit vniuerso. Quid autem videre poterit ordinatius, quam maioris huius mundi speciem per concatenationes duas, auream spiritualium causarum & argenteam corporalium secundum nobilitatem influẽdi à superioribus ad infima per media. Corollarium secundum. Pax, sanitas, salus, libertas cuiuslibet politiæ residet in conseruatione & honoratione nobilitatis. E contra nihil magis aduersum paci, nihil amplius causatiuum scismatis & discidij quam nobilitatis vilipensio, dum iuxta verbum prophetæ: Tumultuatur ignobilis contra nobilem, dumq; nobiles obijciunt prauis moribus & consilijs propriam nobilitatem, quam sicut nec libertatem, nemo bonus, nisi cum vita perdit. Corollarium tertium. Libertas, salus & sanitas microcosmi reponitur & saluatur in trãquilitate nobilitatis suæ dum mẽs suprema principatur rationi, & ratio sensualitati, & sensualitatis partes nobiliores suas absq; impedimento virtutes exercent, sint ipsæ naturales, sint vitales, sint animales. Habet enim conditio nobilitatis hoc proprium, vt se nitatur diffundere & communicare, & se quodammodò dare. Ex aduerso autem & rusticitas quæ dicitur nõ à rure, sed ad ruditate satagit rapere & ad se esse. Propterea rectè Paulus inducit esse beatius, & ita nobilius dare quam accipere. Et proinde damnatius, & sic ignobilius diripere est quam perdere. Corollarium quartum. Nulla res potest ita degenerare, quin nobilitatem aliquam retineat, sicut & entitatem, & ita nobilitas est in dæmonibus & dãnatis, qui tamen ideo dicuntur propriè deteriores ex Dei contemptu & blasphemijs, sicut proportionabiliter apud viatores blasphemos, homicidas, raptores, Dei deniq; & suæ legis contemptores, & ea propter ignobiles intellige, sed non est in omnibus manifestum. Propterea nobilitas vna vel altera colitur & honoratur, quousq; homo ille quidam nobilis, qui in cœlis longinquam abijt regionem accipere regnum patris, reuertetur ad iudicium, manifestaturus abscondita cordium, dum alligabit reges præuaricantes in compedibus, & nobiles degeneres in manicis ferreis, vbi sempiternus horror inhabitabit. Nobiles verò meritis & gratia prẹditos vocabit: dicens. Venite benedicti patris mei: percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Plena prorsus æterna iocundissimáque erit talis nobilitas.

Finis.

A

TRACTATUS EIUSDEM DE CONSIDERATIONIBUS QUAS debet habere princeps.

Prologus.



Claro eruditori & confessori serenissimi principis Domini Caroli septimi gratia Dei Francorum regis Ioannes de Gerson salutem, & ad præfulgidum sapientiæ culmen

B prolem regis inclytam prouehere. Si laudabilis & meritoria est pueri cuiuslibet eruditio ad religionem & virtutes (cum stultitia colligata sit in corde eius, sensusq; & cogitatio prona sint in malum) quis non videat quam laudabilioris supra modum meriti sit hoc agere in filio regis, qui regnaturus & gubernaculum seu clauum classis totius reipublicæ moderaturus expectatur. Age itaq; quod agis vir ornate non deerit petitionibus tuis mea quoad potuerit sedulitas. En opuscu-

C lum trium dierum suscipe, quale tu puto quẹsisti, complectens in se considerationes seu meditationes aliquas ex persona principis nominati. Quæ tecum bene valere desidero, quoniam in salute eius nostra reponitur. Vale ergo & circunsonantes procellosæ curiæ fluctus, tu ex sublimi rationis arce vel specula, tanquam ex alta rupe, imperturbatus circumspice.

D

PRIMA PARTICULA IN QUA CONTINETUR ORATIO PRO *recognitione propria conditionis & gratiarum actione, petendo sapientiam ex verbis Salomonis.*



Rex regum Iesu benignissime, princeps pacis, per quem reges regnant, & in cuius manu sunt omnia iura regnorum, Deus vnus in Trinitate perfecta cum patre &

E spiritu sancto, initium & finis cuiusque rei, creator & amator generis humani, atque ipsius postquam perierat misericordissimus per passionem suam reparator Deus misericordiarum & totius consolationis Deus meus & rex meus. Recordare obsecro in gratiarum actione, quemadmodum liberalissimo prouidentiæ tuæ dono, sapientissimo prouidentiæ tuæ consilio dignatus es formare me portionem aliquam creaturæ tuæ, cum non essem & educere gementem & nudum ex vtero matris meæ, ancillæ tuæ.

F Dans postea renasci denuo felicius in gremio ecclesiæ sponsæ tuæ matris omnium piè viuentium, & hoc per lauacrum regenerationis in baptismate, faciens de filio iræ filium adoptionis & gratiæ per infusionem spiritussancti in fide, spe & charitate, cum cæteris virtutibus & donis animam meam ornantibus atque firmantibus. Dedisti præterea mihi pupillo & aduenæ tuæ in loco peregrinationis huius velocissimè transeuntis corpusculum vegetum & sanum, cum integris sensibus ad subseruiendum animæ capiti suijpsius,

fius, pro consecutione finis sui in diligendo te ex toto corde, tota mente, totáque virtute per obedientiam mandatorum tuorum. Originem insuper tribuisti regalem atque clarissimam, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra, & secundum fugitiuos seculi pereuntis honores, deduces ad me iura primogenituræ pro regnando tandem successione legitima apud Christianum populum Franciæ, qui tibi est inter cæteros cultu quodam sacratiore dicatus. Et quibus hæc meritis meis talia tantáque super cæteros hominum consodales & fratres meos? Tu scis Domine Deus meus & rex meus, quoniam ex sola dignatione misericordis gratiæ tuæ. Nam quid meruissem dum non essem vel dum infans essem? Et ecce nunc prout confitebatur tibi Rex Salomon pacificus quondam, amabilis, tibi & sortitus animam bonam, ego sum puer paruulus & ignorans egressum & introitum meum, & seruus in medio populi quē elegisti, populi infiniti, & qui dinumerari non potest & supputari præ multitudine. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt possit iudicare populum tuum, & discernere inter bonum & malum, quis enim iudicare potest populum istum, populum tuum hunc multum. Deus ergo patrum meorum & Domine misericordiæ qui fecisti omnia verbo tuo & sapientia tua cōstituisti hominem vt dominaretur creaturæ quæ est à te facta vt disponat orbē terrarum in æquitate & iustitia, & in directione cordis iudicium iudicet, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiā, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam seruus tuus ego sum & filius ancillæ tuæ homo infirmus & exigui temporis & minor ad intellectum iudicij & legum. Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo fulgeret sapientia tua, in nihilum computabitur, tu autem elegisti me futurum regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum & filiarum. Mitte ergo sapientiam de cœlis tuis sanctis & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit & mecum laboret, & sciam quid acceptum sit apud te semper. Amen.

Secunda particula continens considerationem exhortatoriam sui ipsius velut ad animam suam, vt se statumque suum recogitet.

Aduoca nunc teipsam ô anima mea anima ad imaginem Dei facta anima pretioso Christi sanguine redempta Constitue te coram oculis tuæ considerationis, in lumine rationis & & Catholicæ charitatis, dum ad præsens sola es, dum non circunstant nec interturbant concursus populares. Confabulare modo tecum in secreto thalami tui, interrogans temeipsam quid tu es, & ad quid tu facta es. Quid te agere, quo tendere conueniat? Quoniam si te conditionemque propriam nesciueris, vt regas te & salues te. Quid proderit si vel alia cognoueris, vel rexeris? At verò bene satis est quod moneo.

Sed responde precor, quid dicis de te anima mea? Quid vides? Nonne tu oculis tuæ considerationis hac illáque circumuolutis, vides quatuor regna: Vnum supra te, ad quod aspirare. Aliud circa te, quod honorare. Tertium inter te, quod moderari. Quartum sub te, quod tueri posita es. Magnum profectò, magnum valde negotium, arduū, difficile, immò sine coadiutrice gratia Dei impossibile tibiipsi, si vigilanter attenderis commissum est. Nullus propterea tibi deinceps dissimulandi, nullus negligenter agendi locus relinquitur ô anima mea, ne pereas ad hoc regno quadruplici, sed toto virium conatu tendas ad regnum cœleste supra te, colas regnum ecclesiæ iuxta te, modereris regnum personale intra te, protegas regnum temporale sub te. O te felicem quatérque beatam, si hæc ita peregeris, si sub rege regum Domino Iesu Christo taliter regnaueris. Vides itaque regnum cœlorum supra te, illud enim tibi purum fidei lumen ostendit, de quo tanta gloriosa per os loquitur propheticum & apostolicum, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit: nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Quidni igitur te totam ad hoc regnum Dei primo quærendum & iustitiam eius extenderis vt cætera omnia adijcientur tibi? Illic patria tua est, illic portus placida manens quietè. Illic triumphalis aula, quam incolunt ciues sanctorum & domestici Dei patris tui & consodales futuri. Ad hoc enim condita es, vt post angustias præsentis exilij illic conregnes in æternum. Somniauit hoc olim, sed obscurè nimis Aphricanus ille Scipio, qui benè regentibus rempublicam, certum in cœlo locum dedicatum esse testatur, vbi terris mortui viuunt. Nunquid non hoc regnum assiduè postulas, dum præceptis salubribus monita dicis. Adueniat regnum tuum? Vides rursum alterum regnum iuxta te, quod quia ad exemplar huius primi constitutum est, appellat ipsum frequenter rex noster Iesus regnum cœlorum. Nam & Ioannes vidit ecclesiam quasi descendentem de cœlo, & Moyses arcam testamenti figuratiuam huius ecclesiæ fabricauit, sicut in mōte sibi monstratum est. Hanc honorare, hanc te colere, ab hac legis præcepta totumque tenorem piè religiośeque regnandi suscipere necesse est. Quid enim aliud est regnum hoc ecclesiæ nisi domus Dei & porta cœli? per quam portam & non aliam si quis introierit saluabitur. Ita tamen si meminerit se militare debere. Nam ideo militans dicitur, quatenus tandem regnum illud superius is qui bene certauerit, triumphator irrumpat. Audi demum quo pacto matrem hanc ecclesiam quæ te regenerauit in Christo, posita es honorare. Honorem, inquit scriptura sacra, habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. Et iterum: Ne dimittas ait legem matris tuæ. Nam est maledictus à Deo qui exasperat matrem.

Vides præterea regnum tertium intra te, sicut loquitur Christus, dicens: Regnum Dei intra vos est, de quo philosophorum concordat sententia, quod se regere maximum est imperiū. Et quis illic rex sub Deo statutus est? Vtiq; ratio libera, de quo dictum est ab vno sapientum: Si vis omnia tibi subijcere, subijce te rationi tanquā regi. Qui sunt militantes & consiliarij? Planè virtutes ipsæ interiores, tam insitæ quam acquisitæ. Quos denique dicemus in hoc regno seruos? Nimirum sensus ipsos corporales, visum, auditum, gustum, olfactum, tactum & ipsum cor. Peruertitur ergo istud regnum, si dominantibus tyrannicè membris corporeis, ratio maledicta

subseruit. Si præterea pro virtutibus vitia succedunt, vt si prudentem consiliatricem optimam vincit malitia, si continentiam luxuria iugulat, si fortitudinem ignauia vel temeritas enecat, si iustitiam demum iniquitas de iudicij throno deturbat. Vides ad postremum ô anima regnũ quartum sub te, regnum scilicet præclarissimum Francorum cum suis appeditijs, cuius ad te regimen hæreditaria successione deuoluitur. Constituitur autem sub te regnum illud in subiectione debita triplicis status principalis. Status vnus est militantium, alius clericorum, tertius burgensium. Et hęc triplicitas, nonne congrua signatione figuratur in triplici liliorum flore aureo, scutum tuum quod cœlico nitore fulget ornantium? Habes illos de primo statu tanquam brachia fortissima ad corpus tuum mysticum quod est regalis politia, defendendum. Habes alios tanquam oculos perspicacés ad omnia discernendum. Habes reliquos velut pedes fixos humi ad sustentandum. Vbi placet attendere, quia nihil horum membrorum dicere potest ad alterum opera tua non egeo. Errabunt itaque manus & pedes, seséque confundent si desint oculi, manibus verò debilitatis vel rescisis, quis vel pedes vel oculos tuebitur? Collabentibus autem pedibus, vt reliquum omne corpus reipublicæ decidat, necesse est.

Aspexisti puto ô anima mea multiplex negotium te circundans vndique, simulque cum periculo, si non vt reginam talem qualem decet temet habueris. Nam tanto esse humilior atque ad seruiendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem conspicit in reddenda ratione. Quamobrem noli precor negligere vel ingrata vel impia gratiam vocationis tuæ ad quadruplex istud regnum. Noli te in odiosam tyrannidem peruersè detrudere, sed regnum primum desidera, quo nihil beatius, & hoc supra te secundum regnum glorifica, quo nihil sacratius, & hoc iuxta te, tertium regnum ordina quo nihil honestius, & hoc intra te, quartum regnum saluifica, quo nihil fructuosius, & hoc subter te. Sciens absque vlla dubitatione, quia de his omnibus his oportet te reddere rationem scilicet ad gloriam æternam si rectè feceris. Sin autem, horrendè & citò repentius superueniet interitus, quod prohibeat miserator & misericors rex tuus, qui est benedictus in secula. Amen.

Tertia particula in qua continetur consideratio super recognitione periculorum, ex prædictis ortum habens.

GLoriose rex cœlorum, magnus & terribilis in consilijs super filios hominum, & apud omnes reges terræ, quo volente regnant, quo nolente non subsistunt, neque enim saluatur rex per multam virtutem. Hodie siquidem rex est, cras moritur si iusseris. Expauesco nunc vehementer, & totus horrore contremisco, videns & sentiens culmen præruptum status regij quomodo me puerum tuum sublimandum assumpsisti. Prohibe Domine Deus meus Domine misericordiarum querelam illam Dauidicam à seruo tuo, eleuans allisisti me, sicut & alter ait? Tolluntur in altum, lapsu grauiore vt
A ruant. Nam quanto gradus altior, tanto casus grauior.

Væ mihi, væ si collabi permiseris. Collabar verò, corruam & confringar si me non suffulserit iugiter omnipotens virtus dexteræ tuæ. Quoniam si difficile est corpus proprium & vnicum sub ordinato regimine subijcere legibus rationis, quemadmodum lamentatur Apostolus vocem experientiæ quotidianæ, sed miserabilis emittens. Ego infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Propter quod statuerunt
B plurimi virorum fortium sese, subducere ab omni altera dominatione, immo à societate multorum. Quæ est fortitudo, quis sensus, quæ sapientia in corpore paruulo atque puerili, vt spirituale regimen atque temporale tot hominum, tot capitum, tot morum, tot sententiarum, tot aduersis insultibus vnde quaque pulsatorum, possim vel protegere vel regere sub vna pacis lege? Heu me. Cur regni & coronæ statum quiuis deinceps acclamare felicem audeat sortisque
C beatæ, quem tot irruentibus vndecumque curarum flatibus, tot naufragijs & periculorum hostilium procellis, cum discrimine mortis nedum præsentis, sed æternæ cognouerit expositum? O corona speciosa magis quam preciosa, plus expauescenda quam applaudenda, quis tuum pondus ferre poterit, quoniam tot homines ponis super caput vnum? Mirum si non illud oppresseris. Et opprimes scio nisi superuenerit leuamen ex alto, leuamen à te Deo meo & rege meo, qui vt adiutor & protector mihi fias in salutem
D supplex oro.

Vos insuper quoscunque Deo prouidente regendos accepturus sum vel accepi, peto, precor & obtestor, nolite afflictiones inducere. Iuuet vnusquisque non aggrauet pondus meum. Hic fideliter consulat, hic protegat viriliter, inuigilet alter in solitudine domestica, alter in oratione deuota semet humiliet. Quilibet denique in officio sibi commisso vel accommodato absque vlla reprehensione vigilabat.

E Scimus omnes inuicem membra inter quæ caput sicut plus influit motum, sensum & operationem inter cætera, sic ad eius custodiam reliqua videmus, sine vlla periculi proprij consideratione protinus exponi. Alioquin si dissentimus inuicem, si nosmet opprimimus, quid superest, nisi vt vniuersum regiæ politiæ corpus intereat, & proprię oppugnationis mole ruat. Aduertat hanc insaniam à nobis seruis tuis rex potentissimus, sapientissimus & optimus, cuius regnum & impe-
F rium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

Quarta particula in qua continetur, quemadmodum lectio est vtilis & necessaria, pro regendo. Et loquitur princeps velut ad animam suam.

POstulat, iam, O anima mea, mitti tibi sapientiam de cœlis sanctis, & à sede magnitudinis Dei. Rectè profectò, quoniam vani sunt homines in quibus non est sapientia. Cæci sunt, brutales sunt ipsi quoque ad omne opus malum omnemque casum præcipites inueniuntur.

Sciueris

Scieris tamen quia præsto est sapientia, si bona fide & toto corde postuletur ab eo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Et quoniam inuisibilis est in natura sua, mittit vnam ex ancillis, cuius nomen est lectio studiosa, hæc enim eruditione plena, omni genera librorum circundata offert doctrinam bonam omnibus quærentibus sapientiam, præsertim si comes fuerit soror eius profunda meditatio vel attenta consideratio. Proclamat itaq;, si quis paruulus est, veniat ad me. Et ad reges locuta est, erudimini qui iudicatis terram. Quin etiam virtutes ipsæ comites tuæ, huiusmodi appropriatas, præcipuè quadruplici regno, de quo iam audisti, quæ sunt, oratio deuota, institutio sancta, disciplina temperata, & iustitia moderata. Attende quia lectio docet orationem, quæ deseruit regno cœlorum, vt acquiratur. Lectio docet institutionem sanctam, quæ deseruit ecclesiastico regno vt stabiliatur. Lectio docet disciplinam temperatam, per quam regnum tertium personale moderatur. Lectio docet iustitiã moderatam, per quam regnum temporale & politicum gubernatur. Desperare forsan potueras ô anima, si tali doctrice caruisses, nunc in spem assurge, sciens quia cum comitibus suis docebit lectio te de omnibus, si (vt prædictum est) coassumpta fuerit soror eius meditatio vel attenta cõsideratio. Sentio tamen quid nunc vltra requiris ô anima mea? Vis assignare tibi quasdam industrias quæ te doceant bene vti lectione studiosa, fiat.

Habeto primam hanc industriam, vt sit tibi bona librorum electorum copia. Etenim si gloriatur quilibet opifex in abundantia instrumentorum artis suæ, si placet multis ornatus vestium, si plurimos delectat thesaurorum mutus aceruus, oportet longè amplius placere tibi diuitias librorum loquentium nobis quæ volumus & quærimus, qui ipsos etiam absentes, etiam mortuos, immo etiam Deum cum angelis & sanctis omnibus faciunt miscere nobiscum colloquia sancta, & à lectione redire potes semper vel melior vel doctior. Hinc præterea vitatur maximè malorum omnium sentina & incentrix otiositas, de qua bene enunciauit qui dixit, otium sine litteris mors est, & viui hominis sepultura. Et Hiero.: Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia nõ amabis

Altera subiungitur industria, vt quotidie certis horis, præsertim de mane ac sero, locatur tecum lectio: te legente vel audiente. Hæc autem lectio, præcipue matutina conuenientior erit de euangelio vel epistola diei, vel de legenda sancti cuius agetur celebritas, maximè si sermo defuerit. Nec fuerit tibi verecundum, si subijci videaris vel confessori tuo vel alteri, recogitans quia non sibi, sed Deo, sed veritati, sed communi & propriæ vtilitati te subijcis.

Alteram quoque legimus industriam fuisse apud veteres, qui in conuiuijs ad tybias egregia superiorum opera carminibus comprehensa plangebant, quoad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderent. Quod laudans Valerius autor huius historiæ proclamat. Quas Athenas, quam scholam, quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim. Hæc præterea lectio modulata, nonne compesceret varios & incondi-

tos tumultus, ne dicam in detractionibus & maA ledictis. Hæc fama quoque vtinam de Franciæ regno apud alias nationes gloriosior esset. Fertur adhuc apud inclytum ducem Borbonij huius disciplinæ clarum decus obseruari, & profectò domum tuam, ô anima mea, domum regiam decet sanctitudo talis, in qua nihil obscœnum, nihil impudicum nihil inordinatum, nihil sacrilegum, nihil blasphemum, nihil non serium, disciplinatum & sanctum videatur & audiatur conclametur.

Alteram rursus addamus industriam, vt freB quenter ea quæ vel visa fuerint, traducantur ad mores, velut ex similibus similia, & ex figuris figurata notentur. Exempli gratia. Quæris habere tunicam decoram, mundas manus, splendidum conuiuium, seruos obedientes, catulos blandientes. Curaueris habere proportionalia morum ornamenta, habeto tunicam virtutum decorem, habeto nuptialem charitatis vestem, ne reijciaris confusus à nuptijs. Mundas quoque operationis manus tene, Fac tibi proinde conuiuium C iuge spiritualium, sicut à subdita tibi creatura vis fieri. Nunquid tibi in hunc modum deserunt libri quos legere fas habes? Nam præter libros scripturæ nominatur mundus iste totus liber naturæ, sicut in temet retines librum conscientiæ. Iuxta cuius inscriptionem te noueris finaliter iudicandum. Quinetiam vita cuiuslibet viri iusti & prudentis, liber est exemplaris, in quo legere est ex vultu, ex gestu, ex vniuersa corporis compositione mores bonos, in malis verò per conD trarium. Rursus omnis institutio ecclesiastica, in vestimentis ministrorum & cæteris ornamentis, liber est mysticorum sensuum plenus. Postremò cognoueris, & alta mente recondito, quod ad perfectam sufficientémque sapientiam pro regno quadruplici memorato, nulla vnquam te lectio vel industria vel consideratio propria deducet, quin egeas assiduè mutua communicatione familiarium consiliariorum tanquam quarundam vocalium. Nam ibi salus vbi multa consilia. Si autem consiliarius fidus in primis E Deo & tibi. Nam qui Deo nequã est, cui bonus? Sit præterea charitatiuus, patiens, benignus, qui non sit ambitiosus, non infletur, non quærat, quæ sua sunt, sed quæ communia, sit verax in verbo, constans iudicio, secretus in commisso, sit doctus & expertus in his quæ petuntur, quoniam cuilibet experto in arte sua magis credendum est. Antiquus insuper, in quibus maior sapientia & prudentia certior, propter experientias multiplices doctrices optimas reperitur. Esto cum talibus assiduus, vitans prauorum & stulF torum consortia, quorum colloquia corrumpunt bonos mores, & ipsis acquiesce. Quid enim minus tolerabile, quam si vniuersam rempublicam vna vnius sententia præsumet pro libito versare reuersaréq; cum verissimè dicit canon: Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Ab omnibus intellige, vel à maiori omnium saniorique consilio. Regna quippe sicut & respublica, non tantummodo sunt regum, sed omnium sub eis fatemur tamẽ quod alio & alio modo. Ad vnum tantum cõmunis sufficientiæ & pacis cõmodum

vt vniuersa consilia & opera referantur necesse est. Credo quod nihil est quod ita stabilire potest A regnum, qualelibet vel speciale vel ecclesiasticum vel temporale politicum, quemadmodum si assumantur in consilijs & officijs atque dignitatibus, quales descripsimus amatores boni publici. Nam vbi defuerit amor iste, leges quantumlibet multiplicatæ & optimæ non tantum non prosunt, sed in arma nequitiæ conuertuntur, præterea væ væ præficientibus tales amantes seipsos, aut qui vt præficiantur suadent vel extorquent. Denique sicut cæpisti, ota sapientiá ex totis præcordijs tibi mitti à Deo, qui vias tuas B dirigat, in quo consilia tua semper permaneant, cuius vnctio docet de omnibus mundos corde. Alioquin reprobat Dominus cogitationes populorum, & reprobat consilia principum. Consilium autem Domini in æternum manet quod insequens non errabis. Insequeris autem nunquam melius quam columbina simplicis & puræ orationis penna fretus, per quam volabis ad eum & requiesces, salua facta à pusillanimitate spiritus & tempestate, fiat fiat.

Quinta particula in qua continetur consideratio super habendis libris pro lectione studiosa.

EDocta es ô anima mea, quemadmodum lectio studiosa doctrix est disciplinæ Dei tanquam ancilla sapientiæ. Hæc lectio libris vtitur & nutritur electis, dum venenatis hæresum & errorum & spurcitiarum sordibus carent. Tales D in ornamentum & thesaurum & profectũ tuum iubeas aggregari nedum pro te sed pro consortibus tuis, nec vt studiosa multitudine te prægraues, sed varietate grata delectes. Denique magnificentia regalis, quæ profusa est totiens in rebus habentibus minus vtilitatis, attende quam profusior esse debeat, in constitutione bibliothecæ librariæ cuiusdam domesticæ vel familiaris, & quæ portatilis esse posset, velut altera quædam arca testamenti per desertum huius mundi. Subscribuntur igitur velut in schedula libri quos necessarios habeas. Primo biblia, præsertim quoad historias & documenta moralia. Item postilla de Lyra, quæ literæ magis hæret. Item tractatus de vitijs & virtutibus in latino. Item tractatus de vitijs & virtutibus in Gallico, quæ dicitur summa regis. Item martyrilogium sanctorum, quale est apud Carth. Item legendæ sanctorum & vitæ patrum, & speculum historiale Vincentij. Item meditationes & orationes deuotæ, vt Aug. Anselmi Bernardi & aliorum. Item collectorium quorundam opusculorum in gallico nuper editorum, de præceptis Dei, de examine conscientiæ, de scientia bene moriendi, de contemplatione, de mendicitate animæ. Sermo de passione Christi qui incipit: Ad Deum vadit. Sermo de mortuis. Sancta ergo & salubris est cogitatio. Item exhortatio de triplici via regis. Viuat rex. De schala mystica sub metro. Collatio exhortatoria ad pacem. Fiat pax. Collatio exhortatoria ad iustitiam & concordiam. Iurisdictionum ecclesiasticæ & temporalis, & quædam alia. Item liber Egidij de regimine principum. Item libellus de quatuor virtutibus. Item œconomica & ethica & politica Aristotelis translatæ in galicum. Item Valerius maximus & Frontinus de stratagematibus bellicis. Item Salustius. Item Vegetius de re militari translatus. Item Boëtius de consolatione. Item Seneca de clementia ad Neronem. Item vulgati autores, Cato, Theodolus, Æsopus, cum similibus translati. Item liber de sphera translatus, pro aliquali cognitione philosophica huius mũdi. Item chronicę Francorum. Item Titus Liuius. Item Suetonius de duodecim cæsaribus. Item Augustinus de ciuitate Dei translatus & expositus.

Sexta particula in qua continetur oratio, complectens breuissimè puncta nostræ religionis Christianæ.

O Sapientia quæ ex ore altissimi prodiisti, attingens à fine vsq; ad finem fortiter, suauitérque disponens omnia, veni ad docendum nos C viam prudentiæ. Sic te flagitat puer iste paruulus, ignorans egressum suum ac introitum, stans in medio populi infiniti, & qui dinumerari non potest. Adsis ergo iugiter puero tuo tu sapientia Dei patris Iesu Christe, docens interno & viuaci afflatu spiritus tui sancti, quia nisi te aperiente sensum, nullæ intelliguntur scripturæ, nulla lectio proficiet. Solus quippe dignus es aperire librum, & soluere signacula eius, qui Salomoni dudum & Danieli pueris intelligentiam, qui prophetis & apostolis idiotis sapientiam infudisti. Adsit mihi comes continuus angelus tuus, qui ad meam vniuersique regni tui Christianissimi custodiam deputatus est, dono tuo protegat ipse semper, ne præualeant inimici. Adsit & illa regina cœlorum, gloriosissima mater tua, cum beatissimo Dionysio & Ludouico, ac omnibus sanctis regni cœlestis, qui hostiles omnes insidias & assultus potenti virtute deuellant. Da mihi puero tuo benignissime Iesu fidem & integram ac viuam, de collectis E credẽdis in symbolo Credo in Deum &c. Et reliqua quæ sub duodenario articulorum continentur, quorum veritas tot miraculis, tot reuelationibus, tot testimonijs martyrum, tanta contentorum rationabilitate probata fulcitáque consistit, vt insana sit præsumptio non credere, & nolle redigere intellectum in obsequium fidei sub te Deo nostro, qui potentior absque vlla comparatione atque sapientior es quam intelligere valeamus, cum sis illud quo magis excogitari non potest. Da simul obedientiam promptam ad tua decem præcepta conscripta olim digito tuo, in tabulis duabus lapideis. Quorum sententia est. F

Vnum crede Deum, nec vanè iura per ipsum.
Sabbata sanctifices, habens in honore parentes.
Non sis occisor, fur, mœchus, testis iniquus.
Vicinique thorum resque caueto suas.

Et hæc præcepta decem tria circa te Deum, & septem circa proximum complexa est euangelica breuitas his duobus, in quibus vniuersa lex pendet & prophetæ. Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, ex tota mẽte tua, ex tota anima tua,

tua, & ex tota virtute tua, & proximum tuum sicut temetipsum. Addidisti præceptis consilia in lege tua noua vt de dilectione inimicorum, non reddendo malum pro malo, & reliqua quæ iugiter secundum præparationem animi, & non semper per operis exhibitionem veniunt obseruanda. Docuisti rursus orare nos te patrem nostrum cœlestem, sub petitionum septenario in oratione dominica contra septem peccata mortalia, quæ sunt, superbia, ira inuidia, acedia, auaritia, gula, luxuria. Aduersus quæ pro purgatione & ornatu nostro contulisti virtutem, tres theologicas, innitentes tibi soli, quæ sunt, fides respectu tuæ veritatis, spes respectu potentiæ, charitas respectu bonitatis, & quatuor cardinales, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam. Quibus in patria septem dotes correspondent, fidei visio, spei tentio, charitati fruitio, quoad animam. Charitas prudentiæ, temperantiæ subtilitas, fortitudini agilitas, iustitiæ immortalitas quoad corpus. Coniunxisti præter ea virtutibus istis septem dona tua, quæ sunt, pietas, timor, scientia, fortitudo consilium, intellectus & sapientia. Septem quoque beatitudines eleuantes nos ad perfectionem numerasti quę sunt: paupertas spiritus, mititas, luctus, esuries & sitis iustitiæ, misericordia, mũdicia cordis & pax. Misericordiæ verò opera alia sunt corporalia septem, alia septẽ spiritualia, quæ duobus metris complexa sunt.

Colligo, poto, cibo, tego, sano, visito, condo.
Corrige, duc, cela, doceas, solare, fer, ora.


Amplius verò constituta sunt per te Dominum & redemptorem nostrum septem sacramenta. Baptismus ad vitam spiritus contra originale peccatum. Confirmatio ad robur fidei. Eucharistia sacra summè veneranda & colenda ad nutrimentum spiritus. Pœnitentia quoque habens tres partes, quæ sunt, contritio, confessio & satisfactio contra peccatum actuale. Matrimonium insuper ad filiorum propagationem pro cultu Dei. Ordines sacri ad hierarchiam populi Christiani sanctificationem. Extrema vnctio contra ægritudinem & peccatorum venialium contagionem. Sed cur ista coram te dinumerat puer tuus bone Iesu? Dinumerat ea sanè, vt non penitus ingratus sit immensæ largitati tuæ. Vt præterea salubres fructus, qui sunt pax, gaudium, cum reliquis, inde præcipiat te donante quem exorat.

Reuelasti igitur quid credendum iussisti quid agendum, doce, quæ ô magis & magis quod reuelas adiuuans incredulitatem meam, & da quod iubes operari. Da scire posse & velle cum gratia tua ad gloriam maiestatis tuæ & salutem propriam, vt tandem separatus ab his qui à sinistris audituri sunt horrendissimam illam sententiam. Ite maledicti in ignem æternum, quia scilicet misericordiæ operibus caruerunt, collocetur puer tuus à dextris, auditurus cum cæteris electis tuis & misericordibus iocundissimam illam vocem. Venite benedicti &c. Amen.

Gerson. Secunda pars.

A

DIALOGVS CVIVS COLLOCVTORES SVNT MILITES DVO, VNVS *Francus, alter Anglus, contendentes de quarelis Franciæ & Angliæ. Non apparet esse cancellarij.*



MILITES in eremo Vallisclusæ sibi inuicem obuiantes, alter alterum cuias esset, inquisiuit? alter Francus, alter Anglus respondit. Ergo inquit Francus inimicus. Inquit Anglus
B
vtrique milites sumus, sed peregrinus arma bellica deposui. *Francus.* Quid quæris? *Anglus.* Animæ salutem. *Franc.* Tempus nos monet. *Anglus.* Quot annis es? *Francus.* Annos non habeo, sed mors iam. l. annis mihi pepercit. *Anglus.* Mihi plus. *Francus.* Quo pergis? *Anglus.* Peregre. *Franc.* Omnes sumus peregrini & aduenę, nec ciuitatem manentem habemus, sed futuram vtinam inquiramus. *Anglus.* Quid ergo tibi videtur de peregri-
C
natione nostra? *Francus.* Timeo quod per vallem lachrymarum discurrentes Dei indignationem procurauimus. *Anglus.* Quare? *Francus.* Quia iuxta verbum Esaiæ perpendo per ea quæ video, quod indignatio Domini super omnes gentes, & super vniuersa malitiam earum, quia nata in hac peregrinatione ærumna iam tam fastidiosi euenimus, vt nesciamus quid desiderare debeamus, & in hoc pugnamus, cum iam sumus hora cœnæ: in quos fines seculi deuenerunt, quia nihil est quod restet debemus pertimescere, ne tempus
D
gratiæ quod præsto est pereat, tamen de caducis certando, omnium nostrum corpora moriuntur, & salus animæ dubia. *Anglus.* Immo certa. *Francus.* Quare? *Anglus.* Quia mandato Dei principi nostro obedimus, qui nos cogit ad bellum, & si moriamur pro obedientia morimur Dei mandato. *Francus.* Bellum iniquum est, quia fundatum est in libidine dominandi & voluptate ditandi tyrãnica contra Christianos, & qui scienter peccat quærit sibi gehennam. *Anglus.* Ergo principi non
E
obedientiam? Nonne scribitur, qui non obedierit principi, morte moriatur? Nonne cum in obedientia ero infamis, vecors, pusilanimis, desertor militiæ reputatus, immo de proditione suspectus, & reipublicæ inimicus. *Francus.* In iustis obediendum, non in iniustis.

Puto iustum omne quod princeps consultus cum suis pontificibus & satrapis præcepit. *Francus.* Quid ergo tibi prodest propria conscientia si secundum alienam cõscientiam morti te exponis? Si Christianus miles es, nonne Christi actio tua
F
est instructio cuius humanitas verbo exemplo humilitatem & paupertatem docuit atque iussit. Tu autem qui apostatas à Christo, cur Christiani nomen vsurpas? Nonne dicit qui diligit me, sermonem meum seruabit? Nonne mandatum legis consistit in charitate perfecta, dilectione Dei & proximi, qua teneris quæ habes egentibus communicare, & hoc non ignoras? Quomodo vbi debes dare, audes rapere quod tuum non est? Nonne mandatum legis, non contristare fratrem nec proximum? Quomodo in tua libidine dominandi rapis, contristaris & occidis, & cuncta

gladiatorum scelera committis contra Christi legem & doctrinam? Nedum contra consilia & beatitudines seu virtutes, immo & præcepta Dei digito scripta. Cui magis teneris obedire, an homini, an Deo iusto & æterno, an regi mortali, an regi creatori Domino dominantium? *Anglus.* Creatori magis. *Francus.* Ergo illi obedi & mandatis eius, super quibus nec rex potest dispensare. *Anglus.* Non solum oportet me alios sequi, quia pœna mortis est & infamia si contra dicam. *Francus.* Non minus ardebunt qui cum multis ardebunt. *Anglus.* Angustiæ vndique. *Francus.* Vtere igitur consilio Susannæ. Sis innocens sanguinis iusti, & refide cum Christo, nec Christiani nomen perdas, nec paruipendas militiæ gradum. *Anglus.* Non paruipendo, scilicet pro militia exercenda morti me exposui. *Francus.* Immo potentia tua abuteris, quia militasti per hoc ad Dei offensam & proximi. *Anglus.* Quid vis me facturum? *Francus.* Seruaturum legis Dei præcepta, & sit tua militia contra infideles, & Dei præcepta, non obseruantes, militare pro fide Christi & eius ecclesia, quam tuendam suscepit militia, desistas à sacrilegijs & rapinis, protege pupillos & viduas & aduenas, neminem opprimas. *Anglus.* Viduas & orphanos facit guerra, quomodo protegam. *Francus.* Desiste ab illa, & milita pro Christo & defensione naturali ad iniuriam propulsandam permissa sed non offendas, si sic feceris, fructum felicitatis præmij ac famæ gloriosæ reportabis, de contrario pœnalem atrocitatem, & æternam ignominiam ac perpetuam aggregabis. *Anglus.* Consilium licet videatur salubre, tamen quia Francus qui mihi suspecti, quia forte ad nostram reprimendam militiam hæc dicuntur, illam timés ne magis noceat. *Francus.* Deum timeo, cui nihil potest latere, non vos Anglicos iniquos Franciæ persecutores. *Anglus.* Immo tortores vestros propter iniquitates vestras. *Francus.* Immo persecutores, quia propter iustitiam patimur, beati sumus, & magna erit merces nostra regnum nostrum ab infidelibus cum multo quæsiuerimus martyrio, & illud à Deo cognouimus, quia semper misericordes fuimus, non violenti tyranni, vos autem Anglici Christianos impugnatis & occiditis, vt infidelibus vires augeatis, & sic iustitia nostra & iniquitas vestra notissima Deo & mundo. Non ergo propter iniquitatem nostram à vobis torquemur, si propter iustitiam patimur, & ita beati. Rex autem vester contemnens Dei mandata, sicut primus in throno, sic & in pœnis primatum obtinebit. *Anglus.* Cuius culpa quæritur. *Francus.* Omnium vestrum tyrannizantium in libidine dominandi & voluptate dominandi tyrannica à Deo & eius mandatis apostatantium. *Anglus.* Ergo regis præcipientis non militiæ obedientis. *Francus.* Non teneris contra Deum obedire. *Anglus.* Quis potest regem nostrum corripere, emendare seu retrahere, non nos subditi. *Francus.* Omnes simul vniti possetis dissentire, & quia omnes assentitis, omnes estis rei. *Anglus.* Quis regem & nos posset corripere? *Francus.* Nullus præter summum, vnicum & indubitatum pontificem. Ergo ille in culpa horum scandalorum videtur: & illi potest dici quod scribitur in figura. 3. Regum 20. Custodi virum hunc & populum istum, quoniam si de manu tua lapsus fuerit erit anima tua pro anima illius. Scire enim ipse & quicunq; regens debet, quod sicut in throno primus cõstitutus est sic, & in pœnis, si neglexerit iustitiæ opera & præcepta exercere, primatum habiturus est. Et alibi verbum dominicum & propheticum, ille quidem in sanguine suo morietur, sanguinem autem eius de manu speculatorum requiram, ad hoc enim officium est præpositi, vt non parcat obiurgando peccata. Nec est à culpa alienus qui licet præpositus non sit, quoniam multa arguenda vel monenda nouit & negligit, illorum vitans offensiones nullum enim timere debet præter Deum. *Anglus.* Forte vobis sumus flagellum vt corripiamini tanquam virga directionis. *Francus.* Nõ nego, & forte mala virga directionis, peioribus virga ferrea, bonis autem ad examen virtutis sæpe pressura sicut sæpe vidi, ex eodem igne aurum rutilat, palea fumat, cibus coquitur, homo confortatur, alius ex vstione læditur. Itaque vna virtus irruens bonos probat & purificat, malos damnat, vastat & exterminat & in eadem afflictione mali Deum detestatur, boni verò Deum laudant & precantur. Vel forte tanquam suos corrigit nos quos diligit medendo, quia multis nocuit aduersario caruisse, sicut de Romanorum monarchia scribitur. Orbem deuictum victorum victrix vltra est luxuria. Et forte nobis patientibus prosunt scandala, væ tamen illis per quos scandala veniunt. Vnde Gregorius in morale exponens illud Iob. 26. Gigantes gemuerunt sub aquis, sub pondere populi. *Anglus.* Si Deo non placeret, non tamdiu pateretur hæc fieri, immo puniret aliquos. *Francus.* Immo si omnia punirentur, nihil seruaretur in futuro iudicio, & si nihil puniretur, nulla diuina prouidentia crederetur, & verè multi ex vestris offensis puniuntur. Nam siue malè siue prospere succedat, punimini, quia malus in sua felicitate punitur, quia felicitate magis corrumpitur, bonus autem nec bonis extollitur, nec malis frangitur. Punitur etiam, quia per quæ peccat homo, & per illa torquetur, nec est impijs gaudere dicit Dominus, sed & hæc vitiorum primo genita, quæ sunt oblectamenta peccati Deo sunt iustitia illius puniendi. Ideo dicit Apostolus, quod euanuerunt in cogitationibus, induratum est cor insipiens, propter quod & Deus tradit eos in desideria cordis eorum, & in immundicias, vt afficiant contumelijs corpora sua, & sicut probauerunt non habere Deum in notitia, tradidit illos Deus in sensum reprobum, vt faciant ea quæ non conueniunt, certè puniuntur, & dum nostra gaudeant damna, sua deflent. Fecistis viduas & orphanos in Francia certè & Anglia, necati sunt ex vestris centum milia cum suis principibus, nec qui sunt, erunt in numero. *Anglus.* Fateor dictum Esaiæ verum, quod indignatio Domini, & non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus, sed quomodo. ignoro. *Francus.* Quia ex Deo non es, & inde verba eius non audis, nec attendit. *Anglus.* Esse volo ex Deo. *Francus.* Cœlestem patriam iubet ille quærere, qui est via, veritas & vita, corporum desideria conteri siue carnis, à mundi gloria declinare, aliena non appetere, propria largiri, si hæc audiens exequeris, Dei ciuitatem futuram acquires,

acquires, quam timeo tecum multis tuis amisisse, aut saltem elongasse. *Anglus.* Quare? *Francus.* Quia antichristi vestigia secutus es, & Christi vitam & doctrinam despexisti. *Anglus.* In quo? *Francus.* Fere in omnibus vijs tuis. *Anglus.* Specifica magis. *Francus.* Christus vita & doctrina præcepit cum humilitate charitatem & voluntariam paupertatem, vos autem propter summam superbiam non contenti regno opulentissimo, in libidine dominandi, non timuistis mittere manũ vt occideretis Christum Domini, & mente sacrilega deserentes Deum, ipsius mandata & præcepta offendentes cuncta nefandissima scelera perpetrastis, tanquam veri ministri antichristi. *Anglus.* Immo Christi, quia multos facimus martyres & pauperes, quos diligit Deus, & tanquam filij hominum quæramus iram illis, vt nostram rempublicam augeamus, & hoc faciendo in quo demeremur? *Francus.* Necesse est vt veniant scandala, vę tamen illi per quem, terram dedit vobis Deus sufficientem ingratis cur pro tantis donis impensis à Deo, mala rependitis? *Anglus.* Quæ mala? *Francus.* Cuncta homicidia & alia infinita. *Anglus.* Sine homicidijs non possunt fieri bella. *Francus.* Ideo detestanda inter fratres. *Anglus.* Pariter occidimus nostra sorte. *Francus.* Dignè vestra culpa quia iniustè bella prouocatis, nos autem iustè repellimus iniuriam, & ideo quia non timuistis mittere manum ad occidendum Christum Domini, sanguis tuus super caput tuũ, & incliti Israel supra montes interficientur, & abijcietur clypeus vestri antichristi. *Anglus.* Cur tantum detestaris homicidia? *Francus.* Quia vltimum terribilium est mors, & deberent sufficere vobis prophanis hominibus aliæ astutiæ inquirendo vestra libidine fastuosa, sine tamen sanguinis Christiani effusione. Nonne omne creatum tendit ad suæ speciei conseruationem, cur omnibus creatis estis creduliores, plantæ vegetabiles, animata bruta etiam ferocia, omnibus suis viribus, ingenijs, cautelis, suam conseruant speciem, & cum ab alia specie consumantur vel lædantur, iuuant se inuicem, & cum non possunt, signa doloris ostendunt, plorant & vlulant, vos autem tanquam lupi rapidi, famelici, humanam quantumcunq; decorãt, piam, catholicã, vorare, necare nõ veremini. Intuere boues, feroces porcos & alia bruta, quantis viribus suam conseruant speciem. *Angl.* Prout facimus, ita & patres nostri fecerunt, viuimus in lege patrum. *Francus.* Et ideo verbum dominicum per os propheticum Samuelis loquentis Heli: semel dies venient, vt præscindam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua &c. tabescat anima & magna pars domus tuæ. *Anglus.* Oportet sequi vestigia patrum. *Francus.* Fateor. *Anglus.* ergo habeo optatum. *Francus.* Quia patrem æquiuocans loqueris de corrupto & mortali, ego autem fateor de vestigijs patris ęterni & creatoris & redemptoris qui in cœlis est, cuius vtique voluntas fiat sicut in cœlo & in terra nostra & vestra. *Anglus.* Vtinam vtinam & vtinam. *Francus.* Videris aliquantulum reductus, compunctus. *Anglus.* Sum etenim, sed illum non cognosco patrem. *Francus.* Si teipsum non cognoscis, quomodo illum cognosces? *Anglus.* Rogo igitur, quis sum dic? *Francus.* Vas sterquilinij, concha, putridus, plenus stercore & horrore, cœcus, pauper, nudus, ignorans introitum tuum & exitum, cuius vita sicut vmbra, quæ quanto magis crescit tanto descrescit, & tanto magis ad mortem properat, tantæ subiecta mutabilitati, vt vna non maneat hora in eodem statu, sed es misericor, quia licet nihil certius morte, tamen illius hora nil incertius, & tamen illa non prouides, sed spe vana quæ tibi caduca blanditur, falleris. *Anglus.* Si tam vilis sum, quomodo Deum videbo & patrem vocare præsumam non videbo. *Francus.* Quia es in tenebris. *Anglus.* Exire cupio. *Francus.* Clama igitur ad lucem. *Anglus.* Quomodo? nescio quid dicam. *Francus.* Dic veni claritas quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, sed non diligentem, quia qui diligit mundum, inimicus lucis efficitur & obfuscatur. Et iterum hic: Illustra oculos meos lux incomprehensibilis, fulgura choruscationes, & dissipa eos vt non videant vanitatem. Et iterum clama: Tribue lux inextinguibilis dum te videam, crea nomen alpha cum odore vitæ qui post te in odorem vnguentorum tuorum currat, gustum sana quæ sapiam cognoscam & discurram quam magna est multitudo dulcedinis tuæ quam abscondisti timentibus te. Et iterum magis compunctus dic: Cur faciẽ tuam abscondis? Forte dicis Domine: Non videbit te homo & viuet. Eia Domine moriar vt te videam & videam vt hic moriar, & ignosce seruo tuo qui præsumit loqui Domino suo calamitas quam patior, me cogit exclamare, cœcus sum ad lucem propero, tu es medicus & lux vera, via & vita & fons misericordiæ miserere mei. *Anglus.* Peccator sum, forte non exaudiar. *Francus.* Dic Domine peccaui & faciendo nihil, factus sum nihil, & ita confiteor, quia confessio est via ad te per quam egrediar de limo & redibo ad te viam, quia verbum dixit: Ego sum via, veritas & vita, separatus à te factus sine via, quia sine ipso factum est nihil, & quia nullum bonum sine summo bono quotiens à te summo bono deuio nihil efficior. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat & erãt valde bona, malum autem factum sine ipso verbo, nihil aliud est quam priuatio boni, sicut cæcitas, priuatio visus. Et iterum dic: Domine nullis meritis præcedentibus placuit tuæ summæ & misericordissimæ bonitati adesse me perducere, sed & magis viuere & sentire, & paulo minus ab angelis intelligere, quia illa iam faciem tuã habent, ego autem per spem & speculum in ænigmate obsecro regat me tua misericordia & cogat te pietas ad saluandum, quæ te vicit ad creãdum, quia nihil odisti eorum quæ fecisti. *Anglus.* Arcta est via, quia quicquid mundo est, aut est concupiscentia carnis, aut oculorum, aut superbia vitæ, nimis peccaui Deum mundo postponendo, diffido exaudiri. *Francus.* Audis verbum consolationis, dicens: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Anglus.* Quomodo potero redire & filius effici? *Francus.* Iam dixi per confessionem, pœnitentiam & satisfactionem. *Anglus.* Difficile est. *Francus.* Immo facile volẽti, fecit te Deus dignissimã creaturam,

& licet ſis non capax, angelis quodammodo par
poteſt per verbũ effici, quia potes æqualis fieri &
filius adoptiuus per vnigenitum verbum, per quẽ
habemus acceſſum. Omnia enim ſub pedibus ho-
minis ſubiecit Deus vt ſolus homo totus Deo ſub-
ijceretur & totus eſſet ſeruus, cunctis dominatur
homo, & exteriora cuncta pro corpore ſunt crea-
ta, ipſum verò corpus pro anima, anima verò pro
Deo vt illi ſoli ſeruiat & illum poſſideat ad ſola-
tium. Cogita ſi tanta tibi ſolatia in hac die lachry-
marum, quanta in die nuptiarum, ſi hæc delecta-
bilia in carcere, quid in propria patria conferet
diligentibus eum quia non eſt numerus benigni-
tatis ſuæ? *Anglus.* Intelligo aſſerta vera, ſed mihi
ignaro & laico difficilia. *Francus.* Immo groſſa &
breuia. *Anglus.* Dic igitur. *Francus.* Dilige Deũ, &
proximũ. *Anglus.* Diligo Deũ. *Francus.* Qui diligit
me, ſermonem meum ſeruabit. *Anglus.* Sermo
eſt mihi prolixus & ignotus. *Francus.* Immo bre-
uiſſimus & reſolutus ad dilectionem dei & pro-
ximi. *Anglus.* In dilectione Dei hæſito, quia
ſumma eſt ratio. Sed quis ſit proximus non in-
telligo, niſi qui miſericordiam in me agit, vt con-
tra alios ſine Dei & legis offenſa poſſim dimica-
re, ſicut & antiqui principes & prophetæ per cõ-
textum ſacræ ſcripturę dimicauerunt, & ſtrenuè
militarunt. *Francus.* Chriſti actio tua debet eſſe
inſtructio, qui pro perſecutoribus orauit, & qui
dixit: Niſi iuſtitia veſtra abundauerit pluſquam
ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in re-
gnum cælorum. Qui autem dixerit fratri ſuo ra-
cha, reus eſt conſilio, qui autem dixerit fatue,
reus eſt gehennæ ignis. Dictum eſt antiquis in
lege antiqua quam allegas: Non occides, Chri-
ſtus autem non vult proximum contriſtari verbo
nec effectu ſed mutua charitate: ſicut & ipſe di-
lexit nos, diligere propter ipſum tanquam fra-
tres in Adam, fratres in Chriſto, fratres in Eccle-
ſia. Illud fuit Chriſti teſtamentum. Pacem meam
do vobis, pacem meam relinquo vobis, & in ter-
ra pax hominibus bonæ voluntatis. Noli igitur
proximum deſpicere, nec contriſtari ſi Chriſtia-
nus miles cupis nuncupari, ſalua iuſta & mode-
rata defenſione inculpatæ tutelæ. *Anglus.* Si tibi
credam peribit in me ſtrenuitatis præteritę fama
glorioſa, ero fabula gentium, parentum oppro-
brium, quod abſit, quia crudelis qui famam negli-
git. *Francus.* Crudelior eſt qui animam perdit, qui
æterna amittit pro caducis. *Anglus.* Quid præfe-
rendum putas gloriæ & famæ bonæ? nonne pro
illa militamus omnes milites. *Francus.* Non nobis
Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.
Gloria Deo debetur in excelſis, & in terra pax
hominibus bonæ voluntatis. Diabolus ſibi glo-
riam quærit de operibus diuinis, tu & illi ſimilis
fur es & latro quærens Deo furari gloriam ſibi
pro immenſis beneficijs debitam. Noli gloriari in
vento & fabulis, mitte nautis ventum & gloriam
Deo, ſperne caduca fallaciſſima & guſta & ſapora
æterna. *Anglus.* Quid equi, quid ſocij, quid ty-
rones, quid arma, quid caſtra quæſita & peculium
eueniret, ſed & reſpublica & illius principes quo-
rum gratiam quæſiui: quid erunt facturi. *Francus.*
Peribunt & tu cum illis ſicut & granum quod in
petra tua ſeminaui, fructum non emiſit nec emit-
tet. *Anglus.* Nolo perire, immo pacem vel fœdus
vellem inter nos inire, vt honore ſaluo poſſem
tuis conſilijs acquieſcere. *Francus.* Nobis tãquam
A hominibus bonæ voluntatis pax debetur iure te-
ſtamenti, quam vos illis quaſi miniſtri Antichriſti
rapuiſtis, illius obtinendæ capaces. *Anglus.* Deus
ſupplebit deffectus noſtros. *Francus.* Magnipo-
tens cuius oculus ſuper filios Adæ: à die natiuita-
tis vſque in exitum vt reddat vnicuique ſecundũ
opera eorum bona vel mala cuncta cernens, & cui
nihil latere poteſt, ſupplebit iuſtitiæ huius ſæculi
defectus & vos noſtros efferos & ſuæ pacis cru-
deles perſecutores puniet iuxta demerita. *Anglus.*
B Demeritis neſcirem iudicare, ſed pacem in die-
bus meis videre deſidero, vt tuis conſilijs tan-
quã accommodis acquieſcerem ſalubriter. *Fran-
cus.* Si temporali caremus, vtinam ſaltem pace
fruamur æterna. Amen.

ADDITIO FACTA POST BIENNALE INTERVALLVM.

C ELVXO biennali ſpacio rediens Angli-
cus de ſua peregrinatione, Francum
repertum alloqui quæritur, & poſt
multa ſubintrat priſtinam collationẽ.
Cui Francus. Nonne contritus es & pœnitens
de tantis impietatibus per te in chriſtianiſſimo,
Francorum regno commiſſis? *Anglus.* Non.
Francus. Quare? *Anglus.* Quia cum iuſtitia &
iuſta guerra feci, terram enim noſtram quæri-
mus noſtri Regis Francorum & Anglorum iuſto
mandato, & ita ex poſt per viros magnos & do-
D ctos & pontifices ſum melius præterito informa-
tus *Francus.* Vnde regis tui iuſtitia proceſſit, pre-
cor dic? *Anglus.* Quia in ſucceſſione prima cauſa
filiorum & liberorum, ſed Rex Odoardus habẽs
filiam Iſabelis regis Philippi ex perſona illius pe-
tijt regnum iure ſucceſſionis, ergo cunctis prę fe-
rendus. *Francus.* Filia eſt in hoc regno incapax.
Anglus. Immò iure diuino & ciuili capax, vt ha-
bes in libro Deuter. de filiabus Alphat, pro qui-
bus dixit Deus ad Moyſen: Da eis portionem
hæreditatis paternæ: & hoc ſit tibi iudicium ſem-
E piternum. *Francus.* Illa hæreditas plebeia non re-
gnum & ſi regnum non ſimile huic in quo multa
ſpiritualia. Præterea argumenta legis antiquæ nõ
habent efficaciam niſi quatenus redacta ſint ad
moralia. Sed ſi ita ſit quod ſit capax, cur igitur
vos Anglici filiam regis Henrici nuptam Ganfri-
do comiti Andegauenſi moriente patre ſine maſ-
culis, non admiſiſtis ad regnum, immo Ste-
phanum ex ſorore nepotem prætuliſtis. Anno
Domini 1135. Nonne quod quiſque iuris in
F alterum ſtatuit, eodem iure vti debet? *Anglus.*
Dignum & iuſtum puto: ſed hoc mihi nouum.
Francus. Lege hiſtorias. Licet ſi etiam regni ve-
ſtri filia capax exiſteret, non ideo in Francorum
regno capax eſſet. *Anglus.* Cur tam varie? *Fran-
cus.* Quia hoc regnum ab infidelibus cum infi-
nito chriſticularum martyrio quæſitum mirandis
& ſingularibus donis & prærogatiuis diuinitus
donatis eſt in fide Chriſti ędificatum taliter, quod
noſtris caruit & hæredibus, teſte Gregorio. Vnde
Clodoueo lilium angelitus miſſum cum ampulla
ſacra, beato Remigio propinata, vt illum & ſuos
in

in dicto lilio successores illius sanctissimæ charitatis oleo inungeret, & inde post illam sacrosanctam vnctionem, paulominus, ab angelis rex quicunque Francorũ inunctus, vestigia illius approbationis retinens solo tactu manuum infirmos certa infirmitate curat, teste notorum ætate. Nec huius rei mulier capax censetur, cum à sacrorum ministratione, immo interdum certo tempore ab ingressu ecclesiæ prohibitam. Quare non idem sicut in alijs regnis, in quibus mulierem credo capacem. *Anglus.* Immo & in regnis successerunt & succedunt. *Francus.* Non Francorum & si in alijs consuetudo admittit illas ex consensu totius populi, Francis autem consuetudo & populi cõsensus in æuum contradixerunt. Quid plura? Nonne Deus distinxit dominia, & terram inhabitari fecit per distinctionem linguarum in turri confusionis, cum omnes in lingua vniformes per linguarum confusionem & diuisionem mundum inhabitauit, & gẽtes dispersit, quomodo vos barbari quorum vocem non intelligimus, moribus, vita & lingua prorsus differentes, nobis Francis cupitis præesse? *Anglus.* Etiam Hercules cum hac diuersitate Hispanias quæsiuit & habitauit. Nonne etiam Romani vniuersis linguis principauerũt? cur non Anglici æquè Francis principari possunt? *Francus.* Qui indigni, tam piæ, tam Christianissimæ nationi præesse, defende iustitiam allegatam & non tyranniam, allega iustos reges, & non tyrannos. *Anglus.* Reges Hispanię & Nauarræ qui profectò in lingua dominantur ducem Britanniæ & regem Hungariæ, qui duodecim linguas habet in regno differentes Hungarios Teutonicos, Sclauos, Tartaros, Philysteos, Commannos, Francos, & alios pro nunc à memoria mea lapsos. *Francus.* Hoc quia populus assẽtit subijci, quia minor pars debet maiori & digniori cedere, & regẽ alienum sibi assumit, nos autem non sic, immo vos Anglici dictæ quærelæ per te præmissę de filię successione expressè renunciastis, & regem Philippum approbastis. *Anglus.* Non credo. *Francus.* Erras in facto vel ignoras rei gestæ notoriam. Vnde pro tua veridica informatione scias quod anno Domini 1285. Dominus Philippus rex Francorum obijt relictis, Philippo Lebel & Isabele, quæ fuit nupta regi Anglorum Odoardo, qui quidem Odoardus ipsam reginam impiè præsumptionibus cuiusdam sui consiliarij *Hue le despencier* tractauit, in tantum quod Franciam aufugere oportuit, & tãdem post multa fuit compulsa redire inuita quæ præsidio & ope Domini Ioannis de Hannonia cum. cccc. nobilibus retrocessit, & à casu Deo disponente applicuit in portu de pristo, vbi sui beneuolè aduenientes cum potentia ingenti obsederunt regem virum suum & dictum Huelem euiscerauerunt, & regem custodierunt, filiumque nomine Odoardum coronauerunt, quem filium & regem rexerunt omnes de .N. & de R. de Mortemar, inter quos rectores insurrexit talis inuidiæ inimicitia, quod finaliter dictus Mortemar per iudiciũ Baronum morti damnatus & euisceratus, & eius intestina combusta adhuc eo viuente, sicut factũ fuerat de dicto *Hue le despencier*. Philippus autem Lebel frater dictę Isabelis habuit Carolum regem Francorũ, qui habuit tres vxores & mortuus sine liberis ordinauit quod dominus Philippus *de Va-lois* cõsobrinus suus germanus, tutor esset masculi

A si sibi nasceretur, si verò filia commisit iudicio pariũ, & quod eligerent in regem idoneiorẽ & expeditiorem, qui quidem Carolus moritur anno Domini 1328. propter quod dicti pares elegerunt dictum Dominum Philippum, omissis dicta Isabele & eius filio Odoardo, qui siquidem Philippus ilico coronatum & inunctus & consecratus, & ilico debellauit & deuicit Flandrenses, & similiter misit nuncios suos dicto Angliæ regi ad requirendũ quod veniret & recognitum ab eo ducatum Aquitaniæ,

B qui siquidem Odoardus venit ad ciuitatem Ambianẽsem in qua rex associatus regibus Bohemię, Nauarrę & Maioricarũ ipsũ honorauit, & idẽ Odoardus recognouit dicto regi Frãcię ducatũ Aquitanię, & fecit homagiũ in propria persona, verbo autem reperiretur teneri promittens quod se informaret de modo & forma & informatus faceret & literas cõtici faceret iuxta formã ad quã teneri reperiretur, & ita rex Anglię recessit cõtentissimus & ilico reuersus cõgregauit proceres regni sui, in qua cõgregatiõe rex Frãcię pariter suos misit.

C Et licet fieret rumor in Anglia quod deberetur corona Odoardo tãquam proximiori, nihilominus fuit conclusum per proceres magnates & tres status regni quod tenebatur facere homagium dicto regi Franciæ, quod & fecit per suas literas patentes, quas vidi in chronica descriptas datas ad Elchem anno Domini 1330. die 13. Martij, quibus cauetur modo & forma recognoscendi ducatum Aquitaniæ vt per partem Franciæ, & vt comites de Ponciem & Monstrolij, & ita promisit & iurauit se facturum per se & successores;

D & ita est verum notorium & manifestum per quæ satis iustitiam nostram & impietatem & iniquitatem vestram tyrannicam in libidine dominandi si velis lucidè potest comprehendere. *Anglus.* Miranda canis; sed precor quis ista ponit? *Francus.* Multi historici & chronicarij ista ponunt, sed latius videtur Ioan. Froysardi vobis fauẽs, quia non Francus sed de Hannonia & seruitor domesticus Anglicæ reginæ, vt ipse idem profitetur, nec ista tergiuersari possunt. *Anglus.* Aliter fui per vnum

E prælatum magnum & doctissimum informatus. *Francus.* Si aliter contra veritatem salua sui pace. *Anglus.* Quomodo igitur tot & tanta bella inde secuta & rex noster regem Francorum se nominauit? *Francus.* Non iustitia, sed iniquitate & instigante diabolo. *Anglus.* Quomodo precor exprime. *Francus.* Scire debes quod in Franciæ curia præpollebat Dominus Robertus *de Artois* sororius regis, qui siquidem certa occasione prouocauit regiam indignationem intantum quod

F aufugit Hannoniam, propter quod rex eius vxorem & liberos detinuit & ducem Hannoniæ diffidauit si illum receptaret, propter quod iuit Brabantiam, vbi illico durissima guerra inchoata cõtra ducem propter dictam receptationem quæ ipsum Dominum Robertum impulit ad fugiendum in Angliam vbi ilico applicatus machinare cœpit cum nobilibus contra regem Franciæ dicendo; quod vecordes & pusilanimes essent, sic regnum dimittere Domino Philippo, cum si vellent illud vendicare possent bono iure &c. in tantum quod in solenni festo beati Georgij in quam nobilitas vtriusq; sexus conuenit, in quo naturæ

humanæ & pacis hostis proteruus inimicus diabolus non abfuit. Immo præsens illum diem gloriosum sibi & omnibus diabolis fecit, quoniam iuuenum vtriusque sexus opere & consilio sanctũ passagium regis Francorum cum trecentis armatorum milibus turbauit, guerramque conclusit inter nos Christianos in qua creditur. cl. annorũ spacio, tam peste ignis famisque gladio Christianorum milliones interemptos. Cuius diaboli stimulante astutia, vna domina per ipsum Robertũ instructa in regis Anglorum præsentia in mensa sedentis vnam proposuit allegoriam, seu figuram, concludens allegoricè & figuratiuè magnam regis & suorum vecordiam, nisi Franciæ regnum vendicarent. Quo facto singuli tyrones instructi per dominum Robertum sua emiserunt vota dominabus, quod nunquam desisterent, vnus quod vno oculo non videret, alius captiuum non ferret &c. donec Franciæ regnum animo illud quærendi intrasset. *Anglus.* Quomodo tam repente fuit per nostros tanta materia & tanti regni conquæsta conclusa? *Francus.* Dirigente eodem diabolo pacis & naturæ inimico, quoniam dictus rex Philippus videns se, immo totum orbem pacificum, nolens militiam otio torpere, sed illam per Christi fidem augendam disponere, iuit ad visitãdum papam Vrbanum quintum in Auinione & petendo crucem pro eundo vltra mare, qua obtenta, reperiebantur trecenta milia armigeri ad crucem reperiendam dispositi, quibus absentibus Anglici vestri putarunt facilem regni Franciæ inuasionem, quæ cum ad aures dicti Philippi Francorum regis peruenerũt, à tam pio & sancto proposito, à tanto bono à vobis tam effera & dãnata nequitia compulsus pro sui regni defensione destitit, & ita guerra contra infideles fienda & pro vestra iniquitate conuersa cõtra Christianissimos Francos pro tyrannia & libidine dominandi exercenda, vnde ingemiscit populus, iubilat hostis, exultat infernus, quæ vox, quæ lingua tanta Christianorum damna exprimere potest illis infelicissimis die, loco & hora fabricatis. *Anglus.* Quomodo igitur regi Philippo reuersi de Auinione, Anglici nostri certificati quod erat infra regnum tantum negotium attentarunt & tam difficile. *Francus.* Instigante diabolo & dicto Roberto eius ministro, rex Angliæ consulit ducem Hannoniæ, qui consultus multum dissuasit istam quærelam & guerram, sed nihilominus magis fauens maiestati quam veritati & iustitiæ dixit consulendo ducem Brabantiæ, episcopum Leodiensem, archiepiscopum Colonienſem ducem Geldrensem marchionem Iuliensem dominum Arnolphum de Baquehensem, & dominum de Frãquemont, qui siquidem essent huius opinionis incipiendi guerram, attrahi possent ad diffidandum regem Franciæ essent sufficientes ad inuadendum cum. 10000. armatis cum tribus coronatis ad quos omnes prædictos missi sunt ilico quadraginta milites in maxima pompa quasi aurum iactantes pro gratia populi captanda per loca & patrias, quibus iter suum faciebant. Et ipsorum aliqui cum vno oculo dicebant se venisse, non ante cum illo visuros donec aliquod magnum fecissent pro cõquesta regni Franciæ. Qui siquidem milites & nuncij regis Angliæ, à dictis dominis reportauerunt votiuum responsum. Et cum hoc tantũ laborauerunt quod

A habuerunt fauorem tacitum Flandrensem medio cuiusdam Hartauelle inter ipsos præpotentis. Comes autem Flandriæ amicus Francorum posuit garnisionem à Gangent cuius metu oportuit Anglicos pomposos per Hollandiam remeare. Quo audito per regem Angliæ misit contra dictam garnisionem dictos armatos &. 1000. archerios qui post multum conflictum dirigente diabolo præualuerunt. Ex qua victoria dictus Hartauelle resumptis viribus ilico scripsit regi Angliæ quod post tale principium veniret & præualeret,

B prout & fecit & venit ad dictum locum. .N. vbi cum omnibus præmissis conuenit & in tantum votum propalauit qui post vnius mensis spacium facere voluerunt quod dux Brabantiæ faceret, & ille differens post aliã dilationem conclusit quod nisi de mandato imperatoris non diffidarét, propter quod marchio Iuliensis missus ad illum obtinuit vicariatum imperij & licentiam fabricandi monetam sub colore quod rex Franciæ occuparet ab imperio castrum decreueret in diœcesi Cameracensi. Et interim aduenit æstas & rex Angliæ

C erat cum coniuge in castro de Lonaur, aduenieñte autem termino venerunt Anglici. ccccc. & sagitarij. 10000. & nihilominus oportuit ipsum vsque ad mensem Nouembris alios dominos expectare & interim miserunt diffidationes regi Franciæ per quendam episcopum de Incole ex parte regis Angliæ tanquam vicarij sacri imperij, quod tunc etiam noluit dux Brabãtiæ sed venturum se promisit quando obsedisset ciuitatem Cameracensem, quod & fecit. Sed rex Angliæ fuit consultus

D dimittere obsidionem & intrare regnum, quod & fecit. Sed illico cũ voluit intrare regnum comes Lynandi & comes de .N. ipsum quem extra imperium dimiserunt solum vt vicario obedirent & fuerunt cum rege Franciæ, vnde rex Franciæ venit obuiam cum regibus Bohemiæ, Scotiæ & Nauarræ habens. cccccc. & viij. bannerias dc. lx. peminones. vj. duces xxxvj. comites cccc. milites & lxiij. pedestres vsque ad locum de Buronte. Rex Angliæ prope per tres leucas habebat duces.

E Brabantiæ de gueldres, Marchiones de Iuliers & Blannerbonc, Comitem de moirs, dominos de Hadnonia, Robertum *de Artois*, & omnes Barones & milites Angliæ, sed finaliter trancãte ducissa Hannoniæ recesserunt sine bello. *Anglus.* Hæc mihi non videntur verisimilia quod vt vicarius imperij ad tantam guerram inijciendam procederet, cum se nominet Francorum regem. *Francus.* Salua pace tunc se non dicebat Frãcorum regem, sed dicam cur & quomodo nomen & ti-

F tulum regis rex vester vsurpauit. Scire debes quod post præmissa nisus est medio dicti Iacobi Hartaualle attrahere Flandrenses qui omnino negauerunt metu pœnæ conuentæ & per ecclesiam illis impositæ, vt si minus grata regiæ Franciæ vnquam facerent, pœnæ excommunicationum & ducentorum milium Florenorum subiacerent. Sed consilio vnius mali aduocati tergiuersatoris quasi Architofelis fuit dictum, quod si reciperet titulum regis Franciæ & tanquam Franciæ rex illis præciperet, quod essent liberi à pœna cuius cõsilio fuit vtriusque applausum, licet multis prudentibus videretur rationi dissonum, recipere titulum tantum

tum

tum sine alijs causis & possessione. *Anglus.* Quid inde processum? *Francus.* Armata Francorũ & Ianuensium per mare destruxit Auroniæ & Franci destruxerunt terram Domini Ioannis de Hannonia, & illi de Cameraco Hannoniam discurrerũt. Postquam anno 40. iterum reuertitur Anglorum rex ad Franciam, qui repperit in mari armatã Frãcorum cum qua dimicauit & durauit conflictus ab hora prima vsque ad nonam, & finaliter Angli præualuerunt & transierunt & venerũt ad Gand vbi reperit reginam enixam, & ilicò obsedit ciuitatem Tornacensem, Et rex Franciæ venit vsque ad pontem de Cressi, vbi multæ scharmuchæ, & Franci strenuè se habuerunt & potentiores & Flandrenses vecorditer aufugerunt, sed finaliter post 11. septimanas tranctante ducissa Hannoniæ fuerunt deputati quinque tractatores qui concluserunt treugam ad annum vnum, & debuerunt reges mittere quinque notabiles personas, & ex parte papæ duos cardinales ad ciuitatem Attrabatensem & quicquid per illos seu duas partes illorũ esset factum, ratum maneret atque firmum, & interim vti possidebat quisque possideret. Sed finaliter in dicto parlamẽto nihil fuit cõclusum culpa Anglicorum pertinacium. Demum rex Anglus ordinauit festum in die Georgij & ordinem de Iarretire cum 40. militibus & 40. scutiferis & regina præsente cum 300. dominabus vel domicillis inductis eadem liberata. Anno 344. Et demum anno 46. posuit obsidiũ ante Calaysium propter quod rex Franciæ venit ad leuandum, & quia nõ potuit transire obtulit bellum, & rogauit regem Angliæ vt simul pugnarent, quod refutauit, & ita sine fructu retrocessit propter quod rex Angliæ habuit Calaysium, & sine misericordia illos cum seueritate tractauit & Anglicis populauit. Multi guerræ actus secuti vsq; ad annum 54. quo fuerũt in Auinione ad tractandum de pace, & anno 55. princeps de Galis descendit & de eodẽ anno rex Angliæ ad Calaysiũ & inde ad locum de Hedin, cui rex Franciæ venit obuiam, & obtulit bellũ dicto Anglorum regi, qui illud renuit, & cum confusione retrocessit. Demum anno 56. contra principem de .N. Rex Ioannes Franciam venit & habuerunt bellum prope ciuitatem Pictauiẽsem, in quo prohdolor multi nobiles hincinde occisi, & Franci superati, sed rex Ioannes fuit reputatus strenuior miles illius belli, quem vos Anglici honorastis, sed finaliter post multa ipsum occidistis, & tantorum malorum fuistis actores quos Deum debetis timere vltorem. Ecce iniustitiam seu iniquitatem vestram. *Anglus.* Aliter dixit mihi pontifex meus. *Francus.* Dic precor, quid dixit. *Anglus.* Dixit quod pro iustificatione sua obtulit rex noster stare cõsilio generali quod Frãciæ rex renuit, quod non renuisset si de iure suo cõfidisset. *Franc.* Per præmissa tibi liquet satis responsio, nonne quæstio sopita si quę esset per consensum regis & regnicolarum factum cũm tãtis deliberatione & dilatione omnia potuerunt rex & regnicolæ, singuli autem non. Cum igitur rex tuus cum procerum & regnicolarum consilio regi Frãcorum homagiũ fecit & regem agnouit, & approbauit, quo modo contra proprium iuramẽtum homagiũ & fidelitatis sacramentum venire non veretur Anglici. Nonne fellõniã commisit rex vester immo,

Gerson. Secunda pars.

læsit maiestatẽ domini sui? Nonne ista exceptio **A** alias elidit, quomodo igitur debuit Franciæ indubitatus cõpromittere de tanto regno in homines pauci enim reperiũtur hodie à populo horũ spernẽtes, dicit enim Salomon quod omnia obediũt pecuniæ, & alius dicit: Audito nũmo quasi quodã principe summo. Resiliũt valuæ nihil auditur nisi salue. Nõne de dicta fellonia ipse rex iudex competẽs tanquã dominus feudi & saltem cũ paribus quomodo submittere debuit vel potuit alieno iudicio, nunquam fecit nec facere debuit, nec legi fuisse de hoc actum. Præterea quælibet prouincia **B** non subdita imperio potest sibi regem eligere, vt Francia & Hispania non subdita imperio. Cum igitur deficeret in regno Franciæ filius primogenitus, & alij capaces in sãguine in proprietate procederent, quare non potuerunt illũ sibi eligere regem iudicio & electione pariũ & magnatũ, prout fecerunt illum victoriosum Philippum, cui inerat splendor nobilitatis regiæ & cuius vocem intelleximus, non barbarum seu Anglicum vel Saxonẽ, cuius vocem non intellexisset populus Francus, **C** erat enim dominus Philippus propinquior, & immo cum naturaliter in regno succedatur, & naturaliter in regno cum naturam imitetur & ab ea separari non possit iuxta doctorũ approbatas sententias. Nec etiã procerũ suorũ consilio dictus rex Anglicus contra fidelitatem & homagium præfatum venire præsumpsisset, nisi de facto ad suggestionem diabolicã medio illius diabolici Roberti *de Artois* impij & quasi per indignationem desperati illi tyrones & iuuenes post vinum & dominarũ persuasiones vocati illa vota de faciendo guer**D**ram in Francia, fatuè & in suarum animarum salutis detrimentum emisissent. Nec ambigendum quin proceres si cõsulti fuissent regnum suum & ducatum Aquitaniæ cum alijs pertinẽtijs maluissent pacificum, & sub fœdere regiæ Francorum maiestatis quam se tot & tantis guerræ discriminibus immiscere, per quæ nihil securũ, sed omnia contentiosa & Anglicis inutilia & damnosa, salutis Dei offensis & proximorũ contumelijs, quę æstimationem nõ recipiunt, quibus media illius, An**E**gliæ regni pars peste & gladio depopulata & hominibus viduata, & si damna dederunt certè maiora repassi sunt. Quid plura? Certè quæ iustè possidebant & pacificè nunc tyrãnicè & per felloniã omnia commiserunt & pacis fructum amiserunt. Malum igitur iuuenile consilium & impium minus salubre & vtile & honestum. Nec video vobis remedium hominibus destitutis, nisi quod habita dispensatione viduas vestras dispõsetis, & Dei & hominum pacem quęratis. *Angl.* Dolendũ & mi**F**randum de assertis si veritati innitantur. *Francus.* Ita ponunt & habẽt chronicæ quas vidi. *Anglus.* Nõne treugę vel pax expost factę? *Francus.* Multę, sed nulla efficax nec tenta. *Anglus.* Cuius culpa? *Francus.* Vestra prout audistis. *Anglus.* Non perpendi culpam nostram. *Francus.* Culpam noto cõtinuam per præmissa quia ex malo principio malus finis spectandus, quicquid expost bellis iniustis impijs & iniquis fortuna dedit suo iure, illud vestra impietate culpa & malitia venit, multi enim tractatus initiati cum illo illustrissimo Domino Ioanne de Francia, qui pro consummatione tractatus redijt Angliam & ibi occisus, &

OOO

licet habueritis hominem, redemptionem habere vel petere non veremini in gladij viribus, quibus plures ex vestris quam ex nostris interempti, & longè plures habetis viduas & orphanos quã nos Dei misericordia habeamus iustissimo Dei iudicio illud disponente, vt qui sanguinem sitis sanguinem patiamini & bibatis. Voluistis enim Nini Assiriorum regis magis quam Christi imitatores esse, qui annorum 50. spacio propagendæ dominationis libidine arma ferrea extulit & cruentam vitam per totam Asiam bellis egit, & in mari rubro vsque ad Luxinum pontum perdomuit. Barbarámque adhuc imbellem torpentem excitauit sæuitiam, & iam non pecudum sed sanguiné hominum bibere. *Anglus*. Non omnes eiusdem fuerunt nec sunt opinionis. *Francus*. Certè fateor, nec nationem totam accuso, sed autoribus tantorum scelerum culpam do. Proceres enim & prudentes pacem concluserant, quam tyrones & iuuenes inconsulti ad solam dicti domini Roberti *de Artois*, persuasionem infregerunt, & guerram cruentam inchoarunt. Multique probi viri pacé quæsierunt, sed illorum opinio prohdolor inualuit, & ita sæua longo vsu tãtorum præsertim prelatorum vestrorum autoritate comprobata inoleuit, quasi in naturam cóuersa & vtinam solos maiores, non in fontes pœna sequeretur. *Anglus*. Quando fuerunt illi tractatus inter nos quos asseris? *Francus*. Circa annum 1362. in quo rex Ioannes fuit liberatus anno 62. visitauit papam in Auinione, & anno iterum 63. pro consummatione tractatus redijt Angliam & ibi mortuus. Ex quibus orta est quæstio, & finaliter anno 68. in parlamento Parisiensi sententiatum est, quod appellationes dominorum de Aquitania à rege Angliæ deberent recipi per dictum parlamentum, & ita fuit significatum regi Anglię qui multa allegauit à rationis tramite multum dissona, sed nec minus rex noster tanquam iustificatus ex abundanti obtulit stare iudicio ecclesiæ Romanæ, & Domini nostri papæ quod rex vester renuit. *Anglus*. Difficile est mihi credere. *Francus*. Quare credis de pace cum illius fueritis semper inimici & ruptores tanquam non homines bonæ voluntatis, quibus solis pax à Christo legata. *Anglus*. Immo semper quæsiuimus & quærimus pacem. *Francus*. Quare igitur occidistis illum pium regem vestrũ Richardum, cuius medio pacem perpetuam si illa digni fuissetis quæsiueratis. *Anglus*. Longa est historia. *Francus*. Immo breuis in effectu. *Anglus*. Quare breuis? *Francus*. Quia tanquam pacis inimici estis assueti dominos & reges occidere. *Anglus*. Quos & quot? *Francus*. Cum ipse melius scire debes, quare regem sanctum Cinicum Danorum & Anglorum regem, cuius regis Danorum estis tributarij, occidistis infra ecclesiam cathedralem in ciuitate. Ottoniensis in regno Daciæ & Pheonia insula & ibi sanctus martyr sepultus. In cuius rei memoriam sagittæ signum vestri gestare sacerdotes in casulis debent dum celebrant, quam possessionem impiè continuastis vsque ad alium sanctum martyrem scilicet. Thomam Cantuariensem pro iustitia cuius estis inimici morientem & vsque ad dictum pium regem Richardum pro pace vobis quæsita tanquam indignis interfectus. Quę igitur maior dementia quam nobiscum contendere nisi gladio, si dominos naturales & proprios occidistis, vijs impijssimis opinionibus dissentientes, quomodo alienis pacem vel iustitiam seruabitis? *Anglus*. Nunquam audiui Anglicos reges interfectos. *Francus*. Ego legi prædictos & alios etiam tempore antiquissimo. *Anglus*. Dic quæso vnum. *Franc*. Dicam plures. *Anglus*. Rogo dic. *Francus*. Anno Domini 662. Osuas rex Angliæ occisus est. Anno 651. Ofini rex occisus. Anno 668. Elsinus rex occisus. Anno 680. Egristus Cardabumbrorum rex occisus est. Anno 698. Vremhered dux regni Mordamibrorum interfectus est. Anno 716. Obred rex Mordamibrorum interfectus est, prout vester Beda venerabilis in Anglorum historia latè describit. De illo autem martyre glorioso sancto Cinito Daciæ & Angliæ rege ponit Danorum historia. *Anglus*. Illi tunc infideles. *Francus*. Sed vos tunc infideliores. *Anglus*. Bonum fecerunt, quia sanctos & martyres homines mortales fecerunt. *Franc*. Si bonum, non tamen bene fecerunt, & Deus remunerator aduerbiorũ non nominum. *Anglus*. Forte cum iusta causa fecerunt & ita bene. *Francus*. Volentibus non abest occasio iusta vel iniusta, sumunt enim occasionem iniqui, quia corrigi despiciunt & bene prolata criminantur. Valde enim insolens & intolerabile existimant, quicquid illud non sonat quod intus amant. *Anglus*. Dum mente reuoluo quæ audiui malo tacere quam loqui. Vincit enim omnia veritas, & certum quod in diebus meis vidi nobis pacem quæsitam medio illius boni regis Richardi, de cuius morte & causis illius satis impijs taceo, de tam antiquis ignoro, hoc saluo quod inter nos fama asseritur Normaniam nobis pertinere, & in hoc nos iustam vos iniquam fouere causam. *Francus*. Salua pace non est verum, nil citra mare habetis nisi per tyranniam & mare est & esse debet terminus vester. Habuistis tamen aliàs ducatum Aquitaniæ cum aliquibus pertinétibus in feudum à rege Francorum, quem ducatum per multiplicatas fellonias diuinæ & regiæ Franciæ maiestatis offensiuas amisistis contra fidelitatem iuratam & promissam veniendo. In Normania autem nullum ius habuistis nec habetis, immo vt dux Normaniæ rex Francorum est verus rex Angliæ, scitis enim quod dux Normaniæ iusto titulo regnum vestrum quæsiuit. Vnde reperio etiam quod anno 154. rex Francorum Ludouicus zelot, pia motus vxorem repudiauit, quam Henricus Normaniæ dux præter eius voluntatem duxit, propter quod inter eos suborta guerra, sed post eodem anno facta pace inter eos, dictus Henricus cum dicti regis Ludouici præsidio Angliam contra Stephanum intrat regnum & occupat, sed per concordiam illi regnum ad vitam dimisit, qui post illo Stephano mortuo cum dicti regis præsidio regni integritatem habuit & possedit. Post autem circa annum Domini 1010. Philippus Francorum & Henricus Anglorum reges simul in Christi nomine cum innumeris nobilium milibus iter peregrinationis vltra mare pro Christi vindicta fienda arripuerunt, & si rex tuus Odoardus similiter in die sancti Gregorij facere voluisset, aut saltem illum Christianissimum Francorum regem

regem Philippum *de Valois* non impediuisset Anglicos suos 200. non perdidisset, nec tãtorum Frã-
A cotum mortem propinasset: nec notam suæ fidelitatis infractæ incurrisset. sicq; rex Henricus vltimò vita functus strenuitatem propriam & fratrum ac suæ militiæ contra infideles conuertisset. *Anglus.* Possibile est. *Francus.* Precor nomina mihi pontificem tunc instructorem & in hac materia eruditorem. *Anglus.* Non nominabo, sed magnũ Dei seruitio tibi esse assero, & in magna dignitate constitutum. *Francus.* Vtinam bene perpendat suę magnitudinis præceps & casuũ sublimiũ maxima
B lubricitate, quoniam trepidaret tam sublime aggredi fastigium, quod dum videtur virere, cadit, & dum extollitur, terminatur fine repẽtino sicuti ros qui subitò desiccatur. *Anglus.* Nisi bene intelligeret non fuisset in tanta constitutus dignitate. *Francus.* Dignitas ex se improbos nequit facere reuerendos, quia ex se dignitas nihil habet virtutis, nec virtus ex dignitate, sed propter virtutem dignitati datur honor. Si enim aliquid boni à natura inesset dignitati, mali non præessent sicut vi-
C demus præesse. *Anglus.* Talem illum credo fore prælatum & bene intelligentem. *Francus.* Vtinam talis, si cuius operatio lingua, mens & vita testimonium præbeant dignitati. Apud Deum enim non est ętas, sed actus, vita & morum dignitas approbatur. *Anglus.* Quare de illo tantum dubitas & inquiris? *Francus.* Per ea quæ video & audio iugiter in his regnis & in ista materia. *Anglus.* Quid vides? *Francus.* Video prælatos & sacerdotes vestros armigeros & viros sanguinum effectos, sed quo iure nescio, & tamen nuper in ciuitate Ro-
D thomagensi audiui regem vestrum Henricum vltimò vita functum strenuum mirabiliter prælatos vestros arguentem & mordentem quod ex eorũ incumbenti officio non essent pacis amatores, zelatores & perquisitores, & tamen vestros vidi pręlatos magnos & audio bellatores, & pridem quod deterius est pium & charitatiuum subsidium pro fide Christi iure datum & contra hæreticos conuertendum, contra nos Christianissimos conuersum, & pro nostra occisione erogatum, quod mihi
E nedum admirationem inducit, sed stuporem. Cuius mores tam euersos considero recolens eius quod dicit Bernardus ad Eugenium, quod totus zelus ecclesiasticus feruere videtur in tuẽdis possessionibus & dignitatibus, honorique totum detur & sanctitati nihil, & de Dei placito vltima fit mentio & de iactura salutis cunctatio nulla, nec salubre putatur, nisi quod sublime & nihil iustum videtur nisi quod gloriam redolet. *Anglus.* Probi sũt verè, sed regis & principis imperio hæc faciũt.
F *Francus.* Dixit Petrus magna auctoritate, quod magis Deo oportet quam hominibus obedire. Non in fortitudine viri beneplacitum erit Deo, sed super humilem & mansuetum & timentem verba Domini requiescet spiritus eius, & qui te in vna maxilla percusserit, præbe aliam. Iuxta illud verbum Christi: Dedi genas meas euellentibus & conspuentibus in me. Dic precor prælatis & sacerdotibus tuis magis annuentibus maiestati quam veritati, mente vt reuoluant illud terrendum euangelium: Nisi iustitia vestra abundauerit magis quam pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Qui dixerit fratri suo racha, reus erit iudicio, qui dixerit fatue reus erit gehennæ ignis. Si pro tam modica iniuria gehennam prouocauit, quid pro tantis stragibus & execrabilibus homicidijs & alijs guerræ discriminibus? Cogitent è conuerso si veri sacerdotes & pontifices pacem persuasissẽt à tempore Odoardi citra, quanta & qualis esset militia & nobilitas Christiana, & si pro Christi fide augenda exposita vt rex noster disposuerat, quantus fructus vbi nunc luctus? Cogitent de satisfactione vbi in sæuitia perseuerant. Finis.

OPVS QVODDAM COLLATIVVM DE QVADAM PVELLA QVÆ OLIM IN *Francia equitauit, cuius editio magistro Ioanni de Gerson ascribitur, sed magis apparet stylus magistri Henrici de Gorckheim. Ad gloriam benedictæ Trinitatis gloriosæque semper virginis Dei matris, ac totius curiæ cœlestis.*

TVLIT me Dominus cũ sequerer gregem, & dixit mihi, vade & propheta ad populum meum Israel. Amos 7. Populus Israel populus regni Franciæ non incongruè potest spiritualiter nuncupari, quem fide Dei & cultu Christianæ religionis notum est semper floruisse. Ad huius regni filium quædam iuuencula pastoris cuiusdam filia, quę & ipsa regem ouium secuta fertur accessit, asserens se missam à Deo, quatenus per ipsam dictum regnum ad eius obedientiam reducatur. Ne autem ipsius assertio putetur temeraria, etiam signis supernaturalibus vtitur, sicuti reuelare occulta cordium & futura contingentium præuidere. Refertur insuper quod sit rasa capite ad modum viri, & volens ad actus bellicos procedere, vestibus & armis virilibus induta ascendit equum, quæ dum in æquo est ferens vexillum, statim mirabili viget industria quasi peritus dux exercitus ad artificiosam exercitus institutionem. Tunc quoque sui efficiuntur animosi, è contra verò aduersarij timidi quasi viribus destituti. Vbi autem de equo descẽdit, solitum habitum muliebrem reassumens, fit simplicissima negotiorum sæcularium, quasi innocens agnus imperita. Fertur etiam quod vixit in castitate, sobrietate & continentia, Deo deuota, prohibens fieri occisiones, rapinas, cæterasque violentias omnibus his qui ad dictam obedientiã se volunt exhibere. Propter hæc ergo & similia ciuitates oppida & castra se submittunt regio filio fidelitatem sibi promittentes. Quo ita vt prefertur se habente, nonnullæ quæstiones emergunt ad sui declarationẽ doctas animas alliciunt. Verbi gratia. An credi debeat vera naturæ humanæ puella, an in similem effigiem phantasticum transformatam? Secundò, an ea quæ facit possint humanitus fieri ab ipsa, an per eam ab aliqua superiori causa? Tertia si per superiorem causam, an per bonum scilicet spiritum bonum, an malam vt puta per spiritum malum? Quartò, an eius verbis fiducia sit exhibenda, & eius opera tanquam diuinitus facta sint approbanda, an phitonica & illusoria?

Quia verò circa has aut similes quęstiũculas alij

& alij aliter & aliter sentiunt, quatenus vtrique pro sua defensione valeant ex sacris literis testimonia proferre, præsens hoc opusculum non asserendo, sed collatiuè dictando, offert quasdam propositiones pro vna parte. Rursus quasdã pro alia, modo problematico prouocãs subtiliora ingenia ad intelligentiam profundiorem. Hoc tamen memoriter commendando quod ad sententiandum aliquid securè in hac materia, necesse est huius puellæ mores, verba, opera, cæterosque gestus tam quos habet solitaria, quam eos quos habet cum alijs in publico, & cæteras suæ vitæ circunstantias ad liquidum præagnoscere, & an ea quæ reuelat & prænunciat, semper vera inueniantur. Verum in sequentibus ponenda accipi debet iuxta communis famę relationem à pluribus fide dignis ad has partes translatam.

Prima propositio.

Hanc esse veram puellam & veram naturæ humanæ personam est simpliciter asserendum. Hæc propositio patet, quia nedum philosophorum regula canit quod operatio arguit formam, quinimmo & saluator noster testatur ex operibus cognitionem esse accipiendam, quia igitur hæc iuuencula inuenitur continuè conformis alijs hominibus in actibus humanis loquendo, esuriendo, comedendo, bibendo, vigilando, dormiendo, & cæteris huiusmodi, quis dicere audeat eam non fore veram naturæ humanæ personam, quam de alijs communicantibus secum in similibus humanæ naturæ signis, igitur &c.

Secunda propositio.

Ordinatum prophetiæ tempus fuit ante christi aduentum durans in exordio nascentis ecclesiæ cum operatione miraculorum. Hæc propositio à sacris doctoribus declaratur ex eo quod totum veteris testamenti tempus fuit figurale ad prænũciandum Christi aduentum & corporis sui mystici futurum statum. Similiter in primitiua ecclesia plures leguntur fuisse prophetæ. Et quia ea tũc prædicabantur quæ omnem humanæ facultatis cognitionem transcendunt, necessarium fuit adhibere signa per opera miraculosa, quibus huiusmodi dicta confirmarentur. Alioquin minus sufficienter fuisset prouisum saluti humani generis, iuxta quod ait Gregorius quod planta recenter terræ infixa indiget frequenti irrigatione vt bene radicata conualescat, igitur &c.

Tertia propositio.

Currentibus iam diebus non indignè censetur interdum quasdam personas suscitari ad prophetiæ spiritum & moueri ad operationem miraculorũ. Hæc propositio est Augustini in li. de ciuit. Dei, & etiam extrahi potest ex doctrina Gregorij. Cuius declaratio etiam ex eo patet, quia saluatoris ore nobis est promissum, quod ipse nobiscum est vsq; ad consummationem sæculi, dirigens humanum genus manu suæ prouidentiæ prout opportunitas nostræ salutis expetit. Sicut enim potestatem suam non alligauit sacramentis, ita nec alligauit eam alicui tempori locis aut personis, quinimmo in multis eius miserationibus semper assistit humano generi congrua remedia & auxilia prouidendo. Non enim (ait Esaias) abbreuiata est manus Domini, vt non possit redimere, igitur &c. Cum igitur reuelatione occultorũ & operatione miraculorum genus humanum indiget excitari & reuocari, nunc in vno populo nũc in alio,
A pie cẽsendũ est talia nobis nõ denegari igitur &c.

Quarta propositio.

Sacris cõsonat literis per fragilem sexũ & innocentem ætatẽ exhibitam à Deo fuisse populis & regnis lætam salutem. Hæc propositio patet, quia teste apostolo, eligit Deus infirma mundi, vt fortia quæq; confundat. Hinc exemplariter procedendo legitur de Delbora Hester & Iudith, impetratam fore populo Dei salutem. Et Danielem in pueritia suscitatum ad liberationem Susannæ. Sic
B Dauid in iuuentute Goliam prostrauit. Nec immeritò, quia hoc modo fit euidentior diuinæ pietatis affluentia, ne homo suis viribus ascribat, sed Deo potius gratiarum actiones referat. Sic enim per humilem virginem totius generis humani redemptio orta est, igitur &c.

Quinta propositio.

Non testatur sacra scriptura missos à Deo prauæ vitæ homines sub tali forma aut modis sicut prædicta puella communis celebrat recitatio. Pa-
C tet hęc propositio quia sicut dicit apostolus: Non est conuentio Christi & Belial, nec dignatur inire societatem aut contrahere familiaritatẽ cum dæmonijs vt eorum ministris & membris, quamuis legatur quosdã malos interdũ aliquid transeunter prophetasse, sicut Balaã prophetabat quod stella orieretur ex Iacob, & Saul & Caiphas prophetauerunt. Sed longè aliter est de hac puella quæ ad nutum habet vsum donorum supernaturaliũ in manifestando occulta, & prænunciando futura suo
D ministerio deseruientia, prohibendo insuper (vt præmissum est) fieri occisiones & cætera vitia exhortando ad virtutes & cętera probitatis opera in quibus Deus glorificatur. Sicut ergo in spiritu Dei præmissus est Ioseph ante patrem & fratres in Ægyptum, & Moyses ad populi Israel liberationẽ, Gedeon & supradictæ fœminæ. Pari modo hanc iuuenculam non est incongruum connumerari bonis specialiter à Deo missis, præsertim cum nec munera quærat, & ad bonũ pacis tota deuotione laboret. Hic enim non est opus mali spiritus, qui
E potius est autor dissentionis quam pacis.

Sexta propositio.

Quasi corollariè sequẽs ex antea præmissis propositionibus. Hæc filia vera persona in humana natura est à Deo specialiter missa ad ea quæ non humanitus, sed diuinitus fiunt opera cui fides est exhibenda. Patet hæc propositio respondẽs quæstionibus prælibatis. Quis enim sit verè homo, patet ex propositione prima. Et quia non desinit etiã his diebus Deus nobis specialiter prouidere per supernaturalia signa, non est incongruũ Deo
F assumere puellam innocentem, præcipuè iuxta quartam propositionem. Et quia donũ istud perseueranter apud eam residet ad finẽ deificum, & per media virtutis & honestatis, sicut asserit propositio quinta, videtur consequẽter hæc propositio sexta fore concedenda. Nec mirũ si in statu equestri sit alterius luminis, quã in solito statu muliebri, quia etiã Dauid volẽs Dominũ cõsulere, induebat ephot & sũpsit psalteriũ, & Moyses dum virgã gestabat, mirabilia faciebat, quia (sicut dicit Gregorius) spiritussanctus frequenter se interius conformat exterioribus concurrentibus.

Ita

Ita ex prælibatis potest quis huius viæ amicus sumere occasionem defendendi suam partem, vlterius etiam procedendo ad ampliorem dilationem.

Quia verò inueniuntur alij in oppositam partem magis inclinati, superest afferre ex sacra scriptura quædam testimonia ex quibus valeant suæ positionis sumere fulcimenta inspiciendo subscriptas propositiones.

Prima propositio.

Multi pseudoprophetæ sunt venturi asserentes se diuinitus à Deo mitti. Hæc propositio est saluatoris dicentis, quod in nouissimis diebus scilicet legis euangelicæ, multi dicent se venire in nomine meo, & multi per eos decipientur. Vnde & apostolus ait quod angelus sathanæ transfigurat se in angelum lucis. Nec mirum, quia malignus ille rex super omnes filios superbiæ incessanter nititur vsurpare diuinitatis excellentiam, & ideo procurat falsos prophetas sub nomine Dei missos ad decipiendum, igitur &c.

Secunda propositio.

Pseudoprophetæ frequenter pronunciant occulta cordium & effectus futurorum & contingentium. Hæc propositio concedi solet à doctoribus. Cuius ratio est, quia quanto virtus est altior, tanto ad ampliora se extendit. Constat autem quod intellectus dæmonum multo est altior intellectu humano, & ita quæ nobis sunt occulta, & futura quæ nobis sunt ignota, à malo spiritu sunt cognita. Et ita prophetæ dæmonum ex eorum instructione possunt talia reuelare, igitur &c.

Tertia propositio.

Non facile discernitur verus à falso propheta per exteriores apparentias & signa &c. Hæc propositio patet, quia non oportet prophetam fore vitæ virtuosæ, aut habere gratiam, & possunt dæmonum prophetæ occulta nobis & futura prænosticare, & sic pluribus alijs cum quibus conueniunt cum veris prophetis. Quod si interdum prænuncient falsa, sciunt palliare dando alium intellectum, aut allegare veros prophetas, interdum prophetantes aliqua quæ non euenerunt, sicut de Esaia & Iona prophetis legitur. Propter quod etiam apostolus dicit, quod non omni spiritu credendum est, sed tentandi sunt si à Deo sunt, insinuans difficilem discretionem inter bonos & malos prophetas igitur &c.

Quarta propositio.

Nunc tempore gratię specialem fieri à Deo missionem ad temporalis felicitatis prosperitatem non multam habet apparentiæ efficaciam. Hæc propositio potest sumi ex his quæ August. sæpius commemorat. Nam bona præsentis vitæ æqualiter conceduntur bonis & malis iustis & iniustis præsertim hoc tempore gratiæ, nec boni amorem suum affigant bonis transitorijs, in quibus mali plurimum florent. Vt etiam attendant quæ bona reseruat amicis in futura vita, quãdo inimicis suis affluenter cõfert huius vitę transitoria bona. Fieri igitur missionem præsentis felicitatis procuratiuam & prænosticatiuam (quæ peruipendenda scribitur) modicam videtur habere apparentiam, tamen in veteri testamento dum populus ille seruiebat Deo pro his temporalibus bonis, legitur

ad talem interdum factam fuisse mentionem,
A igitur &c.

Quinta propositio.

Duo committit hæc puella quæ leguntur prohibita in sacra scriptura. Hæc propositio patet, quia Deuter. 22. Lex prohibet ne mulier induat vestes viri: Et apostolus prohibet, ne mulier radat caput ad modum viri. Vtriusq; autem oppositum de hac puella narratur. Et videtur prima facie ad quandam indecentiam vergere iuuencularum puellam insidere equo habitu virili indutam, & cum Deus diligat modestiam, videtur derogare
B diuinę missioni se effeminare in virilem formam. Neq; videtur concordare cum familiari missione talis modus, quia tam familiaris missio fit per spiritum sanctificantem interius animam Iuxta illud Sap. 7. Sapientia Dei se transfert in animas sanctas amicos Dei & prophetas constituit, propter quod si huius iuuenculæ missio sit prophetica, oportet eam esse cuiusdam excellentis sanctitatis & diuini intrinsecus, & talem personam indecens videtur transformare se in virum secula-
C rem armorum. Non enim sic legitur de Hester & Iudith, licet ornarent se cultu solemniori, muliebri tamen vt gratius placerent his cum quibus agere conceperunt, igitur &c.

Sexta propositio.

Dictam puellam à Deo specialiter missam & Deum operari per eam aut sibi fiduciam fore adhibendam non potest ostendi per sufficientem apparentiam. Hæc propositio patet quasi corollariè ex præmissis, quia si multi venturi sint falsi
D prophetę similes veris. Si ad felicitatis temporalis prosperitatem non fit specialis missio sub tempore gratiæ, Si processus eius fiat cõtra diuina mandata, quomodo possit assertiuè teneri huiusmodi filiam singulariter à Deo electam ad ea sequenda quæ famantur?

Ex quibus patet qualiter huius vię fautores suam partem possint colorare oppositam viam impugnando. Insuper ad profundiora inuenienda occasionem ex præmissis accipiendo, itaq; hæc hinc inde copulata collatiuè posita offeruntur visuris
E causa pręsentis casus vel futuri consimilis vt & ipsi aliquid respondere valeant consimiles quæstiones mouentibus semper ad gloriam Dei qui regnat in secula benedictus. Amen.

COMPILATVM A MAGISTRO IOANNE DE GERSON DE MIRABILI *victoria cuiusdam puellæ, de post fœtantes receptæ in ducem belli exercitus regis Francorum contra Anglicos.*

F PRÆSVPPONENDVM est in primis quod multa falsa sunt probabilia, immo secundum philosophum non refert quædam falsa probabiliora esse quibusdam veris, vsq; adeò quod duo contradictoria simul stant in probabilitate, licet non in veritate.

Aduertendum est vlterius quod ista probabilitas si rectè fundata sit & ritè intellecta non est dicenda error vel erronea nisi pertinaciter extendatur assertio vltra terminos probabilitatis. Ratio

huius est, quia probabiliter loquens fundat se in hoc quod rationes & apparentias habet pro parte sua. Et hoc vtiq; verum est nisi sit penitus improbabile. Verũ est similiter de parte opposita, quod ad eam sunt rationes & apparentiæ seu verisimiles coniecturæ. Et hoc similiter potest esse & est sæpe verum, nec ista contradicunt sic exposita.
A
Aduertendum est tertiò quod aliqua concernentia fidem & bonos mores considerantur in duplici differentia, quantum spectat ad presens. Aliqua enim dicuntur de necessitate fidei & in istis non licet dubitare vel probabiliter opinari, iuxta illud vulgatum: Dubius in fide infidelis est, & de talibus iusta esset conquestio, neq; lex illa ciuilis barbaris habet locum, neq; in talibus communis error faceret ius, immo tanto deterior quanto communior, esset deniq; ferro & igne exterminandus iuxta ecclesiasticas & ciuiles censuras contra hæreticos latas locum etiá habet illud metricum salubre: Non patitur ludum fama, fides, oculus, immo & pro tali ludo in his quæ sunt fidei, posset euocari sic iocans ad iudicium fidei, tanquam de errore suspectus in fide. Considerandum est pro altera differẽtia eorũ quæ sunt in fide, vel de fide, quod illa vocãtur de pietate vel deuotione fidei, & nullo modo de necessitate. De quibus solet dici vulgariter, *tel rist qu'il est pis que damné*. Spectant autem ad pietatem fidei tres conditiones in speciali. Prima quod faciant ad excitationem deuotionis & piæ affectionis circa Deum & diuina, quia sc. resonant in laudem diuinæ potentiæ vel clementiæ in miraculis & venerationem sanctorum. Altera conditio est quod habeatur circa talia probabilis aliqua coniectura vel ex communi relatione, vel ex fidelium attestatione, qui dicunt se vidisse & audisse. Superadditur tertia conditio, cum discretione pensanda per viros in theologia & bonis moribus eruditos quod in huiusmodi relationibus eorum quæ dicuntur de pietate fidei, non includatur vel immisceatur aliquod falsum vel erroneum, quod manifestè sit in detrimẽtum fidei vel bonorum morum directè vel indirectè, palam vel occultè. Super qua cognoscẽda vel determinanda non est fas cuilibet palam & passim ferre sententias & reprobationes, immo nec approbationes contentiosas, maximè quando tolerãtur ab ecclesia seu prælatis ecclesiæ in nulla prouincia vel in multis, sed iudicium & determinatio debent deferri ad eandem ecclesiam seu prælatos eius & doctores. Possent hic notari multa in particularibus, vt de materia conceptionis beatæ virginis, vt de opinionibus probabilibus inter doctores, vt de indulgentijs quoad circunstantias multas. Sic de veneratione reliquiarum in vno loco & alio immo in diuersis simul, quẽadmodum fuit nuper contentio in parlamento Parisiensi super veneratione capitis sancti Dionysij in ecclesia Parisiensi & in abbatia sancti Dionysij prope Parisijs. Concludendum est tandem ex præmissis, quod piè & salubriter potest de pietate fidei & deuotionis sustineri factum illius puellæ, circunstantijs attentis cum effectu patenti, præsertim ex causa finali quæ iustissima est sc. restitutio regis ad regnum suum, & pertinacissimorum inimicorum suorum iustissima repulsio seu debellatio. Addito præterea quod in obseruationibus suis hæc puella non reperitur vti sortilegijs ab ecclesia prohibitis, neq; superstitionibus palam reprobatis, neque cautelis hominum fraudulentis, neq; ad questum proprium, vel aliquod tale subdolum, cum in attestationem suæ fidei exponat extremo periculo suum corpus. Postremò si multi multa loquantur & referant pro garrulitate sua & leuitate aut dolositate, aut alio sinistro, fauore vel odio subuenit illud Catonis. Arbitrij nostri non est quod quisq; loquatur, est tamen arbitrij nostri quid credatur seu teneatur seruata modestia & contentione seu seditione procul pulsa, quia sicut dicit apostolus. Non oportet seruum Dei litigare, nos inquit talem consuetudinẽ non habemus vt sc. litigemus, sed tolerare oportet vel ad superiores sicuti præmissum est determinando referre. Ita enim fuit in canonizationibus sanctorum primarijs, quales canonizationes vt in pluribus quæ leguntur non sunt de necessitate fidei strictè loquendo. Sed de pia deuotione quæ non est passim per quoslibet reprobanda, irridenda vel repudianda & minus (cæteris paribus) quam alia sine canonizatione vulgata. Iungantur ad causam nostram istæ circunstantiæ. Vna quod concilium regis & gentes armorum potuerunt induci ad vocem illius puellæ, taliter credere & obsequi quod sub ea vel cum ea exposuerunt se cõspirato animo ad bellica pericula dedecore omni procul pulso, quod euenire poterat si sub vna muliercula militantes, victi fuissent per hostes procacissimos, & irrisi apud omnes qui audissent. Altera, quod exultatio popularis cum pia credulitate tanta subsequi cernitur ad laudem Dei & hostium confusionem. Altera quod latentes inimici etiam magni referuntur in timores varios, immo & in languores quasi parturientis cecidisse iuxta imprecationem cantici illius à Maria sorore Moysi tympanizati in choro ludentium: Cantemus Domino gloriosè canticum &c. Sequitur: irruat super eos formido & pauor. Videatur & cum deuotione facto nostro consona recolatur & cantetur. Ponderandũ est ad extremum, quod hæc puella & adhærentes sibi militares, non dimittunt vias humanæ prouidentiæ, faciendo sc. quod in se est, quod appareat tentari Deus vltra quam necesse est. Vnde constat hanc puellam non esse pertinacem in adhæsione proprij capitis vltra quam reputet à Deo se habere monitiones seu instinctus. Possent insuper superaddi multæ circunstantiæ de vita eius à puero quæ interrogatæ sunt & cognitæ diu & multum, & per multos. De quibus hic nil inseritur. Exempla possunt induci de Barbara, & de sancta Catherina in conuersione non minus miraculosa rhetorum, & alijs multis, vt de Iudith & de Iuda, in quibus communiter miscetur semper aliquid naturale. Neq; sequitur semper post primũ miraculum quicquid ab hominibus expectatur vel expectabitur. Preterea si frustraretur ab omni expectatione sua & nostra (quod absit) prædicta puella, non oportebit cõcludere ea quæ facta sunt à maligno spiritu, vel non à Deo facta esse, sed vel propter nostram ingratitudinem vel blasphemias aut aliunde iusto Dei iudicio licet occulto, posset contingere frustratio expectationis nostrę in ira Dei, quam aduertat à nobis, & benè omnia vertat.

Superad-

Superadduntur quatuor ciuilia & theologica documenta. Vnum concernit regem & consanguineos regiæ domus. Secundum militiā regis & regni. Tertium ecclesiasticos cum populo. Quartum puellam ipsam. Quorum documentorum iste vnicus est finis, bene viuere piè ad Deum, iustè ad proximum, & sobriè, hoc est virtuosè & temperanter ad seipsum. Et in speciali pro quarto documento quod hæc gratia Dei ostensa in hac puella non accipiatur & traducatur per se vel alios ad vanitates curiosas, non ad mundanos quęstus, non ad odia partialia, non ad seditiones contentiosas nos ad vindictas de præteritis, non ad gloriationes ineptas. Sed in mansuetudine & orationibus cum gratiarum actione, cū liberali præterea temporalium subuentione quilibet laborat & in idipsum, quatenus veniat pax in cubili suo vt de manu inimicorum nostrorum liberati, Deo propicio seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris &c. A Domino factum est istud &c.

SEQVITVR triplex veritas ad iustificationem electę puellę de post fœtantes acceptę, vtentis veste virili.

Prima veritas. Lex vetus prohibens mulierem vti veste virili & virum veste muliebri, pro quanto est purè iudicialis, non obligat in noua lege, quia secundum veritatem tenendam de necessitate salutis iudicialia antiquæ legis ablata sunt, nec obligant in noua, vt talia sunt, nisi nouiter per superiores ea institui seu confirmari contingat.

Secunda veritas. Lex huiusmodi continebat aliquod morale quod stabile est in omni lege, & illud possumus exprimere prohibitionem indecentis habitus, tam in viro quam in muliere con- A tra medium virtutis, quod obseruare debet circunstantias omnes, vt quando oportet, cur oportet, qualiter oportet, & ita de reliquis vt sapiens iudicabit, de quibus non est hic declarandum per singula.

Tertia veritas. Lex huiusmodi nec vt iudicialis est, nec vt moralis, damnat vsum vestis virilis & militaris in puella nostra virili & militari, quam ex certis signis eligit rex cœlestis omnium tanquam vexilliferam ad conterendos hostes iustitiæ & amicos subleuandos, vt in manu fœminæ puellaris & virginis confundat fortia iniquitatis B arma, auxiliantibus angelis, quibus virginitas amica est & cognata secundum Hieronymum & in sacris historijs frequenter apparuit. Sicut in Cecilia visibiliter cum coronis ex rosis & lilijs. Rursus per hoc saluatur attonsio crinium quam apostolus prohibere videtur in fœmina. Obstruatur igitur & cesset os loquentium iniqua, quia vbi diuina virtus operatur, media secundum finis exigentiam disponuntur, ita vt non iam sit securum detrahere vel culpare ausu temerario, ea quæ à Deo sunt secundum Apostolum ordinata sunt. C Denique possent particularitates addi multæ & exempla de historijs sacris & gentilium, sicut de Camilla & Amazonibus. Sicut præterea in casibus vel necessitatis vel euidentis vtilitatis, vel approbatæ consuetudinis, vel ex auctoritate seu dispensatione superiorum. Sed ista pro breuitate sufficiant & veritate. Tantummodo caueat pars habens iustam causam, nec per incredulitatem & ingratitudinem vel alias iniustitias faciat irritum diuinum tam patenter & mirabiliter auxilium inchoatum prout in Moyse & filijs Israël, post collata diuinitus tot promissa legimus contigisse. Deus enim & si non consilium, sententiam, tamen mutat pro mutatione meritorum.

Finis secundæ partis.

